






F. L. D.



Biem. B. III. 4





M.

P

VS

PL

E

CVM

SVM

M. FRID. CHRISTIANI BAVMEISTERI,

AVGVSTI GYMNASII GORLICENSIS RECTORIS

ELEMENTA PHILOSOPHIAE RECENTIORIS

VSIBVS IVVENTVTIS SCHOLASTICAE

ACCOMMODATA

ET

PLVRIBVS SENTENTIIS EXEMPLISQVE EX VETERVM SCRIPTORVM ROMANORVM MONIMENTIS ILLVSTRATA.

Biblioth. PP. Eremitar. Camaldulen. Montis Vigrensis.

EDITIO NOVA, AVCTIOR ET EMENDATIOR.



CVM PRIVIL. SACR. CAESAR. MAIEST. ET SER. REG. POL. ET ELECT. SAX.

LIPSIAE,

SVMTIBVS IO. FRIDERICI GLEDITSCHII


CIↃ IↃCCLV.

ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
HERMANNO CAROLO
S. R. I. COMITI
DE KEYSERLINGK,
AVGVSTISSIMAE IMPERATRICIS TOTIVS RVSSIAE CONSILIARIO INTIMO ACTVALI ET MINISTRO PLENIPOTENTIARIO IN AVLA REGIS BORVSSIAE ETC. ETC.
DYNASTAE BIDGOSTENSI ET FORDANENSI, CAPITANEO POLANGENSI, NEC NON DOMINO VTRIVSQVE TERRAE BLŸHDENSIS, ETC. ETC.
EQVITI AQVILAE ALBAE,

DOMINO SVO LONGE
CLEMENTISSIMO
MAECENATI LITTERARVM MAXIMO

HOC PIETATIS ET OBSERVANTIAE MONIMENTVM SVBMISSISSIME OFFERT

FRIDERICVS CHRISTIANVS
BAVMEISTERVS.



COMES ILLVSTRISSIME

DOMINE CLEMENTISSIME.

Quamuis, quas ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO inſcribere audeo, lucubrationes exiles admodum ſint, dignitatisque, qua emines, amplitudine et ſplendore parum dignae, tanto tamen minus meae tenuitatis conſcientia me

ab obſequii cultu publice TIBI teſtificando, reuocare potuit, quanto plura illuſtrioraque inuſitatae cuiuſdam in me clementiae documenta adhuc exſtare uoluiſti.

Ex omnibus diebus, quos per uitam optatiſſimos uidi, hunc laetiſſimum multoque feliciſſimum iudico, quo, ante hos quatuor annos, contigit mihi, ad TE, iuſſu TVO arceſſituque, uenire, et coram demirari tot uirtutum, uariaeque et exquiſitioris doctrinae decora, quibus, inter gentium legatos, purpuratosque aularum Europaearum proceres, ita exſplendeſcis, ut uniuerſum, qua cultioribus litteris pretium ſtatuit, orbem ILLVSTRISSIMI NOMINIS TVI ueneratione dudum impleueris, omnesque, quibus TVI conueniendi copia datur, ſtupore defixos, mirificisque clementiae ſignificationibus exhilaratos dimittas. Quod quidem, ſi quisquam, ego profecto cumulatius expertus ſum, qui, cum TE Gorcilii, praeſtita clientis obſequentia, uenerabundus ſalutarem, neſciebam fere, conueniretne magis re-uereri et obſeruare excelſum illud ſplendidiſſimumque dignitatis faſtigium, in quo diuina TE prouidentia, rerum humanarum moderatrix et domina, collocauit, an admirari incredibilem TVAM erga litterarum cultores clementiam, ac ſcientiam

recon-

reconditiorem earum artium, quibus ingenia, publicis grauissimisque negotiis expediundis nata, ad magnae fortunae cultum excitantur.

Tantum mihi non sumo, ut uel excelsi TVI sagacitatem ingenii, uel plurium florentiorumque linguarum peritiam, quae tanta est, ut in earum, quibuscum agis, gentium sinu genitus uidearis et expolitus, uel admirabilis eloquentiae uim flumenque, uel acumen et perspicaciam, qua abditos naturae recessus exploras, et in ipsa philosophiae penetras adyta, uel insignem historiarum omnis aeui scientiam, uel exquisitissimam, ciuilium tractatione rerum egregie spectatam, totque Regibus, et maxime AVGVSTISSIMAE INVICTISSIMAEQVE RVSSORVM IMPERATRICI mirifice probatam, prudentiam, uel alia denique, quibus supra, quam laudari, quam credi queat, enitescis, illustris et heroicae litteraturae ornamenta enarrare, nedum digne collaudare sustineam.

Quae omnia, et alia plura, quemadmodum non modo Aula Dresdensis et Berolinensis, sed uniuersa quoque Europa, ad TVI uenerationem conuersa, admiratur et extollit, ita uel in primis ad posteritatis memoriam commemorari meretur effusae TVAE benignitatis ubertas, quae, diductis late riuis,

ita ſe diffundit in litteratorum rempublicam, ut haec plurimum TIBI debeat incrementi, omniumque adeo, ſi qui ſunt, qui perpauci ſunt, Maecenatum optimus munificentiſſimusque recte habearis.

Tantae ergo Gloriae TVAE, in illuſtri quaſi monimento poſitae, ſplendore obſtupefactus, leuidenſe hoc meae in TE pietatis obſeruantiaeque pignus TIBI quantâ maxima poſſum animi ſubmiſſione trado, rogoque TE per eum, quo litteras tam prolixe foues, earumque decus tueris, amorem, ut qualecunque hoc ſancti obſequii, TIBI deuotiſſimi, monimentum clementiſſime accipias, gratiamque TVAM, qua nihil mihi optatius, et ad ſpes fortunasque meas conſtabiliendas accommodatius contingere poteſt, perpetuam ſerues.

ILLVSTRISSIMI NOMINIS TVI

Gorlici apud
Luſatos
cIɔ Iɔ c c x x x x v i i
Id. April.

obſequentiſſimus obſeruantiſſimusque
cultor
FRIDERICVS CHRISTIANVS
BAVMEISTERVS.

NOS FRANCISCVS, divina favente clementia, Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ & Hierosolymarum Rex, Dux Lotharingiæ, & Barri, Magnus Hetruriæ Dux, Princeps Carolopolis, Marchio Nomenei, Comes Falckensteini &c. &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis *Ioannis Friderici Gleditsch* relicta Vidua humillime exponi curarit, quem in modum *M. Friderici Christiani Baumeisteri Elementa Philosophiæ recentioris usibus scholasticæ Iuventutis accommodata, & pluribus sententiis exemplisque ex ueterum scriptorum Romanorum monumentis illustrata*, in octavo prelo committere resoluerit, uereatur autem, ne æmulorum inuidia hanc editionem imitantium, impendii et laboris sui fructu frustretur, ideoque Nobis demisse supplicarit, quatenus eius indemnitati Privilegio Nostro Cæsareo succurrere clementissime dignaremur, Nos submissæ pariter ac æquæ eius petitioni annuendum censuerimus; Ac proinde Authoritate Nostra Cæsarea omnibus & singulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis & aliis quibuscunque rem librariam seu negotiationem exercentibus, firmiter inhibemus, vetamus & interdicimus, ne quis supra nominata Baumeisteri Elementa Philosophiæ sub hoc aliove titulo aut hac aliaue forma, seu ut aiunt formato, nec in toto nec in parte, per decem annorum spatium, ab hodierno die computandum, intra Sacri Romani Imperii fines recudere, vel aliis recudenda dare, aliorsumve impressa apportare, vendere, vel distrahere, citra præfatæ Impetrantis hæredumque ac successorum voluntatem & assensum, in scriptis obtentum, ausit vel præsumat, si quis vero secus faciendo Privilegium hoc Nostrum seu Interdictum violare contemnereque præsumserit, eum non solum eiusmodi exemplaribus, ubicumque locorum repertis, perperam quippe recusis, seu apportatis (quæ dicta Ioannis Friderici Gleditsch Vidua siue propria authoritate, sivé magistratus illius loci auxilio sibi vindicare poterit) de facto privandum, sed & quin-

que marcarum auri puri poena, Ærario seu Fisco Nostro Cæsareo & parti læsæ ex æquo pendenda, omni spe veniæ sublata, mulctandum decernimus, dummodo tenor huius Nostri Privilegii in fronte libri impressus reperiatur, et consueta quinque Exemplaria Consilio Nostro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & singulis Nostris & Sacri Romani Imperii subditis & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis quam secularibus, cuiuscunque status, gradus, dignitatis aut ordinis fuerint, præsertim vero iis, qui in Magistratu existentes vel suo, vel superiorum suorum loco aut nomine ius iustitiamque administrant, ne quemquam Privilegium Nostrum Cæsareum violare, spernere, aut transgredi patiantur, sed si quos contumaces compererint, constituta a Nobis Mulcta eos puniri, & quibuscunque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipsi grauissimam Nostram indignationem, prædictamque mulctam evitare voluerint. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum et sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum, quae dabantur Viennæ die decima octaua Augusti anno millesimo septingentesimo quadragesimo nono, Regni Nostri quarto.

FRANCISCVS Mpria.

(L. S.)

Vt R. Comes Colloredo.

Ad Mandatum Sacr. Cæsar.
Majestatis proprium
J. J. Hayeck de Waldstætten.

Privil. Impressorium ad decem annos super Baumeisteri M. Friderici Elementa Philosophiæ in octav. pro Gleditsch. Vidua.



PRAEFATIO
DE ELEGANTIORIS STILI CVLTVRA, PHILOSOPHIS NON INDIGNA.

Ad philoſophiae recentioris elementa, quae nunc edo, publicae exponenda luci induxit me muneris, quo fungor, ratio, quae a ſtudio, iuuentutis, ad humanitatem erudiendae, commodis inſeruiendi ſeiuncta eſſe non debet. Ex quo rationibus rei ſcholaſticae moderandis praefui, haec duo mihi propoſita exiſtimaui, alterum, ut eorum, qui ſe mihi limandos permittunt, rationem, idque philoſophia adiutrice, perficerem, alterum, ut orationis poliendae comendaeque praecepta, quam poſſem breuiſſime diſtinctiſſimeque, traderem. Quod utrumque ut aſſequerer, in eam ſemper uiam ingreſſus ſum, quae eſſet expeditiſſima, minimumque haberet ſalebrarum.

Quare, in philoſophia tradenda, quantum potui, ſeruii perſpicuitati, neque committendum putaui, ut, quod faciunt multi, iuuenum,

num, nondum iudicio ſatis ac ratione firmatorum, aciem obtunderem, eosque per tortuoſos ducerem anfractus. Ea, quae pluſculum habere uideri poterant difficultatis, tantiſper ſepoſui, definitiones concinnaui, cuiusque captui accommodatiſſimas, et, quas alii ſubtilius artificioſiusque contexunt, demonſtrationes, operam dedi, ut proponerem quam euidentiſſime, ſemotis, quae methodo mathematicae ineſſe putantur, ineptiis offenſionibusque. Inprimis uero, tanquam condimentis, ueterum ſcriptorum ſententiis exemplisque perſpergendas putaui grauiſſimas philoſophiae doctrinas, quae capiuntur facilius, iucunditatisque plus habent, cum hauriuntur ex politioris humanitatis fontibus. Plerumque enim res, quae docentur, ſunt eiusmodi, ut earum uel difficultas diſcentium contentionem frangeret, uel doctrinarum aſperitas deterreret eos, niſi uariis ingenii amoenioris ſuauitatibus, ex humanioris litteraturae penu depromendis, diſciplinarum grauiſſimarum rigor mitigaretur. Recte ergo ii faciunt, qui, in proponendis ſaluberrimis doctrinis utile miſcent dulci, audientiumque uoluptati et uſui ita inſeruiunt, ut, quod ſubtilitate uideri poterat horridum, aut incultu aſperum, id uel hiſtoriarum ſententiarumque, ex cultioris Latii monimentis arceſſitarum, conueſtiant floribus, uel aliis ingenii feſtiuitatibus molliant

Cum qua docendi philoſophiam ratione, dici non poteſt, quam multi optabilesque con-

coniungantur fructus, quorum is praecipuus est, ut non modo cogitandi facultas in iuuenibus instruatur lautius, meditandique uis acuatur, sed ut litterarum quoque, quae ad humanitatem pertinent, quaeque, nostra aetate, tantopere negliguntur, studio inflammentur. Nihil enim est, quod ad solidam exquisitioremque eruditionem assequendam plus ualeat, quam artium humaniorum cum philosophia coniunctio, quam ita nunc complures dirimere uideas, ut uel ii, qui rationi perficiendae operam dant, omnem orationis poliendae curam abiiciant, uel ii, qui de adiumentis, quae ad orationem ornatam, et expolitione artificioque distinctam pertinent, sunt soliciti, de rebus, quae dictione explicandae sunt, non magnopere laborent. Turpiter hi ea, quae natura cohaerent, praepostero studio distrahunt, ipsasque adeo, quas natura sanxit, peruertunt leges, propterea, quod uinculum, quo uerba colligantur cum rebus, prorsus dissoluunt.

Minus ergo mihi probantur critici nonnulli, qui rerum delectum, eaque omnia, quibus excellenter subtiliterque cogitandi uel comparatur facultas, uel instruitur, insolenter fastidiunt, ueraeque eruditionis decus omne in scita et numerosa uerborum collocatione, ornatuque orationis et splendore positam arbitrantur. Quod quidem tanto est ineptius, quanto magis habetur praeposterum, in corpore, quod sensu et uita caret, ornando multum elaborare. In omni enim

ora-

oratione, quod in corpore humano est anima, esse solent sententiae, quibus si uerba destituuntur, fieri non potest, quin orationis corpus eneruetur et cadat. Non attinet, et hoc loco alienum est, horum, qui a uerborum cultu rerum scientiam seiungunt, ineptias, quas notandas putarunt alii, copiosius commemorare.

At non minus perperam peruerseque agunt ii, qui, ut optime cogitent, nihil non sibi agendum putant, de eo, ut optime dicant, cogitataque puro tersoque sermone proferant, parum sunt soliciti.

Audeo, si ueniam dabitis, audeo, inquam, uos compellare, qui, nostra aetate, quicquid habetis uirium ingeniique, ad ornandam philosophiam confertis. Eximie uos collaudo, quod fines rationis longius proferre et suum ueritati decus propugnaculis errorum disiectis asserere allaboratis. Praedico uestram diligentiam, quam in contundendis profligandisque iis ponitis, qui, eleuata rationis auctoritate, nugas ineptiasque, et, nescio quae, commenta pro sapientiae regulis obtrudunt. Neque, ut hoc addam, infensus sum iis, qui se Wolfii, philosophorum nostrae aetatis principis, commentationibus aut interfuisse, aut eiusdem scriptis delectari, aiunt. Nostis, opinor, ipsi, me adhuc si multum non potui, at uoluisse certe, quantulumcunque potui, ad illustrandam philosophiam Wolfianam conferre. Atque illud denique inprimis mihi laetandum iure esse uideo, quod sentiendi dissentiendique

que libertas, philoſophiae ope, noſtris temporibus, tanta ceperit incrementa, quantis eam, ante hoc tempus, auctam fuiſſe non facile recordamur.

At, at hoc indigne ferunt plerique, hoc ipſe nonnullis ueſtrum duco crimini, quod, quae cogitatis optime, peſſime ſaepius inquinatiſſimeque enunciatis, horrido uſi dicendi genere, ſtrigoſo, barbaro, inculto, tali denique, quale uel ipſas ſcholaſticorum aures uulneret et offendat. Non ſum tam delicati faſtidii, ut omnem orationem, quae non ſit Ciceroniana, repudiari uelim, proiectamque reſpui, quin etiam ipſe ego, quicquid pictum nimis coloratumque eſt et fuco meretricio imbutum, id ineptum puto, putidum, et otioſum. Neque enim recipit philoſophia lenocinia, ſed ipſam, tanquam grauem matronam, decet cultus purus, ſimplex, rectus, minimeque ſordidus, cuius ipſam non debeat ſuppudere.

At quid uos? Ridetis Scholaſticos, et, quod mirum nonnullis uideri poterat, philoſophiam multo ſordidiori dedecoratis habitu, quam quo eam, Scholaſticorum temporibus, barbarie foedatis, comparuiſſe, reperimus. Incuſatis Auerrois, Auicennae, et totius Ariſtotelicorum gregis obſcuritatem et tenebras; ipſi uero uocibus horridioribus, et ante hunc diem ne fando quidem auditis, ſententias mentemque ueſtram ita inuoluitis, ut ipſi diei lucem eripuiſſe uideamini. Veterum Petreitates, animalitates, futuribilitates, ceteras ineptias, falſius, ſi inciderit occaſio, per-

 ſtrin-

ſtringitis; neque ipſi erubeſcitis ſcripta ueſtra tot implere terriculamentis, tot foedare barbariſmorum ſordibus, ut, qui ueſtras legerit commentationes, in turbidum lacum, qui non fluat, aut lutulentus fluat, ſibi delatus uideatur. Maxime uero faſtidium mihi excitant nonnullorum, qui philoſophiae magiſtri haberi uolunt, exercitationes academicae, quas cum lego, parum abeſt, quin obſcurorum uirorum epiſtolas legere mihi uidear. Quam ſicca in his ſunt omnia, quam ſine neruis, quam elumbis, ſordida, corrupta, exſanguisque oratio, quam parum aequabile temperatumque dicendi genus! Verba uerbis coagmentata uideo, quibus nulla perſaepe ſubeſt ſententia, et, ſi dicendum, quod res eſt, omnes latinitatis corruptelae in minutorum horum philoſophorum ſcripta confluxiſſe uidentur.

Sequitur, ut lutulentos, ex quibus tot profluant ſordes, indicem fontes, excutiamque latebras, unde tot dictionis barbarae monſtra oriantur. Plurimi ueſtrum, dicam enim aperte, plurimi ex ſcholis in academias cum commeant, nihil adferunt politioris literaturae, rudes, impoliti, hoſpitesque in Latio et peregrini, Neque quiſquam fere ueſtrum eſt, qui, quod in ſcholis factum eſt, damnum in Academia duplicato reconcinnare labore uelit, propterea, quod diligentiam, quae in humanitatis ſtudiis linguaeque cultu latinae ponitur, putidam nimis nugatoriamque exiſtimatis. Ad magna ſurgitis, ſi Dis placet,

placet, et, ne pueriliter facere uideamini, id omne, quod ad ſcholica nugalia, quae uocatis, pertinet, arroganter ſpernitis. At haud impune ſpernitis. PRISCIANVS enim iniurias ultum it, et ipſa Grammatica ſui contemtionem, data occaſione, uindicat. Non ergo magnopere miror, quid ſit, quod pleraque ſcripta ueſtra cum faſtidio, nonnunquam etiam cum irriſione, legantur a prudentioribus, ueritasque adeo ipſa, ſciſſo ſordidiſſimoque induta ueſtitu, perſaepe foras proiiciatur.

Alteram cauſſam, cur nouorum philoſophorum nonnulli tam illoto utantur ſermone, eam eſſe exiſtimo, quod ueterum, qui pure emendateque ſcripſerunt, commentarios uix ſumant in manus. CICERONEM legere, aeque puerile eſſe, putant, ac nucibus ludere cum infantibus. Praeter nonnullos dictionum floſculos et orationis lumina, nihil, putant, ex CICERONE peti poſſe. At ueſtram uos opinionem multum fefelliſſe, reperietis, cum ipſum TVLLIVM euolueritis, quem, ſcimus, ſubtilitatem dialecticae, moralis partis utilitatem, et rerum motus cauſasque accurate diſtincteque cognouiſſe, diſciplinamque ſapientiae grauiter, et rei cuiusuis naturae conuenienter, expoſuiſſe. Quod luculenter probant, quos de officiis inſcripſit, libri, quibus, ita ſaluus ſim, ut nihil uel ad acute cogitandi facultatem, uel ad ea, quae ſubtiliter cogitas, pure incorrupteque enunciandi ſcientiam lautius inſtruendam poteſt eſſe accomotatius. Magnopere ergo errant, qui ſolis pueris legendum

CICERONEM arbitrantur, quin etiam, praeter philoſophum, neminem cum fructu Ciceronis euoluere ſcripta, confidenter affirmo.

At philoſophia, inquis, non magnopere deſiderat orationis ornatum, qui, cum ſit eloquentiae proprius, tanto rectius ex philoſophorum eiicitur ſcriptis, quanto certius eſt, ornamentorum copiam, ſi quid aliud, uim inferre perſpicuitati. Non refert, quam eleganter, ſed quam perſpicue philoſophus dicat.

Certum eſt, quid reſpondeam. Cuiusuis eſt, in omni oratione, cum ea, quae in circulis congreſſionibusque familiarium uerſatur, tum illa, quae in iudiciis eruditorumque aut populi concionibus adhibetur, eo referre omnia, ut ii, qui uel nos loquentes audiunt, uel noſtra legunt ſcripta, ſenſa animi, quae dicendo exprimuntur, quam optime facillimeque intelligant. Secus enim ſi fit, nullus eſt orationis uſus, et nihilo plus ages, quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias, quod non, niſi in ineptiſſimum quemque ac ſtolidiſſimum, cadere poteſt. Inprimis uero philoſophus perſpicuitatem, quam maxime poteſt, in loquendo ſcribendoque conſectetur, nihilque adeo admittat, quod uel uerbis parum apertum, uel ſenſu occultum ſit.

Ex quo conſequitur illud, ut ea oratio, quae ex uerbis coagmentatur propriis, dilucidis, uſitatis, praeferenda ſit ei, quae dictionibus, in alieno natis ſolo, maculatur, iisque foedatur uocibus, quarum ſonum ipſum ob aſperitatem, cultiores reformidant. Maioremne,

dic,

dic, quaeſo, euidentiam in CICERONIS, qui philoſophiam puro incorruptoque dicendi genere explanauit, ſcriptis reperis, an in Scholaſticorum purgamentis? Num tibi, quod barbare dicitur et inquinate, minus habere uidetur obſcuritatis, quam quod terſioris Latinitatis regulis conſentaneum eſt? Num in turbido fluuio, qui limum coenumque uehit, uel iniectos lapides, uel imaginem tui clarius intuebere, quam in aqua pura et limpida?

Neque audiendi ſunt, qui ornatum orationis perſpicuitati uim inferri, pertendunt. Ornamenta enim, quae euidentiam tollunt, ut in eloquentia, ſic uel maxime in philoſophia reiicimus, neque quidquam, quod a natura abhorret, facile probamus. Vt enim commentitia, et arte quaeſita, pulchritudo, quam natura non tribuit, nec uultus pudorque ingenuus commendat, ſani nihil habet, faſtidiumque excitat elegantibus formarum ſpectatoribus: ita orationis ornamenta, quae repugnant naturae, uel rebus proponendis lucem eripiunt, tantum abeſt, ut aut a me, aut a quocunque alio, commendentur, ut potius explodi mereantur et repudiari.

Semoueas omnes elegantias, et ornatum, tanquam ueſtem, philoſophi orationi detrahas, ſit ſimplex illa, ſit preſſa, ſit plana, ſit tenuis, ſit nullis pigmentis colorata. Quid tum? Nonne poterit eſſe pura, nonne ſermonis ſimplicitas naturalem admittet pulchritudinem, qua, quid obſtat, quo minus uel philoſophorum oratio exſurgat?

At, quod ait CICERO, non uocabulorum opificem, ſed rerum inquiſitorem decet eſſe ſapientem. Decet, ſed ita, ut, quemadmodum in omni uita cultuque, ſic in oratione ſit lautus, purus, minimeque ſordidus. Sapientis eſt, id agere, ut placeat omnibus, aut certe prudentiſſimis. Vtra uero ſapientis oratio magis probabitur uere eruditis? Barbara et ſordibus foedata, an pura, terſa, culta, et ad elegantioris Latinitatis regulas exacta? Fac, res, quas meditatione ingenioque inueniſti, eſſe grauiſſimas, et ob uſum, quem praeſtant, ſcitu perquam neceſſarias. Finge, eas proponi horrido et inculto dicendi genere. Nonne idem excitabunt faſtidium, quod cibi creant, cum uaſa, quibus apponuntur, illuuie et ſqualore obſita fuerint? Nonne tenuiſſimum et contemtiſſimum cibum, terſis et nitentibus incluſum crateris, praeferes exquiſitiſſimis eſcis et potionibus, quae patinis poculisque, coeno conſpurcatis, continentur? Poma argentea uaſis apponi aureis, non indecorum eſt, ſed perpulchrum.

At philoſopho, inquis, licet ὀνοματοποιεῖν. Neque ipſe CICERO, neque ueterum ſcriptorum caſtiſſimus quisque dubitauit, hac nouas effingendi uoces libertate uti. Paucis, quia copioſius nunc non licet, ad haec reſpondeo. Latiſſime patet diſputatio de nouorum effictione uocabulorum, neque ea ad elegantioris tantum cultores ſtili, ſed ad Theologos quoque, philoſophos, medicos, atque item iure conſultos pertinet, quos omnes, ſcimus, de inconſulta nouas comminiſcendi uoces lubidine identidem fuiſſe con-

conqueſtos. Et id recte quidem ac merito. Dici enim non poteſt, quam multa mala in rempublicam litterariam ὀνοματοποιΐα inuexerit. Hanc enim, ſcito, lutulentum illum eſſe fontem, ex quo tot defluxerint ſordes, quibus latinam linguam foediſſime contaminatam eſſe, reperimus. Hanc item diſcordiae ſparſiſſe ſemina, et, diſſociatis eruditorum animis, funeſtas excitaſſe contentiones, is demum nouit, qui ex hiſtoriarum monimentis didicit, plurimum corruptelarum, plurimumque confuſionis, omni tempore, ex uerborum immutatione cum in philoſophiam, tum in Theologiam ceterasque diſciplinas immigraſſe. Sed incidunt tempora, cum, quae alias in uitio ponitur, nouorum confectio uocabulorum non modo eſt licita, ſed prorſus etiam neceſſaria. At, ſi quando, hic profecto eſt modus adhibendus, ne quid fiat temere aut perperam. CICERONIS aliorumque exemplum ſcriptorum ueterrimorum quod proferatis, in eo nihil uideo, quod culpandum ſit. At audite, quae BERGERVS, hanc in rem, ſcite eleganterque diſputat. *Nihilo minus*, inquit, CAESAR, *quam* CICERO, *uerbis, recens editis, eo ſpectarunt, ut facerent linguam locupletiorem, id autem non potuerunt animo prouidere, homines e poſteris fore tam immanes, ab barbaros, qui nullum comminiſcendi, praeſertim non neceſſaria, modum adhiberent, et abiecta omni munditie, ſordibus orationem coenoque foedarent.* De Natural. Pulchrit. Orat. p. 511.

Ex his ergo iudicari nunc poteſt, quam praeclare de philoſophia aeque ac re ſcholaſtica,

noſtris

noſtris temporibus, promeritus fuerit ERNESTI, limatiſſimi uir iudicii, qui philoſophiam tam terſe tamque eleganter libello, quem plures ante annos edidit, propoſuit, ut ad ueterum ſcriptorum laudem perueniſſe uideatur.

Nos, quamuis ERNESTIANI praeſtantiam ingenii imitatione minus conſequi poſſe, facile intelligamus, uoluntate certe proxime accedimus, ſumma ope conniſi, ut cogitata animi euidenter et plano dicendi exprimeremus genere, non illo quidem ERNESTIANO, quod perpaucorum eſt, ſed apto tamen, et, quoad eius fieri potuit, puro.

Quae deſiderari uideri poterant in hoc opuſculo, ſeparatim, ſi quos harum mearum lucubrationum lectores nactus fuero, edentur. Ceterum me tuo lector, commendo fauori, et, ut res tuas feliciter agas, ex animo opto. Dab. Gorlici. CIƆ IƆCC XXXXVII, Menſe Aprili.



CAP. I.



CAP. I.

Prolegomena de Philoſophia eiusque partibus.

§ 1.

Quandoquidem in eo nunc noſtra uerſabitur opera, ut omnes philoſophiae partes, apta connexaque ratione, tradamus, opus eſt, ut ante, quam ad ipſas diſciplinas explicandas accedimus, ſtrictim carptimque exponamus, quid per *philoſophiam* uelimus intelligi. Cuius ſi diſtinctam notionem animo comprehenſam habere uelis et inſignitam, ad ea, oportet, attendas, quae de uariis cognitionis humanae generibus et experientia nos docet et recta ratio.

§ 2.

Triplex eſt cognitio humana. Aut enim, quidpiam factum eſſe, uel fieri, nouimus, aut cauſſas etiam et rationes earum rerum, quae ſunt uel fiunt, perſpectas habemus, aut denique, quanta quaeque res ſit, intelligimus, et uires menſurare didicimus.

§ 3.

Cum ea, quae ſunt uel fiunt, cognoſcimus, tum gaudere dicimur cognitione hiſtorica ſiue uulgari. Vt adeo *cognitio hiſtorica* nihil aliud ſit, quam cognitio factorum ſiue rerum exiſtentium.

E. gr. Noſti, magnetem attrahere ferrum. Noſti, nonnunquam cooriri tempeſtatem, cum magno fragore tonitribusque. Noſti, ut hoc addam, ex LIVIO, rempublicam Romanam, ab exiguis profectam initiis, ad ſumma perueniſſe faſtigia, deinde, magis magisque lapſam, a ſummo faſtigio ad ima praecipitatam fuiſſe. Haec omnia cum noſti, noſti *hiſtorice.*

§ 4.

Cauſſas uero rerum et rationes cum perſpectas habes, tum altius ſurgit cognitio tua, diciturque *philoſophica*, quae nihil aliud eſt, quam cognitio cauſſarum.

Si, rempublicam Romanam, ſcis, ideo ruiſſe praecipitem, quod diuitiae auaritiam, et abundantes uoluptates deſiderium, per luxum atque libidinem pereundi, perdendique omnia, inuexerant, tum tua tantae euerſionis cognitio eſt philoſophica, propterea, quod cauſſas, cur collapſa ſit respublica, intelligis.

§ 5.

Qui, praeter cauſſas rerum, uires quoque cauſſarum menſurare didicerunt, et quantitatem, quam uocant philoſophi, perſpectam habent, eos, dicimus, inſtructos eſſe *cognitione mathematica*, quam recte dixeris cognitionem quantitatis ſiue menſurae rei.

Mathematicorum ſcilicet eſt, inueſtigare, quanta quaeque res ſit, et in dimetiendis ponderandisque corporibus occupari. Quod ut intelligas, haec habeto. Audit e. gr. ruſticus, tormentum bellicum magno cum

cum fragore explodi. Audit, at, cur, incenſo puluere pyrio, tam horrendus edatur fragor, iuxta cum ignariſſimis ignorat. *En cognitionem hiſtoricam!* Philoſophus hoc cum ruſtico habet commune, ut eundem audiat fragorem. At cauſſas quoque accurate cognoſcit, cur quodlibet pulueris pyrii granulum motu celerrimo ignem concipiat, cur item, concepto igne, tormentum maxima ui diſplodatur, cur denique, diſploſo illo, concutiantur aedificia, terraque ipſa contremiſcat. *En cognitionem philoſophicam!* Mathematicus nouit, quanta pulueris pyrii moles requiratur ad proiiciendum globum ferreum mille pluresue paſſus; ipſumque adeo locum definit, quo is, tormento excuſſus, deuehatur.

§ 6.

His rite explicatis, facile nunc intelliges poſitiones ſubnexas.

I. Quia hiſtorica cognitio eſt cognitio eorum, quae ſunt uel fiunt (§ 3), euidens eſt, cognitionem hiſtoricam ſenſuum ope acquiri, propterea, quod ea, quae ſunt uel fiunt, non, niſi ſenſuum miniſterio, nobis innoteſcunt.

II. Cognitio hiſtorica eſt fundamentum cognitionis philoſophicae. Ecqua enim ratione cauſſas rerum cognoſces, niſi res ipſas antea noueris?

III. Cognitio hiſtorica eſt infimus cognitionis humanae gradus, quia inferior in cognoſcendo gradus excogitari nequit.

IV. Qui cognitione philoſophica inſtructus eſt, ueritatum rerumque connexionem perſpiciat, oportet. Qui enim cauſſas rerum intelligit, is relationem inter cauſſas et effecta no-

ſcit, atque adeo nexum perſpicit, (quia *nexus* eſt illa relatio, quae eſt inter cauſſas et effecta, ut inter patrem et filium, DEVM et mundum).

V. d cognitionem philoſophicam acquirendam non ſoli ſufficiunt ſenſus, ſed requiritur uel maxime *ratio*, quippe quae eſt facultas nexum rerum et ueritatum diſtincte perſpiciendi.

§ 7.

Perſpicuum ex his eſt, quid ſit *Philoſophari*. Philoſophari eſt, rerum cauſſas noſſe, ſiue de illa re philoſopharis, cuius habes cognitionem philoſophicam (§ 4).

§ 8.

Conficiuntur hinc hae poſitiones:

I. Cuiuscunque rei ratio et cauſſa reddi poteſt, de ea poſſumus philoſophari.

II. Qui philoſophatur, debet ueritatum connexionem perſpicere (§ 6 poſ. 4).

III. Qui philoſophatur, non ſolis ſtare debet ſenſibus, ſed rectam rationem uel in primis in ſubſidium adhibeat (§ 6 poſ. 5).

IV. Qui habitu gaudet rerum cauſſas uel rationes ſufficientes inueſtigandi et perſpiciendi, dicitur *philoſophus*. Scite hanc in rem CICERO: *Vt quiſque*, inquit, *maxime perſpicit, quid in re quaque uerissimum ſit, quique acutiſſime et celerrime poteſt et uidere et explicare rationem; is prudentiſſimus et ſapientiſſimus rite haberi ſolet.* Off. Lib. I cap. 5.

§ 9.

§ 9.

Vt adeo *philoſophia* nihil aliud ſit, quam habitus ueritatum rationes ſufficientes et cauſſas inueſtigandi et perſpiciendi.

Quae de origine uocis *philoſophi* uel *philoſophiae* adferri poterant, ea uero uerboſe ſatis eleganterque expoſita inuenies in HEVMANNI *Actis philoſophorum P. I c.* 2, item *P. II c.* 4. Id hic monuiſſe iuuabit, uocem *philoſophiae* nonnunquam ita accipi a quibusdam, ut per eam intelligant complexum ueritatum, ex ratione cognitarum et apte connexarum, ſiue doctrinam, ratione ſola cognitam, qua id, quod homini ad felicitatem ſuam promouendam neceſſarium eſt, diſtincte traditur. Quod cum fit, philoſophiam *obiectiue* et *ſyſtematice* conſiderari, aiunt Philoſophi. At ſi per philoſophiam intellexeris eam mentis dotem, eam facultatem, qua homo eas, quibus res diuinae humanaeque continentur, cauſſas diſtincte accurateque nouit, tum uocabulum philoſophiae *ſubiectiue* ſumi, intelligitur. Hoc ſenſu definit CICERO philoſophiam per *ſcientiam rerum diuinarum et humanarum, cauſſarumque, quibus hae res continentur.* Off. Lib. II c. 2.

§ 10.

Cum philoſophia ſit *habitus* (§ 9), perſpicuum eſt, non eum ſtatim uocandum eſſe philoſophum, qui quarundam rerum cauſſas perſpectas habet. Accedat, oportet, firma quaedam facilitas, ſtudio et induſtria comparata, et conſuetudine longoque uſu corroborata.

Quemadmodum is nondum dici meretur linguae Gallicae magiſter, qui nonnulla, ex lingua Gallica deſumta, uocabula tenet, et quasdam colloquii particulas, ex Grammatica decerptas, profert, ſed ille demum nomine hoc inſigniendus eſt, qui uſu et conſuetu-

dine, aut multo ſtudio eam ſibi comparauit ſcribendi loquendique facultatem, ut cogitata animi, apto expeditoque ſermone, et concitato quodam orationis flumine, cum aliis poſſit communicare; ita is minime appellandus eſt philoſophus, qui quarundam rerum, quae ſub ſenſus cadunt, et quotidie obuiae ſunt, cauſſas tenet, ſed qui quadam gaudet facilitate earum maxime ueritatum, quae meditandi artificio abſtractae ſunt, iuſtas idoneasque cauſſas inueſtigandi, qui, quid in quaque re ueriſſimum ſit, maxime perſpicit, quique acutiſſime et celerrime poteſt et uidere et explicare rationem.

Ineptum ergo eſt, ſutorem uel quemcunque alium opificem dicere philoſophum, propterea, quod earum rerum, quas tractat quotidie, et in quibus uerſatur, cauſſas nouit. Num ſutorem uel ruſticum dicis Theologum, ſi prima religionis elementa praecipuaque doctrinae caeleſtis capita animo tenet?

§ II.

Colligitur ex his

I. Non poſſe quemquam philoſophum nominari, niſi habitu uel facilitate poſitiones demonſtrandi ſit inſtructus (§ 8 poſ. 4). Eſt enim *demonſtrare* nihil aliud, quam effecta ex cauſſis principiisque certis deducere.

II. Scientiam a philoſopho non debere eſſe ſeiunctam. Eſt enim *ſcientia* habitus aſſerta ſua demonſtrandi.

III. Philoſophum ueri nominis omnia ea, quae uel affirmat, uel negat, certis minimeque dubiis fundamentis ſiue principiis debere ſuperſtruere. Poſtulat enim hoc natura demonſtrationis, quae eſſe nulla poteſt, niſi ita omnes poſitiones ſecum inuicem connectantur,

tur, ut, ſolidis conſtitutae fundamentis, plurimum habeant firmamenti, nullaque ratione poſſint conuelli.

§ 12.

Ex iis, quae praeſtruximus, nunc manifeſtum fit, qua *methodo* philoſophus in tradendis ueritatibus uti debeat. Leges, quibus Philoſophorum methodus in cogitando ueritatibusque proponendis conformari debet, his complectemur poſitionibus.

I. Cum philoſophi ſit, aſſerta ſua principiis certis et immotis ſuperſtruere, (§ 11 poſ. 3) conſequens eſt, ut philoſophus uel in cogitando, uel in tradendis ueritatibus eum obſeruare debeat ordinem, ubi certa principia praeſtruuntur, et, fundamenti loco, ſubſternuntur, et ex iis legitimo nexu ceterae poſitiones deriuantur, ſiue, ut CICERONIS utar uerbis, ubi eſt apta argumentorum ſententiarumque ſeries, et ex alio alia nectuntur.

Ad principia certa pertinent 1) *definitiones*, 2) *axiomata*, i. e. eiusmodi propoſitiones, de quibus non magis dubitare potes, quam, ſol ſit, nec ne, 3) *experientiae certae minimeque dubiae.*

II. Principia demonſtrandi, quibus aſſerta ſua ſuperſtruit philoſophus, dicuntur eiusmodi propoſitiones, ex quibus ueritates aliae robur ſuum repetunt, et quae ideo praemittuntur, ut ſequentia ex iis intelligantur. In ordine ergo, quo philoſophus in tradendis ueritatibus utitur, ea ſunt praemittenda, per quae ſequentia intelliguntur.

III. Ordo denique, quo philoſophus in meditando aut cogitatis proponendis utitur, requirit, ut nullus admittatur terminus, niſi qui accurata definitione fuerit iam ante rite explicatus.

Definitiones enim, ut diximus (num. I not.) in demonſtrandi principiis, quibus ſuperſtruere debet aſſerta ſua philoſophus, recte numerantur.

§ 13.

His ordinis legibus qui conformat cogitationes ſuas et doctrinas, is *methodo* utitur *mathematica*, quippe quae nihil eſt aliud, quam ille ordo tractandi ueritates, ubi ex principiis certis immotisque concluſiones, nexu legitimo, deducuntur.

Si uoces, *methodus mathematica*, offenſionis quid habent, tolle eas, eumque, cuius leges ſtabiliuimus, ordinem dicas *methodum naturalem*, *methodum ſyſtematicam*, *philoſophicam*, *cetera*. Mutatis nominibus, idem dicis. Vid. *commentatio noſtra de cautione philoſophi circa uoces odioſas*.

§ 14.

Haec de methodo. Iam ad ſtilum philoſophicum deueniamus, quem appellamus illud dicendi ſcribendiue genus, quo uti debet philoſophus in ueritatibus proponendis.

§ 15.

Haec igitur prima lex ſtili philoſophici ſanciatur,

I. Vt nihil, quod uerbis obſcurum eſt, admittatur, perſpicuitatisque uel in primis habeatur ratio. Eſt enim philoſophi, uoces adhibere

bere nullas, nisi definitione legitima fuerint explicatae (§ 12 pos. 3), luxque adeo iis, quae dicuntur, sit affusa.

II. Cuilibet uoci et phrasi constans et fixus significatus est tribuendus.

III. Omnis ornatus, qui perspicuitati sermonis uim infert, ex stilo philosophico est proscribendus. Cum autem orationis elegantia euidentiam non tollit, tantum abest, ut eam negligi uelimus a philosopho, ut commendemus etiam maximopere, ipsique quoad eius fieri potest, consectemur.

CAP. II.

De Partibus et diuisione Philosophiae.

§ 16.

Cum in philosophia, si systematice eam consideraueris, ea tradantur, quae homini ad felicitatem suam firmandam uel augendam, scienda agendaue sunt (§ 9), intelligitur, ueritates nonnullas in philosophia esse eiusmodi, ut easdem, felicitate potituri, scire tantum debeamus, nonnullas uero esse eius indolis, ut nostras actiones dirigant et conforment ad felicitatem adipiscendam.

§ 17.

Illa pars philosophiae, quae ueritates, ad felicitatem scitu necessarias, magisque ad intelligentiam instruendam, quam actiones conformandas pertinent,

nent, complectitur, dicitur *theoretica.* Eae autem disciplinae, quae praecepta exponunt, quibus actiones moresque hominum conformantur, constituunt *philosophiam practicam.*

Ad philosophiam theoreticam referimus 1) philosophiam naturalem siue *Physicam*, quae in corporum naturalium uiribus explicandis uersatur. 2) *Metaphysicam*, qua notiones communes ueritatesque generaliores exponuntur. Ipsam autem Metaphysicam, scimus, his quatuor constare disciplinis α) *Ontologia*, β) *Cosmologia*, γ) *Psychologia*, cum *empirica*, tum *rationali*, δ) *Theologia* denique *naturali.*

Ad philosophiam practicam pertinent 1) *philosophia practica uniuersalis*, quae notiones generaliores principiaque tradit regularum uiuendi.

2) *Ius naturae*, in quo leges, ad quas actiones nostrae sunt instituendae, traduntur, et in quo iubentur, quae facienda, uetanturque, quae ratio uult omitti.

3) *Ethica*, in qua uia ratioque ostenditur, qua iis, quae legibus sancita sunt, obsequi possimus.

4) *Politica*, in qua praecepta demonstrantur, quibus hominis, in republica uiuentis, bonique ciuis munia obituri uita ad ueram felicitatem dirigitur.

Differentiam harum disciplinarum scies, si nosti, Ius naturae regulas *iusti*, Ethicam regulas *honesti*, Politicam denique *decori* explicare. De quibus infra pluribus exponemus.

§ 18.

In disciplinis his pertractandis is ordo est obseruandus, ut ea praemittantur, quae intelligendis reliquis subseruiunt (§ 12 pos. 11). Recte ergo

I. Logica ceteris disciplinis praemittitur, quia illa intelligendi uim quasi acuit et praeparat ad ueritates, uel in spirituum doctrina, uel in

in phyſica, uel in morum ſcientia obuias, diſtinctius perſpiciendas diiudicandasque.

II. Metaphyſica ſeu philoſophia prima praemittenda eſt philoſophiae morum.

III. Metaphyſica prius, quam Phyſica, tractetur.

IV. Ipſae autem Metaphyſicae partes ita collocentur, ut primum quidem locum Ontologia, ſecundum Coſmologia, tertium Pſychologia, quartum denique Theologia naturalis occupet.

LOGICAE, SIVE PHILOSOPHIAE RATIONALIS PROLEGOMENA.

§ 19.

Vt, quid ſit Logica, rectius intelligi queat, nonnullas ante adferamus poſitiones, neceſſe eſt, ceteris, quae dicentur, uberius explicandis ſubſeruituras.

§ 20.

Omnes homines naturali quadam, uel uerum cognoſcendi, uel cognitum examinandi, uel rationes denique conficiendi ſiue ratiocinandi dote ſunt inſtructi.

§ 21.

Haec, a natura data, iudicandi ratiocinandique uis exercitatione et uſu crebriori ita perficitur a nonnullis, ut non modo, quid in quaque re ueri ſit, perſpicere, uerum quoque, quale illud ſit, iudicare poſſint.

§ 22.

§ 22.

Si qui naturalem hanc, quam diximus, iudicandi ratiocinandique facultatem aſſidua exercitatione ita perfecerunt, ut et uerum cognoſcere, et illud diiudicare queant, tum ipſis tribuimus *Logicam naturalem*, quae eſt naturalis noſtra iudicandi ratiocinandique facultas, uſu et exercitatione quomodocunque polita.

§ 23.

Haec Logica naturalis regulis quibusdam dirigatur, neceſſe eſt. Mens enim hominis in inueſtigando cognoſcendoque uero ſaepius labitur. Atqui uero nulla prolapſio, nullus error eſſe poteſt, niſi adſint regulae, a quibus deflectatur.

§ 24.

Has regulas, ſecundum quas iudicant uel ratiocinantur, qui Logica naturali unice ſunt contenti, non diſtincte perſpiciunt.

Idem ſcilicet ipſis accidit, quod iis, qui ſolo uſu linguam Gallicam didicerunt. Verba hi iungunt ſecundum Grammatices regulas, ipſas autem regulas prorſus ignorant. At quemadmodum, qui ſolo uſu linguam aliquam ſibi familiarem reddiderunt, maiori errandi uitioſeque loquendi periculo ſunt expoſiti, quam quidem illi, qui regulas loquendi diſtincte perſpiciunt, et rationem ſermonis ex regulis, diſtinctius cognitis, reddere poſſunt; ita mirum non eſt, eos, qui, ſolo uſu et exercitatione, iudicandi facultatem conſecuti ſunt, ſaepenumero labi, et leges recte ratiocinandi identidem migrare

§ 25.

§ 25.

Ea disciplina, quae exponit regulas, quibus mens humana in cognoscendo diiudicandoque uero dirigitur, dicitur *Logica artificialis*, quam recte appellaueris artem cogitandi.

Haec elegantissima disciplina uocatur quoque *philosophia rationalis*, propterea, quod uel maxime in eo occupatur, ut regulas, ad rationem perficiendam spectantes, exponat.

§ 26.

Ex his conficiuntur sequentes propositiones:

I. Logica artificialis a naturali non *essentialiter*, ut philosophi loquuntur, differt, sed Logica artificialis est distincta explicatio Logicae naturalis.

II. Logica artificialis tantum praestat Logicae naturali, quantum distincta et solida rerum cognitio confusae.

III. In Logica artificiali regulae deducendae sunt ex mentis humanae natura, propterea quod artificialis Logica explicat leges, quibus naturalis iudicandi uis dirigitur.

IV. Intelligis denique, quid sit, quod eruditum, negemus, unice posse esse contentum Logica naturali.

§ 27.

Quandoquidem ergo Logica artificialis regulas exponit, quibus mentis humanae uires, et intellectus operationes dirigi debeant in ueritate perspicienda examinandaque; intelligitur, Logicam artificialem

ficialem optime ita diſponi, ut prima quidem parte operationes mentis earundemque natura explicentur, ſubnexis generalioribus iudicandi ratiocinandique regulis, altera uero parte uia oſtendatur, in quam mens ingredi debeat, ut ueritatem uel inueniat, uel inuentam diiudicet. Illam partem Logices uocamus partem *theoreticam*, hanc *practicam*.

§ 28.

Parte ergo theoretica explicabuntur praecipuae illae tres mentis intellectusque operationes,

I. *perceptio*, ſiue *idea*,

II. *iudicium*, ſiue idearum connexio, aut ſeparatio.

III. *ratiocinium*, ſiue *Syllogiſmus*.

Quam quidem Logicam pertractandi rationem et ſimpliciſſimam et naturae conuenientiſſimam eſſe iudico. Ecquis enim eſt, quem non quotidiana edoceat experientia, noſtram intelligendi uim ſeſe exſerere his tribus modis, ut aut rem aliquam contueamur menteque contemplemur, aut de ea iudicemus, aut ex iudiciis noua formemus, ſiue ratiocinemur.

De uſu Logices plura hic addere non attinet. Quicquid diligentior rationis cultura tibi adtulerit commodi, id omne exſpectabis a Logica.



LOGI-

LOGICAE
PARS I.
Theoretica ſeu de tribus mentis operationibus.

CAP. I.
De Ideis ſeu notionibus.

§ 29.

Quae primo loco explicanda eſt mentis noſtrae operatio, ſimplicem perceptionem, ſiue notionem itemque *ideam* appellamus, quae nihil aliud eſt, quam rei alicuius repraeſentatio in mente, ſine affirmatione et negatione.

E. gr. Animo informas notionem patriae tuae, parentumque, a quibus nunc disiunctus uiuis, cum ſcilicet patria parentesque tui animo quaſi praeſentes ſiſtuntur, adeo, ut coram intueri eos uideare. Nonne tum imago ſiue, Graeco uocabulo, *idea* patriae parentumque menti obuerſatur? Addidimus in definitione: *ſine affirmatione & negatione.* Neque enim, quod putant nonnulli, ſemper iudicamus, cum rem uel oculis uel animo contemplamur.

Notio quoque uocatur *conceptus*, et ueteres eam appellitaſſe ſcimus ſimplicem apprehenſionem.

§ 30.

Notiones, quas mens humana format, uarie diſtinguuntur. Primum ratio habenda eſt *modi*, quo

quo notiones siue ideae effinguntur, deinde *ipsae* quoque *res*, quae percipiuntur, sunt eiusmodi, ut inde noua idearum siue notionum distinctio oriatur.

§ 31.

Ratione modi repraesentandi omnis notio siue idea est uel *clara*, vel *obscura*. Illa est, quae sufficit ad rem perceptam ab aliis rebus distinguendam. Haec uero, quae non est sufficiens ad rem, quam percipis, ab aliis internoscendam.

Notiones clarae sunt, si e. gr. album a nigro colore, odorem rosae ab odore alius floris, dulce ab amaro, poteris dignoscere.

§ 32.

Has ergo positiones facili nunc negotio intelliges:

I. Quo plura potes in re, quam percipis, distinguere, hoc clarior est idea.

Si, e. gr. hominem, ruri ambulantem, sed longius abs te remotum, conspicis, primum moueri quid, sentis. At nescis, num equus sit, an homo. Sed si id ipsum, quod moueri tantum uidebas, nunc propius ad te accedit, animaduertis iam, esse hominem. At neque faciem, neque uestem, ob distantiam loci, ita nosti, ut ab aliis discernere possis. Quo propius uero accedit, hoc plura distinguis, tandemque amicum tuum CAIVM agnoscis. Vides, paullatim pedetentimque ideam tuam clariorem fieri, cum plura scilicet in re, quam percipis, distinguere potes.

II. Vt claram acquiras notionem siue ideam, usus requiritur sensuum.

III. Quo

III. Quo pluribus ſenſibus rem quampiam uſurpaueris, hoc clarior fit notio.

Medicus ut medicamentum ab aliis recte diſtinguat, illud intentis oculis et acerrime contuetur, nec contuetur modo, ſed naribus quoque illud admouet, ut odoretur, quin ipſum ſaporem in conſilium adhibet, clariſſimam medicinae notionem adepturus.

IV. Cum bruta, ſenſibus in ſubſidium adhibitis, rem alteram ab altera diſtinguant, recte illis tribuimus ideas claras.

V. Eruditus in ſolis ideis claris acquieſcere non poteſt, cum eas et cum uulgo et cum brutis communes habeat. Altius ſurgit eruditi cognitio, quae in interiores rerum latebras et receſſus, a ſenſibus remotiſſimos, penetrat.

§ 33.

Quemadmodum aliam ideam alia clariorem eſſe diximus (§ 32), ſic obſcuritatis quoque gradus dari, lucide apparet.

Cum rem quidem nobis repraeſentamus, ſed illam rem *prorſus* non poſſumus ab aliis rebus diſtinguere, tum haec idearum *obſcuritas abſoluta* dicitur. At fit nonnunquam, ut, quod clare percipio, alter clarius ſentiat, tum perceptio mea, comparata cum clariori alterius perceptione, obſcura eſt, quae obſcuritas eſt *relatiua*.

§ 34.

De ideis obſcuris ſequentes propoſitiones habeto:

I. Caue, exiſtimes, alteri ſtatim eſſe obſcuram ideam eius rei, quam tu obſcure nec clare ſatis percipis. Qui hebetioris eſt inge-

nii, ei philoſophorum et ſcripta et placita ita obſcura ſunt, ut, uix ea a quoquam intelligi poſſe, ſibi perſuadeat. At aliis, qui acutius uident, tam clara ſunt, ut de nulla conquerantur obſcuritate.

II. Quo ipſo patet, praecipitanter nimis iudicare illos, qui, obſcuritatem ſuo ingenii modulo menſi, id omne *in ſe* obſcurum eſſe clamitant, quod ipſi non capiunt.

III. Obſcurae perceptionis cauſſa plerumque in hominibus, raro in re percepta, quaerenda eſt. Rem aliquam ſi non attente ſatis conſideras, quid mirum, te obſcure eam percipere.

IV. Cum res, mentis perturbationibus ſiue affectibus turbati, contemplamur, non ſatis clare eas percipimus.

V. Cum, in meditatione alia defixi, rem conſideramus, aut uno momento nimis multa oculis animoque ſubiicimus, mirum non eſt, perceptiones, nocte quaſi menti offuſa, eſſe obſcuriores.

IV. Si denique nimis celeriter a perceptione una ad alteram transgredimur, nec ſatis diu iis, quae menti ſiſtimus, immoramur, fieri non poteſt, ut perceptio ſit clara.

Hinc perquam commode complures diſcendi regulae poterunt deduci, quas in bonarum artium diſciplinis colendis, iuuenes, litteris dediti, magno cum ſuo fructu, obſeruabunt.

§ 35.

Cum rem perceptam ita ab aliis rebus diſtinguimus, ut notas quoque, quibus ab aliis diſcernitur, ſigillatim nobis repraeſentemus, easque mente diſtinguamus, tum notio ſiue idea dicitur *diſtincta*, quae eſt nihil aliud, quam repraeſentatio notarum rei alicuius.

Tibi e. gr. notionem diſtinctam *ſpei* formas, cum noſti, ſpem eſſe gaudium ob futurum bonum. Hic enim notas ſigillatim tibi mente repraeſentas, ſpeciatimque enumeras characteres, quibus ſpes ab omnibus aliis rebus internoſcitur. Notae autem ſiue characteres *ſpei* ſunt 1) *gaudium*, 2) *bonum*, 3) *futurum bonum*.

§ 36.

Si minus poteris notas et characteres, quibus res percepta ab aliis diſcernitur, ſigillatim tibi ſiſtere et enumerare, quamuis rem ab altera diſtinguas, tum idea appellatur *confuſa*.

Experientia teſtatur, nos colores a ſe inuicem poſſe internoſcere. At quotusquisque eſt, qui notas, quibus e. gr. color albus a nigro diſcernatur, poſſit ſigillatim enumerare. Colorum ergo, patet, nos habere ideas confuſas.

§ 37.

De ideis diſtinctis confuſisque has poſitiones teneto:

I. Ad ideas diſtinctas acquirendas attentio plurimum adfert adiumenti.

II. Praecipuum notionis diſtinctae κριτήριον exiſtimo, ſi quis ea, quae cogitat, ſigillatim enumerare, cumque aliis communicare poteſt.

III. At, cum cogitata proloqui non potes, indicio id est, te ideis confusis impediri.

IV. Hinc est, ut, si cum altero debet communicari id, quod confuse cogitas, res ipsa, quam confuse percipis, alterius sensibus obiici, coramque ostendi, aut cum alia re, cuius iam habemus ideam claram, comparari debeat.

Vt hae positiones rectius intelligantur, exemplum addam. Si uis scire, num SEMPRONIVS amicus tuus, idea distincta uel *amoris*, uel *odii* gaudeat, quaere ex ipso, quid sit amor, quid odium. Si notas proferre potest, quibus ab odio amor, ab amore odium discernatur, tum odii amorisque notione distincta gaudet. Roga ipsum porro, ut homini, qui inde ab utero materno coecus fuit, distincte explicet, quomodo a nigro album, et ab albo nigrum differat, tum obmutescet, quod ipsum ideam confusam indicat.

§ 38.

Si notas tibi sistis aut enumeras, quae sufficiunt ad rem repraesentatam ubique et semper agnoscendam, et ab omnibus aliis discernendam, tum idea distincta uocatur *completa*, at si, quas recenses, notae minus suffecerint, notionem dicimus *incompletam*.

Si, e. gr. de *commiseratione* has enumeraueris notas, quod sit α) *taedium*, β) ob *infelicitatem alterius*, tum omnia ea adfers, quae ad commiserationem ab omnibus aliis rebus internoscendam pertinent.

Notio ergo commiserationis non modo distincta est, sed completa quoque. At si dixeris: *Verba sunt signa conceptuum*, facile uides, has notas ad uerba ab omnibus aliis rebus semper internoscenda minus sufficere.

ficere. Dantur enim ſigna conceptuum, quae non ſunt uerba.

§ 39.

Cum diſtinctam rerum cognitionem ſibi acquiſiuiſſe cenſendus ſit, qui partes rei cognitae et notas interiores ſeparatim animo contemplatur (§ 35), intelligitur, tanto cuiuſque notionem eſſe diſtinctiorem, quanto plures rei partes peruidet, notasque adeo notarum, altius penetrando, animo cogitationibusque percurrit. Quod cum ſit, idea dicitur *adaequata*, quam eiuſmodi repraeſentationem appellamus, ubi nouas notas notarum ſigillatim mente nobis ſiſtimus. Sin minus id poſſumus, tunc idea dicitur *inadaequata*.

E. gr. Notae ſiue characteres, qui notionem ſpei ingrediuntur eamque conſtituunt, ſunt 1) *gaudium*, 2) *futurum bonum*. (Spes enim eſt gaudium ob futurum bonum). Has notas, quibus notio ſpei conſtituitur, ſi ſigillatim tibi repraeſentare et enumerare potes, notione ſpei diſtincta gaudes. At ſi nouas notas notarum, *gaudii* nimirum, et *boni*, perſpectas habueris, ut, quid ſit gaudium, quid ſit bonum, enumerare poſſis, tum idea ſpei eſt adaequata.

§ 40.

Haec adaequatarum idearum formatio dicitur a philoſophis *notionum analyſis*.

Quemadmodum ſcilicet rei medicae periti, diſſecto in partes corpore humano, omnes coagmentationis tam pulchrae, tamque elegantis, receſſus latebrasque perſcrutantur, ita philoſophorum eſt, analyſi notionum facta, minimas quasque rei cognitae partes perquirere, attentiusque contemplari.

§ 41.

Ex his facile intellectu eſt,

I. Quod, quo longius in enumerandis et allegandis nouis notarum notis poteris progredi, hoc fiat adaequatior idea.

II. Quod idea adaequata oriatur ex idea diſtincta notarum characteriſticarum.

III. Quod de omnibus rebus ideas adaequatas formare nobis non poſſimus, propterea, quod omnes res non poſſimus, ob ſenſuum limites, diſtincte percipere.

IV. Quodque adeo in analyſi notionum non poſſimus in infinitum progredi, fere, uti illi, qui corpora diſſecant membraque articulatim diuidunt, particulas uel cordis uel cerebri, uel reliquorum membrorum non in infinitum reſoluere queunt.

§ 42.

Hactenus recenſuimus diuerſa idearum genera, quae ex diuerſo perceptionum modo exiſtunt. Nunc illud excutiendum, quae notionum diuerſitas naſcatur ex rerum perceptarum uarietate.

§ 43.

Res ſcilicet, quas cognoſcimus, aut exiſtunt, aut ſunt proprietates quaedam, rebus exiſtentibus communes, quas a rebus, mente et cogitatione, abſtrahimus.

§ 44.

Quicquid exiſtit, id uocamus *rem indiuiduam* ſiue *ſingularem*.

E. gr.

E. gr. Hic liber, quem coram uides, haec ſella, in qua ſedeo, ſunt indiuidua.

§ 45.

Cum indiuiduum ſiue rem ſingularem nobis repraeſentamus, tum *idea* dicitur *indiuidualis* ſiue *ſingularis*.

E. gr. Si tibi ideam formas de hac menſa, tum idea tua appellatur ſingularis ſiue indiuidualis.

§ 46.

Res indiuiduae ſiue ſingulares, quamuis ob innumeras περιστάσεις, quae eas comitantur, ita a ſe inuicem differant, ut altera alteri nunquam in omnibus ſimilis deprehendatur, ſunt tamen nonnulla, in quibus indiuidua perpetuo conueniunt, quaeque in omnibus, ceteroquin diuerſiſſimis, eadem reperiuntur.

Quod ut intelligas clarius, haec habeto. Sumas complura indiuidua, CAIVM, PETRVM, PAVLLVM, ROMVLVM, IVL. CAESAREM, CICERONEM, hanc menſam, hunc librum. Dubitari non poteſt, mirum quantum haec, quae recenſui, indiuidua, a ſe inuicem differre, at ſunt tamen nonulla, in quibus perpetuo ſimilia ſibi eſſe deprehendes, e. gr. quod CAIVS, PETRVS, PAVLLVS, ROMVLVS, &c. ſint *homines*, quod liber hic, haec menſa, CICERO, CAESAR, ſint *ſubſtantiae*.

§ 47.

Ea igitur, in quibus indiuidua perpetuo ſunt ſimilia, conſtituunt *ſpeciem*, quae eſt ſimilitudo indiuiduorum.

CAIVS, CICERO, CAESAR, LIVIVS, differunt uel ratione aetatis, uel ſtaturae, uel diuitiarum, uel ingenii,

genii, uel dignitatis, in eo uero perpetuo conuenire obſeruabis, quod uiuo et ad ſentiendum apto corpore, animoque, rationis compote, gaudeant, quodque adeo ſint *homines*. Vides itaque, cur notio *hominis* ſpeciem conſtituat. Voce enim *homo* ſimilitudinem innumerorum indiuiduorum exprimis, eademque in claſſe, quaſi quadam collocas.

§ 48.

Quod ſi plures ſpecies inter ſe conferimus, easdemque, obſeruamus, in quibuſdam proprietatibus ſibi eſſe ſimiles, tum illa ſimilitudo ſpecierum claſſem quandam ſuperiorem conſtituit, quae, ſpecies illas complexa, genus uocatur. *Genus* enim eſt ſimilitudo ſpecierum.

Sic, e. gr. homo, equus, lupus, canis, leo, ouis, pluresque ſpecies, ſi inter ſe comparantur, eas quidem in compluribus, reperies, a ſe inuicem differre, at in eo tamen conueniunt inter ſe perpetuo, ſimileſque ſibi ſunt, quod *uiuant* et *ſentiant*. Hanc ſimilitudinem uno uerbo *animalis* complectimur. Vt adeo pateat, animal conſtituere notionem *generis*.

§ 49.

Notiones uniuerſales ſunt notiones, quibus ea repraeſentantur, quae rebus pluribus communia ſunt.

Sic notio *hominis*, itemque notio *animalis* ſunt notiones uniuerſales, quia per ideam *hominis* ſiſtitur nobis id, quod pluribus indiuiduis, e. gr. PAVLLO, PETRO, SEMPRONIO, &c. eſt commune, et per ideam *animalis*, quod pluribus ſpeciebus commune eſt.

§ 50.

Hinc facili negotio ſequentes poſitiones intelliges.

I. No-

I. Notiones ſpecierum et generum ſunt uniuerſales, quia ſpecies nobis ſiſtit ea, quae pluribus indiuiduis ſunt communia (§ 47), genus autem, quae pluribus ſpeciebus ſunt communia (§ 48).

II. Genera et ſpecies non exiſtunt, niſi in indiuiduis.

Quod ut plenius intelligas, notionem hominis ſumas. Ad eam conſtituendam requiruntur haec duo, 1) *Corpus*, ſentiendi facultate et ſubſidiis inſtructum, 2) *Animus*, rationis particeps, et cum corpore connexus. Nullum autem ens exiſtit, quod duo tantum haec praedicata ſuſtineat, et nulla alia praeterea. Omnia enim indiuidua, quae hominum claſſem conſtituunt, pluribus aliis determinationibus gaudent, ad notionem *homini* conſtituendam non pertinentibus. Exiſtit, PAVLLVS, PETRVS, CAIVS, at homo, quatenus homo eſt, non exiſtit, niſi in his indiuiduis.

III. Plus eſt in indiuiduis, quam eſt in ſpecie.

E. gr. In his indiuiduis, PETRO, PAVLLO, CAIO, TITIO, deprehendis innumeras proprietates et determinationes, e. gr. eruditionem, ingenium, ueſtes, ſtaturam, parentes, honorem et dignitatem, reliqua, quae efficiunt, ut PETRVS et PAVLLVS haec ſint indiuidua, nec alia. At in notione ſpeciei, ſcilicet hominis, praeter corpus organicum, et animam rationis compotem, nihil inuenis.

IV. In ſpecie itidem plus eſt, quam eſt in genere.

V. A determinata ſpecie non concludi debet ad genus.

VI. Non omne id, quod repugnat ſpeciei, ideo repugnat generi, quamuis, quod repugnat generi, idem repugnet ſpeciei.

Quas poſitiones ut clariores efficiamus, haec ſubiungemus exempla.

In *anima* hominis, tanquam ſpecie, plures ſunt determinationes, quam in *ſpiritu*, tanquam genere. Anima humana eſt limitibus circumſcripta, eſt cum corpore connexa, quotusquisque uero eſt, qui haec ita ad *ſpiritus* notionem conſtituendam pertinere dixerit, ut ſine his ſpiritus eſſe non poſſit? Neque adeo haec probandi ratio ualere poteſt: *Anima mea eſt limitibus definita. Omnis igitur ſpiritus debet eſſe limitibus obnoxius.* Porro, quamuis in animam, tanquam ſpeciem, non cadat omnium rerum ſcientia, ſpiritus tamen, generatim ſpectatus, eſt omniſcientiae capax.

§ 51.

Determinationes illae, quibus altera ſpecies ab altera, ſub uno genere, differt, uocatur *differentia ſpecifica.*

E. gr. Commiſeratio et inuidia in eo conueniunt, quod ſint *taedium*. Quod ipſum conſtituit genus. At ſunt nonnulla, quibus inuidia a commiſeratione diſtinguitur. Inuidia ſcilicet eſt taedium ob alterius *felicitatem.* Commiſeratio vero ob alterius *infelicitatem.* En differentiam ſpecificam!

§ 52.

His rite expoſitis, facile nunc intelligis, notiones rerum exiſtentium, ſiue indiuiduorum formari ſenſuum adminiculo, notiones uero uniuerſales ſiue generum et ſpecierum, abſtrahendi artificio.

E. gr. Lipſiae notionem non alia ratione acquires, quam ope ſenſuum. At, ut ſcias, quid urbs in genere ſit, non ſufficiunt ſenſus, ſed opus eſt, ut plura indiuidua, e. gr. Hamburgum, Lipſiam, Vratislauiam, Amſtelodamum inter ſe conferas, easque proprietates, quas perpetuo ſimiles in omnibus his indiuiduis obſeruas,

seruas, ad notionem *urbis* conſtituendam retineas, ceteras autem, quae non omnibus his indiuiduis perpetuo tribuuntur, ſeponas minusque conſideres. Quod eſt abſtrahere. *Abſtrahimus* enim, cum unum absque altero conſideramus.

Sunt, qui alio adhuc modo notiones a mente humana effingi et poſſe et ſolere affirmant, per *arbitrariam* ſcilicet *combinationem*. Hoc modo notionem nobis formamus *intellectus perfectiſſimi*, *montis aurei &c.*

§ 53.

Explicatis ita uariis notionum generibus, uariaque easdem formandi ratione, reliquum eſt, ut eorum, quae diximus, uſum exponamus, ſubiunctis nonnullis diſcendi regulis, quas iuuentutis, literis deditae, commodis maxime inſeruituras opinamur.

I. In colendis literis minus feliciter progredieris, niſi id egeris, ut rerum tractandarum clara diſtinctaque cognitione gaudeas.

II. Ad cognitionem claram diſtinctamque non pertinges, niſi *attentionem*, in qua magna uis magnumque momentum ad clare diſtinctiusque rem cognoſcendam poſitum eſt, tibi commendatam habueris.

Cum Matheſeos, et Geometriae ſtudio, attentionis acies mirifice acui ſoleat, ſunt, qui, ſtudiorum initia a Matheſeos diſciplinis capienda eſſe opinantur. Idque ipſum cauſſam eſſe, aiunt, cur PLATO neminem, Geometriae ignarum, ſuas in ſcholas recipiendum putarit.

III. Cum, quae properatur nimis, rerum contemplatio non, quam debebat, attentio-

nem

nem secum habeat coniunctam, neque adeo, qui rem aliquam non satis diu contemplatur, nequaquam claram distinctamque eius rei cognitionem acquirere possit (§ 34 pos. 6); sequitur, ut praepropera festinatio in literarum cultura uel maxime sit uitanda. In primis uero in scientiarum principiis, tanquam elementis, ex quibus ceterae ueritates componuntur, diu haereat iuuenis, nec, nisi iis distincte intellectis, progrediatur ad alia.

Scite Baco Verulamius: *Iuuenum ingeniis non plumas aut alas, sed plumbum et pondera addamus.*

IV. Quandoquidem multitudo rerum pertractandarum mentem distrahit, attentionisque incidit neruos, cauendum est, ne nimia rerum cognoscendarum uarietate et copia mentem obruamus, neque adeo *multa* uno momento discenda putemus, sed, quae discimus, *multum* saepiusque contemplemur, et, ueluti cibum remansum, regustemus.

Nosti tritum illud:

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Eleganter BÜLFINGERVS: *Sex, octo, decem, horas continuas adire Magistros uaria docentes, eo quidem fine, ut biennii, uel triennii spatio cursum absoluas academicum, hoc idem est, ac si tria per diem prandia tresque coenas sumere pueri instituerent, ut paucioribus scilicet adolescant. Quo si finem assequi liceret, credo, principum filios sexto iam anno, et fortassis citius maiorennes fore.* Vid. *eius Oratio de praecipuis quibusdam discendi regulis ex comparatione corporis et animi erutis. p. m. 25.*

V. Quan-

V. Quandoquidem mens, uariis agitata commotionibus, non magis poteſt clare diſtincteque res percipere, quam aqua limpida eſſe, quae continuo turbatur motu (§ 34 poſ. 4); ſequitur, ut, ſi uelis in literis feliciter progredi, animus in quietum tranquillumque ſtatum ſit deducendus, omniaque, quae mentis impediunt tranquillitatem, e. gr. ira, triſtitia, frequentiores ſodalitates, compotationes, amor uenereus, ſint ſolicite euitanda.

VI. Cum eruditus eſſe non poſſit, niſi qui diſtinctis ueritatum ideis inſtructus ſit (per defin.), is autem demum diſtincte rem cognoſcere cenſendus ſit, qui notas, quibus res conſtituitur, ita habuerit in numerato, ut eas ſcriptis uel uoce cum aliis poſſit communicare (§ 37 poſ. 2); ſequitur, ut, ſi tua intereſt, uerae eruditionis te laude florere, ut, inquam, omnia ea, quae uel legiſti, uel audiuiſti, uel meditatus es, ita habeas in promtu, ut, qua ratione ueritas ab altera diſcernatur, aliis diſtributius enarrare poſſis.

Ad hanc regulam, tanquam ad lydium lapidem, exigat ſuam quisque cognitionem neceſſe eſt, ſi ſolidi quid diſcere cupiat. Sunt, qui ueritatum, quas ab aliis propoſitas audiuerunt, diſtincta ſe gaudere cognitione opinantur, at, cogitata cum aliis communicare iuſſi, obmuteſcunt. Fac, e. gr. te in ſcholis theologicis doctrinam de peccato in Spiritum S. et filium hominis expoſitam audiuiſſe. Si differentiam horum peccatorum ita perſpectam habes, ut aliis notas, quibus ab

ab altero alterum distinguitur, possis enumerare, tum hanc doctrinam distincte nosti.

VII. Permultum ergo ad distinctam rerum cognitionem adiumenti adfert illud, si ea, quae legisti aut audiuisti per diem, uel in chartam ipse conieceris, quasi dissertationem de iis scripturus, uel si docendo aliis proposueris ea, quae didicisti, uel si te ipse examines.

Verum est, quod in prouerbio dicitur: *Docendo discimus.* Neque scio, an quicquam possit iis, qui in scholis Gymnasiisue discunt, esse utilius, quam si, ex discentibus facti doctores, continenti nexu sociis ea, quae audiuerunt, proponere iubentur. Cuius rei quae sit quantaque utilitas, dudum me experientia edocuit.

CAP. II.

De Vsu Vocum seu terminorum circa uoces.

§ 54.

Notiones siue ideas, a mente efformatas, significamus aliis per *uoces* siue *terminos*. Sunt autem *uoces* signa notionum, sono articulato prolata.

Signum quid sit, id in Ontologia explicatur. *Signum* est id, cuius idea excitat ideam alterius.

E. gr. Lacrimae sunt signum tristitiae. Idea enim lacrimarum excitat in nobis ideam tristitiae, i. e. cum uidemus, alterum lacrimas profundere, oppido cogitamus, illum esse tristem.

§ 55.

§ 55.

Quae de uocibus, tanquam cogitationum seu notionum indicibus, notari merentur, his complectemur positionibus.

I. Penes nos est, qua quamque rem uoce designare et enunciare uelimus, siue, ut philosophi aiunt, *uoces sunt signa conceptuum arbitraria.*

Si enim necessario continerentur uinculo uerba, et res, uerbis indicatae, fieri non posset, ut eaedem res a diuersis gentibus per diuersas uoces significarentur.

II. Ideo uoces adhibemus, ut alii, ad quos uerba facimus, nos intelligant.

Intelligimus autem alios, cum easdem notiones cum aliorum uerbis coniungimus, quas alii cum iisdem coniungunt, e. gr. intelligis LIVIVM *L. I c. 39*, qui, excitos REGES, ait, cum SERVIO TVLLIO dormienti caput arserit, si cum uoce REGES eundem conceptum coniunxeris, quem LIVIVS coniunxit. Ipse autem per *Reges* intelligit regias personas, Tarquinium, regem, et Tanaquil, reginam. Conf. *idem L. 27 c. 4.*

III. Nulla uox est adhibenda, nisi cui subiecta sit sententia et notio.

Si enim uox inanis erit, nihil significat, atque adeo non est cogitationum index. Quos sonos inanes dicimus nonnunquam *notiones deceptrices*, ut nihil cogitamus, quamuis nos, uocabulo audito, quid cogitare, nobis persuadeamus. Talium uocum plena sunt pleraque poemata, plenae orationes.

IV. Vt facilius intelligamur, cauendum sedulo est, ne *ambigue* loquamur, i. e. ita, ut cum una uoce plures, quam unam, notionem connectamus.

Fieri

Fieri non poteſt interdum, quia occurrant uoces, quibus plures ſignificantur notiones. Sunt enim plures res, quam uerba. Hinc philoſophi eſt, uim poteſtatemque uocis definitione complecti, ne in ambiguo fluctuet mens et ancipiti cogitatione diſtrahatur.

V. Ex quo neceſſaria conſecutione conficitur illud, philoſophorum uerba, quibus cogitata ſua exprimunt, debere eſſe eiusmodi, ut eadem iisdem ſemper reſpondeat notio.

§ 56.

Termini, qui eundem habent ſignificatum, dicuntur *ſynonyma*, ſiue *termini ſynonymici*.

E. gr. Methodus mathematica, demonſtratiua, ſcientifica &c.

§ 57.

Terminus dicitur *proprie* ſumi tamdiu, quamdiu eidem notio illa tribuitur, cui ſignificandae deſtinatus eſt. Notio autem, qua ſiſtitur nobis res, cui iudicandae terminus aliquis deſtinatur, ſignificatum proprium conſtituit.

§ 58.

Cum autem terminus à ſignificatu proprio transfertur ad deſignandam rem aliam, cui alius terminus proprius ſuppetit, idque ob ſimilitudinem, inter ambas res obuiam, tum inde exſurgit *ſignificatus* uocis *improprius*, ipſe autem terminus dicitur *translatus* itemque *metaphoricus*.

E. gr. Vocabulum *oculus* proprie ſumitur, cum per id membrum illud et organon intelligimus, quo res extra nos poſitas uidemus. Huic enim notioni ſignificandae primum haec uox fuit deſtinata. At cum

CICERO

CICERO Corinthum Graeciae oculum appellat, facile uides, improprie hic hanc uocem ſumi.

§ 59.

Quo ipſo intelligis, philoſophi eſſe, ab impropriis metaphoricisque uocabulis omni modo ſe abſtinere, niſi, quae ſit uocabuli ſententia ac poteſtas, fuerit definitum.

Quod ſi enim philoſophus uocibus uſus fuerit impropriis, alter conceptum proprium cum uocibus eius coniunget, cum tamen philoſophus cum iisdem coniungat improprium, atque adeo, fieri non poteſt, ut philoſophus intelligatur, quod eſt contra § 55 num. II.

§ 60.

Fit nonnunquam, ut in ſermone quotidiano familiarique congreſſione quibuſdam utamur terminis, quos intelligimus quidem, etſi ad notionem ipſis ſignificatam, animum non aduertamus, quos dicimus *terminos familiares*.

Eiuſmodi terminus familiaris eſt terminus *galant*, quo idemtidem utimur, at complures, quid, hac uoce audita, cogitent, neſciunt.

§ 61.

Vſus loquendi quid ſit, ex his exiſtimari poteſt. Eſt autem *loquendi uſus* ſignificatus uocum, in communi ſermone proprius.

Vox, e. gr. *oculus*, ex loquendi uſu, indicat inſtrumentum illud uiſorium, in animantium corporibus, cuius adminiculo ſpecies extrinſecus inferuntur in animam.

§ 62.

Quandoquidem in omni ſermone proprium uerborum ſignificatum perſpicuitatemque conſectari

debet philoſophus (§ 59 et 55), a recepto uocum ſignificatu et uſu loquendi non temere recedat.

§ 63.

Si plures uoces inter ſe iungimus, exiſtit inde *ſermo* ſiue *oratio*, quam recte dixeris nexum plurium uocum.

§ 64.

Supereſt, ut regulas nonnullas, in iuuentutis, literarum ſtudioſae, gratiam addamus, quibus uerborum ſermonisque uſus uel in familiari conſuetudine, uel in eruditorum circulis, conformari queat.

I. Cum uoces ſint cogitationum indices (§ 54), id agas, ut, quandocunque locutus fueris cum aliis, expendas, probeque ponderes, quid cogites.

Ita euitabitur inanis illa et odioſa loquacitas, iuuentuti familiaris. Scilicet a teneris conſuerunt complures ita loqui, ut uerba, ab aliis audita, dicendo repetant, neque perpendant adeo, quid dicant, et cur haec, nec alia uerba proferant.

II. Caue, putes, te ſemper *idea rei* gaudere, *ſi ideam ſoni* habueris.

Sonum audiunt, ſibi familiarem, permulti, ſi in oratione, quam Chriſtus nobis praeſcripſit, uerba recitant: Wie wir vergeben unſern Schuldigern. Si, poſt prandium, gratias acturi, uerba proferunt, der Herr hat nicht Luſt an der Stärcke des Roſſes, noch Gefallen an iemandes Beinen, idea ſoni gaudent, at ideam rei non habent.

III. Caue, exiſtimes, te ſemper intelligere uoces connexas, quas ſingulas intelligis.

E. gr.

E. gr. Quid ſit *homo*, intelligis, itemque, quid ſit *omnipotens*, at coniunge has uoces, nulla tum ſubiecta eſt uocibus ſententia.

IV. Quamuis penes nos ſit, qua quamque rem uoce deſignare uelimus § 55 num. I), nouas tamen uoces temere effingere non licet, niſi in conſociatione hominum et communitate rideri explodique uelimus.

Verba ualent, ſicut numi. Neque enim numi, quibus merces apud Perſas Ruſſosque emuntur, apud nos ualent, ſuo licet ualore apud alios non deſtituti. Aliae prouinciae, ut alios numos, ita alias uoces poſtulant. Perabſurdi erant, qui quondam omnes uoces, quarum origo ex Romanorum lingua arceſſenda erat, deuitaturi, die Naſe, Latine naſum, uocabant den Schnauber, die Ohren, (aures) die Lufftfänger, das Fenſter, (feneſtram) den Tageleuchter, cetera.

V. Cum ideo loquamur, ut alii nos intelligant (§ 55 n. II), minus decet, uel Latinas, uel Gallicas, uel Italicas uoces ſermoni Teutonico immiſcere, maxime, ſi cum hominibus rudioribus rem habueris.

Perridicula ergo eorum eſt inſolentia, qui, ut eruditi uideantur, tertio cuique uerbo immiſcent uocabula peregrina, aut, cum pro concione de rebus diuinis ad populum dicunt, uel integras ſententias Latinas, Graecas, Hebraeasque proferunt, ut ingenium oſtentent, uel ſingula certe uerba, ex alienis accita linguis, interpolant.

CAP. III.

De Definitionibus.

§ 65.

Quandoquidem hactenus de ideis, idearumque significationibus exposuimus, percommode his doctrinam de *definitionibus* subiungimus.

§ 66.

Est enim *definitio* nihil aliud, quam notio, siue idea distincta, completa, sermone siue oratione expressa. Ipse terminus uel res, quae definitur, dicitur *definitum*.

Quid sit idea distincta, quid sit completa, exposuimus § 35 et 38.

§ 67.

Quae quidem definitionis definitio satis luculenter demonstrat, ad sequentes positiones, tanquam regulas, omnem uerae legitimaeque definitionis rationem esse exigendam.

I. In definitione notae et characteres eius rei, quae definitur, debent enumerari. Postulat enim id ideae distinctae natura et indoles (§ 35).

II. In omni definitione eiusmodi notae debent recenseri, quae sufficiunt ad rem definitam ab omnibus aliis rebus semper et ubique discernendam. Id enim requirit idea completa (§ 38).

III. Notae, in definitione enumeratae, aliis rebus, praeter rem definitam, non conueniant,

niant, adeoque definitio non ſit latior ſuo definito. Secus ſi fit, notae enumeratae non ſufficiunt ad rem definitam ab omnibus aliis rebus diſtinguendam.

E. gr. Latior eſt definitio ſuo definito, ſi *uerba* definiueris per ſigna conceptuum ſiue cogitationum. Multi enim manibus ſigna quaedam cogitationum edunt, at haec num uerba dices?

IV. Notae, quas in definitione enumeras, debent eſſe eiusmodi, ut omnibus iis uel indiuiduis, uel ſpeciebus tribui poſſint, quae rei definitae ambitu comprehenduntur, ſiue, definitio non debet eſſe anguſtior ſuo definito.

E. gr. Si definiueris *amorem* generatim per affectum, quo aliorum felicitate delector, tum amor erga nosmet ipſos hac definitione non continetur.

V. Ex quo patet, notas enumeratas debere aeque late patere, quam ipſum definitum, ſiue definitionem debere adaequare definitum.

Vt enim omnes partes rei cuiusdam, ſi in complexu ſumſeris, ipſam rem, tanquam totum, efficiunt, ita quoque notas, quae definitum conſtituunt, ipſam rem definitam non debere excedere, patet.

VI. Hinc intelligitur, definitionem cum ſuo definito ita commutari poſſe, ut definitio in locum definiti, ſalua omni mutatione, poſſit ſubſtitui, et definitum in locum definitionis.

E. gr. Si dixeris, CAIVS eſt felix, nihil aliud dicis, quam hoc: CAIVS perfruitur gaudio conſtanti et aequabili.

VII. Ea, quae rei definitae non perpetuo constanterque tribui possunt, siue accidentia in definitionem admitti non debent. Haec enim non sufficiunt ad rem definitam ab omnibus aliis rebus semper et ubique discernendam, quod est contra § 38.

Minus recte definires *animam humanam*, si eam diceres spiritum in corpore nostro cogitantem, et eruditione instructum. Vt enim mens nostra sit erudita, id inter fortuita pertinet, nec eidem perpetuo tribui potest.

VIII. Non nisi ea, quae rei definitae constanter insunt, nec ab ea seiungi possunt, attributa essentialia, uti uocant philosophi, in definitione recenseantur, necesse est. Quia haec demum apta sunt ad rem definitam, omni tempore locoue ab aliis rebus internoscendam.

IX. In definitionibus haec lex uel in primis sanciatur, ut perspicuitatem, quam maxime possumus, consectemur, neque adeo quicquam iis insit, quod minus intelligi queat. Definitionis enim est, notiones complicatas euoluere, et, quae obscuritatis quid habent, enodatius proponere, alias non esset idea distincta, quod est contra § 67.

X. Recte ergo et perbene faciunt, qui terminos, quibus constituitur definitio, ante explicant, atque adeo, si quid superest obscuri, noua definitione tollunt.

Definis e. gr. Felicitatem per statum durabilis gaudii. Ne obscurum tibi sit, quid durabile gaudium dicamus,

mus, perſpicuitatis lex iubet, ut ea, quae durabile gaudium efficiunt, ante explices diſtinctius. Quod ipſum obſeruauit CICERO, qui libertatis uerae indolem explicaturus, *Quid eſt*, inquit, *libertas? Poteſtas uiuendi, ut uelis. Quis igitur uiuit, ut uult, niſi, qui recta ſequitur, qui gaudet officio, cui uiuendi uia conſiderata atque prouiſa eſt*, Paradox. V c. 1.

XI. Ne perſpicuitatis legem migres, cauendum eſt, ne idem per idem explicetur.

Quod perabſurde faciunt illi, qui quantitatis notionem diſtinctius tradituri, eam dicunt eſſe accidens, a quo res dicatur *quanta*. CICERO definit *uoluptatem* per iucundum motum in ſenſu. *De Fin. Libr. II c. 23.* Quod quid aliud eſt, quam uoluptatem per uoluptatem explicare?

XII. *Ex quo conficitur, uitium illud, quod philoſophi uocant circulum in definiendo, ſolicite eſſe fugiendum.* Eſt enim *circulus* in definiendo nihil aliud, quam ſi A per B, et B rurſus per A definio. Atque adeo, qui circulum in definiendo committit, A per A definit, ſiue idem per idem explicat, quod eſt contra regulam antecedentem XI.

Quod ut intelligas, accipe exemplum. Si *legem* definis per decretum *ſuperioris*, obligans inferiorem, *ſuperiorem* uero per eum, qui habet poteſtatem legem ferendi, committis circulum. Notione enim *legis* continetur notio *ſuperioris*, et notione *ſuperioris* notio *legis*, atque adeo a *lege* deuenis ad *ſuperiorem*, et a *ſuperiore* rurſus ad *legem*. Quo ipſo definitio in orbem redit.

XIII. Ex omni definitione debent proſcribi termini metaphorici et ambigui, niſi ante definitione fuerint explicati. conf. § 67 num. 10.

Minus accurate definis *intellectum humanum* per lumen animae, nisi, quid sit lumen animae, ante fuerit explicatum.

XIV. Neque in definiendo, quid res non sit, dicere decet, sed, quid res sit, explicandum est, atque adeo definitio, quam uocant, negatiua est uitanda.

§ 68.

De diuersa res definiendi ratione pauca addenda sunt. Cum notas enumeras, quibus res definita ab aliis rebus internoscitur, tum *definitio* appellatur *nominalis*. At cum rei, quam definis, caussas, et modum, quo fieri potest, exponis, *realem* condis *definitionem*.

Non me fugit, ueteres, per definitionem nominalem, quam ὀνοματολογίαν uocabant, intellexisse Grammaticas uocum explicationes, quo pertinebat α) *Etymologia*, qua in uocis definiendae originem et stirpem inquiritur, β) *Synonymia*, qua aliae, idem significantes, uoces adducuntur, γ) *Homonymia*, qua affertur multiplex uocis significatio. Recentiores definitionem nominalem characterum enumerationem uocant E. gr. *Deus* est spiritus perfectissimus. In reali, quam *geneticam* quoque uocant, caussas et genesin siue ortum rei exponunt. E. gr. *Commiseratio* est taedium, ex alterius infelicitate oriundum. Hic enim, quae sit commiserationis caussa et origo, exponitur.

§ 69.

Cum definitione non est confundenda *descriptio*. Res, quae sensibus subiiciuntur, *describimus*, at generum specierumque notiones *definimus*. In descriptione notas quidem enumeramus, at minus sufficiunt eae ad rem, quam describis, ab omnibus

aliis

aliis rebus diſtinguendam, quod contra fit in definitionibus. *Deſcriptionem* ergo recte dixeris notionem rei diſtinctam incompletam.

Deſcriptiones oratoribus poetisque perquam ſunt familiares, quarum complures reperimus in CVRTIO, LIVIO, VELLEIO PATERCVLO, aliis, quos nouimus, ſitum, pulchritudinemque uel urbium, uel plagae alicuius tam uiuis depingere ſolere coloribus, ut eas coram intueri uideamur. Eiuſmodi deſcriptiones inuenimus in literis accuſatoriis (Steck-Briefe) quibus iudex facinoroſum fugitiuum perſequi ſolet, ita quidem, ut et eius externus habitus, et faciei lineamentorumque conformatio, et alia, quibus fur fugitiuus ab aliis internoſci poteſt, diſtincte ſigillatimque recenſeantur.

§ 70.

Quas ultimo loco regulas cautionesque his ſubiungendas putamus, eas eo pertinere uolumus, ut intelligat iuuentus, meliorum literarum ſtudioſa, nos ipſius rationibus quam maxime conſultum uelle.

I. Quanti refert, unumquemque, qui ſolidioris doctrinae ſtudio ducitur, diſtinctas rerum notiones ſibi acquirere (§ 35), tanti quoque intereſt, definitiones, quippe quae cuiusque rei naturam ac uim diſtincte explicant, ab omnibus, uerae eruditionis cupidis, diſci, accurateque teneri.

Proinde iuuentuti, quae in ſcholis elegantioris literaturae cultum inſtruit, memoriae quidem exercitationes ſtudiumque linguarum quam poſſum ampliſſimis uerbis commendare ſoleo, at cum uerborum cultura iudicii limandi ſtudium ita coniungi uolo, ut, quae unius cuiusue rei ſit indoles, definitionem admini-

culo mature perſpicere diſcat, in quo, dici non poteſt, quantum momentum ad intelligentiae humanae iudiciique uim acuendam ſit poſitum.

II. Quare et ii, qui in ſcholis docent iuuentutem, et qui Muſarum ſacris, diſcentium in ſubſelliis, operantur, id ſibi uel in primis negotii datum credant, ut, in legendis explicandisque ueterum ſcriptorum monumentis, non tam uerborum aucupia conſectentur, quam, quae cuique uoci ſubiecta ſit ſententia, diſtincte intelligant.

Magnopere ergo mihi probatur eorum docendi ratio, qui earum uocum, quae occurunt, et quarum plerumque diſcentes ne confuſam quidem notionem habent, uim ac poteſtatem definiendo complectuntur, atque ita iuuenes pedetentim a nimio memoriae cultu ad intelligendi iudicandique facultatem traducunt. Rem exemplo illuſtrabo. Mihi, CICERONEM euoluenti, haec occurrunt uerba: *Non me ſolum ratio, ac diſputatio impulit, ut ita crederem, ſed nobilitas etiam ſummorum philoſophorum et auctoritas. De Senectute Cap. XXI.* Explica hic tuis, quid ſit *ratio*, quid *diſputatio*, quid *credere*, quid *nobilitas*, quid *philoſophus*, quid *auctoritas*. Exemplis has notiones illuſtra, et iterum iterumque, quae dixiſti, inculca: Dicta denique examinando repete. Hac uia, aut nihil intelligo, aut maximo cum fructu humanitatis ſtudioſos te in ueterum ſcriptorum lectione occupare poſſe recte affirmo. Philoſophari ſic diſcunt iuuenes, neque ſentiunt, ſe philoſophatos eſſe.

III. Qui in ſcholis artem dicendi tractant, ii ornate copioſeque loquendi facultatem ſibi breui acquirent, ſi, definiti loco, definitiones ſiue notas uſurpare et in loco adhibere didicerint.

Ex

Ex quo quidem artificio, credi uix poteſt, quanta uis, quantusque ſplendor accedat eloquentiae. Sumas hanc propoſitionem: *Orator debet eſſe philoſophus*. Si difinіueris, quid ſit *orator*, quid ſit *philoſophus*, abeſſe non poteſt, quin haec poſitio, quae, omni ornatu, quaſi ueſte, detracto, nuda apparet, ornamentis, ex ipſa rerum enunciandarum natura petitis, decorata ſuauius in audientium aures, hunc fere in modum, influat. „Quisquis in eam curam omni cogitatione totoque „pectore incumbit, ut oratione ornata et artificio quo„dam expolitioneque diſtincta, non modo probet aliis „ea, quae dicit, audientiumque animos ad credendum „flectat, ſed quoque commotiones animi cieat, easdem„que commotas ſedet, reprimatque (*en definitionem* „*oratoris*)! is uiam rationemque perſpectam habeat, „animorum motus humanaeque naturae receſſus et „ſtudia explorandi, cauſſasque eas, quibus mentes aut „incitentur, aut concilientur, aut reflectantur, ſaga„ciſſime indagandi (*en definitionem philoſophi*)!

IV. Rerum, quarum nullam animo informas notionem diſtinctam, fac, ut tuopte ipſe ingenio definitionem condere diſcas.

Neſcis e. gr. quid ſit *diſciplina* (die Zucht), ipſe, num eius definitionem exquirere poſſis, tenta, felicius procedet negotium, ſi regulas, infra ſuppeditandas, rite applicare didiceris.

V. Aliorum definitiones, caue, memoriae tantum infigas, (quod non eſt ſapere), ſed id operam da, ut eas intelligas.

VI. Caue, definitiones, uerbis diuerſas, ſemper re ipſa diſcrepare a ſe inuicem, exiſtimes.

VII. Caue, putes, omnes res aut poſſe definiri, aut debere.

Atque adeo definiendi pruritum, minutis nonnullis noſtrae aetatis philoſophis perquam familiarem, tantum abeſt,

abeſt, ut quisquam prudentiorum probare poſſit, ut eum potius tanto ſalſius quisque rideat, quanto limatius ex philoſophorum ſcholis iudicium retulit. Vid. *noſtra diſſertatio de definiendi pruritu.*

CAP. IV.

De Diuiſionibus.

§ 71.

Diuiſionem dicimus reſolutionem totius in partes ſuas. Idea, quae in partes ſuas diſtribuitur, dicitur *diuiſum*, ipſae autem partes, in quas diuiſum reſoluitur, dicuntur *membra diuidentia*. Si duo fuerint membra, diuiſio dicitur *bimembris*, ſi tribus conſtat, *trimembris*.

E. gr. Cum ſpiritum diuidimus in ſpiritum creatum, et non-creatum, tum haec diuiſio eſt bimembris.

§ 72.

Si partes ſiue membra, in quae totum diuiditur, in nouas rurſus partes reſoluis, tum *ſubdiuidere* diceris.

Si e. gr. entia diuidis in corpora et entia ſimplicia, entia autem ſimplicia rurſus diuidis in *intelligentia* et *non-intelligentia*, tum haec noua diuiſio appellatur *ſubdiuiſio*.

§ 73.

Regulas diuiſionis his complecti iuuat poſitionibus.

I. Membra diuidentia nec plus, nec minus complectantur, quam ipſum diuiſum.

Peccas contra hanc regulam, ſi Europam diuidis in Galliam et Britanniam.

II. Mem-

II. Membra diuidentia ſibi repugnent, neque unum eorum debet continere alterum.

Falſo diuidis homines in eruditos et pios.

III. Membra diuidentia ex rei diuidendae natura ſumantur, neque adeo ſine neceſſitate nimis cumulari debent.

Peccant ergo, et ſuperſtitionis ineptae incuſandi ſunt, qui omnes diſciplinae partes in puluiſculos quaſi ſecant, et ſubdiuiſionum ſubdiuiſiones formando, memoriam magis obtundunt, quam iuuant.

CAP. V.

De Iudiciis et Propoſitionibus.

§ 74.

Si ideas, quas format mens noſtra, ita inter ſe conferimus, ut uideamus, num duae ideae inter ſe conueniant, uel non conueniant, tum dicimur *iudicare*. *Iudicium* ergo definimus per combinationem uel ſeparationem idearum.

Si ideam *mundi* cum idea *optimi* ita confers, ut, mundum eſſe optimum, perſpicias, tum iudicas.

§ 75.

Iudicium, uerbis expreſſum, dicitur *propoſitio* ſiue *enunciatio*.

§ 76.

Id, de quo iudicas, ſiue aliquid enuncias, dicitur a philoſophis *ſubiectum*, id, quod enunciatur, appellamus *praedicatum*. Vox autem EST, per quam notionum nexus uel ſeparatio ſignificatur, dicitur *copula*.

E. gr.

E. gr. IVLIVS CAESAR *eſt confoſſus.* In hac enunciatione ſubiectum eſt IVLIVS CAESAR, et praedicatum *confoſſus*, copula autem uox EST.

§ 77.

Varias propoſitionum ſpecies triplici illa notiſſimaque quaeſtione, *quae? qualis? quanta?* euoluunt philoſophi. Ad quaeſtionem, *quae eſt propoſitio?* reſpondetur, quod ſit uel *ſimplex*, uel *compoſita*. Ad quaeſtionem, *qualis eſt propoſitio?* reſpondent, quod ſit uel *affirmatiua*, uel *negatiua*. At ſi quaeritur, *quanta eſt propoſitio?* reſponderi ſolet, eſt uel *uniuerſalis*, uel *particularis*, uel *indefinita*, uel *ſingularis*.

§ 78.

Propoſitio ſimplex, quae dicitur quoque *categorica*, eſt, in qua praedicatum, ſine ulla conditione adiecta, de ſubiecto enunciatur, ſiue quae unico ſubiecto et unico praedicato conſtat. E. gr. CICERO eſt eloquens.

§ 79.

Compoſita propoſitio illa dicitur, in qua uel plura ſimul ſubiecta locum habent, uel praedicata. E. gr. Deus et natura nihil faciunt fruſtra.

Ad propoſitiones compoſitas referunt 1) propoſitionem *hypotheticam* ſiue *conditionalem*, 2) *disiunctiuam*, 3) *copulatiuam*.

§ 80.

Conditionalem ſiue *hypotheticam propoſitionem* uocamus illam, in qua praedicatum tribuitur ſubiecto, ſub addita aliqua conditione. E. gr. Si Deus eſt ſapiens, eligit optimum.

Duas

Duas hic obſerues regulas: 1) *Conditio nihil ponit in eſſe.* 2) *Conditio impoſſibilis habet uim negandi.* E. gr. Si CAIVS eſt doctus, amplas conſequetur dignitates. Neque hic affirmo, CAIVM eſſe doctum, neque, eum dignitate ornari, aio. Item: Si digito caelum attigeris, magno dono cumulabere, i. e. nullum donum accipies, fieri enim nullo modo poteſt, ut caelum quis digito attingat.

§ 81.

Copulatiuam propoſitionem uerbo ET, quo ſubiecti praedicatique partes coniunguntur, et disiunctiuam uocibus AVT, VEL, SIVE, cognoſcis.

E. gr. Deus et uoluit *et* potuit mundum optimum creare. CICERO et rerum *et* uerborum copias nobis ſubminiſtrat. En copulatiuas! *Aut*, quae legis, non uis intelligere, *aut* non potes capere. *Aut* doctus fies, *aut* indoctus manebis. En disiunctiuas!

§ 82.

Cum modum definimus, quo praedicatum ſubiecto tribuendum eſt, tum propoſitiones a philoſophis uocantur *modales*.

Modi autem hi fere ſunt: *Neceſſe eſt, contingit, poſſibile eſt, impoſſibile eſt.* E. gr. *Neceſſe eſt*, ut, qui CICERONEM continenter legit, orationem Latinam efficiat pleniorem. *Contingit*, ut, qui optimi ſunt Grammatici, horrido perſaepe incultoque dicendi genere utantur. *Fieri poteſt*, ut ars dicendi ſit ſui cultoribus exitioſa. *Fieri non poteſt*, ut, qui habet mentem uitiis coopertam, ſit bonus orator.

§ 83.

Fit nonnunquam, ut enunciationes nonnullae, quandoquidem obſcuritate laborant, difficilesque intel-

intellectu sunt, explicatione indigeant, quae ideo *exponibiles* uocari solent.

In quibus numerari solent 1) *Exclusiuae*, quae uocabulis *solus*, *unicus*, *solum*, *tantum*, *duntaxat*, *&c.* ab aliis internoscuntur. E. gr. *Solus* CICERO est elegantioris latinitatis cultoribus imitatione effingendus. 2) *Exceptiuae*, his fere uocibus dignoscendae, *praeter*, *nisi*, *praeterquam*, *excepto*, *&c.* E. gr. CICERO in orationibus, nunquam, *nisi* tribus in locis, uocabula Graeca Latinis interpolauit. 3) *Restrictiuae*, ubi has, limites quasi ponendi caussa, uoces adhibemus, *quatenus*, *qua*, *in quantum*, *quod attinet ad*, *quoad*, *&c.* E. gr. LIVIVS, *qua* orator, a uero identidem deflectit, *qua* historicus, ueritatis studium diligentius consectatur. HORATIVS, quod ad rerum sententiarumque copiam et pondus attinet, OVIDIO est praeferendus, sed eidem, quod ad uersuum dulcedinem flumenque spectat, postponendus. 4) *Comparatiuae*, quas facile agnoscis, si uoces *magis*, *minus*, *plus*, *&c.* in iis deprehendis. E. gr. Epistola, presso et temperato dicendi genere elaborata, magis probatur eruditis, quam quae ornamentis, longius arcessitis, cumulatur. TACITVS minus adiumenti ad Latinam linguam adfert, quam CORNELIVS NEPOS.

§ 84.

Si, *qualis* quaeque enunciatio sit, interrogaueris, tum responderi solet, est uel *affirmans* uel *negans*. Illa est, in qua praedicatum tribuitur subiecto, haec uero, in qua praedicatum remouetur a subiecto.

E. gr. LIVIVS est ciuilis eloquentiae instruendae optimus magister. Figurae, quae commotionibus animi ciendis inuentae sunt, in stilo historico non sunt adhibendae. Harum enunciationum illa affirmans est, haec negans.

Hic

Hic illud probe tenendum eſt, quod, ſi propoſitio negans eſſe debet, negationis ſignum NON ad copulam referendum ſit, neutiquam uel ad ſubiectum, uel ad praedicatum. Hoc ſi fit, tum dicitur propoſitio *infinita.* *Non inepte,* i. e. apte VELLEIVS PATERCVLVS uirorum, domi militiaeque clarorum, ingenia moresque deſcripſit. Item: LIVIVS, CVRTIVS, SALLVSTIVS conciones ciuiles hiſtoriis ſuis potuerant quoque *non immiſcere.*

§ 85.

Vt intelligatur, *quanta* propoſitio ſit, eam, ſcias, uel *uniuerſalem* eſſe, uel *particularem.* Illa eſt, cum cauſſa, cur praedicatum ſubiecto tribuitur, in ſubiecti natura et indole reperiunda eſt, ſi uero cauſſam, cur conueniat praedicatum ſubiecto, in alia quapiam re, extra ſubiectum, deprehendis, *particularis* eſt propoſitio.

Quod ut intelligas planius, haec teneto. E. gr. Omnis oratio ornata eſt ad oblectandum compoſita. Haec enunciatio eſt uniuerſalis. Ratio enim, cur orationem ornatam ad oblectandum compoſitam eſſe ais, in orationis ornatae natura, et ut philoſophi loquuntur, eſſentia reperitur. *Ornatum* enim orationis efficit id omne, quod eidem, placendi cauſſa, adiicitur, ita, ut aurium mentisque oblectatio ſeiungi ab ea non poſſit. At ſi dixeris: *quaedam periodus quatuor conſtat membris,* tum haec enunciatio eſt particularis. Neque enim id periodi poſtulat natura intrinſeca, ut quatuor ex membris coagmentetur. Quid enim prohibet, quo minus duo triaue membra integram nonnunquam efficiant periodum?

Voces, *omnis* et *nullus,* tanquam ſigna et notae, propoſitionibus uniuerſalibus praefigi ſolent, at particulari propoſitioni deſignandae inſeruiunt uerba *quidam, quidam non, nonnulli &c.*

Nonnunquam fit, ut haec ſigna prorſus abſint, tum *indefinita* nominari ſolet propoſitio. E. gr. *Stilus hiſtoricus debet eſſe perſpicuus.* Quae indefinita oratio eandem uim habet, quam uniuerſalis. Cum enim ſtilum hiſtoricum debere eſſe perſpicuum, affirmas, quid aliud dicis, quam hoc: *Omnis ſtilus hiſtoricus debet eſſe perſpicuus.*

Si ea, quae in propoſitione enuncias, de *indiuiduo*, ſiue re ſingulari, tanquam ſubiecto dicuntur, tum propoſitio dici ſolet *ſingularis.* E. gr. VALERIVS MAXIMVS in colligendis uirtutum uitiorumque exemplis miram collocauit diligentiam.

Differentiam hanc propoſitionum indicarunt ueteres per quatuor uocales A. E. I. O. A ſignificat uniuerſalem affirmantem, E uniuerſalem negantem, I particularem affirmantem, O particularem negantem.

§ 86.

Praeter has, quas expoſuimus propoſitiones, aliae adhuc enunciationes ſuperſunt, quarum quaeque in recentiorum philoſophorum, et Mathematicorum in primis, ſcriptis peculiari ſuo deſignari ſolet nomine.

§ 87.

Quarum indolem ut penitius noſcas, peropus eſt, ut illud teneas, in aliis propoſitionibus de ſubiecto uel affirmari, uel negari praedicatum, in aliis uero aliquid fieri poſſe affirmatur, uel fieri debere poſtulatur. Illae dicuntur *theoreticae*, hae *practicae.*

E. gr. *Inſcriptiones ueterum multum diſcrepant a recentiorum inſcriptionibus.* QVINTILIANVS *eſt melior rhetor, quam orator.* Sunt propoſitiones theoreticae. Haec autem propoſitio: *in epiſtola familiari iocoſum dicendi genus conſectari debemus, ſed ita tamen, ut ne*

πρέπον

πρέπον neglexisse uideamur, est practica. Exponit enim haec enunciatio, quid fieri deceat.

§ 88.

Harum propositionum utraque uel est eiusmodi, ut subiecti praedicatique nexus, sine ulla demonstratione, oppido cuiuis pateat, uel est ita comparata, ut adhuc probari debeat. Sin illud locum habuerit, tum dicitur propositio *indemonstrabilis*, sin hoc, *demonstrabilis*.

E. gr. *Oratio pulchra debet esse apta*, i. e. *rerum dicendarum naturae accommodata*. Haec propositio est demonstrabilis, potest enim eius ueritas ex definitione orationis *pulchrae* et orationis *aptae* demonstrari. At si dixeris: *fieri non potest, ut, quod est, idem simul non sit*, propositionem profers, quae cuiuis ita manifesta est, ut nulla opus sit demonstratione.

§ 89.

Propositio indemonstrabilis theoretica uocatur *Axioma*, (ein Grundsatz).

Talis est haec: *Fieri non potest, ut idem simul sit et non sit*. Item omnes propositiones, quae unica nituntur definitione, a philosophis et mathematicis uocantur axiomata. Sit, exempli loco, haec definitio: *Eloquentia est facultas pulchre loquendi*. Hinc haec deducas, licet, axiomata. 1) *Qui eloquentia gaudet, gaudet facultate pulchre loquendi*. 2) *Sine facultate pulchre loquendi nulla potest esse eloquentia*. 3) *Quo quis pulchrius loquitur, eo eloquentior iudicandus est*.

§ 90.

Postulatum (ein Heischsatz) dicitur propositio practica indemonstrabilis, ex unica definitione deducta.

E. gr. Si ex definitione *eloquentiae* has deduxeris positiones: *qui uult eloquentiam consequi, debet id agere, ut ad facultatem pulchre loquendi perueniat.* Item: *quisquis alteri uiam ad eloquentiam monstrare uult, debet alterum rationem pulchre dicendi docere*, tum hae propositiones dicuntur *postulata.*

§ 91.

Theorema (ein Lehrsatz) est propositio theoretica demonstrabilis.

Theoremata ex duabus uel pluribus definitionibus, inter se collatis, eruuntur. Exempli loco hae esse possunt enunciationes. *Oratio ornata est etiam copiosa. Eloquentia nititur clara et distincta rerum enunciandarum cognitione.* Harum propositionum nexus demonstratur ex definitione *orationis ornatae* et orationis *copiosae*, item ex definitione *eloquentiae* et *cognitionis rerum distinctae.*

§ 92.

Problema (eine Aufgabe) dicitur propositio practica demonstrabilis.

E. gr. Si quaeras: *quo ordine sint auctores classici legendi*, item: *qua ratione sit conficiendus sermo panegyricus*, tum hae propositiones dicuntur *problemata.*

§ 93.

Corollaria siue *Consectaria* (Folgerungssätze, Zugaben) dicuntur propositiones, quae ex aliis necessaria consecutione conficiuntur.

E. gr. *Vera eloquentia omnibus animi commotionibus ciendis sedandisque sit accommodata.* Ergo *etiam amori, odio, irae, spei, metui, uel reprimendis uel concitandis apta sit, necesse est.*

§ 94.

Singulis his propositionum generibus addi solent *Scholia* (Anmerckungen), quae illustrant ea, quae adhuc obscura uideri poterant.

Si e. gr. de orationis *soloecismis* exposueris, et nonnullis subnexis animaduersionibus, uel originem huius uocis uel eiusdem uim, lectorum animis oculisue subieceris, tum notas has siue obseruationes dicere consueuimus scholia.

§ 95.

Lemma (ein Lehnsatz) dicitur propositio, ex aliena disciplina desumta, et in subsidium adhibita ad demonstrationem alicuius propositionis in disciplina, quam tractamus, obuiae, absoluendam.

E. gr. Si in arte oratoria hoc effatum demonstrare uelles: *Ornatus orationis debet cedere eiusdem perspicuitati*, ad hoc autem demonstrandum in subsidium uocares propositionem illam metaphysicam: *Nonnunquam est exceptio facienda a regula perfectionis*; tum haec propositio dicitur *lemma*.

§ 96.

Sequitur, ut addamus nonnulla de propositionum, quas uocant, *affectionibus*, quo pertinent α) *Oppositio*, β) *Subalternatio*, γ) *Conuersio*, δ) *Aequipollentia*.

§ 97.

Oppositio est propositionum inter se pugnantium collatio, ubi una affirmat, quod negat altera.

E. gr. Has inter propositiones est oppositio: *Epistola est colloquium absentis cum absente: Epistola non est colloquium absentis cum absente.* Harum oppositionum alia

 est

est *contraria*, *contradictoria* alia, alia denique *subcontraria*.

§ 98.

Propositiones, quarum una uniuersaliter negat, quod altera uniuersaliter affirmat, de eodem subiecto, dicuntur *contrariae*.

E. gr. *Omnes scriptores latini calamistratum dicendi genus amant. Nulli scriptores latini calamistratum dicendi genus amant.* Facile uides, contrariarum propositionum utramque falsam esse posse, at nunquam utramque ueram.

§ 99.

Contradictoria propositio est, quae idem praedicatum de eodem subiecto et affirmat, et negat.

E. gr. *Omnis barbarismus dictionem latinam foedat, quidam barbarismus dictionem non foedat.* Harum contradictoriarum propositionum alteram semper ueram, alteram falsam esse, scito.

§ 100.

Subcontraria denique oppositio est inter duas particulares propositiones.

E. gr. *Quidam humanioris literaturae studiosus commodis facillimisque moribus est, quidam humanitatis studiosus non est commodis moribus.*

§ 101.

Ad propositionum affectiones pertinet quoque *subalternatio*, quae est relatio uniuersalis propositionis atque particularis inter se, quae idem subiectum idemque praedicatum habent. Vbi propositio uniuersalis dicitur *subalternans*, particularis autem propositio, uocatur *subalternata*.

E. gr.

E. gr. *Omnia poetarum ueterum ſcripta delectant: quaedam ueterum poetarum ſcripta delectant.* Prior dicitur ſubalternans, poſterior ſubalternata.

§ 102.

Conuerſio dicitur talis mutatio propoſitionum, ubi ſubiectum ſit praedicatum.

E. gr. *Omnia ea, quae pertinent ad humanitatis ſtudia, elegantioris latinitatis culturam iuuant, omnia ea, quae elegantioris latinitatis culturam iuuant, pertinent ad humanitatis ſtudia.*

§ 103.

Supereſt aequipollentia propoſitionis. Propoſitiones dicuntur *aequipollere*, quae uerbis quidem diſcrepant, ſed ſenſum eundem habent.

E. gr. *Nemo, niſi Graece doctus, ad interiorem linguae latinae notitiam perueniet. Quiduis potius, quam latine uel ſcribendi uel dicendi facultatem, ſibi polliceri poterit, qui literarum Graecarum expers eſt.*

§ 104.

Regulas, iuuentuti, meliorum literarum ſtudioſae, in iudiciis formandis, perquam utiles ſubnectam.

I. Quandoquidem cuiusque hominis uel ſapientia uel ſtoliditas iudicando maxime perſpicitur, parcior eſto in iudicando, ſi quidem ludibrio exponi nolis.

Pertinet huc illud: Si tacuiſſes, philoſophus manſiſſes.

II. De nulla re, niſi quam diſtincte intelligis, iudicato.

III. In omnibus iudiciis uel tuis, uel aliorum probe uideas caussam et rationem, cur hae potius notiones coniungantur nec aliae, cur hoc modo combinentur nec alio.

Plura infra de praeiudiciis adferentur.

CAP. VI.

De Ratiocinatione et Syllogismo.

§ 105.

Ad tertiam mentis operationem accedimus, quae est *ratiocinatio*. Haec tum se exserit, cum mens ex duabus propositionibus tertiam elicit. Ratiocinatio uero, uerbis expressa, dicitur *syllogismus*.

E. gr. *Quicunque affectibus seruit, is non est liber,*
Atqui auarus affectibus seruit.

Ex his duabus propositionibus inter se comparatis eruis hanc tertiam. *Ergo auarus non est liber.* Hunc syllogismum eleganter HORATIVS, immutatis paullisper propositionibus, ita enunciat.

Qui melior seruo, qui liberior sit auarus,
In triuiis fixum cum se demittit ob assem,
Non uideo. Nam qui cupiet, metuet quoque: porro
Qui metuens uiuit, liber mihi non erit unquam.
Epist. XVI l. 1 v. 63.

§ 106.

Mens in ratiocinando adornandisque syllogismis, ita fere procedere solet.

I. Si rem aliquam ad genus uel speciem referimus, tum omne illud, quod de genere uel

uel ſpecie dicitur, dicimus quoque de re illa, ſub genere contenta.

E. gr. *Temperantiam* referimus ad genus, nimirum VIRTVS. Omne itaque illud, quod de uirtute dici poteſt, dici quoque debet de temperantia, hunc fere in modum.

Virtus felicitatem hominis amplificat,
Temperantia eſt virtus, E.
Temperantia felicitatem hominis amplificat.

II. Ad ſequentem quoque cogitandi ordinem mens in ratiocinando conformari ſolet: Si definitionem rei alicui tribui poſſe, obſeruamus, eidem quoque definitum conuenire iudicamus.

E. gr. Deprehendo in CAIO α) peritiam ueteres ſcriptores interpretandi, β) ſententiam de illis ferendi, γ) uera a falſis, germana ab affictis internoſcendi, δ) locos corruptos caſtigandi in priſtinamque uindicandi integritatem. Hae notae cui competunt, ille eſt *criticus*, E. CAIVS *eſt criticus*.

§ 107.

Vt iuuenes totam illam de ſyllogiſmis tractationem facilius capiant, ſuaſerim iis, ut ſyllogiſmum, ſub aedificii cuiusdam imagine, concipiant. Quicquid ſcilicet ad aedificium conſtruendum pertinet, id omne in explicandis ſyllogiſmis occurrit.

Ad aedificium requitur

1) *Fundamentum*,
2) *Materia*, ex quo aedificium coagmentetur,
3) *Forma*, ſiue apta materiae diſpoſitio,
4) *Regulae*, ad quas aedificium exſtruitur.

Haec omnia itidem reperis in ſyllogiſmo. De his omnibus nunc ſigillatim exponemus.

§ 108.

FVNDAMENTVM ſyllogiſmorum eſt DICTVM DE OMNI, ſiue haec propoſitio: *quicquid dicitur de OMNI, ſiue de genere, uel ſpecie, dicitur etiam de ſingulis, ſiue de iis, quae generis uel ſpeciei notione continentur.*

E. gr. *Omnis uirtus nos felices reddit*, E. *etiam caſtitas. Omnis ſpiritus eſt intelligendi ui praeditus*, E. *etiam anima humana.*

DICTVM autem de NVLLO dicitur hoc effatum, *quicquid negatur de omnibus, negatur etiam de ſingulis.*

§ 109.

Materia, ex qua componuntur ſyllogiſmi, termini ſunt et propoſitiones.

§ 110.

Tres autem termini ſunt, ex quibus omnes ſyllogiſmi conſtant. Hi dicuntur terminus *maior*, terminus *minor* et terminus *medius*.

§ 111.

Praedicatum concluſionis ſiue eius propoſitionis, quae ex duabus praemiſſis propoſitionibus colligitur, uocatur *terminus maior*.

E. gr. *Quaecunque lingua Scripturae S. interpretandae inſeruit, illa eſt utilis. Atqui Graeca lingua Scripturae S. interpretandae inſeruit*, E. *Graeca lingua eſt utilis.*

Vtilis eſt in hoc ſyllogiſmo maior terminus, eſt enim praedicatum concluſionis. Praedicatum autem

autem ideo dicitur terminus *maior*, quia praedicatum eſt maioris extenſionis, et poteſt ad plura applicari, quam ſubiectum.

§ 112.

Minor terminus eſt ſubiectum concluſionis, e. gr. in allato ſyllogiſmo minor terminus eſt, *Graeca lingua*.

§ 113.

Terminus autem ille, in quo ratio ſufficiens eſt, cur praedicatum cum ſubiecto connectatur, uocatur *terminus medius*.

E. gr. Si quaeris rationem, *cur lingua Graeca ſit utilis*, habes eam in his uerbis: *quia Scripturae Sacrae interpretandae inſeruit.* En medium terminum! Ideo dicitur *medius*, quia, hoc mediante, praedicatum concluſionis cum ſubiecto connectitur.

§ 114.

Quemadmodum ad omnem ſyllogiſmum conſtituendum tres requiruntur termini, ſic tres quoque propoſitiones adſint neceſſe eſt, ſi ſyllogiſmus omnibus numeris expletus eſſe debet.

§ 115.

Prima harum propoſitionum dicitur *maior*, altera *minor*, tertia *concluſio*.

§ 116.

Maior propoſitio dicitur illa ſyllogiſmi propoſitio, in qua terminus maior, ſiue praedicatum concluſionis connectitur cum medio termino. E. gr. Noſtri ſyllogiſmi propoſitio prima eſt maior propoſitio

positio: *quaecunque lingua Scripturae Sacrae interpretandae inseruit, ea est utilis.*

Haec a CICERONE dicitur propositio κατ' ἐξοχήν.

§ 117.

Propositio minor est, in qua terminus minor siue subiectum conclusionis connectitur cum medio termino.

Dicitur quoque minor propositio a nonnullis *assumtio.*

Maior autem et minor propositio uocantur *praemissae.*

§ 118.

Conclusio dicitur ea syllogismi propositio, quae ex combinatione terminorum, in praemissis syllogismi diuersorum, formatur.

E. gr. Omnis eruditus honoratur, (*en maiorem propositionem*)! CAIVS est eruditus, (*en minorem propositionem*)! E. CAIVS honoratur (*en conclusionem*)!

§ 119.

Hactenus de syllogismorum materia. Iam ad terminorum propositionumque dispositionem siue FIGVRAM accedamus, quam dicimus dispositionem medii termini cum subiecto et praedicato conclusionis.

§ 120.

Quot itaque modis medius terminus cum subiecto et praedicato conclusionis in praemissis potest disponi, tot habes syllogismi figuras. Atqui uero in syllogismo medius terminus non pluribus modis, quam quatuor, potest disponi cum subiecto et praedicato conclusionis, E. quatuor tantum, nec plures, inde existunt figurae.

Trans-

Transponas medium terminum cum subiecto et praedicato conclusionis his modis

1 figur.	2 figur.	3 figur.	4 figur.
M. P.	P. M.	M. P.	P. M.
S. M.	S. M.	M. S.	M. S.

§ 121.

Si medius terminus fuerit maioris propositionis subiectum, et praedicatum minoris propositionis, syllogismus PRIMAE, si medius terminus bis praedicatum fuerit, SECVNDAE, si bis loco subiecti, TERTIAE, si denique medius terminus in maiore propositione fuerit praedicatum, in minore subiectum, QVARTAE figurae esse dicitur.

Syllogismus *primae figurae* est hic
O. *homo* peccat,
CAIVS est *homo*, E.
CAIVS peccat.

Secundae figurae.

O. res creata *habet limites*,
Deus non habet *limites*, E.
Deus non est res creata.

Tertiae figurae.

O. *Spiritus* intelligendi facultate praeditus est,
Quidam *Spiritus* est creatus, E.
Qu. quod creatum est, intelligendi facultate praeditum est.

Quartae figurae.

O. oratio ornata placet,
O. quod placet, est pulchrum, E.
Quoddam, quod pulchrum est, est oratio ornata.

Harum

Harum figurarum prima est praestantissima maximeque naturae consentanea, atque adeo uel sola nonnullis ad legitime ratiocinandum sufficiens esse uidetur.

§ 121.

Regulas quibus ratiocinandi ars dirigitur, his complectemur positionibus.

I. *Syllogismus non plures debet habere terminos quam tres.* Syllogismus enim est ratiocinium uerbis expressum (§ 105), ratiocinium autem oritur ex comparatione duarum idearum cum tertia (§ 105); intelligis ergo, non plures conceptus terminosque ad ratiocinium et syllogismum requiri, quam tres.

Irrepere saepenumero solent quatuor termini per *aequiuocationem uocis*, e. gr.

Homo est species,
CICERO est homo, E.
CICERO est species.

In maiori propositione homo sumitur *logice* pro conceptu siue notione hominis, in minore pro ipsa hominis substantia.

II. *Nec ex puris particularibus, nec ex meris negantibus propositionibus, quicquam sequitur.* Si enim conclusio est particularis, una propositio debet esse uniuersalis, quia, ui dicti de OMNI, ita ratiocinandum est: quicquid dicitur de omnibus, dicitur etiam de singulis (§ 108).

Si conclusio est negans, alterutra praemissarum debet esse affirmans, si enim de specie uel indiuiduo quid negas, ideo, quia idem de genere negas, ostendendum tibi est, speciem sub genere contineri.

Perperam

Perperam rationes ſubducis, ſi ita argumentaris:

Quidam orator eſt philoſophus,
Quidam orator non eſt philoſophus,
E. quidam philoſophus non eſt philoſophus.

Item contra regulam peccas hoc modo:

N. oratio obſcura placet,
N. oratio perſpicua eſt obſcura, E.
N. oratio perſpicua placet.

III. *Non debet medius terminus ingredi concluſionem.* Medius enim terminus eſt terminus communis praemiſſarum (per def.), concluſio uero eſt combinatio terminorum a praemiſſis diuerſorum. E. medius terminus in concluſionem ingredi non debet.

E. gr. O. bonus miles eſt homo,
HANNIBAL eſt bonus miles, E.
HANNIBAL eſt bonus homo.

IV. *Non debet eſſe in concluſione plus minusue, quam fuit in praemiſſis.* Si enim plus addideris uel ſubiecto, uel praedicato concluſionis, quam fuit in praemiſſis, tum ideae terminique noui inde exiſtunt, atque adeo irrepunt quatuor termini, quod eſt contra regulam I.

Exemplo regulam illuſtrabimus:

Qui ſtudia humanitatis colit, eloquentiam quoque amat,
Atqui BVRMANNVS ſtudia humanitatis colit,
E. eloquentiam *morumque elegantiam* amat.

V. *Concluſio ſequi debet partem debiliorem,* i. e. *ſi una praemiſſa fuerit uel particularis, uel negans, tum concluſio quoque debet eſſe uel particula-*

ticularis uel negans. Si enim conclusio esset uniuersalis, et una praemissarum esset particularis, tum ex propositione particulari deduceretur conclusio uniuersalis, atque adeo in conclusione plus esset, quam in praemissis. Propositio enim uniuersalis plus semper continet, quam propositio particularis.

Minus recte ratiocinando procederes hoc modo:

O. qui bene dicit, bene cogitat,
Quidam homo bene dicit, E.
Omnis homo bene cogitat.

Has regulas dicimus generaliores, quia omnes syllogismi, cuius demum cunque sint figurae, ad earum normam sunt exigendi.

§ 123.

Specialiores leges, quibus conformantur syllogismi *primae figurae*, hae fere sunt:

I. *In prima figura maior propositio semper debet esse uniuersalis.* Postulat id dictum de OMNI, quod si fundamenti loco substerni debet, ut debet, a propositione uniuersali ratiocinatio ordienda est.

Non locum habet haec ratiocinatio:

Quaedam substantia est corpus;
O. Spiritus est substantia, E.
Quidam spiritus est corpus.

II. *In prima figura minor propositio debet esse affirmans, non negans.* Dictum enim de nullo requirit, ut, quod negatur de genere A in propositione maiori, idem negetur de specie C in

in conclusione (§ 108); cum uero in conclusione non possis de specie C negare id, quod in maiori propositione de genere A negasti, nisi ostenderis in minori propositione, speciem C contineri sub genere A, patet minorem propositionem, ui, Dicti de Nullo, debere esse affirmatiuam.

Falso ita ratiocinaris:
Quicunque cogitat, ille est,
Atqui hic mundus non cogitat, E.
Hic mundus non est.

§ 124.

Regulas secundae tertiaeque figurae his propositionibus includo.

I. In secunda figura maior propositio debet esse uniuersalis, et conclusio negans.

II. In tertia figura propositio minor semper sit affirmans, et conclusio particularis.

§ 125.

Sequitur, ut de syllogismorum modis pauca adferam. Quae ergo hic scitu necessaria putamus, his propositionibus complectemur.

I. Scimus, propositiones in qualibet figura, secundum quantitatem et qualitatem, alia aliaue ratione, disponi.

II. Nouas hinc oriri syllogismorum species, comperimus.

III. Nouas has syllogismorum species, sub certa figura, tanquam sub genere comprehensas, dicimus *syllogismorum modos.*

IV. *Modus* ergo definitur per diſpoſitionem trium propoſitionum ſecundum has quatuor differentias, A. E. I. O.

Hae quatuor uocales diuerſitatem propoſitionum, ratione quantitatis et qualitatis, indicant. A ſcilicet indicat uniuerſalem affirmantem propoſitionem, E. uniuerſalem negantem, I particularem affirmantem, O particularem negantem.

V. Scholaſtici uocabulis quibusdam illos modos expreſſerunt, in quibus uocales quantitatem et qualitatem propoſitionum ſignificant, litterae autem conſonae ideo ſunt adiectae, ut memoriae conſuleretur.

Vocabula haec ſequentibus uerſibus comprehenduntur:

Primae figurae modi,

bArbArA, cElArEnt, *primae*, dArII fErIOque.

Modi ſecundae figurae,

cEſArE, cAmEſtrEs, fEſtInO, bArOccO, *ſecundae*.

Modi tertiae figurae.

Tertia, grande ſonans, recitat: dArAptI, fElAptOn, adiungens dIſAmIS, dAtIſI, bOcArdO, fErIſOn.

Exempla omnium modorum adduximus in inſtitutionibus philoſophiae noſtrae rationalis p. 194.

CAP. VII.

De Syllogiſmis minus ordinariis, itemque conſequentiis, quas uocant, immediatis.

§ 126.

Fit nonnunquam, ut in ſyllogiſmo aliae propoſitiones omittantur, tranſponantur aliae, totusque

que adeo ratiocinationis ordo inuertatur. Quod cum fit, ſyllogiſmus dicitur *crypticus*, quia latet ratiocinandi ordo formaque occultatur.

§ 127.

Occultatur autem ordinaria forma

I. Per *propoſitionum transpoſitionem*, e. gr.

Minor: Ira eſt affectus,
Mai. Omnis affectus eſt compeſcendus, E.
Concluſ. Ira eſt compeſcenda.

II. Per *propoſitionum aequipollentiam*, ita, ut eaedem res uerbis aliis elegantiusque enuncientur.

Exemplum reperies in TERENTIO, *in Eunuch. Act. I ſc. 1.*

Here, inquit, *quae res in ſe neque conſilium, neque modum*
Habet ullum, eam conſilio regere non potes (habes maiorem propoſitionem).
In amore haec omnia inſunt uitia: iniuriae,
Suſpiciones, inimicitiae, induciae,
Bellum, pax rurſum, (en minorem propoſitionem)!
Incerta haec, ſi tu poſtules,
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias. (en concluſionem)!

Hunc ſyllogiſmum Terentianum, ornate ſatis et eleganter enunciatum, dialecticus paucis, et nullo ornatu ueſtitis, uerbis ita exprimit:

Quaecunque res conſilii modique expers eſt, ea conſilio modoque regi non poteſt.
Atqui amor conſilii modique expers eſt, E.
Amor conſilio modoque regi non poteſt.

III. Forma ratiocinandi ordoque occultatur, ſi alterutra praemiſſarum prorſus abiicitur et omittitur.

E. gr. Ex hiſtoria bene uiuendi exempla ſumuntur, E. eſt lectu perutilis. Supplenda hic eſt maior propoſitio.

§ 128.

Quoties in ſyllogiſmo una praemiſſarum deeſt, toties eiuſmodi ſyllogiſmus dicitur *Enthymema.*

Ab ἐνθυμέομαι *cogito*, propterea, quod aliquid hic in mente retinetur, ut in Arithmeticis. Elegans enthymema eſt illud, quo IVLIVS CAESAR, de ſociis coniurationis Catilinariae ſententiam rogatus, apud SALLVSTIVM utitur.

Mai. Omnes homines, inquit, *qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira atque miſericordia uacuos eſſe decet.*

Sequitur concluſio: *Hoc item uobis prouidendum eſt,* P. C. *ne plus ualeat apud uos* LENTVLI *et ceterorum ſcelus, quam ueſtra dignitas, neu magis irae ueſtrae, quam famae, conſulatis.*

Minor propoſitio deeſt: *Atqui uobis eſt de rebus dubiis conſultandum.*

§ 129

Ad ſyllogiſmos, qui ab uſitata forma ordineque recedunt, referimus quoque *ſyllogiſmos compoſitos*, in quibus uel una, uel ambae praemiſſae ſunt propoſitiones compoſitae.

Quid ſint propoſitiones compoſitae, iam ſupra indicauimus § 79.

§ 130.

Cum propoſitio compoſita triplicis ſit generis (§ 79), ſyllogiſmum quoque compoſitum triplicem

eſſe

esse patet. Alius est *conditionalis*, siue *hypotheticus*, alius *disiunctiuus*, alius *copulatiuus*.

§ 131.

Syllogismus hypotheticus siue conditionalis est, si maior propositio fuerit hypothetica. E. gr. Si homo ratione gaudet, sequitur, ut caussas rerum et consequentias perspicere futuraque cum praesentibus connectere possit. Atqui homo gaudet ratione, E. homo quoque caussas rerum et consequentias perspiciat necesse est.

§ 132.

De syllogismo hypothetico siue conditionali haec teneto:

I. Ea propositio, cui uox *si* praefixa est, dicitur *antecedens*.

II. Ea propositio, in qua praedicatum subiecto illi, quod sub conditione enunciatur, comperit, dicitur *consequens*.

III. Ipse autem nexus inter subiectum et praedicatum, uocatur *connexio* siue *consequentia*.

IV. Syllogismus hypotheticus his modis concinnatur, α) *ponit*, i. e. affirmat antecedens, ut inde concludat consequens, β) tollit seu negat consequens, ut tollat uel neget antecedens.

Quae omnia ut intelligas rectius, exemplum addam. *Si homo ad decus et libertatem natus est* (hactenus antecedens), *sequitur, ut animum abiectum et seruilem abiicere debeat* (en consequens)! ipse autem nexus duas has inter propositiones dicitur *consequentia*. (*Atqui homo ad decus et libertatem natus est*), hic pono uel

 affirmo

affirmo antecedens); *E. homo animum abiectum et seruilem abiicere debet* (pono inde et concludo consequens). Exemplum posterioris modi: *Si propter abusum rei alicuius usus non est concedendus, sequitur, ut ipsa Scripturae Sacrae lectio sit interdicenda. Atqui posterius est falsum,* (tollit seu negat hic consequens), *E. et prius.*

V. Falso in syllogismo hypothetico ratiocinaris, si α) ex eo, quod negasti et remouisti antecedens, consequens quoque remoueris. Si β) ex eo, quod affirmasti et pro uero sumsisti consequens, antecedens quoque affirmaueris.

Ecquis te ita ratiocinantem ferre poterit: *Si mundus cogitat, sequitur, ut existat. Atqui mundus non cogitat, E. mundus non existit.* Vel hoc modo: *Si mundus cogitat, sequitur, ut existat. Atqui mundus existit, E. mundus cogitat.*

§ 133.

Syllogismus *disiunctiuus* est, in quo propositio maior est disiunctiua.

Quid sit propositio disiunctiua, exposuimus § 81. Exemplum syllogismi disiunctiui hoc est: *Aut anima est res creata, aut est ipse creator. Sed non est ipse creator, E. est res creata.*

§ 134.

De syllogismo disiunctiuo haec obserues:

I. *Plena debet esse membrorum disiunctorum enumeratio.* E. gr. *Profanae gentes aut ex ratione, aut ex reuelatione perspectum habebant, idolis esse immolandum.* Addi poterat membrum disiunctum: aut *ex traditione et praepostera Iudaeorum imitatione.*

II. *Mem-*

II. *Membra disiuncta sibi debent esse opposita, et ita quidem, ut una stare non possint.* Falsa hinc est haec opponendi ratio: Aut homo est pius, aut doctus.

§ 135.

Syllogismus *copulatiuus* ita conficitur, ut

I. maior propositio sit negans,

II. ut minor propositio duas propositiones per copulam connectat, ut

III. harum alteram minor propositio adfirmet,

IV. alteram uero neget conclusio.

E. gr. *Nemo simul potest rationem sequi, et cupiditatibus seruire,*
Quidam homines cupiditatibus suis seruiunt, E:
Quidam homines non possunt sequi rationem.

§ 136.

Si in argumentatione propositiones conditionales cum disiunctiuis connectimus, oritur hinc noua ratiocinatio, quae uocatur *dilemma*. *Dilemma* est syllogismus hypotheticus, cuius consequens est propositio disiunctiua, et totum tollitur.

E. g. Elegans est dilemma, quo, teste CVRTIO, usi sunt Scythae, cum ALEXANDRVM M. alloquerentur. *Aut Deus es, aut homo. Si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere. Sin autem homo es, id quod es, semper esse te, cogita. Lib. VII c. 8.*

Dilemma dicitur quoque syllogismus *cornutus*, item syllogismus *crocodilinus*. Cur ita uocetur, rationem uide in WALCHII Lexico philos. Artic. *Dilemma* p. m. 516. Dilemmatis reciproci exemplum uide apud

GELL. noctib. Attic. lib. 5 c. 10. Haec ratiocinatio si duo tantum membra disiunctiua in minori propositione transsumit quidem, sed deinde destruit, dicitur *dilemma*, si tria, uocatur *trilemma*, si quatuor, *tetralemma* nominatur. Exemplum *tetralemmatis* praebet heroica illa responsio FRIDERICI SAPIENTIS, Electoris Saxoniae, qui, monitus, ne in emendandis sacris, iram odiumque Papae sibi contraheret, respondit: Ist der Pabst Gott, so begehre ich seine Lehre zu fördern, und habe also mich nicht vor ihm zu fürchten. Ist er ein blosser Mensch, so habe ich Herzens genug mich gegen ihn zu wehren. Ist er aber der Widersacher Gottes, so achte ich seiner Feindschaft nicht, sondern verlange vielmehr dieselbe, weil ich Christi Freund nicht seyn kann, wenn ich ihn nicht zum Feinde habe. Will er kriegen, so habe ich Christum auf meiner Seite, und kann gewissen Sieg hoffen, weil ich durch Leben und Sterben die Herrlichkeit Gottes preisen werde. Conf. der Sächsische Helden-Saal p. 159 Tom. II.

§ 137.

Alia syllogismi species, quae ab usitato ordine recedit. Dicitur haec *inductio*. Ad inductionem requiritur, ut

α Alicuius rei partes enumerentur, β) ut, quod de omnibus alicuius rei partibus uel adfirmatur, uel negetur, idem de tota re adfirmetur, uel negatur. Inductionem itaque uocamus modum ratiocinandi, ubi, quod de singulis inferioribus adfirmatur negaturque, idem de superiori uniuerse infertur.

E. gr. Temperantia, fortitudo, sobrietas, castitas, placabilitas &c. amplificant hominis felicitatem, ergo omnis uirtus hominis felicitatem amplificat. Scythae eiusmodi inductionem adhibebant, his ad ALE-

XAN-

XANDRVM M. uſi uerbis: *Omnium gentium, quas adiſti, latro es. Lydiam cepiſti: Syriam occupaſti: Perſidem tenes: Bactrianos habes in poteſtate: Indos petiſti: iam etiam ad pecora noſtra auaras et inſtabiles manus porrigis.* Vid. CVRT. *Lib. VII c. 8.*

Per inductionem argumentatur itidem CICERO hoc modo: *Quod ſi,* inquit, *nec earum rerum, quae ſubiectae ſenſibus ſunt, ulla diuinatio eſt, nec earum, quae artibus continentur, nec earum, quae in philoſophia diſſeruntur, nec earum, quae in republica uerſantur, quarum rerum ſit, nihil prorſus intelligo. Lib. II de diuinat. cap. 4.*

§ 138.

Sorites, qui a CICERONE *aceruālis argumentatio* dicitur, eſt plurium propoſitionum ea connexio, ut prioris praedicatum ſemper ſit poſterioris ſubiectum.

E. gr. *O. anima humana eſt ens ſimplex,*
O. ens ſimplex eſt indiuiſibile,
O. ens indiuiſibile eſt indeſtructibile.
O. ens indeſtructibile perpetuo durat.
E. O. anima humana perpetuo durat.

Hunc ſoriten eleganter CICERO his enunciat uerbis: in animi cognitione dubitare non poſſumus, niſi in phyſicis plumbei ſumus, quin nihil ſit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex (haec eſt minor propoſitio). Quod cum ita ſit, certe nec ſecerni, nec diuidi, nec diſcerpi, nec diſtrahi poteſt, nec interire igitur (audis concluſionem). Eſt enim interitus quaſi diſceſſus, et ſecretio, ac direptus earum partium, quae ante interitum iunctione aliqua tenebantur, (en maiorem propoſitionem)! *L. I Quaeſt. Tuſc. c. 29.*

§ 139.

In ſorite haec duo potiſſimum ſunt uitanda:

I. Cauendum est, ne falsa propositio immisceatur.
II. Ne omnes propositiones sint negantes.

§ 140.

Epicherema est eiusmodi syllogismus, cuius propositioni uel maiori, uel minori, uel utrique, compendii caussa, adiicitur probatio.

Audiamus Epicherema CICERONIS:

Maior. Qui uirtute praediti sunt, soli sunt diuites. Probatio additur. *Soli enim possident res et fructuosas et sempiternas, solique, quod est proprium diuitiarum, contenti rebus suis, satis esse putant, quod est: nihil appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt.*

Conclusio. Improbi autem et auari, quoniam incertas, atque in casu positas res habent, et plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inuentus est, cui, quod haberet, esset satis; non modo non copiosi ac diuites, sed etiam inopes ac pauperes aestimandi sunt. Paradox. VI Cap. III.

DIALECTICVS haec ita dixerit:

Qui uirtute est praeditus, is est diues,
Auarus non est uirtute praeditus, E.
Auarus non est diues.

§ 141.

Restat, ut de consequentiis immediatis, quas uocant, pauca adferam. Est autem *consequentia immediata* eiusmodi modus ratiocinandi, quo, una propositione posita, simul poni alteram, per rationes logicas manifestum est.

E. gr. Historia est alter oculus eruditionis. E. qui historiae est expers, altero eruditionis oculo destituitur. Item: uerum est, animam humanam esse immortalem. E. falsum est, eam destrui.

PARS

PARS II
De Vſu Logicae.

CAP. I.
De Veritate in genere.

§ 142.

Logicae eſt, uiam monſtrare, qua uerum et inueniri poſſit, et examinari rite, quoque adeo modo tribus mentis operationibus, quas expoſuimus, et in inuenienda, et diiudicanda ueritate recte uti deceat. Quid ergo ſit *ueritas*, explicemus ante, neceſſe eſt.

§ 143.

Alia ueritas eſt *metaphyſica*, alia *ethica*. Si e. gr. aurum ea omnia habet, quae ad aurum conſtituendum pertinent, tum aurum uerum aurum eſt, at *metaphyſice*. Si ita loqueris, ut ſentis, neque adeo ſermo a mente diſcordat, *uerum* loqui diceris. Haec ueritas eſt *ethica*. Si denique rem ita nobis repraeſentamus, uti in ſe eſt, ueritas *Logica* repraeſentationibus noſtris ineſſe dicitur.

§ 144.

Veritas ergo *Logica* eſt conuenientia cogitationum noſtrarum cum re ipſa.

E. gr. Si affectum *ſpei* ita tibi mente repraeſentes, ut cogites, ſpem eſſe gaudium ob futurum bonum, ueritate gaudes. Reſpondet enim notio, quam de ſpe formas, rei repraeſentatae.

§ 145.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

§ 145.

Veritas Logica reperitur

I. In *ideis*, cum ſcilicet conueniunt cum re cognita.

II. In *iudiciis* et *enunciationibus*, cum adfirmanda adfirmas, et neganda negas.

III. In *ratiociniis* et *ſyllogiſmis*, ſi et praemiſſae fuerint uerae, ex quibus concluſio fluit, et regulae ratiocinandi nexusque legitime obſeruentur.

Sunt interdum praemiſſae uerae, at concluſio falſa. Sed hoc fit tum, cum regulae ratiocinandi fuerint neglectae, quas ſi diligentius obſeruaueris, fieri non poteſt, quin ex praemiſſis ueris uera ſequatur concluſio.

CAP. II.

De iis quae ueritati aduerſantur, Falſitate, Errore, Praeiudiciis et Fallaciis.

§ 146.

Falſum generatim definimus per diſconuenientiam cogitationum cum re, quam cogitamus.

E. gr. Cum coelum tibi repraeſentas, tanquam fornicem ex cryſtallo uel alia materia coagmentatum, cui ſtellae affixae ſunt, falſa eſt tua cogitatio.

§ 147.

Falſum reperitur

I. In *ideis*, cum hae rei repraeſentatae non ſunt conformes.

II. In

II. In *iudiciis*, si neganda adfirmas, et adfirmanda negas.

III. In *ratiociniis*, cum uel falsae propositiones praestruuntur, ex quibus conclusio deducitur, uel nexus praemissarum et conclusionis, neglectis recte ratiocinandi regulis, turbatur.

§ 148.

Si quis propositionem ueram pro falsa habet, aut falsam pro uera, atque adeo iudicia confundit, is *errare* dicitur, ut ita *error* recte dicatur confusio iudiciorum.

E. gr. Haec enunciatio: *Cum eloquentia philosophia est coniungenda*, uera est. Quam si quis pro falsa habuerit, negaueritque, eloquentiam esse cum philosophia coniungendam, tum errat.

§ 149.

Qui committitur in iudicando error, dici solet *praeiudicium*, *praeiudicata* item et *praeconcepta opinio*.

Error in iudicando, per praecipitantiam commissus, ideo appellari uidetur *praeiudicium*, uel quia praeiudicia, iudicium sanae rationis certum antecedunt, uel quia committuntur ante, quam iudicium peruenerit ad maturitatem. Non itaque incommode cum CICERONE praeiudicatam opinionem illam esse dixeris, cum falsae rei, uel non satis cognitae, temere assentimur.

§ 150.

Vario modo in iudicando error solet committi. Varia ergo sunt praeiudiciorum genera, ut hic cum HORATIO *serm. Lib. I sat. 1* recte exclames.

Cetera de genere hoc (adeo ſunt multa) loquacem
Delaſſare ualent Fabium.

Diſpeſci ſolent praeiudicia α) ratione *obiecti* ſiue rei, de qua iudicas. Hoc ſenſu praeiudicia ſunt uel theologica, uel iuridica, medica, philoſophica, philologica, cetera, β) ratione temporis diuidi poſſunt in praeiudicia infantiae, adoleſcentiae, aetatis uirilis et ſenilis, γ) ratione originis et fontis, ex quo manant, in praeiudicia *auctoritatis humanae, praecipitantiae, proprietatis, confidentiae, diffidentiae,* quo pertinent praeiudicia *ſectae, receptae hypotheſeos ſiue doctrinae, familiae, nationis, patriae, antiquitatis, nouitatis* et innumera alia.

Horum praeiudiciorum unumquodque, ſi ſecundum omnes partes diſtincte conſideraueris, deprehendes, falſo quodam ratiocinio illud effici. Sic, qui praeiudicio auctoritatis occupati ſunt, ita rationes ſuas conficiunt.

Quicquid hic illeue magnae auctoritatis eruditionisque uir affirmat, illud eſt uerum. Atqui hoc illudue hic uel ille eruditus uir, e. gr. THOMASIVS, WOLFIVS etc. *affirmat, E. eſt uerum.* Vides, quam lubrico fundamento minor nitatur propoſitio.

§ 151.

Ex his lucide appparet, nihil ad praeiudicia euitanda tam ualere, quam id, ut rationes, cur quaeque propoſitio uel pro uera, uel pro falſa habeatur, diſtinctius penitiusque indagemus, iudiciumque paulliſper ſuſpendamus, ſiue, quod idem eſt, ſobria quadam dubitatione aſſenſionem cohibeamus. *Dubitare* enim nihil eſt aliud, quam ſuſpendere iudicium, is autem *ſuſpendere iudicium* dicitur, qui neque affirmat, neque negat.

Caue uero exiſtimes, dubitationem talem, qualis Pyrrhoniorum fuiſſe dicitur, nos commendare, quin potius, quem-

quemadmodum ſine iuſta cauſſa, neque adfirmandum quidquam eſt, neque negandum, ita quoque ſine ratione non eſſe dubitandum exiſtimamus. Quae enim eſſet ſtoliditas, dubitare uelle, ſol ſit, nec ne? Quae foret iſta temeritas, ea in dubium uocare, quae diuinis oraculis ſunt ſtabilita?

§ 152.

Sequitur, ut de erroribus, in tertia mentis operatione committi ſolitis, ſiue de uitioſo ratiocinandi captioſoque modo exponamus. Quo pertinent *ſophiſmata*, ſiue *fallaciae*, quod ratiocinationis genus homines decipit ſub ſpecie ueri. Eſt autem *ſophiſma* falſus ſyllogiſmus, cuius uitioſa forma occultatur.

§ 153.

Horum ſophiſmatum ſiue fallaciarum, quibus imperitiores in fraudem inducuntur, uaria ſunt genera. Alia ludunt uerbis tantum, quae dicuntur fallaciae in *dictione*, alia ſpecioſa magis ſunt, et in rebus latent. Haec dicuntur *fallaciae extra dictionem.*

§ 154.

Cum uerbis fallitur alter, tum fraus latet uel in uocum ſingularum ambiguitate, uel in tota uerborum coagmentatione, uarie contorta, ita, ut aut, quae ſeiungenda erant, componantur, aut, quae componenda fuerant, ſeiungantur. Vnde ortae ſunt fallaciae *ambiguitatis*, *amphiboliae*, *compoſitionis*, *diuiſionis*.

Quae ſupra de uitioſo quatuor terminorum in ſyllogiſmis uſu monuimus, ea hic uelim repetas. Has enim, quas recenſui, fallaciarum ſpecies ex eo, quod

quatuor

quatuor irrepſerint termini, ortas inuenies, e. gr. Vulpes habet quatuor pedes,

HERODES eſt uulpes, E.

HERODES habet quatuor pedes.

Fraus in dictione latebat, cum Oraculum Delphicum iuuenibus Tarquiniis, cum quibus una erat Brutus, ſciſcitantibus, ad quem eorum regnum Romanum eſſet uenturum, hoc reſponſum daret: „Imperium „ſummum Romae habebit, qui ueſtrum primus, o „iuuenes, oſculum MATRI tulerit.„ Brutus, cui fraus ſubolebat, terram, tanquam communem matrem omnium mortalium, oſculo contigit, ad ſummamque dignitatem poſt id tempus fuit euectus. Vid. LIV. *Lib. I cap. 56.* Aliam dictionis fallaciam ex POLYBIO commemorat nobis CICERO. Poſt Cannenſem pugnam Annibal decem nobiliſſimos uiros ad Senatum Romanum miſerat, qui, fide iurisiurandi interpoſita, promiſerant, ſe in Carthaginienſium caſtra redituros, niſi de redimendis captiuis impetrauiſſent. Ex decem his, qui tum erant miſſi, nouem reuertebantur, a Senatu re non impetrata. Vnus ex his, qui paullo poſt, quam egreſſus erat e caſtris *rediiſſet*, quaſi aliquid eſſet oblitus, Romae remanſit. Reditu enim in caſtra, liberatum ſe eſſe iureiurando, interpretabatur. Vide, quam hic luſerit uoce, *redire.* Vid. CICERO *Lib. III de Off. Cap. XXXII*, et LIVIVS *Lib. XXII cap. 58 et 61.*

§ 155.

Fallacia amphibolias in integra ſententia uerborumque coagmentatione reperitur, cum uoces uocibus ita iunguntur, ut in utramque partem poſſis interpretari. E. gr. *Regem occidere nolite timere bonum eſt. Si omnes conſentiunt ego non diſſentio.* Vide, quanti interſit ad dictionis perſpicuitatem, uerba accurate interpungi.

Fallacia

Fallacia compositionis et diuisionis ex eo existit, cum, quae componenda erant, disiungis, aut disiungenda componis. E. gr. *Nullus renatus potest peccare*, 1 Ioh. V, 18. *Qu. homo est renatus. E. quidam homo non potest peccare.* Hic maior propositio sumitur in sensu composito: Nullus renatus, quatenus est renatus, potest peccare, at conclusio sumitur in sensu diuiso. Seiungis enim in conclusione *τὸ renatum esse* ab idea hominis.

§ 155.

Haec de *fallaciis dictionis.* Sed, quemadmodum in uerbis uel singulis, uel inter se iunctis, ita etiam persaepe in rebus ipsis seu sententiis latitat fallacia, quae dici solet *fallacia extra dictionem.*

Harum fallaciarum septem modi tradi solent.
1) Huc referri uides *fallaciam accidentis*, cum, quod rei alicui per *accidens* et casu inest, id ita ei tribuitur, ac si inesset *per se* et natura sua. E. gr. *Quicquid ad Atheismum hominis ducit* (per se), *illud est malum. Atqui philosophia ducit ad Atheismum* (non per se et natura sua, sed per accidens et uitio hominum); *Ergo est mala.* 2) Pertinet huc quoque *fallacia*, quam uocant, *a dicto secundum quid ad dictum simpliciter*, cum ex eo, quod cum limitatione adiectaque conditione demum uerum est, colligimus aliquid, quod sine limitatione simpliciterque accipitur. E. gr. Si parentibus est obediendum, sequitur, ut ipsis quoque, cum iubent uel furari, uel latrocinium committere, debeamus parere. 3) Tertius *fallaciarum* modus est, cum *ignoratio elenchi* committitur, siue, cum status controuersiae mutatur, aliudque probatur, quam quod probandum suscipiebatur. E. gr. Si probare uelis, non licere diuitias possidere, propterea, quod Christus ad iuuenem diuitem dixerit: *uende omnia et sequere me*, committis fallaciam ignorationis elenchi. 4) *Fallacia petitionis principii*, cum ratio, quae ad stabiliendam thesin aliquam adfertur, atque

dubia eſt, ac theſis probanda. E. gr. Si humanitatis litteras ideo ſpernendas eſſe dixeris, quia non pertineant ad eruditionis ſcientiarumque circum, committis fallaciam petitionis principii. 5) *Fallacia conſequentis*, cum ex eo, quod iam praeſtructum eſt, quid colligis, quod inde non ſequitur. E. gr. WOLFIVS in exſilium eiectus eſt, E. philoſophia Wolfiana eſt abſurda periculique plena. 6) *Fallacia non cauſſae, ut cauſſae*, cum quid cauſſa eſſe dicitur, quod quiduis potius, quam cauſſa rei, putari debebat. E. gr. *Peſſimi Athei ſemper fuere acutiſſimi philoſophi, E. Philoſophia eſt cauſſa Atheiſmi.* 7) His omnibus additur *fallacia plurium interrogationum*, quando plura quaeſita in uno ita commiſcentur, ut, niſi capi uelis et illudi, reſpondere non poſſis. E. gr. Deſiiſtine furari? aut: Caſtitas et ebrietas ſuntne uitium, an uirtus?

CAP. III.

De Veritate certa.

§ 156.

Notione ueritatis diſtinctius euoluta, ad uarias ueritatis ſpecies exponendas accedamus. Eſt autem omne uerum falſumue nobis uel *certo* uerum falſumque, uel propius ad ueri ſimilitudinem accedit, quod dicitur *probabiliter* uerum. De qua ueritatis diuiſione nunc diſtributius commentabimur.

§ 157.

Cum conuenientiam uel repugnantiam ſubiecti et praedicati in propoſitione aliqua tam diſtincte perſpicio, ut, quae huic propoſitioni contraria ſunt et oppoſita, locum inuenire non poſſe intelligam, tum de ueritate uel falſitate propoſitionis certus

certus ſum. Vt adeo cognitio mea ueritatis certa ſit, cum fuerit eiuſmodi, ut ab omni formidine oppoſiti libera ſit et immunis. *Incertitudo* ſe habet oppoſita ratione.

E. gr. Haec propoſitio: *ego ſcribo*, nunc mihi *certo* uera eſt, neque enim uereor, ne propoſitio, huic oppoſita, *ego non ſcribo*, eodem tempore ſit etiam uera.

§ 158.

Quandoquidem diſtinctius alius, alius uero minus ſufficienter diſtincteque ſubiecti praedicatique connexionem in propoſitionibus perſpicit, mirum non eſt, unam eandemque propoſitionem alteri poſſe eſſe *certo* ueram, alteri incertam.

Omne quidem id, quod uerum eſt, *in ſe certo* uerum eſt, quia non ſimul poteſt eſſe falſum, ſed non omne id, quod uerum eſt, ideo etiam *nobis certo* uerum eſt. Quare dudum ueteres diſtinxerunt inter certitudinem *obiectiuam* et *ſubiectiuam*. Sumamus hanc propoſitionem: *Hic mundus eſt optimus.* Hoc enunciatum ſi uerum eſt, certo eſt uerum, *certitudine* ſcilicet *obiectiua*, (non poteſt enim ſimul eſſe falſum) at CAIO poteſt haec propoſitio adhuc incerta uideri.

§ 159.

Duplex eſt uia ad omnem certitudinem, *experientia* ſcilicet, et *ratio* ſiue *demonſtratio*. De experientia ergo primum, deinde de demonſtratione enucleatius diſputabimus.

§ 160.

Experientiam uocamus cognitionem, quae acquiritur attendendo ad res, ſenſibus obuias.

Sic e. gr. per experientiam nouimus, ignem calefacere. Non enim meditando aut longo ratiociniorum an-

fractu propositionis huius ueritatem indagasti, sed suus quemque sensus id condocet.

§ 161.

Quae de experientia notanda sunt, his continentur propositionibus.

I. Quia omnis sensio siue perceptio nostra uel *interna* est, uel *externa*, intelligitur, quid sit, quod experientia in internam et externam dispescatur.

II. Cum nonnulla, quae adminiculo sensuum eruditus nouit, uulgus itidem percipiat, alia uero nonnisi ab eruditis, ope experimentorum, obseruentur, patet, *experientiam recte diuidi in uulgarem siue communem, et eruditam siue artificialem.*

Experientia uulgaris cum eruditos, tum inficetam plebem docet, *ignem esse calidum*, at, *aerem esse grauem*, non nisi eruditi, experimentis uariis institutis, exploratum habent.

III. Ea tantum, quae existunt, experimur, atque adeo res indiuiduae, propositionesque singulares tantum sunt obiectum experientiae. Quum enim experientia sensione efficiatur (*per def. experientiae*), praeter id autem, quod existit, nihil in sensus cadat, lucide apparet, nos ea tantum experiri, quae existunt.

IV. Qui ergo, ad propositionem quandam probandam, experientiam in subsidium uocat, is, necesse est, casum quendam singularem adferat.

V. Ex

V. Ex quo manifeſtum eſt, eos grauiter errare, qui id ſenſibus percepiſſe putant, et pro experientia uenditant, quod nunquam ſenſerunt, ſed uel ratiociniis ex experientia demum deduxerunt, uel quod per imaginationem ipſis aliunde ſuccurrit. Quem errorem in experiundo qui committunt, dicuntur committere *uitium ſubreptionis*, quod conſiſtit in eo, ſi nobis quid uidemur experientia et ſenſione percipere, quod minime experimur.

Per experientiam tantum cognoſcimus ſingularia, ſiue ea, quae reuera exiſtunt, et ſenſus adficiunt. Si itaque ratiocinationes noſtras, quas ex iis, quae, experientiae ope, ſenſimus, conficere ſolemus, aut foetus imaginationis noſtrae pro ipſa experientia habemus, in hoc uitium incidimus. Sic e. gr. per experientiam deprehendimus, quod, ad animae noſtrae decretum et uoluntatem, ſequi ſoleat motus quidam in corpore. Experiris et ſentis, quod pes manusque moueantur, ſi anima uelit, haec membra moueri. Experiris et ſentis, quod lingua moueatur, ſi anima uelit, eam moueri. At id nec tu, nec quisquam eruditorum unquam, experientiae ope, ſenſit, hunc motum ab animae uoluntate tanquam cauſſa efficiente, oriri. Sed id demum ex iis, quae ſenſiſti, ratiocinando colligis. Qui itaque dicunt, ſe per experientiam edoctos eſſe, *quod anima moueat corporis noſtri membra*, hi uitium ſubreptionis committunt. Dici non poteſt, quam ſaepe hoc uitium imponat uel erudītiſſimis uiris, qui ex experientia ſe multa nouiſſe clamitant, quae uix alius quisquam experiri queat: Neque ſatis ſcio, an recte iudicem, ſi affirmem, plerasque, quae de ſpectris circumferuntur, fabulas ex hoc uitio eſſe coortas. Si ſtrepitum ſonumque, nocturno tempore, in aedibus audit anus quaedam, aut homo meticuloſus, colligit inde, hunc tumultum non poſſe, niſi a ſpectro,

excitari. Mox ergo ratiocinium, ad quod conficiendum metu inducebatur, pro ipſa ſenſione et experientia habet, atque, ſe audiſſe ſpectri tumultus, audacter affirmat. En! incunabula tot terriculamentorum, tot ſpectrorum. Illud addo, eos fere omnes, qui in ſacris, noſtra aetate, noua moliuntur, ſolo *ſubreptionis uitio* ad infauſtos ridiculosque conatus deduci, quod ſatis illis erit perſpicuum, qui hiſtoriae ſacrae non ſunt ignari.

§ 162.

Quandoquidem ſenſione experientiaeque adminiculo certam rerum cognitionem nobis acquirimus, peropus eſt, ut hic cautiones quaſdam ſubnectamus, in uſu ſenſuum perutiles.

§ 163.

Identidem quaeſtio in medium prolata eſt: *Num ſenſus nos fallant*, numque, ſi fallunt, uiam ad certam minusque dubiam cognitionem muniant. De quo ut recte poſſis ſtatuere, ſequentes poſitiones teneto:

I. Senſus, poſitis omnibus ad ſentiendum requiſitis, nos non fallunt, ſi fallere idem eſt, ac falſum proponere et ſtatuere. Senſus enim, qua ſenſus, nec affirmant, nec negant.

Iudicia uero, nimis praecipitanter ex ſenſibus formata, identidem nos fallunt.

II. Si ſenſus ita adhibere uolueris, ut mens, ſecundum eos iudicans, minus fallatur, opus eſt, ut organa, quae uocant, ſenſoria ſint ſana, nulloque uitio laborent.

Ineptus

Ineptus igitur eſt ad iudicandum de coloribus, qui luſcus eſt, nec, qui febri laborat, aptus uidetur ad ſaporem huius illiusue cibi recte aeſtimandum.

III. Ne mens, ſecundum ſenſus iudicans, fallatur, ea, quae ſentimus, attentius paullo contemplari debemus. Quo acrius enim rei perceptae attenderis, hoc clarior fit perceptio (§ 32), hocque minus periculo errandi te exponis.

IV. Perutile quoque eſt, ut rem perceptam ad tot ſenſus redigas, ad quot redigi poteſt. Si enim pluribus ſenſibus unam eandemque rem perceperis, id obtinebis, ut idea rei perceptae euadat clarior (§ 32).

Regulam hanc ISAACVS ſequebatur, cum IACOBVM ab ESAVO ſenſione diſtinguere uellet. Manus IACOBI attingebat (*en tactum*)! Vocem IACOBI audiebat (*en auditum*)! Oſculabatur IACOBVM (*en guſtum*)! Et olfaciebat ueſtes ipſius (*en olfactum*)! Solus uiſus deerat. Fallebatur ISAACVS, at non ſenſibus, ſed iudicio, quod ex ſenſione, praecipitanter nimis, formabat. Hanc legem ſentiendi obſeruant quoque medici, qui medicinam uel aquam mineralem oblatam exploraturi, eam uiſui, olfactui et guſtui ſubiiciunt.

V. Denique, ne iudicium, quod ſenſibus ſtat, te fallat, opus eſt, ut iuſta adſit diſtantia organorum ſenſoriorum et rerum perceptarum.

§ 164.

His cautionibus circa ſenſiones experientiamque obſeruatis, facile nunc uia munietur ad ueritatem. Experientia formamus nobis cum ideas ſiue

notiones, tum iudicia et enunciationes. Notiones autem, experientia acquiſitae, nonniſi ſunt indiuiduales et ſingulares, iudiciaque, quae his notionibus, per experientiam formatis, nituntur, appellantur *intuitiua.*

E. gr. Si TITIVM uideris, tunc notio, quam, ope ſenſionis, de eo tibi formas, eſt indiuidualis ſiue ſingularis. Si TITIVM uideris ebrium, tunc iudicium, TITIVM *eſt ebrius*, eſt intuitiuum. Illud autem iudicium, quod per ratiocinium ex iudicio intuitiuo elicitur, dici ſolet *iudicium diſcurſiuum* ſiue *dianoëticum.* E. gr. TITIVS *eſt ebrius*, ex alio, quod memoria tibi ſuggerit, *ebrius non eſt mentis compos*, tertium elicis, TITIVS *non eſt mentis compos.* Hoc tertium iudicium dicimus iudicium *diſcurſiuum*, ſiue *dianoëticum.*

§ 165.

Quamuis et notiones et iudicia, per experientiam formata, ſint ſingularia, notiones tamen ſingulares in uniuerſales poſſunt mutari, ipſiusque adeo experientiae ſenſionumque ope, peruenimus ad notiones diſtinctas uniuerſales ſiue definitiones.

Dici non poteſt, quanti interſit ad emendandam acuendamque iuuenum intelligendi uim, ut perſpicue ipſis tradatur uia et ratio, a poſteriori ſiue per experientiam notiones uniuerſales diſtinctas ſiue definitiones efformandi. Omnibus, qui iuuentutem ad humanitatem erudiunt, auctor ſuaſorque exſtiterim, ut eos, quos docent, in definitionibus conficiendis nauiter exerceant.

§ 166.

Ad quod obtinendum multum adferunt adiumenti hae regulae:

I. Tot

I. Tot fac iudicia intuitiua, quot in re percepta diſtinguis.

II. Omitte praedicata, quae uocant, accidentalia, ſiue, quae rei non conſtanter inſunt.

III. Praedicata, quae in omni caſu non eadem ſunt, a particularibus determinationibus libera.

IV. Facilius ſuccedet tibi negotium, ſi plura exempla inter ſe contuleris, atque ſolicite attenderis, in quo exempla perpetuo conueniant, in quo item a ſe inuicem differant.

Regulae hae lucem deſiderant. Quare exemplum perquam luculentum addam, ex quo intelligi queat, quam inire debeas rationem, a poſteriori ſiue per experientiam notiones formandi. Fac, te uelle ſcire, quid ſit, *laudare alterum*, et quid *laus* ſit. Hic ergo ad caſum quempiam indiuiduum ſiue ſingularem attendas, in quo alter alterum laudare dicitur. Ponas ergo, CAIVM in ſcripto, a ſe edito, narrare, quod TITIVS ſit eruditus, modeſtus, perſpicuus, pius etc. Hic CAIVS laudat TITIVM. Tot itaque fac iudicia intuitiua, quot caſus praeſens tibi ſuppeditat.

I. CAIVS narrat.

II. CAIVS narrat in ſcripto quodam.

III. CAIVS narrat, quod TITIVS ſit doctus.

IV. CAIVS narrat, quod TITIVS ſit modeſtus.

V. CAIVS narrat, quod TITIVS ſit perſpicuus.

VI. CAIVS narrat, quod TITIVS ſit pius.

Si ex hoc caſu uis cognoſcere, quid ſit *laudare alterum*, difficulter id fiet, α) quia hic adſunt multa peregrina et accidentalia, quae *ad τὸ laudare alterum* non pertinent. β) Quia ea, quae notionem laudis efficiunt,

ciunt, multis adhuc determinationibus particularibus sunt inuoluta, quae ab iis abesse debent.

Vt igitur intelligas, quaenam hic sint peregrina et accidentalia, et quaenam sint determinationes particulares, in memoriam tibi reuoca alium casum, quo alterum ab altero laudatum fuisse percepisti. Fingamus, parentem, praesente filio, narrare, quod filius ingenio excellenti gaudeat, item, quod sit obediens, diligens item, ac bonus poeta. Hic casus sequentia tibi sistit iudicia intuitiua.

I. Parens narrat.

II. Parens narrat, praesente filio.

III. Parens narrat, quod filius gaudeat ingenio excellenti.

IV. Parens narrat, quod filius sit obediens.

V. Parens narrat, quod filius sit diligens.

VI. Parens narrat, quod filius sit bonus poeta.

Quod si hos duos casus inter se confers, intelliges, 1) CAIVM, 2) *scriptum* CAII, 3) TITIVM in priori casu indiuiduo esse peregrina, quae non ad notionem *laudis* constituendam pertinent, quia in altero casu non adsunt. Intelligis item, in posteriori casu non necessarium esse, ut adsit α) *parens*, β) *filius praesens*, γ) ut *filius* sit *praecise obediens* et *bonus poeta*. Hinc haec omnia, quia sunt praedicata accidentalia, notionem laudis generaliorem non constituunt. Sed τὸ *narrare* est utrique casui commune, item in utroque casu narrantur *perfectiones*, quae sunt pietas, diligentia, eruditio item, perspicuitas, cetera. Has enim animi dotes uoce, quae latius pateat, si enunciare uolunt philosophi, uocabulo *perfectionis* uti consueuerunt.

Perutiliter iuuenes, qui in scholis Gymnasiisue ad humanitatem informantur, hoc exercitationis genere subiguntur, si ipsis plura proponuntur exempla, ratioque definitionis formandae ab iis, quibus docendi partes sunt commissae, distinctius explicatur.

Iube

Iube tuos, ut hoc utar, definitionem *Satyrae*, *ornatus*, aliarumque rerum, quas nondum distincte norunt, formare. Intelliges, minus difficultatum, quam opinatus fueras, tibi occurrere. Ipsum autem laborem, quem eruendis notionibus distinctis impendis, incredibili compensari uoluptate, senties. Repetantur ea, quae supra de ideis distinctis disputauimus.

§ 167.

Hactenus de experientia. Sequitur, ut de *demonstratione*, tanquam altero ueritatis certae fonte, pauca adferamus. *Demonstrationem* uocamus connexionem ratiociniorum, in quibus nullae praemissae, nisi certae, admittuntur, siue *demonstratio* est probatio theseos siue propositionis alicuius, certis et indubitatis principiis nixa.

E. gr. Propositio demonstranda haec esto: *Ens simplex omni caret magnitudine.* Demonstratio huius enunciationis hunc fere in modum conficietur. 1) *Quicquid caret partibus, etiam caret multitudine partium.* 2) *Ens simplex caret partibus.* 3) *E. etiam multitudine partium.* 4) *Quicquid caret multitudine partium, caret magnitudine.* 5) Ens simplex caret multitudine partium (*per propos.* 3). E. caret magnitudine. Propositio prima est *axioma*. Secunda enunciatio est *definitio entis simplicis*. Quarta definitio est *magnitudinis*. Ex his enunciationibus, tanquam principiis certis, conficitur demonstratio huius propositionis. *Ens simplex caret magnitudine.*

§ 168.

Ea omnia, quae de demonstratione iuuenibus tradi debent, paucis his complectemur positionibus.

I. Non omnis probatio enunciationis cuiusdam dici haberique potest demonstratio,

quam-

quamuis omnis demonſtratio ſit probatio. Fit nonnunquam, ut ad ſtabiliendam theſin quandam eiuſmodi adferantur enunciationes, in quibus parum aut omnino nihil eſt roboris. Quod probationis genus cum ſit debile et ſine neruis, demonſtratio autem eiuſmodi fulciatur fundamentis, quae nulla ratione poſſunt conuelli, intelligitur, quiduis potius, quam demonſtrationes, infirmas illas probationes dici poſſe.

II. *Principia demonſtrandi* omnes illae uocantur propoſitiones, quibus, tanquam fulcris ſuis, nititur demonſtratio. Huc pertinent definitiones, axiomata, experientiae, poſtulata, aliae item propoſitiones, quae iam demonſtratae ſunt.

III. Cum propoſitio demonſtranda deducitur ex axiomatibus, notionibus communibus, et definitionibus, tum eam *a priori demonſtrare* diceris, ad ubi enunciatio experientia ſenſibusque corroboratur, *demonſtratio* dicitur *a poſteriori*.

Alii ita: *Demonſtratio a priori* eſt illa probatio, qua effectum ex ſua cauſſa demonſtro, *a poſteriori*, cum cauſſam ex effectu probo.

E. gr. Propoſitio: *ens ſimplex caret magnitudine*, ex definitione *magnitudinis* et *entis ſimplicis*, itemque axiomatibus nonnullis uim ſuam et robur accipit, adeoque demonſtratur *a priori*. At haec: *Exiſtit Deus*, ex mundi exiſtentia, tanquam ex effectu, demonſtratur, atque adeo *a poſteriori*.

IV. Demonſtrandi modus, ubi ex notione ſubiecti colligitur, praedicatum eidem con-

conuenire, dicitur *demonſtratio directa* ſiue *oſtenſiua*, at, cum enunciationem falſam, propoſitioni demonſtrandae oppoſitam, tanquam ueram ſumis, et inde, ratiociniorum nexu, deducis concluſionem abſonam, *demonſtratio* dicitur *indirecta*, ſiue *apagogica*, *deductio* item *ad abſurdum* uel *impoſſibile*.

Quod ut plenius poſſit intelligi, exempla utriusque demonſtrationis ſuppeditabimus. Sic e. gr. ſi hanc enunciationem: *nemo eſt honoris capax, niſi uirtuti deditus*, demonſtrare uis, oſtenſiua ſiue directa demonſtratione uti poteris. Ex ipſa enim *honoris* natura et indole poteris colligere, eum non poſſe, niſi in uirtutis cultorem, cadere. At ſi hoc enunciatum, *Deus eſt aeternus*, demonſtras, *apagogica* ſiue *indirecta demonſtratione* illud, hoc fere modo, poteris communire. *Fac, Deum non eſſe aeternum, tum habebit exiſtendi initium. Atque adeo aut ab alio erit productus, aut ſemet ipſe produxit. Sin illud: tum Deus eſt res creata, non Deus. Si hoc: tum exſtitit, et non exſtitit ſimul. Exſtitit, quia ſe produxit. Non exſtitit, quia adhuc fuit producendus. Vtrumque eſt abſonum. Ergo propoſitio oppoſita: Deus eſt aeternus, debet eſſe uera.*

V. Cum in demonſtratione enunciationes ita connectis, ut inde a principiis, quae fundamenti loco praefulciuntur, progrediaris et deſcendas ad propoſitionem demonſtrandam, tum *demonſtratio* dicitur *ſynthetica*, at, ſi a propoſitione demonſtranda ordiris, eandemque in ſua, ex quibus componitur, principia reſoluis, exſurgit inde *demonſtratio analytica*.

Ne quid obſcuri irrepat hic, exemplis, quae dicta ſunt, illuſtrabimus. Eſto haec propoſitio demonſtranda:

Ad

Ad alios amandos ſumus obligati. Hanc enunciationem et *ſynthetice* et *analytice* demonſtrabimus.

Demonſtratio ſynthetica.

I. *Quicunque obligatus eſt ad aliorum ſtatum perfectiorem reddendum, ille quoque obligatus eſt ad id, ut uoluptatem ex aliorum perfectionibus capiat.*

Atqui nos ſumus obligati ad aliorum ſtatum reddendum perfectiorem.

E. obligati quoque ſumus ad id, ut uoluptatem capiamus ex aliorum perfectionibus.

Maior propoſitio eſt *axioma.* *Minor* continetur primo principio iuris naturae.

II. *Quicunque obligatus eſt ad id, ut ex aliorum perfectionibus uoluptatem capiat, ille eſt obligatus ad alios amandos.*

Atqui nos ſumus obligati ad id, ut ex aliorum perfectionibus uoluptatem capiamus.

E. obligati ſumus ad alios amandos.

Maior eſt definitio *amoris.* *Minor* iam ſyllogiſmo praecedenti demonſtrata eſt. *En demonſtrationem ſyntheticam!* Progrederis enim hic a principiis ad propoſitionem demonſtrandam.

Demonſtratio analytica.

I. *Quicunque obligatus eſt ad id, ut ex aliorum perfectionibus uoluptatem capiat, ille eſt obligatus ad alios amandos.*

Atqui nos ſumus obligati ad uoluptatem ex aliorum perfectionibus capiendam.

E. ſumus obligati ad alios amandos.

Minoris probatio.

II. *Quicunque obligatus eſt ad aliorum ſtatum perfectiorem reddendum, ille obligatus eſt ad uoluptatem ex aliorum perfectionibus capiendam.*

Atqui nos ſumus obligati ad aliorum ſtatum perfectiorem reddendum.

E. ſumus

E. ſumus obligati ad uoluptatem ex aliorum perfectionibus capiendam.

Vides, hic a propoſitione demonſtranda nos progredi uſque ad eius prima principia, quod eſt *analytice demonſtrare.*

VI. In omni demonſtratione haec cautio atque prouiſio eſt adhibenda, ne *circulum*, quem uocant, in demonſtrando committamus. Quod fit, cum propoſitionem A probamus per propoſitionem B, et propoſitionem B rurſus per propoſitionem A. Quo ipſo in orbem quaſi redit demonſtratio.

E. gr. Qui ex eo, quod animus humanus *cogitet*, probant, ipſum eſſe ens *ſimplex*, et ab omni concretione ſegregatum, hanc autem propoſitionem, *Anima humana eſt ens ſimplex*, ex eo probant, quia *cogitat*, circulum committunt. Vid. *philoſophia noſtra recens controuerſa p. 333.*

VII. Denique obſerues, uelim, omnia ea, quae legitime demonſtrata ſunt, eſſe certo uera. Nituntur enim propoſitiones, legitime demonſtratae, eiuſmodi fulcris, quae conuelli non poſſunt, experientiis ſcilicet, definitionibus, axiomatibus. Ex his ergo ſi, nexu legitimo, deducuntur, non poſſunt non eſſe tam certae, quam ſunt ipſa principia, quibus ſuperſtruuntur.

CAP. IV.

De Veritate probabili.

§ 169.

Quemadmodum hactenus ea, quae ad certam cognitionem ſpectant, explicauimus; ita nunc

nunc ordo nos deducit ad id, quod certo opponitur. Fit ſcilicet perſaepe, ut uix pauca, quae ad rem plene perſpiciendam pertinent, perſpecta habeamus, neque adeo id, quod cognoſcimus, ita ad liquidum perducatur, ut nullus ſcrupulus in animo reſideat. Quo in caſu *ueritatem probabiliter* cognoſcere dicimur. *Propoſitio* ergo *probabilis* illa eſt, in qua praedicatum ſubiecto tribuitur ob quaedam tantum requiſita ueritatis, et probabiliter iudicare dicimur, cum a quibuſdam ad ueritatem requiſitis ſiue a nonnullis circumſtantiis ad rei exiſtentiam concludimus.

E. gr. Mille numi aurei ex ſcrinio, in muſeo meo, ablati ſunt. SEMPRONIVM furem eſſe, probabiliter iudico. Rationes, quae me ad ipſum accuſandum mouent, hae fere ſunt.

1) SEMPRONIVS iamdudum apud omnes male audit ob manus rapaces.

2) Nemo in muſeo fuit, niſi mecum SEMPRONIVS.

3) SEMPRONIVM quosdam numos aureos, poſt furtum commiſſum, oſtentaſſe, narrant amici.

4) SEMPRONIVS, de furto interrogatus, exalbeſcit, et pudore ſuffuſus, ſubtimide reſpondet.

5) Claues adulterinas, limas, et ferramenta, quae furibus uſui ſunt, ſecum gerit.

Vide, quam multa adſint, quae poſſint efficere, ut, SEMPRONIVM furto numos abſtuliſſe, mihi perſuadeam. At omnes hae, quas adduxi, rationes non, niſi ueri ſimilitudinem et coniecturam, pariunt, quae cum formidine oppoſiti coniuncta eſt. Multa enim deſunt ad id, ut certo ſciam, SEMPRONIVM *numos ſuffuratum eſſe.*

CICERO in elegantiſſima illa oratione, qua cauſſam Milonis perorauit, probaturus, CLODIVM *Miloni inſidias*

dias collocaſſe, et, iter ad caedem faciendam apparaſſe, nonnullas περιστάσεις et rationes adducit, ex quibus ueri ſimillimum fit, CLODIVM eſſe latronem.

1) CLODIVS aperte dixerat, occidendum eſſe Milonem.

2) Cum iter ſolenne, legitimum, neceſſarium, Miloni Lanuuium eſſet ſuſcipiendum, CLODIVS ſubito pridie ipſe Roma profectus eſt, idque ea uia, qua profecturum eſſe Milonem, iam ante nouerat.

3) Seruos ſuos cum telis ante fundum ſuum collocarat.

4) Proficiſcebatur CLODIVS expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus, ut alias ſolebat, ſine uxore, quod nunquam fere.

Ex his circumſtantiis et ſenſionibus conficit illud, ſed probabiliter, CLODIVM animo occidendi Milonem iter illud ſuſcepiſſe. Vid. *Oratio pro Milone Cap. X.* Cel. HOLLMANNVS *probabile eſſe, probat, dari reuelationem diuinam.* Vid. *eiusd. liber* **von Gott und der Schrift** p. 288.

§ 170.

Quae ad plenius perſpiciendam cognitionis probabilis naturam et indolem pertinent, ea his iuuat complecti poſitionibus.

I. Quemadmodum *probabile* illud eſſe diximus, ubi adſunt nonnulla ueritatis requiſita, ſiue circumſtantiae quaedam et rationes, ex quibus colligas, aliquid uel eſſe, uel fuiſſe, uel futurum eſſe; ita *improbabile* id eſſe recte dixeris, ubi rationes ex contraria parte fortiores ſunt, et eiusmodi circumſtantiae occurrunt, quae propoſitioni repugnant.

Negat e. gr. LIVIVS, probabile esse, a Pythagora, tanquam fonte, primum, idque Numa imperante, profluxisse in gentem Romanam sapientiae humanae doctrinaeque ubertatem et copiam. Rationes, quas adducit, hae sunt. α) Pythagoras non fuit eiusdem aetatis, sed centum amplius post annos in ultima Italiae ora, iuuenum, aemulantium studia, coetus habuit. β) Etsi eiusdem fuisset aetatis, quo linguae commercio quemquam Sabinorum ad discendi cupiditatem exciuisset? γ) Quo praesidio unus per tot gentes dissonas sermone moribusque peruenisset. Vid. LIV. *Lib. I. c. 18.* Conf. CIC. *Tusc. Quaest. lib. IV c. 1.*

II. Hoc probabilior est unaquaeque propositio, quo plures adsunt περιστάσεις siue circumstantiae et sensiones, quae eidem ueri speciem conciliant.

Pluris, quam quisquam opinatus fuerit, persaepe interest ad felicitatem humanam, gradus probabilitatis rite definiri, ut adeo dudum eruditi *Logicam Probabilium*, quam WOLFIVS promisit, magnis desideriis expetierint.

III. Caue, existimes, id omne esse probabile, quod est possibile.

Cautio haec, si quando, in spe certe metuue perquam est necessaria. Constat enim, complures homines peruerse, ne dicam, stolide ea saepenumero sperare uel metuere, quae possunt accidere, sed ueri ad similitudinem non accedunt.

IV. Quicquid uero est probabile, idem esse possibile, ex his lucide apparet.

§ 171.

Syllogismum *probabilem* dicimus eum, in quo uel utraque, uel alterutra, praemissarum est propositio probabilis.

E. gr.

E. g. Veri ſimilitudinem, non ἀπόδειξιν, parit argumentatio illa, quam, a gentium conſenſu deſumtam, adferunt quidam, exiſtentiam Dei probaturi. Ita enim rationes conficiunt:

Quicquid omnes gentes dicunt, illud eſt uerum,
Atqui omnes gentes dicunt, eſſe Deum, E.
Verum eſt, eſſe Deum.

Neque maior, neque minor propoſitio certa eſt, ſed probabilis. CICERO huic argumento multum tribuit: *Firmiſſimum hoc*, inquit, *aſſerri uidetur, cur Deos eſſe credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam immanis eſt, cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Tuſc. Quaeſt. lib. 1.* Et SENECA: *Apud nos argumentum ueritatis eſt, aliquid omnibus uideri. Ep. 117.*

Syllogiſmum probabilem dicunt nonnulli quoque *dialecticum*, item *topicum*. Loci enim topici erant apud ueteres argumentationum probabilium quaſi promi condi. De quibus eruditi in utramque partem exiſtimarunt. Qui meditari rite et ex ordinis legibus nouit, facile carebit locorum, quos uocant, topicorum artificio.

§ 172.

Variae ſunt probabilitatis ſpecies. Alia probabilitas eſt *hiſtorica*, alia *phyſica*, *hermeneutica* alia, alia *politica*, alia denique *practica*. De quibus diſtributius nunc exponemus.

§ 173.

Quandoquidem mentis humanae uires ſuis, exiguis ſane, limitibus ſunt definitae, neque adeo ipſi omnia, uel experientiae propriae, uel rationis ope, cognoſcere poſſumus, opus eſt, ut multa etiam, quae alii ſunt experti, ſenſibusque uſurparunt, et ab iis referuntur, credamus.

§ 174.

Eſt autem *credere* nihil aliud, quam aſſenſum propoſitioni cuipiam dare, ob teſtimonium alterius. Et hic ipſe aſſenſus dicitur *Fides* (*philoſophica*).

§ 175.

Fieri poteſt, et fit ſaepenumero, ut ii, qui, quidpiam factum eſſe, narrant, uel ob ignorantiam dexteritatisque defectum poſſint, uel ob malitiam uelint nos in fraudem inducere, falſumque pro uero obtrudere.

Cautiones ergo quaedam tradantur neceſſe eſt, doceaturque, quidnam ſit probabiliter uerum, quidnam probabiliter falſum in hiſtoriis ſiue factis narrandis. Quare regulas *probabilitatis hiſtoricae*, in qua, fundamenti loco, ſubſternitur auctoritas teſtis, ſtrictim percenſebimus.

§ 176.

In omni itaque fide humana, et probabilitate adeo hiſtorica, attendas uelim ad ſequentes circumſtantias. I. Ad *teſtem*, ſiue eum, qui factum narrat. II. Ad *rem ipſam*, quae narratur. III. Ad *modum narrandi*. De ſingulis ſigillatim.

§ 177.

Non eadem eſt teſtium auctoritas. Atque adeo horum diuerſitas attendenda eſt. Conſpicitur autem ea 1) *ratione intellectus*, 2) *ratione uoluntatis*, 3) *ratione denique ſenſuum*.

§ 178.

Ratione intellectus teſtes ſunt uel perſpicaciores, prudentes, et iudicandi dote inſtructi, uel

uel ſunt obtuſiores, ſimplices, et de faece plebis.

§ 179.

Ratione uoluntatis ſunt teſtes uel probi incorruptique, qui, neutri parti addicti, amoris odiique cauſſas procul faceſſere iubent, uel partium ſtudio praepediuntur, quo minus uerum dicant.

§ 180.

Ratione denique *ſenſuum* teſtes ſunt uel oculati, ſiue *αὐτόπται*, qui factum coram intuiti ſunt, uel ſunt auriti, qui, rem quampiam eueniſſe, ab aliis acceperunt. Atque hi teſtes auriti ſunt uel *coaeui*, id eſt, eo tempore uixerunt, quo factum aliquod euenit, uel ſunt *recentiores*, qui, quicquid narrant, a coaeuis acceperunt.

§ 181.

Ex his ita praeſtructis, facile nunc leges probabilitatis hiſtoricae intelliges, quas ſequentibus poſitionibus complecti iuuat.

I. Viri perſpicacis prudentisque teſtimonium eſt probabilius, quam hominis rudioris et obtuſi, ſi ea narrantur, quae pluſculum attentionis iudiciique requirunt.

Si e. gr. phyſicus uel mathematicus, isque iudicii ſpectati, phaenomenon naturae recenſet, tum huius uiri teſtimonium propius fidem eſt, quam inficeti uulgi, quod ea, quae uel in coelo conſpiciuntur, uel in naturae regno eueniunt, parum attente conſiderat.

II. Sin autem facta narrantur, quae non niſi uſum ſenſuum, nec magnam adeo attentio-

nem poſtulant, teſtimonium hominis rudis et ſimplicis eandem meretur fidem, quam teſtimonium eruditi et prudentis, quin etiam nonnunquam maiorem, ſi ſcilicet partium ſtudium metuitur.

E. gr. Fuit caupo, qui militem, apud ſe diuerſantem, noctu interfecit. Cuius atrociſſimi facti teſtem neminem habuit, praeter filiolum, qui, in lecto iacens, putabatur dormire. Hic, poſt aliquod tempus, pueris, cum quibus ludit, rem narrat, ut geſta eſt, neque quicquam inde uel ſibi, uel parenti timet. Putasne, in pueri huius teſtimonio uim ineſſe? Putauerim certe ego, maxime, ſi aliae plures accedunt περιστάσεις uel loci uel temporis, quae narrationi fidem conciliant.

III. Si quis partium ſtudio praepeditur, quo minus uerum uel uideat, uel dicat, facile intelligitur, eiuſmodi teſtis auctoritatem parum ualere apud prudentiores. Contra ea uiro, quem neutrarum partium eſſe, ex narrationis circumſtantiis colligimus, maior habenda eſt fides.

Vt uero ſcias, num teſtis ſtudio partium ſit corruptus, opus eſt, ut uel eius patriam, uel religionem, uel ſectam, uel familiam, cetera, perſpecta habeas. E. gr. TACITVS odio, quam ueritati, plus dediſſe putatur, cum de ueterum Germanorum moribus, habitu, religione et ſtudiis exponit. Romanus Romanis fauebat, quos, ſcimus, Germanis fuiſſe infeſtiſſimos. Quod idem partium ſtudium recte notatur hodie in Gallis, quos, cum de patria aut Germanis commentantur, ad amorem odiumque fere omnia, ad ueritatem uix pauca referre uideas.

VI. Teſtis oculati auctoritas plus ualet, quam teſtimonium teſtis auriti.

Quic-

Quicquid enim ex aliorum ſermone et per famam acceperis, id plerumque eſt eiusmodi, ut uerum raro ad liquidum perduci queat. Ita enim conſueuimus, ut, ſi quid alteri narramus, facile quid affingamus. Atque ita, quo latius ſpargitur fama, hoc plura accumulantur commenta. Fama enim uires acquirit eundo.

V. Quod teſtes coaeui narrant, tutius credes, quam quod ii, qui multo poſt uixerunt, referunt.

Thuano ergo Burnetoque uel ideo multum tribuendum eſſe, exiſtimant eruditi, quod eorum temporum, quibus uixit uterque, uiciſſitudines resque geſtas memoriae prodiderunt.

VI. Si idem, quod teſtis coaeuus, plures, eodem modo iisdemque circumſtantiis narrant, tum uero neſcio, an probabilitati teſtimonii, a coaeuo lati, addi quid poſſit.

VII. Si idem denique factum, eodem modo, a teſtibus, qui ad uerum dicendum iurisiurandi uinculo adſtringuntur, narratur, tum, quia omnes probabilitatis notae adſunt, facile adducimur, ut ei, quod narratur, aſſentiamur.

§ 182

Haec de teſtium auctoritate. Ad ea autem ipſa facta, quae narrantur, parem adferas attentionem, ſi in credendo falli nolis.

§ 183.

I. Si in facto, quod narratur, occurrunt quaedam, quae inter ἀδύνατα ſiue ea, quae fieri

non poſſunt, referenda ſunt, tum nulla adeſt probabilitas.

II. Si factum inſolitum et mirabile narratur, tum attendas, num id a pluribus, iisque prudentibus et probatae fidei uiris referatur, an ab unico teſte, eoque uel obtuſiori, aut ad fraudem acuto. Sin illud, facile ad credendum adduceris, ſi hoc, aſſenſionem tantiſper cohibebis, dum euidentiora certioraque documenta fidem tibi imperauerint.

§ 184.

In probabilitate hiſtorica *modus* quoque *narrandi* in cenſum uenit. De narrandi autem modo ſic habeto:

I. Quae hiſtorice, i. e. ſtilo preſſo, ſimplici et plano narrantur, ea propius ad ueri ſimilitudinem accedunt, quam quae dicendi genere oratorio aut poetico exponuntur.

In hiſtorica enim enarratione ſimplicia comparent omnia, ornatuque, tanquam ueſte, detracto, nuda. Quae uero, oratorum aut poetarum more, referuntur, in iis multum a ſimplicitate ingenua recedi, reperies, omniaque coloribus, ambitioſius conquiſitis, exornari uidebis, ita quidem, ut ueritas, multis pigmentis fucoque inani tecta, uix ac ne uix quidem conſpiciatur. Quae IVLIVS CAESAR, quae CORNELIVS, quae LIVIVS memoriae prodiderunt, ea maiorem merentur fidem, quam quae CVRTIVS, calamiſtrato nonnunquam et tumido ſcribendi genere uſus, de ALEXANDRO MAGNO commentatur. Recte LIVIVS in praefatione: *Quae, ante conditam condendamque urbem, poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis*

ruptis rerum gestarum monimentis traduntur, ea nec affirmare, nec refellere in animo est.

Duo sunt, quae hic monenda restant. α) Quae de probabilitate historica exposuimus, ad auctoritatem testimoniumque humanum pertinere uolumus. Quae enim testimonio diuino nituntur, sunt omni demonstratione certiora. β) Ex dictis intelligitur, facta tantum credi debere, non dogmata, quae non, nisi demonstratione, confirmanda sunt.

§ 185.

Haec de probabilitate historica. Ad hermeneuticae probabilitatis leges deuenimus. Est autem *probabilitas hermeneutica*, cum a quibusdam, in scripto auctoris obuiis, circumstantiis, e. gr. uerborum significatione, connexione, scriptoris item aetate, fine et affectu ad sensum scriptoris concludo.

Per sensum auctoris intelligimus illum conceptum scriptoris, quem per uerba in animis legentium et audientium scriptor uel loquens uult produci. *Interpretatio* est actus, quo eruimus sensum auctoris.

§ 186.

Ad sensum ergo auctoris facilius eruendum, permagni refert, has obseruari regulas probabilitatis hermeneuticae.

I. Qui sensum scriptoris eruere cupit, linguam, qua scriptor mentem suam explicauit, probe calleat, eiusdemque genium, et, quos uocant, idiotismos probe perspectos habeat.

Ex quo intelligitur, non posse non labi et errare eos, qui, scriptorem interpretaturi, translationibus siue uer-

ſionibus aliorum fidunt. Parum ergo in Theologia proficiunt, qui ſine linguae Hebraeae Graecaeue cognitione ad interpretanda oracula ſanctiora accedunt.

II. In interpretando ſcriptore attendas ad eius ſectam, affectum, munus, aetatem, ſcopum, cet.

III. In auctoris ergo, quem interpretaris, ſyſtema deſcendas, illumque diiudices ex notionibus domeſticis, neque eius uerba ſenſumque ex noſtris notionibus praeconceptisque opinionibus interpretemur.

Quam legem, ignorantia, incertum, an malitia, migrarunt noſtris temporibus complures, qui, WOLFII libros philoſophicos interpretaturi, non eas, quas determinauit in Syſtemate WOLFIVS, notiones in conſilium adhibuerunt, ſed ex ſuis conceptibus conceptus Wolfianos finxerunt.

IV. Cauendum eſt, ne ad interpretandum ſcriptorem adferas uel odium erga ſcriptorem, uel amorem, uel quascunque alias praeiudicatas opiniones.

Haud enim animus, teſte SALLVSTIO, uerum prouidet, ubi illa obſiciunt. *Bell. Cat. cap. 15.*

V. In interpretando ſcriptore uerborum ordo, ſententiarumque, apto nexu ſe excipientium, continuatio ſeriesque attendenda eſt, neque ea, quae cohaerent, diſtrahas et quaſi diſcerpas.

Dici non poteſt, quam ridiculae inde falſaeque interpretationes exiſtant, ſi interpretes ea diuellunt, de quibus, niſi contexas extrema cum primis, uere exiſtimari non poteſt.

VI. Loca

VI. Loca auctoris, quae uocant, parallela, conferenda ſunt inter ſe, et obſcuriora explicanda ex clarioribus.

VII. A ſenſu, qui uocatur, litterali et proprio ne temere diſcedas, neque quicquam improprie dici exiſtimes, niſi neceſſitas ratioque idonea alia ſuaſerit.

VIII. Mitior et benignior interpretatio eſt praeferenda odioſae, nec quisquam contradictionis temere eſt coarguendus.

Plures interpretationis regulas latius copioſiusque explicauit RAMBACHIVS *in inſtitut. Hermeneut.*

§ 187.

Sequitur, ut *probabilitatem phyſicam* exponamus, quae eſt, cum ex pluribus phaenomenis ſiue ſenſionibus concludimus ad cauſſam aliquam phyſicam ac modum, quo effectum producit.

Haec probabilitas phyſica locum habet in explicandis, e. gr. *aurorae borealis, electricitatis, fluxus et refluxus maris etc.* cauſſis.

§ 188

Hic ſequentes teneto regulas:

I. Cauſſam phaenomeni phyſici non indagabis facile, niſi omnia ea, quae phaenomenon illud conſtituunt, rite habueris explorata, experientiamque, regulis ſupra adlatis, conuenienter inſtitueris.

II. Omnes cauſſae, quae ad phaenomenon producendum adiumenti quid adferre potuerant

tuerant, sunt solicite inuestigandae et inter se conferendae.

III. Ex omnibus ergo caussis possibilibus eae probabiliter sunt uerae caussae, quae cum reliquis sensionibus et circumstantiis optime consentiunt.

§ 189.

Probabilitas politica in eo consistit, cum ex pluribus alicuius personae notis sensionibusque colligimus indolem animi.

Est haec probabilitas in cognoscendis pertentandisque hominum animis perquam utilis. Si e. gr. in amico tuo obseruas faciei hilaritatem, iocandi studium, inconstantiam, prodigalitatem, laborum fugam, cetera, tum ex his notis colligis probabiliter, esse ipsum uoluptuosum siue sanguineum, qui actiones suas huic regulae conformat: *quicquid iucundum est, sensusque suauius afficit, illud mihi bonum est, illudque appeto.*

§ 190.

Probabilitatem denique *practicam* eam dicimus, qua ex principiis physicis aut moralibus futurum aliquem praedicimus euentum.

Hac probabilitate utuntur uel inprimis uiri, qui, in aulis principum, rebus ciuilibus administrandis adhibentur. Hi enim rerum publicarum conuersiones sagacissime perspiciunt, futurasque uel belli uel pacis uicissitudines ex praesentibus augurantur, et ex similibus caussis exspectant similes euentus. De qua casuum similium exspectatione egi in commentatione de *fallaci casuum similium exspectatione.*

Pertinet huc argumentum, quod desumitur ab *analogia*, quodque inter argumenta probabilia recte refertur. Argumentamur hic a simili ad simile, quia similium similis

ſimilis eſt ratio. Vtuntur hoc argumento phyſici, cum *incolas planetarum dari, probant*. Ita enim illi: *Terra et planetae ſunt corpora ſolida, opaca, a ſole lumen mutuantia. Cum ergo terra incolis repleta ſit, quid obſtat*, quo minus globos reliquos coeleſtes, qui eiusdem ſunt naturae, habitari affirmemus.

§ 191.

Propoſitio, quae inſufficienter probatur, dicitur *opinio*. Opinionum autem aliae ſunt *probabiles*, aliae *improbabiles*, prout principia, quibus opinio nititur, uel ſunt probabilia, uel *precaria*, quae ſine omni ratione ſumuntur,

Hinc intelligas licet, ipſas quoque opiniones, licet ſint probabiles, poſſe eſſe falſas. Quamdiu enim opinio eſt opinio, tam diu inſufficienter probata eſt, adeoque nondum omnia ad ueritatem requiſita adſunt, neque rationes adſunt completae, quae efficiunt, ut praedicatum neceſſario tribuatur ſubiecto. Atque ita praedicatum poteſt quoque ſubiecto repugnare ob rationes, nobis nondum cognitas. Quo ipſo uides, propoſitionem probabilem et opinionem uериſimilem poſſe eſſe falſam.

CAP. V.

De Meditatione recte inſtituenda, et ueritate per eam inueſtiganda.

§ 192.

Cum hactenus et ueritatis Logicae naturam et uarias eiuſdem ſpecies diſputauerimus, proximum eſt, ut exponamus, qua ratione ueritatem inueſtigare et poſſimus et debeamus. Veritatis autem indagandae adiutrix cum *meditatio* diuinitus

nobis

nobis data ſit, quae ſit uis meditationis, nunc exponemus.

§ 193.

Meditari tum dicimur, cum cogitationes noſtras, bonae methodi legibus conuenienter, ita applicamus, et eo dirigimus, ut ueritates ex ueritatibus, notiones ſcilicet ex notionibus, propoſitiones ex propoſitionibus, eruamus, et *meditationem* dicimus cogitationum noſtrarum applicationem ad ueritatem inueſtigandam, bonae methodi legibus conuenienter.

§ 194.

Ex his definitionibus ſequentes deducimus poſitiones, ad meditationis naturam indolemue plenius intelligendam apprime facientes.

I. Meditatio et bona Methodus differunt fere, ut iter et uia.

II. Colligitur ex his, eos, qui legitime meditari uolunt, plures iam ueritates debere habere perſpectas. Quomodo enim ueritates ex ueritatibus, poſitiones ex poſitionibus erues, niſi iam ante notiones et poſitiones habueris cognitas.

III. Vides hinc rationem, cur tyrones, et ueritatum et bonae methodi ignari, nondum apti ſint ad meditandum.

IV. Praecipua lex in omni meditatione ſanciatur, ut principia certa et indubia, fundamenti loco, ſubſternantur. Poſtulat enim hoc bona methodus, ad cuius leges meditatio inſtituenda eſt. Vid. § 193 et 12.

V. Rem

V. Rem ergo, de qua meditaris, accurate definias, et terminos, qui occurrunt, distincte explices. Pertinent enim definitiones ad principia, quibus meditatio, methodi legibus conformata, suffulcitur. Vid. § 12.

Vt uero rei, quam meditando pertractas, definitionem condas, regulas tibi commendatas habeto, quas commendauimus § 166.

VI. Definitione rei, de qua meditaris, rite constituta, ea, quae in definitione occurrunt, denuo definias, secundum regulam supra § 55 suppeditatam.

VII. Ex definitione, quae meditationis fundamentum est, nouas elicias propositiones, siue formes axiomata. Sunt enim axiomata enunciationes, ex unica definitione deductae.

Quandoquidem axiomata sunt in meditando maximi usus. Paucis ostendemus, quomodo formari soleant axiomata. Hic ergo sic habeto. α) *Partem definitionis, genus nimirum aut differentiam specificam, omittas.* E. gr. Definitio *commiserationis* haec est: *Commiseratio est taedium ex alterius infelicitate perceptum.* Omitte genus, et emergent hae propositiones axiomaticae. 1) *Commiseratio supponit alterius infelicitatem.* 2) *Vbi est commiseratio, ibi debet repraesentari alterius infelicitas.* 3) *Quo maior est alterius infelicitas, quoque uiuidius eam tibi repraesentaueris, eo maior est commiseratio.* Omittas differentiam, et has habebis propositiones. (1) *Commiseratio est taedium.* (2) *Quicunque commiseratione afficitur, taedio afficitur.*

β) *Axioma emergit, si definitionem ita conuerteris, ut praedicatum in subiecti locum & subiectum in praedicati locum substituatur.* E. gr. *Quicquid est taedium, ex alterius infelicitate perceptum, illud est commiseratio, item: Vbicunque*

cunque locum habet taedium ex alterius infelicitate perceptum, ibi locum habet commiſeratio.

γ) *Axioma exiſtit, ſi definitionem affirmatiuam commutaueris in propoſitionem negatiuam aequipollentem.* E. gr. 1) *Vbicunque non adeſt taedium, ex alterius infelicitate perceptum, ibi non eſt commiſeratio.* 2) *Vbicunque non adeſt infelicitas, ibi non locum habet commiſeratio.* 3) *Quicunque non eſt capax taedii, ille non eſt capax commiſerationis.*

§ 195.

Eadem ratione eruuntur ex unica definitione *poſtulata*, quae ſunt propoſitiones practicae ex unica definitione deductae.

E. gr. E definitione *commiſerationis* hoc fluit poſtulatum: *Quicunque alterum ad commiſerationem uult excitare, ille debet alteri infelicitatem ſuam repraeſentare.*

§ 196.

Ex his axiomatibus et poſtulatis nouae exſurgent propoſitiones, quae facili negotio, ſine multo ratiociniorum anfractu, deducuntur, quaeque dicimus *conſectaria*.

E. gr. Si ex definitione *commiſerationis* hoc deduxiſti axioma: *Commiſeratio ſupponit alterius infelicitatem*, facile nunc elicies hoc conſectarium: *quicunque ergo felix eſt, non meretur commiſerationem.*

§ 197.

Si plures definitiones inter ſe contuleris, tum ex harum comparatione oritur propoſitio, in qua aliquid tantum affirmatur et negatur, et eſt mere theoretica, quae uocatur *theorema*.

Theorema itaque inuenturus duas uel plures ſumat definitiones, easque inter ſe conferat. Rem exemplo illu-

illuſtrabo. Prima definitio eſto: *Commiſeratio eſt taedium ex alterius infelicitate perceptum.* Altera haec: *Taedium eſt ſenſus imperfectionis.* Hinc Theorema: *In omni commiſeratione ineſt ſenſus imperfectionis. Demonſtr.* In omni taedio eſt ſenſus imperfectionis, (*per def. taedii*). In omni commiſeratione eſt taedium, (*per def. commiſ.*) E. in omni commiſeratione eſt ſenſus imperfectionis.

§ 198.

Cum *problema* ſit propoſitio practica demonſtrabilis, facile intelligitur, propoſitionem eiuſmodi eodem modo inueniri, quo theorema inueſtigatur. Duas ſcilicet pluresque definitiones inter ſe conferas, tum ex hac collatione prodibit propoſitio practica.

Sit Problema: *quicunque in altero uult commiſerationem excitare, debet in altero ciere ſenſum imperfectionis.* Haec propoſitio practica eruitur ex duabus definitionibus *commiſerationis et taedii.* Ad ſolutionem problematis feliciter inſtituendam requiritur, ut cauſſas et originem rei, quae produci debet, perſpicias.

Sit Problema: *commiſerationem in altero excitare.* Si noſti, quod commiſeratio oriatur ex repraeſentatione infelicitatis, tum facile problema ſoluetur. Commiſeratio oritur ex repraeſentatione infelicitatis, E. ſi commiſerationem in alio uel erga te, uel erga amicum tuum uis excitare, id age, ut alter infelicitatem uel tuam, uel amici ſciat, ſibique uiuidiſſime repraeſentet.

§ 199.

Vt uero haec, quae de meditatione inſtituenda diximus, accuratius intelligantur, exemplum meditationis ſuppeditabo, ex quo ſeries continuatioque cogitationum perſpici poteſt.

Fac, te uelle quid commentari de *Eloquentiae* natura et characteribus, ita ut, libris tantisper sepositis, omnia propria meditatione eruas, tum secundum meditationis bonaeque methodi regulas ita procedes.

(§ 1.)

Sollicitus esto de definitione eloquentiae secundum regulam § 194 n. 5 traditam. Definitionem autem et notionem distinctam eloquentiae facile tibi formabis, si casus speciales, in quibus quis eloquentia dicitur instructus, rite fueris contemplatus, eosdemque ita inter se contuleris, ut ex his, secundum regulas § 166 explicatas, notionem uniuersalem *eloquentiae* abstrahas. Prodibit autem, si regulis suppeditatis conuenienter meditatus fueris, haec definitio *eloquentiae*. *Eloquentia* est facultas pulchre loquendi.

(§ 2.)

Hac definitione *eloquentiae* praefulta, attendas ad notas et partes, quae in definitione eloquentiae occurrunt, eandemque constituunt, ui regulae § 55 expositae, adeoque explices, quid sit *pulchre loqui*. *Oratio* scilicet *pulchra* est, quae placet, et is *pulchre* loquitur, qui loquitur ita, ut placeat.

(§ 3.)

Ex his definitionibus deducas axiomata secundum § 194 n. 7. Fluunt autem ex definitione eloquentiae haec axiomata.

α) *Quicunque eloquentia est instructus, gaudet facultate pulchre loquendi.* β) *Ab eloquentia oratio pulchra seiungi non potest.* γ) *Qui non facultate pulchre loquendi est praeditus, non potest dici eloquens.* δ) *Qui ad eloquentiam peruenire uult, id agat, ut facultatem pulchre loquendi sibi acquirat.*

(§ 4.)

Ex definitione τῦ pulchre loqui siue *pulchrae orationis* haec elicies axiomata.

1) *Qui-*

1) Quicunque pulchre loquitur, orationem ita conformet, ut audientibus placeat. 2) Quaecunque oratio est apta ad placendum, ea est pulchra. 3) Nemo loquendo placere potest, nisi qui pulchre loquitur.

(§ 5.)

Si interiorem eloquentiae et orationis pulchrae, quae ab eloquentia seiungi non potest (§ 3), naturam penitius uis noscere, rursus definias ea, quae notionem *pulchri* constituunt. Hic occurrit τὸ *placere* (§ 2).

(§ 6.)

Illud *placet*, quod uoluptatem in nobis producit. Rursus explices, quid sit *uoluptas*. Voluptas est sensus perfectionis. *Perfectio* est consensus uariorum in uno.

(§ 7.)

Has definitiones ideo praemittas, ut exinde possint formari axiomata, subseruitura tibi in demonstranda orationis pulchrae, adeoque eloquentiae natura.

(§ 8.)

Axiomata autem praecipua, quae ex his definitionibus fluunt, sunt haec fere.

α) Sine uoluptate τὸ placere locum habere non potest. β) Nisi sentiuntur perfectiones, nulla oritur uoluptas. γ) Perfectionis sensus adeoque uoluptas esse non potest, nisi adsit perfectio. δ) Voluptas produci non potest, nisi perfectionis sensus producatur. ε) Ad id, ut in re quapiam insit perfectio, haec tria requiruntur, 1) PLVRA *siue uaria,* 2) CONSENSVS *uariorum,* 3) FINIS, *siue bonum quoddam, ad quod efficiendum impetrandumque uaria illa consentiant.*

(§ 9.)

Has definitiones si rite inter se contuleris, ex iis et axiomatibus sequentia emergent Theoremata.

THEOREMA I. *Quicquid pulchrum est, illud debet esse ad uoluptatem in nobis producendam aptum.*

DEMONSTRATIO. Pulchrum enim eſt, quod placet (§ 2): id autem placet, quod uoluptatem in nobis producit (§ 6). E. quicquid pulchrum eſt, illud debet ad uoluptatem in nobis producendam eſſe aptum.

THEOREMA II. *Fundamentum pulchritudinis eſt rei perfectio.*

DEMONSTRATIO. Pulchritudo enim debet ad uoluptatem in nobis producendam eſſe apta (*Theorema* I). Voluptas produci non poteſt, niſi perfectionis ſenſus producatur (§ 8 Axiom. 4). Perfectionis autem ſenſus nullus eſſe poteſt, niſi adſit perfectio (§ 8 Axiom. 3). E. fundamentum pulchritudinis eſt rei perfectio.

THEOREMA III. *Vt res pulchra ſit, non ſufficit, ut res gaudeat perfectionibus, ſed requiritur, ut ſentiantur perfectiones.*

DEMONSTRATIO. Niſi enim ſentiuntur perfectiones, nulla oritur uoluptas (§ 8 Axiom. 2); ſine uoluptate τὸ *placere*, adeoque etiam *pulchrum* (§ 2) locum habere non poteſt (§ 8 Axiom. 1). E. pulchritudo eſſe non poteſt, niſi ſentiantur perfectiones.

(§ 10.)

Ex quo nouum hoc oritur THEOREMA. *Vt aliqua res ſit pulchra, opus eſt, ut partes eius amico quodam conſenſu ad finem aliquem obtinendum referantur*, ſiue quod idem eſt, *conſenſus uariorum in re aliqua ad finem eſt fundamentum pulchritudinis.*

DEMONSTRATIO. Cum enim pulchritudinis fundamentum ſit rei perfectio (§ 9 Theorem. II); perfectio autem uariorum conſenſu ad finem aliquem obtinendum contineatur (§ 8 Axiom. 5): manifeſtum eſt, ad rei pulchritudinem requiri, tanquam fundamentum, uarietatis conſenſum.

(§ 11.)

Occaſione huius Theorematis occurrit tibi ad animum, eam partium, in re quapiam conuenientiam, quae
ad

ad totius rei finem consequendum relata est, uocari a philosophis *symmetriam* et *commensurationem*.

(§ 12.)

Vide ergo nouum THEOREMA. *Vt res aliqua pulchra sit, requiritur partium, ex quibus res constat, symmetria siue commensus.*

DEMONSTRATIO. Cum enim ad id, ut aliqua res pulchra sit, requiratur partium consensus amicus ad finem aliquem obtinendum (§ 10); haec ipsa autem partium conuenientia dicatur symmetria siue commensus (§ 11); intelligitur, ad id, ut res pulchra sit, requiri partium, ex quibus res constat, symmetriam siue commensum.

(§ 13.)

His ita constitutis, quae notionem *pulchri*, generatim considerati, efficiunt, nunc nullo negotio intelliges haec consectaria

CONSECT. I. Oratio pulchra debet ad sensus mentemque hominis uoluptate explendam esse accommodata (§ 9 Theorem. I).

CONSECT. II. Omnis orationis pulchrae fundamentum sunt eiusdem perfectiones (§ 9 Theorem. II).

CONSECT. III. In oratione itaque pulchra debent uaria, quae in oratione occurrunt, ita inter se concinere et conuenire, ut id, quod dicendo assequi uolumus, siue, quemadmodum philosophi loquuntur, ut orationis finem quam facillime obtineant (§ 10).

CONSECT. IV. Qui ergo perfectiones & pulchritudinem orationis nosse uel diiudicare uult, orationis finem, ad quem ea, quae loquimur, referri debent, perspectum habeat.

(§ 14.)

Hic succurrit tibi ex Logica AXIOMA illud: *quod ideo loquamur, ut alii nos intelligant, siue debemus esse in loquendo perspicui.*

(§ 15.)

Ex quo series continuatioque cogitationum hoc tibi suppeditat THEOREMA. *Oratio pulchra debet esse perspicua.*

DEMONSTRATIO. Cum enim ad orationem pulchram requiratur, ut ea omnia, quae in ipsa deprehenduntur, consentiant cum fine loquendi (§ 13 Consect. III); Finis autem loquendi, isque praecipuus sit, ut ab aliis, ad quos loquimur, intelligamur (§ 14); sequitur, ut in oratione pulchra debeat esse uerborum consensio cum audientium intelligentia, siue debeat esse perspicua.

(§ 16.)

Sponte se tibi nunc offerunt haec consectaria, quae Theorema praecedens partu quasi exclusit.

CONSECT. I. *Ergo oratio pulchra respuit uoces inanes, quibus nulla est subiecta sententia.* Voces enim, mente cassae, sunt eiusmodi, ut neque is, qui loquitur, conceptum siue cogitationem cum iis connectat, neque is, qui audit, coniungere notionem aliquam possit. Atque adeo, ut intelligantur, fieri nequit.

CONSECT. II. *E. Oratio pulchra nititur, tanquam fundamento, clara et distincta rerum enunciandarum cognitione.* Quomodo enim oratio pulchra esse posset perspicua, nisi coagmentata esset ex uocibus perspicuis, claris, euidentibusque. Quomodo uero uoces clarae esse queunt, nisi iis adhaereat idea clara et distincta?

CONSECT. III. *Orationis ergo pulchrae praesidia arcessi debent ex lautiori eruditionis apparatu, maxime ex philosophia.* Hac enim adiutrice, claram distinctamque rerum utilissimarum cognitionem nobis acquirimus.

(§ 17.)

Experientia teste, nouimus, nos, cum ad alios dicimus, id unum persaepe spectare, ut probemus aliis ea, quae dicimus, audientiumque animos ad credendum flectamus, siue ut *persuadeamus* aliis.

(§ 18.)

(§ 18.)

Vnde emergit, in cogitationum ordine, haec propositio.

THEOREMA. *Oratio pulchra debet esse ad persuadendum accommodata.*

DEMONSTRATIO. Cum, quae pulchra est oratio, talis esse non possit, nisi uaria, ex quibus conflatur oratio, cum fine loquendi consenserint (§ 13 Consect. III). Finis autem, ob quem ad alios loquimur, praeter perspicuitatem, sit is, ut efficiamus, ut, quae uera putamus, alii itidem habeant pro ueris, et contra, quod ipsum est *persuadere*, (§ 17); consequens est, ut oratio pulchra debeat esse ad persuadendum accommodata.

(§ 19.)

Hinc fluunt haec consectaria.

CONSECT. I. *E. in oratione pulchra omnia conquiri debent, quae ad attentionem auditorum conciliandam adferre possunt adiumenti.* Quia sine attentione non obtinetur persuasio.

CONSECT. II. *Ergo in oratione pulchra rationes idoneae adferendae sunt, quae mentem audientium ad assensionem flectunt.*

(§ 20.)

Ea omnia, quae orationi adiiciuntur, ut placeat, et uoluptati aurium morigeretur, eius constituunt *ornatum.*

(§ 21.)

En nouum THEOREMA: *Oratio pulchra debet esse ornata.*

DEMONSTRATIO. Cum enim oratio pulchra debeat placere (§ 4); consequens est, ut uaria sibi adiecta habeat, quae efficiunt, ut placeat. In quo cum sit eius *ornatus* positus (§ 20); intelligitur, orationem pulchram debere esse ornatam.

(§ 22.)

Hinc hoc fluit CONSECTARIVM. *E. in oratione pulchra plura uerba adhibentur, quam ad ueritatem nude proponendam requiruntur.*

(§ 23.)

Oratio, in qua plura uerba, quam ad ueritatem nude proponendam requiruntur, dicitur *copiosa.*

(§ 24.)

Nouum ergo ex his efficitur THEOREMA. *Oratio pulchra debet esse copiosa.*

DEMONSTRATIO. Cum enim in oratione pulchra plura uerba adhibeantur, quam ad ueritatem nude proponendam requiruntur (§ 22); ea autem oratio dicatur copiosa (§ 23); perspicuum est, orationem ornatam debere esse copiosam.

(§ 25.)

Cum ex § 12 tibi constet, orationem pulchram requirere aptam partium, ex quibus illa coagmentetur, symmetriam siue commensum, et ex § 16 Consect. I perspectum habeas, orationem pulchram respuere omnes uoces inanes, facile nunc intelligis:

α) *Inanem et uentosam loquacitatem ab oratione pulchra, licet sit copiosa, seiungendam esse, quia inanis loquacitas et tollit aptam partium symmetriam, et multas uoces, mente cassas, admiscet.* β) *Hinc uides, orationem pulchram debere esse concinnam.*

DEMONSTRATIO. Apta enim membrorum congruentia, qua omnes partes in ea, qua coaluerunt, orationis compage, cum quodam iustae magnitudinis decore conueniunt inter sese et ordine mensuraque conspirant, efficit id, quod dicimus *orationis concinnitatem.* (per definit.)

Cum uero ad id, ut oratio pulchra sit, requiratur partium, ex quibus illa coagmentatur, *symmetria* siue *commensus* (§ 12); intelligitur, orationem pulchram debere esse concinnam.

(§ 26.)

(§ 26.)

Oratio, in qua uerba cum rebus conſentiunt et exaequantur, dicitur *apta.*

(§ 27.)

Oratio pulchra debet eſſe apta.

DEMONSTRATIO. Cum oratio pulchra eſſe non poſſit, niſi in ea inſint perfectiones (§ 13 Conſect. II); perfectio uero requirat conſenſum (§ 8): ſequitur, ut in oratione pulchra debeat eſſe conſenſus cum rebus dicendis, ita, ut parua ac tenuia tenui, mediocria temperato, magna ſublimi et magnifico dicendi genere exprimantur. Haec oratio dicitur *apta* (§ 26). Ergo oratio pulchra debet eſſe apta.

(§ 28.)

Ex his theorematibus demonſtratis plenius nunc intelligis poſitiones, ad eloquentiae naturam et indolem latius explicandam facientes, quarum nonnullas hic uideas.

I. Quandoquidem eloquentia eſt facultas pulchre loquendi (§ 1), atque adeo pulchra oratio ab ea ſeiungi nequit (§ 3); uides, eloquentiam eſſe facultatem perſpicue loquendi (§ 15), quia oratio pulchra debet eſſe perſpicua.

II. Eloquentia reſpuit uoces inanes (§ 16 Conſect. I), atque adeo eloquentia et loquentia differunt.

III. Eloquentia nititur clara ac diſtincta rerum enunciandarum cognitione (§ 16 Conſect. II).

IV. Eloquentiae praeſidia debent peti ex lautiori eruditionis apparatu, maximeque ex philoſophia (§ 16 Conſect. III); ut ergo eloquentia recte dicatur *loquens ſapientia.*

V. Eloquentia eſt facultas ad perſuadendum apposite dicendi (§ 18).

VI. Eloquentia eſt facultas ita dicendi, ut rationes idoneae adferantur, quae mentem audientium ad aſſenſionem flectant (§ 19 Conſect. II).

VII. Eloquentia eſt facultas ornate et copioſe dicendi (§ 21 et 23).

VIII. Eloquentia eſt facultas concinne et apte loquendi (§ 25 et 27).

Plures propoſitiones, ſi ad cogitandum te dederis, ſe tibi ſponte offerent, ita quidem, ut altera alteram partu quaſi excludat. In quo quanta inſit uoluptas, ii demum norunt, qui mentis uires non hebeſcere patiuntur, ſed ingenium, tanquam arcum, intentum habent, et nunc hanc nunc illam propoſitionem meditando pertractant. Hoc uno exercitio ſi iuuenes, qui in ſcholis humanitatis ad ſtudia incumbunt, probe ſubiguntur, dici non poteſt, quantum inde utilitatis ex logica referant.

CAP. VI.

De Veritate diiudicanda, ſpeciatimque de modo libros legendi et diiudicandi.

§ 200.

Expoſita hactenus cum ueritatis logicae natura, tum ratione eam inueniendi, nunc in eo uerſabimur, ut oſtendamus, qua attentione et cautione opus ſit, in ueritatibus, quas alii inuenerunt, examinandis diiudicandisque.

§ 201.

Cum uero aliorum ueritates in libris contineantur, noſtrum eſt, regulas tradere, ad quas aliorum ſcripta queant diiudicari.

§ 202.

§ 202.

Libri aut continent ſacta, aut dogmata, ſiue uniuerſales propoſitiones. Illi uocantur *hiſtorici*, hi *dogmatici*. Vt adeo intelligas, ſcripta omnia commode diſpeſci poſſe in ſcripta dogmatica et hiſtorica.

Fit perſaepe, ut in ſcriptis quibuſdam aliorum dogmata cum probationibus ſuis recenſeantur. Haec ſcripta recte dixeris *ſcripta dogmatico - hiſtorica*, huc pertinent multa diaria eruditorum. Si uero dogmata inter ſe, nexu legitimo connectuntur, et ſolide demonſtrantur, tum ſcriptum dicitur *dogmaticum ſcientificum*.

§ 203.

In diiudicando ſcripto hiſtorico has potiſſimum regulas tibi habeto commendatas.

I. Attendas, num ſcriptum hiſtoricum ſit uerum.

Hic ergo probabilitatis hiſtoricae leges, a nobis § 173 expoſitas, in conſilium adhibeas.

II. Num in iis, quae narrantur, ordo legitime obſeruetur, probe diſpicias.

De ordine autem ſcripti hiſtorici optime iudicabis, ſi ad circumſtantias temporis animum aduerteris, et chronologiam tibi familiam reddideris.

III. Attendendum, num ſcriptum hiſtoricum fini reſpondeat, ſiue num ſit *completum*.

Finis, pro hiſtoriae diuerſitate, uarius eſt, α) *Hiſtoriae naturalis* finis eſt, phaenomena et facta naturae rariora deſcribere. β) *Hiſtoriae eccleſiaſticae* ſcopus eſt, fata et uiciſſitudines eccleſiae commemorare, errores et errorum remedia, in omnibus ſeculis, indicare, prouidentiamque diuini Numinis, in coetus diuinioris conſeruatione conſpicuam, oculis animisque le-

ctorum

ctorum subiicere. γ) *Historiae ciuilis* haec prima lex est, ut exempla adferantur in medium, quibus politices praecepta stabiliuntur, ut rerum publicarum et incrementa et conuersiones explicentur, subnexis ubique caussis, quibus uel rerum publicarum flos, uel interitus sit productus. δ) *Historiae* denique *litterariae*, in qua uel fata scientiarum, uel uitae et facta eruditorum enumeranda sunt, is uel in primis finis est, ut cognitio ueritatum, a ueteribus in medium prolatarum, inde acquiratur, itemque subsidia suppeditentur, quibus ars heuristica siue inueniendi possit augeri. Ergo in historia litteraria recenseri debent scripta, eorumque argumenta, item methodus, in iisdem adhibita, et a qua stirpe haec et illa ueritas sit ducta. Vitae eruditorum accurate enarrandae sunt, et quae cuiusque sint in hanc uel illam eruditionis partem promerita, indicentur.

§ 204.

Quod ad scripta dogmatica, eaque, ut uocant, scientifica attinet, in iis legendis examinandisque haec teneto.

I. In scripto dogmatico scientifico primum scriptoris scopum perspectum habeas, quem intelligas licet, uel in primis ex praefatione.

II. Perutile est in legendo diiudicandoque scripto dogmatico, quasque ueritates, in singulis paragraphis obuias, in certas quasdam describere propositionum species, atque solicite dispicere, num uel ad definitiones, uel ad axiomata et postulata, uel ad theoremata et problemata pertineant.

III. In primis uideas, si scriptum dogmaticum sub incudem uocaueris, num certae et

et legitimae definitiones, fundamenti loco, ſubſternantur, et, quo nexu, theoremata ex iis demonſtrentur.

Hic egregie inſeruient tibi magnoque erunt uſui regulae, quas ſupra in capite de definitionibus explicauimus.

IV. Diſpiciendum eſt, num ſcriptum dogmaticum ſit *ſolidum*, i. e. num omnes propoſitiones firmis demonſtrationibus corroborentur, ita quidem, ut nihil, praeter experientias indubias, definitiones et axiomata, ſine probatione admittatur.

Hic in conſilium ea adhibebis, quae a nobis in Capite de demonſtratione dicta ſunt. Si in ſcripto uel principia incerta et dubia praeſtruuntur, uel nexus probandi nullus conſpicitur, tum ſcriptum illud uocamus *ſuperficiarium*.

V. Cum ſcriptum ſolidum accuratas demonſtrationes continere debeat (num. IV), in omni autem demonſtratione omnes propoſitiones ita connectantur, ut altera ex altera, omnes autem ex principis certis fluant (§ 167): intelligitur, ſcriptum dogmaticum, quia debet eſſe ſolidum, eas debere continere ueritates, quae apto nexu deuinciantur, ſiue quod idem eſt, *ſyſtematice* conficiendum eſſe.

Syſtema enim dicimus ueritatum, inter ſe connexarum, congeriem.

VI. Ex his omnibus intelligis, perſpicuitatem et ſoliditatem praecipuas eſſe dotes ſcripti dogmatici.

CAP.

CAP. VII.

De Veritate cum aliis communicanda deque modo alios conuincendi.

§ 205.

Rationem inuestigandi ueritates, uel ab aliis inuestigatas examinandi hactenus exposuimus. Nunc leges trademus, quae docent, quomodo cum aliis ea, quae cogitamus, debeamus communicare.

§ 206.

Qui alterum ad ueritates, sibi nondum notas, uerbis, uiua uoce prolatis, perducit, is alterum dicitur *docere*.

§ 207.

Age ergo, eorum, qui docendo cum aliis ueritates communicant, requisita paucis his complectamur positionibus.

I. Qui alterum uult docere, sit perspicuus.

Quomodo enim cum altero ueritates communicabit, nisi intelligatur. Donum ergo perspicuitatis ad docendum uel inprimis requiritur.

II. Ergo is demum docere debet, qui rem, quam docet, distincte intelligit.

Qui enim rem docendam distincte intelligit, is eam per uerba cum aliis facile distributiusque communicare potest.

III. Ad perspicuitatem docentis pertinet, ut singulos terminos accurate definiat, atque

ita

ita obſcuritatem, quam uoces uagae et indeterminatae pariunt, tollat.

IV. Perſpicuitati conſulitur, ſi res abſtractae et a ſenſibus remotiores exemplis, e communi uita petitis, illuſtrantur.

V. Docentis eſt, eos, quos docet, de ueritatibus certos reddere.

Secus enim ſi fit, ii, qui docentur, dubitant, num ſint ea uera, quae poponuntur. Docentis autem refert, ea, quae docentur, diſtincte ab auditoribus intelligi, quod fieri non poteſt, ſi in incerto uagentur.

VI. Ex quo conficitur, docentem habitu demonſtrandi debere eſſe inſtructum.

Demonſtratione enim uia munitur ad certitudinem, quod capite de demonſtratione probauimus.

VII. Praecipua ergo uirtus et dos docentis eſſe debet *ſoliditas*.

Soliditas enim, ut diximus, in eo uel maxime conſpicitur, ſi idoneis quamque propoſitionem rationibus communire poſſumus ita, ut ratiocinia ex ratiociniis nectantur, omniaque enunciata firmis, nec facile conuellendis, fundamentis ſuperſtruantur.

VIII. Ex his omnibus intelligitur, in docendo hanc legem ſanciri debere, ut docens alios, quos docet, uel de ueritate uel de falſitate propoſitionis conuincat.

Conuincere alterum dicimur, cum efficimus, ut alterum certum reddamus de ueritate uel falſitate propoſitionis alicuius, id quod partes docentis exigunt (num. V). Ipſa autem illa actio, qua alterum certum reddimus, dicitur *conuictio* (in ſenſu ſcil. *actiuo*). At conuictio (*paſſiue* ſumta) eſt ſtatus ille, quo certi ſumus de alicuius propoſitionis uel ueritate uel falſitate.

§ 208.

§ 208.

Conuictionis natura et indoles rectius perspicietur, si et ea, quae ex parte *conuincentium*, et ea, quae a *conuincendis* requiruntur, exposuerimus.

§ 209.

Has ergo habeto positiones.

I. Qui alterum conuincere uult, id agere debet, ut distincte explicet propositionem, de qua alterum uult conuincere.

Quomodo enim alterum certum reddet de propositionis ueritate, cuius sensum alter non capit.

II. Qui alterum conuincit, id efficit aut per demonstrationem, aut per experientiam.

Certitudo enim acquiritur, uel per demonstrationem, uel per experientiam. Illa conuictio dicitur a *priori*, haec a *posteriori*.

III. Hinc intelligitur, eum, qui conuinci uult, debere in demonstrationibus non esse prorsus hospitem et peregrinum.

Nisi enim demonstrationem capit quis, conuictio non locum habet. Rustici ergo et rudiores difficilius conuincuntur de ueritatibus abstractis, quam eruditi.

IV. Qui conuinci uult, debet adferre attentionem.

Sine hac enim demonstrationem non capiet, nec distincte intelliget nexum propositionum.

V. Eius ergo, qui conuincendus est, attentio nullo modo turbanda est.

VI. Atque adeo eum, quem conuincere allaboramus, non debemus turbulentis affectibus implere.

Minui-

Minuitur enim, quin etiam tollitur attentio in affectuum turba et impetu, teste experientia.

VII. Fugienda ergo sunt conuicia et dicteria, si alterum conuincere uolumus.

Fieri enim non potest, quin ad conuicia aut scommata affectus irae tristitiaeque cieatur. Perabsurde ergo agunt, qui, dum in aliis conuincendis occupati sunt, conuiciorum mole alios obruunt.

CAP. VIII.

De modo alios confutandi.

§ 210.

Cum alios conuincimus de errore, tum illos dicimur *refutare*.

§ 211.

Quae ergo de conuictione, capite praecedenti, adlata sunt, nunc ualent quoque de confutatione.

I. Quandoquidem conuincimus alios per demonstrationes (§ 209 num. II), intelligitur, eum, qui refutare alterum uult, debere demonstrare falsitatem propositionis, quam alter pro uera habet.

II. Non est ergo refutatio cum *impugnatione* confundenda. Illa postulat demonstrationes, haec uero ex incertis et precariis principiis probat, alterum errasse.

III. Hinc intelligitur, ueram propositionem non posse refutari. Si enim propositio uera refutari posset, tum demonstrari posset, eam esse falsam, adeoque esset falsa. Nam, quicquid legitime demonstratur, illud uerum est (§ 168 num. VII). Verum

ergo esset, ueram propositionem esse falsam.

IV. Ea ergo propositio, quae legitime demonstrata est, non potest refutari.

V. Cum is, qui alterum uult conuincere de propositionis uel ueritate uel falsitate, eius propositionis sensum distincte explicare debeat (§ 209 num. I), sequitur, ut confutaturus alterum, propositionem ante explicare debeat, quod uocamus *statum controuersiae formare*.

Hoc ipso euitatur omnis *Logomachia*, quae ex eo oritur, cum alter alterum non intelligit.

VI. Eius, quem conuincere uolumus, attentio nullo modo turbanda est (§ 209 num. V) E. cauendum, ne alterius, quem confutare cupimus, attentionem turbemus (§ 210). Ergo in confutando abstinendum est a conuiciis et aculeatis dicteriis (§ 209 num. VII).

VII). Ex quo lucide apparet, in confutando consequentias, quae animo nocendi et alterum risui exponendi formantur, esse uitandas.

VIII. Argumenta quoque *ab inuidia ducta*, quibus utimur, ut alterius famae labeculam aspergamus, in confutando neutiquam adhibere decet.

Argumenta ab inuidia ducta eas rationes appellamus, quibus utimur, non ut uerum in lucem proferamus, sed ut aduersarium, quem confutare uideri uolumus, exosum aliis inuisumque reddamus. Huc pertinet illud, si propositionem confutandam Atheismi plenam, ipsum-

ipſumque ſcriptorem Atheum eſſe, clamitamus, ſi item propoſitionem, quam impugnamus, conferimus cum placitis hominum, iam inuiſorum et fama laborantium.

CAP. IX.

De Modo ſe defendendi.

§ 212.

Qui demonſtrat, ſe ab altero non eſſe confutatum, ille ſe aduerſus diſſentientem *defendere* dicitur.

§ 213.

De defenſione ſequentes obſerues regulas:

I. Si propoſitio aliqua legitime demonſtrata eſt, eademque ab aliis impugnatur, non opus eſt, ut eam multis defendas, cum certum ſit, eam confutari non poſſe.

II. Si ſenſus uerborum uindicandus eſt, ſatis te defendiſti, ſi, quid per uerba uelis intelligi, demonſtraueris. Si notionem, quam cum uerbis tuis coniungis, pertinaciter reiicit aduerſarius, aut malitioſe uerba in peruerſum ſenſum detorquet, non opus eſt amplius defenſione.

III. Contra impugnantem, qui iniuriis potius et conuiciis, quam argumentis, militat, non magis opus eſt defenſione, quam contra furioſum aut ſumme ebrium, conuiciis te laceſſentem.

At ſi aduerſarius, qui te criminatur, apud alios plurimum ualuerit auctoritate, tela calumniarum retundenda ſunt, ne exiſtimatio tua et fama in diſcrimen adducatur.

§ 214.

Eiuſmodi ſcripta, quibus continentur defenſiones aduerſus criminationes, aut errorum imputationes, dicuntur *ſcripta apologetica.* Scripta *polemica* ſunt, quibus errores refutantur aut impugnantur, aliorumque ſententiae impugnatae defenduntur.

Dicuntur alias quoque ſcripta *eriſtica*, quorum numerus minui potius debebat, quam augeri.

CAP. X.

De Modo diſputandi.

§ 215.

Mutuam propoſitionis alicuius impugnationem et defenſionem coram inſtitutam dicere ſolemus *diſputationem.*

§ 216.

Eum, qui propoſitionem uel theſin, de qua diſputatur, impugnat, dicimus *opponentem.* Qui uero theſin contra impugnationem defendit, uocari ſolet *reſpondens.* Qui autem reſpondentis partes tuetur, illique ſuccurrit et ſuppetias fert, ſi quando haeſerit, dicitur *praeſes.*

§ 217.

Quae ad diſputantes requiruntur, his includam poſitionibus:

I. Qui de argumento quodam diſputare uult, argumentum, de quo diſputatur, diſtincte intelligat.

II. Linguae, qua diſputatio inſtituitur, ſit peritus, praeſentemque adferat animum.

III. Diſputantes ſibi uere contradicant, ne, more uetularum, in rixas incidant, et de lana caprina altercentur.

IV. Diſ-

IV. Diſputaturi ſint uacui ab omnibus turbulentis affectibus, ira praeſertim et inuidia, modeſtiamque et ueri ſtudium ſibi habeant commendatum.

V. Vt appareat, num ſibi contradicant diſputantes, opus eſt, ut opponens propoſitionem, quam impugnat, diſtincte explicet, aut a reſpondente theſeos ſenſum et explicationem poſtulet.

§ 218.

Opponentis hae fere partes ſunt:

I. Sententiam theſi, de qua diſputatur, contrariam probet.

II. Argumenta, quibus theſin impugnat, proferat ordine, quoad eius fieri poteſt, ſyllogiſtico, ut ipſius mens et neruus probandi eo melius perſpiciatur.

III. Praemiſſas ſyllogiſmorum, quibus utitur, tamdiu probet, ſi dubiae ſint, donec peruentum fuerit ad principia certa et indubia.

IV. Omnes cauillationes, conuicia, dicteria, quae turbant attentionem, euitet opponens.

V. Videat, num reſpondentem ex propriis aſſertionibus refutare, et, quod aiunt, proprio gladio iugulare queat, quod eſt κατ' ἄνθρωπον diſputare.

§ 219.

Si opponens propoſitionem impugnauit, tum reſpondens ſequentia obſeruet:

I. Reſpondens integrum ſyllogiſmum, prout ab opponente fuit prolatus, repetat, ut pateat, num opponentis mentem et ſenſum

perceperit. Quo ipſo reſpondens dicitur *argumentum aſſumere*.

II. Aſſumto argumento, porro reſpondens diſpiciat de omnibus propoſitionibus, num debito gaudeant robore. Quarum ſi una alteraue uideatur dubia, expetat ſibi probationem eiusdem.

III. Probatione dubiae propoſitionis ab opponente prolata, infringatur neruus argumenti.

§ 220.

Qnod fit, uarie reſpondendo:

I. Forma ſyllogiſmi examinatur, et diſquiritur, num ratiocinatio opponentis ſit regulis ſyllogiſticis conformis.

II. Materiae ratio habetur, ubi reſpondens uel *concedit* totum argumentum, ſi ſcilicet illud non fuerit contra theſin, uel infringit rationes opponentis per *inſtantiam*, qua per exemplum contrarium prolatum demonſtratur, enunciationem opponentis non eſſe uniuerſalem, uel per *inuerſionem et retorſionem*, uel denique per *diſtinctionem et limitationem*.

§ 221.

Diſputandi methodus ſyllogiſtica ceteris methodis praeferri meretur, quia, ſi argumentum forma ſyllogiſmi incluſeris, omnes propoſitiones ſpeciatim diſtributiusque recenſentur, ut ita reſpondens fontes errorum felicius detegere queat.

Cum per quaeſtiones et reſponſiones diſputatur, dicitur haec methodus *erotematica*, itemque *ſocratica*, per quam facile opponens uel reſpondentem uel reſpondens opponentem in fraudem inducit.

Finis Philoſophiae rationalis.

METAPHYSICAE
PARS PRIMA
ONTOLOGIA
SIVE
PHILOSOPHIA
PRIMA.



INSTITVTIONES METAPHYSICAE.

Prolegomena de Metaphysices natura et indole.

§ 1.

Quamuis sint, qui, iuuentuti, in scholis ad humanitatem erudiendae, metaphysicam tradendam esse negant, propterea, quod innumeras tricas spinosasque quaestiones, quas nescisse rectius fuerit, contineat; mihi tamen persuasum est, tanto minus iuuenes a deliciis metapysicis esse arcendos, quanto pluris interest, eos mature peruenire ad distincte cogitandi facultatem, ad quam assequendam elegantissima haec disciplina plurimum adfert adiumenti.

Metaphysices nomen inuidiosum est, et infamiae propemodum subiectum. Eam enim scholastici metaphysicen tractandi rationem inierant, ut nugarum ineptiarumque plurimum, ueritatum utilium parum adferrent, terminosque, mente cassos, barbaros et ne fando quidem auditos, procuderent. Quo factum, ut metaphysica plurium, et in his prudentiorum, ludibrio fuerit exposita, et propemodum conuicii loco habitum, uocari metaphysicum. At postquam, pulsa scholasticorum barbarie, metaphysica dignitati honorique suo

restituti coepit, eo nunc prodit habitu, ut quantum diuersa est a ueterum quisquiliis, tantum sui cultoribus adferat emolumenti.

§ 2.

Vt ergo intelligatur rectius, quid sit *metaphysica*, nonnullas praemittemus positiones, ex quibus lucide apparebit, quid tandem sit illud, quo metaphysica ab omnibus aliis rebus et disciplinis internoscatur.

§ 3.

Omnis cognitio humana oritur a sensibus. Quicquid autem sensibus percipimus, id pertinet ad *indiuidua*, quae multiplicibus determinationibus et circumstantiis uel loci, uel temporis, uel personae, inuoluta et uestita nobis sistuntur, id quod in Logica fusius docuimus.

§ 4.

Quamuis uero omnia indiuidua, quae sensibus percipimus, ob innumeras circumstantias et determinationes ita a se inuicem differant, ut alterum alteri nunquam in omnibus simile deprehendatur, sunt tamen quaedam proprietates et notae, quas habent indiuidua, multum alioquin a se discrepantia, communes, et in quibus eadem perpetuo conueniunt (§ 46 Log.).

E. gr. IVLIVS CAESAR, CICERO, POMPEIVS, sunt indiuidua. In his miram quandam animaduertes diuersitatem, sed in quibusdam similitudinem et conuenientiam deprehendes, e. gr. in eo, quod haec omnia indiuidua sint substantiae, quod uiuant et sentiant, quod existant, cetera.

§ 5.

Quando has notas proprietatesque, rebus pluribus communes, nobis repraesentamus, tunc notiones

nes ſiue repraeſentationes harum affectionum, rebus pluribus communium, dici ſolent *notiones uniuerſales* itemque *abſtractae*. Scientia autem uniuerſalium, ſiue diſciplina illa, in qua notiones uniuerſales et communes diſtincte explicantur, dicitur *Metaphyſica*.

Metaphyſicae ergo eſt, notiones rerum communes et generaliores diſtincte euoluere, rerum diſcrimina peruestigare, propoſitiones et axiomata, in ceteris diſciplinis, e. gr. philoſophia morali, phyſica, etc. fundamenti loco ponenda, ita ſtabilire, ut iis demonſtrationes ſuperſtrui queant.

§ 6.

Complectitur autem Metaphyſica, ex mente recentiorum, has quatuor diſciplinas: α) *Ontologiam*, in qua notiones uniuerſaliores et principia cognitionis humanae communiſſima diſtincte exponuntur. β) *Coſmologiam*, ſiue, *ſcientiam mundi in genere*. γ) *Pſychologiam*, quae cum ea, quae per experientiam de anima nobis innoteſcunt, tum illa quoque, quae, ratiociniorum ope, inueſtigamus, explicat. δ) *Theologiam* denique *naturalem*, in qua de Dei exiſtentia, eius attributis operibusque exponitur.

Has diſciplinas ergo cum complectamur metaphyſica, intelligis, cur nonnulli eam cum Cel. THVMMISIO definiant, per ſcientiam entis, et mundi in genere, rerumque immaterialium.

Nos eum commentandi ordinem nunc ſeruabimus, ut α) generaliora cognitionis humanae principia, et notiones communes explicemus, in *ontologia*, β) ea, quae ad mundi, generatim conſiderati, notionem conſtituendam ſpectant, adferamus, in *coſmologia*, γ) et animae humanae DEIque naturam et proprietates lectorum animis ſubiiciamus in *pſychologia* et *theologia naturali*.

INSTI-

INSTITVTIONES ONTOLOGIAE.

Prolegomena.

§ 7.

Ontologiae eſt, generaliores et communiſſimas notiones diſtincte explicare (§ 6). Cum autem in hoc conceptu omnia conueniant, quod entia ſint, ita ontologiam pertractabimus, ut, praeſtructis primis cognitionis humanae principiis, ab entis conceptu enodando ordiamur. *Ontologiam* ergo recte definimus per ſcientiam entis in genere, ſeu quatenus ens eſt.

Ontologia uocatur quoque *piloſophia prima*, propterea, quod in eadem prima ueritatum omnium principia, et primae notiones, in aliis diſciplinis applicandae, et in ratiocinando uſui futurae, traduntur.

§ 8.

Quae de ontologia eiusque natura et uſu notari merentur, his complectimur poſitionibus:

I. Cum ontologia ſit ſcientia, (§ 7) omnesque adeo eius propoſitiones demonſtrari debeant, (per def. ſcientiae) manifeſtum eſt, ontologiam minus recte haberi a quibusdam pro Lexico philoſophico.

Nimis arctis ontologiam limitibus definiunt ii, qui, praeter terminorum barbarorum farraginem, nihil in ea contineri putant.

II. Ex ontologia ceterarum disciplinarum ueritates robur suum stabilitatemque petunt, atque adeo non miror, cur nonnulli eam scientiarum principem et reginam appellitent.

Fundamenta enim, quibus nituntur ueritates uel physicae uel morales, stabiliuntur in ontologia.

III. Euidens nunc est, cur sine ontologia cognitionem mentis humanae solidam esse negemus.

Solida enim non potest esse cognitio nostra, nisi prima omnis scientiae principia, primasque ueritates, quae fundamentum conclusionum omnium constituunt, perspectas habuerimus. Vnde autem eas tibi perspectas reddes, nisi ex ontologia.

IV. Vsus ontologiae est uarius, et per omnes disciplinas, quae philosophiae ambitu comprehenduntur, sese diffundit.

E. gr. In Theologia naturali DEI existentia non potest demonstrari sine principiis et notionibus in ontologia stabilitis. In psychologia animi humani immortalitas non demonstrabitur, nisi ex ontologia perspectum habueris, quae sint entis simplicis proprietates.

CAP. I.

De primis cognitionis humanae principiis.

§ 9.

Est ontologiae, uniuersaliora cognitionis humanae principia stabilire (§ 6). Duo autem sunt omnis cognitionis humanae principia, alterum

scilicet

scilicet *principium contradictionis*, alterum *principium rationis sufficientis*.

Omnes, quas cognoscimus, ueritates, sunt duplicis generis, aliae *necessariae*, i. e. eiusmodi, ut aliter esse non possint, aliae *contingentes*. Necessariae ueritates nituntur principio contradictionis, contingentes superstruuntur principio rationis sufficientis.

§ 10.

A principio contradictionis ordiemur. Quod ut intelligi possit plenius, explicabimus ante, quid sit *contradictio*, quid sit *principium*. Cum de una eademque re aliquid simul affirmamus et negamus, tum dicimur nobis *contradicere*, ut adeo contradictionem recte definiamus per eiusmodi orationem, qua de una eademque re idem simul affirmatur et negatur. Per *principium* hic intelligo eiusmodi propositionem, quae in serie ueritatum prima est, et unde deduci intelligique debent reliquae ueritates.

E. gr. Cum dicis: CAIVS est philosophus, et CAIVS non est philosophus, tum contradicis tibi, de una enim eadamque re scilicet affirmas, quod sit philosophus, et negas simul, quod sit philosophus.

Haec propositio, *Anima est ens simplex*, est principium huius propositionis: Anima est immortalis.

§ 11.

Eorum omnium, quae quidem nobis nosse datum est, primum est, *quod existat*. Dum autem scimus, nos existere, fieri non potest, ut eodem tempore, nos non existere, nobis persuadeamus. Atque idem, quod in existentiae nostrae cognitione uerum est, in aliis quoque rebus locum habere, compe-

comperimus. Experientia ergo magiſtra, haec propoſitio notiſſima eſt, *fieri non poteſt, ut idem ſimul ſit et non ſit.*

Atque haec propoſitio dici ſolet *principium contradictionis* (der Satz des Widerſpruchs).

§ 12.

Quae de hoc principio obſeruari merentur, his habeto poſitionibus:

I. Hoc principium eſt principium abſolute primum, quo prius nec eſt, nec eſſe poteſt.

Nulla enim propoſitio prior excogitari poteſt, ex qua huius principii ueritas poſſit demonſtrari. Quamcunque enim aſſumſeris, ſemper hoc principium ſubponere debes, quia alias propoſitio, quam fundamenti loco ponis, et uera ſimul eſſe poteſt, et falſa.

II. Vides ergo, principium contradictionis recte dici *indemonſtrabile*, quia ex aliis notioribus propoſitionibus ſiue principiis deriuari nequit.

III. Principium contradictionis eſt uniuerſale, i. e. non caſus aliquis uel datur, uel dabitur, in quo fieri poteſt, ut idem ſimul ſit, et non ſit.

IV. Principium contradictionis eſt fons omnis certitudinis. Ex hac enim propoſitione: *fieri non poteſt, ut aliquid ſimul ſit et non ſit*, fluit haec: *quaelibet res, dum eſt, certo eſt.*

Ceterum haec propoſitio, quam vocamus *principium condradictionis*, tam euidens eſt ex ipſis terminis, ut non credam, quemquam exſtitiſſe unquam, aut etiam

nunc

nunc existere, qui serio hanc propositionem uel in dubium vocare, vel negare audeat.

§ 13.

Haec de principio contradictionis. Alterum cognitionis humanae principium est *principium rationis sufficientis*. Quod ut intelligatur recte, exponemus, quid sit *ratio sufficiens*.

§ 14.

Ratio sufficiens est id, ex quo intelligitur, cur sit alterum.

E. gr. Si CAIVS, qui sanctioribus litteris operam suam tempusque consecrare statuerat, oppido animum mutat, et iurisprudentiae operatur, idque ideo, quod spe ducitur, citius in iurisprudentia colenda amplissimam dignitatem consequendi, tum spes honores citissime assequendi est ratio sufficiens, cur CAIVS a theologiae studio cogitationes suas conuertat ad Themidos sacra. Ex hac enim spe, qua ducitur, intelligi potest, cur CAIVS, missa theologia, iurisprudentiae studeat.

§ 15.

De ratione sufficienti quae notanda sunt, sequentibus positionibus includemus:

I. Quicquid est, debet habere rationem sufficientem, ex qua intelligi potest, cur potius sit, quam non sit, cur hoc modo sit, nec alio.

Si enim quicquam esset sine ratione sufficiente, tunc τὸ *nihilum* rem produxisset, adeoque τὸ *nihil* existeret, (quia alias rem producere non potuisset) et non existeret, (quia alias non esset nihil); quod uero, *ui principii contradictionis*, fieri nequit.

Haec

Haec propoſitio, *nihil eſt ſine ratione ſufficiente*, dicitur a LEIBNITIO WOLFFIOque *principium rationis ſufficientis*, quod quidem qui negant, aut non intelligunt, quid hac propoſitione contineatur, aut dedita opera ſtudioque communis cognitionis humanae principia et fundamenta ſubuertere uelle uidentur.

II. Id, quod omni ratione ſufficiente deſtituitur, nec eſt, nec eſſe poteſt.

Sunt quidem plurimae res, quarum cauſſas rationesque ſufficientes ob limites, quibus noſtra intelligendi facultas definita eſt, perſpicere non poſſumus. At colligi inde non poteſt: Ergo nullae adſunt rationes ſufficientes.

III. Quicquid eſt, atque adeo, cur ſit, rationem habet ſufficientem, eam aut in ſemetipſo habere debet, aut in alio ente extra ſe.

IV. Quandoquidem propoſitio haec: *nihil eſt ſine ratione ſufficiente*, ex principio contradictionis robur ſuum ſtabilitatemque accipit (num. I), manifeſtum eſt, principium rationis ſufficientis non eſſe abſolute primum principium.

V. Principium rationis ſufficientis in omnibus rebus locum habet (num. I), atque adeo eſt uniuerſale.

Non modo in corporibus, ſed ſpiritibus quoque omnis motus actioque gaudet ratione ſufficienti, id quod ſuus quemque ſenſus et experientia cumulate docet.

VI. Principium rationis ſufficientis eſt in omnibus eruditionis partibus, totaque uita humana, maximi uſus.

Tolle principium hoc, multae ueritates, quae philosophia tradit, collabefient, nec uideo, quomodo existentia Dei, sublato hoc principio, possit solide demonstrari. Quin in ipsa theologia reuelata saluberrimas doctrinas conuelli et tolli uidebis, ubi principium rationis sufficientis sustuleris. Plura uide in institutionibus nostris metaphysicis pag. 42 seqq.

CAP. II.

De Notione Entis et Non-Entis.

§ 16.

Si, quid sit *ens*, et *non-ens*, recte intelligere uolueris, peropus est, ut ante intelligas, quid sit *possibile*, et *impossibile*.

Notionem ergo τῦ *possibilis*, et *impossibilis* ante explicabimus, hasque uoces ita determinabimus, ut pateat, multos errores ab his uocibus, minus recte definitis, in philosophiam profluxisse.

§ 17.

Possibile, si paullo latius hanc uocem sumseris, dicitur id omne, quod contradictione caret, siue quod nullam inuoluit repugnantiam.

Vocabulum *possibilis* duplici fere sensu sumitur, α) τὸ *possibile* id uocamus persaepe, quod, quamuis non existat, potest tamen existere. β) Id omne quoque, sensu latiori, *possibile* uocari consueuit, quod iam existit, et quod existere potest. Quod ut intelligas rectius, exemplum perquam perspicuum addam. Non existit, quod sciam, *mons aureus*, at, quid impedit, quo minus existere queat. Est ergo possibilis sensu priori. *Eruditus homo* est possibile quid. Non enim notio *eruditi notioni hominis* ita aduersatur, ut illa hanc tollat. Breuis abruptusque stilus idemque obscurus, est possibile quid. Possunt enim *breuitas*, et *obscu-*

obſcuritas in uno dicendi genere concurrere, ſecundum illud HORATII:

- - - *Breuis eſſe laboro,*
obſcurus fio. De Arte Poetica v. 25.

Quod uel maxime ſtili LIPSIANI exemplo poteſt comprobari. Vt idem homo ſit diſputator ſubtilis, et dulcis tamen orator, fieri poteſt, quo in numero DEMETRIVS PHALEREVS, teſte CICERONE, haberi poteſt. Libr. I de Off. c. 1. Notio enim *ſubtilis diſputatoris* notionem *dulcis oratoris* non tollit aut reſpuit.

§ 18.

Impoſſibile ergo uocatur id, quod inuoluit contradictionem, ſiue quod repugnantiam continet.

E. gr. *Turpitudo* et *uera utilitas* ſunt eiuſmodi notiones, quarum una alteram tollit. Vt ergo, quod turpe eſt, idem ſit utile, inter ἀδύνατα referendum eſt. Praeclare hanc in rem CICERO: *Vt, quod turpe eſt, id quamuis occultetur, tamen honeſtum fieri nullo modo poteſt; ſic, quod honeſtum non eſt, id utile ut ſit, effici non poteſt, aduerſante et repugnante natura.* De Off. Lib. III c. 19.

§ 19.

Eorum, quae ἀδύνατα ſunt, duo ſunt genera. Si quid eſt eiuſmodi, ut inuoluat in ſe et ſua natura contradictionem, tum id dici ſolet a philoſophis *abſolute impoſſibile.* Si quid uero fieri non poteſt, ſub quibuſdam conditionibus et circumſtantiis, tum uocamus illud *hypothetice impoſſibile.*

Quod ut luculentius queat intelligi, haec ſubiungam. Vt e. gr. homo ſit ens infinitum, fieri prorſus non poteſt, propterea, quod hominis, a Deo creati, naturae plane aduerſatur, nullis definitum eſſe limitibus, atque adeo id eſt *abſolute impoſſibile. Hypothetice uero impoſſibile* eſt, ut is fortis ſit, qui dolorem ſum-

mum malum iudicat, aut temperans, qui uoluptatem ſummum bonum ſtatuit, quod recte monet CICERO, L. I de Off. c. 2. *Hypothetice* eſt *impoſſibile*, ut, ſole ſplendente, nox incubet terris, et tenebrarum omnia ſint plena.

§ 20.

Moraliter impoſſibile dicitur illud, quod quidem in ſe non inuoluit contradictionem, infert tamen repugnantiam in hoc illoue ſubiecto, ob intercedentes ſubiecti illius perfectiones morales.

E. gr. *Vt quis mentiatur et alterum decipiat*, non in ſe inuoluit contradictionem, adeoque in ſe non eſt impoſſibile, at uiro bono eſt impoſſibile. Num *cadit*, inquit CICERO, *in uirum bonum, mentiri, emolumenti ſui cauſa, criminari, praeripere, fallere? Nihil profecto minus.* Vt quis locupletium teſtamenta peruertat, fieri poteſt. Non poteſt a uiro bono. Scite CICERO, *ſi uir bonus*, inquit, *habeat hanc uim, ut, ſi digitis concrepuerit, poſſit in locupletium teſtamenta nomen eius irrepere, hac ui non utatur, ne ſi exploratum quidem habeat, id omnino neminem unquam ſuſpicaturum.* De Off. Lib. III c. 19.

§ 21.

Notionibus τῦ *poſſibilis* et *impoſſibilis* diſtincte explicatis, facile nunc intelligi queunt ſequentes poſitiones, quarum unaquaeque nihil non adfert adiumenti ad ueritates maioris momenti intelligendas.

I. Id, quod eſt abſolute et in ſua natura impoſſibile, non fieri poteſt poſſibile.

II. Quod hypothetice impoſſibile eſt, id poteſt eſſe in ſe et ſua natura poſſibile.

Quamuis enim fieri non poſſit, ut uir bonus uel officiorum malitioſis blanditiis, uel aliorum oppreſſione, locuple-

cupletium hereditates quaerat, et teſtamenta adulteret, fieri tamen in ſe poteſt. *Si enim*, ut CICERONIS uerbis utar, *dares hanc uim Craſſo, ut digitorum percuſſione heres poſſet ſcriptus eſſe, qui reuera non eſſet heres, in foro, mihi crede, ſaltaret.* l. c.

§ 22.

Ita nunc manifeſtum fiet, quid ſit *exiſtentia.* Vt res aliqua exiſtat, non ſufficit ſola poſſibilitas, ſiue non-repugnantia, et mera contradictionis abſentia, ſed *complementum* accedat, oportet, *poſſibilitatis*, quod ipſum conſtituit rei exiſtentiam.

Sunt, quibus minus probatur haec philoſophorum dictio: *complementum poſſibilitatis*, cum, quod ante WOLFFIVM nemo ea uſus fuerit, tum quod perobſcura ſit explicatuque difficilis. At non eſt, quod quisquam ſolo uocum ſono offendatur, dummodo res, iis ſignificata, ſit uera. Vt intelligatur ergo haec exiſtentiae definitio, primum explicabimus, quid philoſophi per *poſſibilitatis complementum* uelint intelligi, deinde exempla ſubnectemus, illuſtandae definitioni perquam accomodata.

Priusquam res aliqua exiſtere incipit, eſt poſſibilis, i. e. poteſt exiſtere. Status, qui poſſibilitati rei ſuperaccedit, dicitur *complementum poſſibilitatis.* E. gr. Cum mundus nondum exiſteret, tantum erat poſſibilis. Eo ipſo uero momento, quo ad exiſtentiam perducebatur, accedebat complementum poſſibilitatis. *Exiſtentiam* quoque definire poteris per ſtatum rei, quo ea apta eſt uel ad agendum, uel ad patiendum.

§ 23.

Ex his conficiuntur haec enunciata:

I. Quod actu exiſtit, id quoque debet eſſe poſſibile.

Veteres hanc positionem ita enunciabant: *ab esse ad posse ualet consequentia*, e. gr. mundus est, ergo potest etiam esse.

II. Quod possibile est, id non ideo existit.

Scholastici ita: *a posse ad esse non ualet consequentia.* Quis ita argumentabitur: Anima potest a Deo destrui, E. destruitur?

III. Quod fieri non potest, siue impossibile est, id non existet, siue *a non posse ad non esse ualet consequentia.* E. gr. Fieri non potest, ut corpus cogitet, E. nec cogitat, nec cogitabit.

IV. Quod non existit, non est statim inter ἀδύνατα referendum, siue *a non esse ad non posse non ualet consequentia.*

Nondum e. gr. philosophi demonstrarunt usum electricitatis, num ergo putas, ipsum nunquam demonstrari posse?

§ 24.

Facilius nunc, quid sit *ens*, quid *non-ens*, intelliges. *Ens* definimus per id, quod est possibile, siue, cui existentia non repugnat.

Qui *ens* id omne dicunt, quod reuera et actu existit, paullo arctioribus uocem *entis* limitibus uidentur circumscribere, propterea, quod *ens*, ut uocant *potentiale* hoc modo non continetur definitione entis. Id scilicet, quod iam existit, dicitur *ens actuale*, quod autem existere potest, quamuis non existat, appellari consueuit *ens in potentia* siue *potentiale*. E. gr. Hic mundus est ens actuale, existit enim, at crastinus dies est ens potentiale, nondum enim existit, quamuis possit existere.

§ 25.

§ 25.

Ens rationis (ein Hirn = Gespinste) dicitur, quod non existit, nisi in mentis fictione. E. gr. *Respublica Platonica.*

Huc pertinet illud HORATII:

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si uelit, et uarias inducere plumas.
Vndique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne, etc.

De Arte Poet. v. I. Plura entia rationis, si tanti putas, commenta et aegrorum somnia legere, tibi dabit GELLIVS Noct. Att. L. IX c. 4.

§ 26.

Caue uero, ens rationis confundas cum nonente. *Non - ens* illud dicimus, quod nec est, nec esse potest, siue, quod est impossibile.

E. gr. *Creatura illimitata, Deus dependens.*

CAP. III.

De Essentia.

§ 27.

In quolibet ente non modo existentia consideranda est, sed in eo quoque elaboremus necesse est, ut attendamus ad eius *naturam essentiamque*, atque adeo intelligamus, *quid* res sit. Cuiusuis autem rei *essentia* est id, per quod res aliqua praecise haec res est, et non alia, siue per quod res ab omnibus aliis rebus potest internosci.

WOLFFIVS in Ontolog. Lat. p. 137 § 168 *essentiam* definit per id, quod primum de ente concipitur, et in quo

ratio continetur sufficiens, cur caetera uel actu insint, uel inesse possint.

Quod exemplis illustrabimus. *Considera creaturam, ut creaturam.* Per hoc praecise creatura est creatura, quod sit limitata, et per limitationem creatura a creatore internoscitur, ut adeo, limitationem constituere essentiam creaturae, facillime intelligas. Considera *commiserationem.* Commiseratio per hoc est commiseratio, quod sit taedium ex alterius infelicitate. En eius essentiam! *Fortitudinis*, ut hoc addam, essentiam ponit CICERO in dolorum laborumque contemtione: L. III de Off. c. 33. Prouidentiae diuinae naturam his enunciat uerbis TVLLIVS: *In eo maxime est occupata, primum ut mundus quam aptissimus sit ad permanendum; deinde ut nulla re egeat, maxime autem, ut in eo eximia pulchritudo sit atque omnis ornatus.* De Nat. Deor. cap. 22.

§ 28.

Ex his sequentes propositiones, nullo negotio, intelligi possunt.

I. Entis, quatenus ens est, essentia recte constituitur in eiusdem possibilitate.

Quid enim illud est, per quod ens a non-ente distinguitur? Nonne est eiusdem possibilitas? Per hoc enim ens est ens, quod sit possibile (§ 24).

II. Quodlibet ens sua gaudere debet essentia. Per essentiam enim ens aliquod habet id, ut sit ens. Tollas ergo essentiam, ipsum ens tolli, uides.

III. Essentia entis est necessaria.

Entis essentia est eiusdem possibilitas (pos. I). Quod autem possibile est, necessario est possibile, non potest enim simul esse impossibile (§ 21). Ergo entis essentia est necessaria.

Exem-

Exemplum, huic positioni lucem conciliaturi, addemus. Non necessarium est, ut creatura existat. Poterant enim creaturae etiam non existere. At, ut creatura sit *limitata*, id uero necessarium est. Finge enim, creaturam existere, eamque illimitatam, tum non est creatura, sed ens infinitum. Non necessarium est, ut existant *uitia* in hominibus. At si uitia existunt, non possunt aliter existere, quam ita, ut actiones legi diuinae contrarias inuoluant. Quid si uero, inquies, animo fingerem uitium, quod sit legi diuinae consentaneum. Tum non uitium animo informas, sed uirtutem. Caueas ergo rerum existentiam cum earundem essentia confundas. Res, quas Deus condidit, non *existunt necessario*, at *earundem essentia* est necessaria.

IV. Essentia entis est aeterna.

Non ita accipi uolumus hanc positionem, ac si res cum suis essentiis ab aeterno exstiterint, aut in aeternum exstiturae sint. Sed sensus hic est: Deus omnium rerum essentias ab aeterno sibi in intellectu suo infinito repraesentauit, et si res, quae nunc existunt, ab aeterno exstitissent, non alio modo fuissent possibiles. Praeclare CLERICVS in ontol. c. 4. *Essentias rerum*, inquit, *qui aeternas et immutabiles dicunt, id uolunt, per quod ens est id, quod est, seu ipsum ens non posse a nobis intelligi, esse aliud ens, et simul idem. Itaque si Deus ab omni aeternitate habuerit ideas entium nunc existentium, qualia sunt, illas necessario easdem fuisse, ac nunc sunt.* Accipe, perspicuitatis caussa, exemplum. Circulum Deus ex omni aeternitate sibi non alio modo potuit repraesentare, quam rotundum. Quidni, inquies, quadratum? Ita non circulum sibi repraesentasset.

V. Essentia entis est immutabilis itemque incommunicabilis.

Dum enim essentia est necessaria, adeoque aliter esse non potest (§ 28), intelligitur, eandem quoque esse immutabilem. Mutari quidem rerum existentia pot-

est, essentia non potest. Nullius uis tanta est, ut efficere queat, ut circulus sit circulus, et tamen quadratus, ut creatura sit creatura, et tamen illimitata.

Ex his decidi potest quaestio illa controuersa: *num possit fieri, ut Deus corpori facultatem et uim cogitandi tribuat?* Hic respondemus negando. Si enim corpus cogitandi ui gaudere posset, tunc essentia spiritus, quae continetur ui cogitandi, cum corpore communicaretur, adeoque corpus esset corpus (*per hypothesin*) et simul esset spiritus, quia essentia spiritus gauderet. Quod pugnat cum principio contradictionis (§ 11).

VI. Ex his perspicuum est, cur philosophi, essentiam entis nec minui posse, nec augeri, contendant. Si enim essentia posset augeri, aut minui, tunc mutaretur. Cum uero essentia mutari nequeat (pos. 5), patet, eam nec augeri posse, nec minui.

Hoc sensu essentiae dicuntur esse, sicut numeri. Sic e. gr. numero ternario nihil addi potest, nihil demi, saluo numero ternario. Si enim quid addideris, non amplius est numerus ternarius, si quid detraxeris, itidem desinit esse numerus ternarius.

CAP. IV.

De generalioribus entis affectionibus.

§ 29.

Omnia ea, quae de ente praedicantur, dicuntur eiusdem *affectiones*. E. gr. Puritas et elegantia est affectio stili latini.

§ 30.

§ 30.

Cum uero ea, quae de ente praedicantur, aut ſint eiuſmodi, ut ex eius eſſentia originem ſuam repetant, aut, praeter eſſentiam, rei inſint, conſequens eſt, ut affectiones entis dupliciter poſſint diſtingui.

E. gr. Quod homo ſit *libertatis capax*, id ex eius eſſentia intelligi poteſt. At *eruditum* uel *pium* eſſe, itidem eſt affectio hominis, quae uero non ex eſſentia hominis ortum ſuum ducit.

§ 31.

Cum non-ens neque exiſtat, neque exiſtere poſſit (§ 26), intelligitur, cur non-entis nullae ſint affectiones.

§ 32.

Ea praedicata ſiue affectiones, quarum ratio ſufficiens continetur in ipſa rei eſſentia, dicuntur *attributa*, ſiue propria, quae ab iis affectionibus probe diſtinguenda ſunt, quae rei inſunt, at ex eſſentia rei non fluunt. Haec dicuntur accidentia ſiue modi.

CICERO *magnitudinis animi* attributa eleganter ita enarrat: *Huius uirtutis proprium eſt, nihil extimeſcere, omnia humana deſpicere, nihil, quod homini accidere poſſit, intolerandum putare.* Lib. III de Off. c. 27. Oratoris attributa his enunciat uerbis: *Oratoris proprium eſt, apte, diſtincte, ornate dicere.* De Offic. L. I c. 1. Libertatis proprium eſt, ſic uiuere ut uelis. L. I c. 20. Attributa planetarum ſiue ſtellarum errantium idem eleganter exponit, Lib. II c. 20 de Natura Deorum. Haec de attributis.

Eruditio eſt accidens ſiue modus hominis. Cum PLINIUS tribuit REGVLO imbecillum latus, os confuſum,

ſum, linguam haeſitantem, tardiſſimam inuentionem, memoriam nullam, ingenium inſanum, furorem denique et impudentiam, L. IV ep. 7, tum haec omnia, quae de REGVLO praedicantur, accidentia eſſe uides.

§ 33.

His praeſtructis, facile nunc intelligis has poſitiones:

I. Poſita rei eſſentia, ponuntur quoque eius attributa. Fluunt enim attributa ex rei eſſentia (§ 32).

II. Attributa entis ab eiuſdem eſſentia ſeparari non poſſunt.

III. Attributa entis ſunt neceſſaria et immutabilia. Quia eſſentia eſt neceſſaria et immutabilis (§ 28 poſ. III et V).

IV. Modi ſiue accidentia a re, cuius ſunt modi, poſſunt ſeparari. Poteſt e. gr. homo eſſe homo, quamuis non ſit eruditus.

§ 34.

Quatenus ens aliquod aptum eſt per eſſentiam et naturam ſuam ad capiendos et admittendos modos, eatenus ipſi *diſpoſitionem naturalem* ad illum modum, quem recipere poteſt, tribuimus.

E. gr. Homo gaudet diſpoſitione naturali ad eruditionem recipiendam, quia eruditionem, tanquam modum, homo per naturam ſiue eſſentiam ſuam recipere poteſt.

§ 35.

Ex his apparet, quid ſit *entis unitas*. Complexus ſcilicet eorum omnium, per quae ens aliquod

prae-

praecise hoc ens est, nec aliud constituit *entis cuiusuis unitatem.*

Considera e. gr. hunc mundum, qui constat ex uariis corporibus caelestibus terrestribusque, quae, uario connexa modo, efficiunt, ut mundus hic praecise hic mundus sit et non alius. Atque uniuersus ille complexus uariorum, hunc potissimum mundum constituentium, efficit id, quod *unitatem* mundi dicimus.

§ 36.

Si ergo *unitas* consistit in complexione eorum, quae essentiam constituunt, cum eaque sunt connexa, intelligitur, *omne ens esse unum.*

Quae unitas dicitur *Metaphysica*, atque adeo cuilibet enti tribuitur, quia unumquodque ens essentiam habet indiuisam. *Si non esset*, inquit HEBENSTREITIVS, *omne ens unum, tunc non esset ens, sed entia, cum diuisa essentia arguat multitudinem essentiarum.* Phil. Prim. p. 498.

CAP. V.

De eo, quod IDEM est ac DIVERSVM.

§ 37.

Eadem dicuntur, quae sibi mutuo possunt substitui, ita, ut, facta substitutione, nulla adsit mutatio. Alii ita: *Eadem* sunt, quorum in uno est omne id, quod est in altero.

E. gr. TERENTIVS Menandri Comoedias, *Andriam* et *Perinthiam*, easdem esse ait, his usus uerbis:

Menander fecit ANDRIAM et PERINTHIAM.
Qui unam recte norit, ambas nouerit. Non ita dissimili

mili *sunt argumento, sed tamen dissimili oratione sunt factae, ac stilo.* Andr. Prol. 10. conf. WESTERHOVIVS ad h. l. Dictiones hae Terentianae: *Prae iracundia non sum apud me:* Heauton. V, 1, 48. *Vix sum compos animi; ita ardeo iracundia;* Adelph. III, 2, 12 sunt *eaedem*: Potest enim altera in alterius locum substitui, neque ideo sensus mutatur.

Eadem sunt duplicis generis. Si omne id, quod est in A, deprehenditur quoque in B, tunc A et B dicuntur *absolute eadem*. Si uero A continet tantummodo aliquid, quod est in B, tum A et B dicuntur *respectiue eadem*. Sic e. gr. Comoediae, quas adduxi, Menandri sunt respectiue eaedem, quia sunt, teste TERENTIO, simili argumento, sed stilo dissimili.

§ 38.

Diuersa sunt, quorum unum continet aliquid, quod non est in altero.

Sunt e. gr. *loquentia et eloquentia diuersa.* Vid. PLIN. L. V ep. 20, qui, alio loco, scite admodum et eleganter orationis et historiae diuersitatem enunciat: *Habet*, inquit, *oratio et historia plura diuersa in his ipsis, quae communia uidentur. Narrat sane illa, narrat haec, sed aliter. Huic* (historiae scilicet) *pleraque humilia et sordida et ex medio petita; illi* (Orationi) *omnia recondita, splendida, excelsa conueniunt. Hanc saepius ossa, musculi, nerui; illam tori quidam et quasi iubae decent. Haec uel maxime ui, amaritudine, instantia: illa tractu et suauitate atque etiam dulcedine placet. Postremo alia uerba, alius sonus, alia constructio.* PLIN. Epist. 8 L. V.

Paucis hic, quid sit *idem numero* et *idem specie*, explicandum uidetur. *Idem numero*, quod idem ipsum quoque uocatur, est, quod de se ipso tantum dici potest. E. gr. Idem PLINIVS, qui epistolas scripsit, TRAIANVM oratione panegyrica collaudauit. *Idem specie* est, cum plura indiuidua conueniunt in conceptu illorum specifico. E. gr. CAIVS, TITIVS,

SEMPRO-

SEMPRONIVS, ſunt iidem ſpecie, quia in eo conueniunt, quod ſint *homines*.

§ 39.

Nota characteriſtica dicitur id, ex quo res cognoſcitur et a reliquis diſtinguitur.

Sic *planetarum* notae characteriſticae, quibus a ſtellis fixis diſtinguuntur, hae fere ſunt; quod *ſint corpora caeleſtia, ſolida et opaca, quae tum occultantur tum rurſus aperiuntur, tum abeunt, tum recedunt, tum antecedunt, tum ſubſequuntur, tum celerius mouentur, tum tradius, tum omnino ne mouentur quidem, ſed ad quoddam tempus inſiſtunt.* Vid. CICERO de Natur. Deor. L. II c. 10.

§ 40.

Quae eaſdem habent notas characteriſticas, dicuntur *ſimilia*, quae uero diuerſas habent notas characteriſticas, ea uocamus *diſſimilia*.

E. gr. LIVIVS Hannibalem Amilcari dum ſimilem fuiſſe ait, notas quasdam enumerat characteriſticas, quae in utroque eaedem fuere. *Miſſus Annibal*, inquit, *in Hiſpaniam, primo ſtatim aduentu omnem exercitum in ſe conuertit. Amilcarem uiuentem redditum ſibi ueteres milites credere; eundem uigorem in uultu, uimque in oculis, habitum oris lineamentaque intueri.* L. XXI c. 4.

Exemplum diſſimilitudinis ſuppeditant tibi duo fratres, quos TERENTIVS in Comoedia, *Adelphi*, loquentes facit. Micio et Demea uocantur, qui diſſimillimo fuere ingenio moribusque. Ille urbanam uitam ſecutus eſt; hic ruſticam: ille coelebs uixit; hic uxorem duxit: ille ingenio leniſſimo; hic aſperrimo: ille mitis etiam in alienos; hic ſaeuus etiam in ſuos: ille etiam in ira placidus; hic etiam citra iram ferox. Quam characteriſticarum notarum diuerſitatem, atque inde oriundam diſſimilitudinem Micio uel potius TERENTIVS ita exprimit:

- - - - *Is* (ſcil. frater) *adeo*
Diſſimili ſtudio eſt, iam inde ab adoleſcentia.
Ego hanc clementem uitam urbanam atque otium
Secutus ſum, et, quod fortunati iſti putant,
Vxorem nunquam habui. Ille contra, haec omnia:
Ruri agere uitam, ſemper parce ac duriter
Se habere: Vxorem duxit. TERENTIVS Adelph. Act. I Sc. I, 18. Conf. CIC. de Senectut. c. 18.

Vide notarum diuerſitatem!

§ 41.

Aequalia ſunt, quae eandem habent quantitatem, *inaequalia*, quae diuerſa ſunt quantitate. *Quantitas* uero eſt multitudo eorum, quae rem conſtituunt. *Multitudo* autem conſtat ex unitatibus iunctis, e. gr. duae columnae eiuſdem longitudinis et menſurae ſunt aequales.

§ 42.

His notionibus diſtincte explicatis, perfaciles intellectu erunt hae poſitiones:

I. Quae in aliquo tertio conueniunt, illa eadem ſunt, ſiue inter ſe conueniunt.

E. gr. Eruditio et uirtus inter ſe conueniunt in hoc tertio, quod *eruditio hominis felicitatem amplificet*, et uirtus *humanam felicitatem promoueat.*

II. Si ergo duo eidem tertio ſunt ſimilia uel aequalia, ipſa quoque ſibi ſimilia uel aequalia eſſe debent.

E. gr. Si duo iuuenes diſſoluti, et in uoluptates effuſi, ratione propenſionum animi et cupiditatum, ſunt brutis ſimiles, dubitari non poteſt, eos eſſe ſimillimo ingenio moribusque. Fac, duas columnas eſſe aequa-

aequales mensurae C, oppido intelligis, esse sibi aequales.

III. Quae similia sunt, possunt quantitate differre, adeoque esse inaequalia, et, quae aequalia sunt, adeoque eandem habent quantitatem, possunt esse dissimilia.

Sic e. gr. duo libri possunt esse aequales, ita, ut eorum magnitudo sit unius mensurae, at ob diuersas notas characteristicas, e. gr. argumentum, editiones, ligaturam, sunt dissimiles, quemadmodum contra duae columnae ob easdem notas, possunt similes esse, at differunt quantitate et mensura.

IV. Non dantur, nec dari possunt duo entia, perfecte eadem, et perfecte similia.

Fingas, dari, aut dari posse duo entia perfecte eadem, aut perfecte similia, tum eodem quoque tempore, eodemque loco debent existere. (Alias enim non essent perfecte similia). Fac, eodem tempore illa, quae perfecte similia fingis, existere, tum non possunt eodem loco existere, atque adeo in ipsis diuersitas, *ratione loci*, reperitur. Fingas, eodem loco, illa existere, tum non eodem tempore existent. Quo ipso iam dissimilitudo noua exsurgit.

Hanc propositionem LEIBNITIVS uocat *principium indiscernibilium*, propterea, quod, si duo essent entia, sibi in omnibus perfecte similia, nullo modo a se inuicem discerni possent.

De principio, quod uocant, indiscernibilium eleganter disputat CICERO, L. IV c. 17 Quaest. Academic. Democritum confutat, qui, innumerabiles esse mundos, affirmabat, eorumque quosdam ita inter se non solum similes, sed undique perfecte et absolute ita pares, ut inter eos nihil prorsus interesset. Quam opinionem ita refellit CICERO: *Quid tibi uis ingeminis? Conceditur enim, similes esse, quo contentus esse potueras. Tu autem uis eosdem plane similes: quod fieri nullo modo potest. Primum quidem me ad Demo-*

 critum

critum uocas, cui non assentior, potiusque refellam propter id, quod dilucide docetur a politioribus physicis, singularum rerum singulas esse proprietates. Fac enim, antiquos illos Seruilios, qui gemini fuerint, tam similes, quam dicuntur. Num censes, etiam eosdem fuisse? Non cognoscebantur foris; at domi, non ab alienis: at suis. Annon uidemus hoc usu uenire, ut, quos nunquam putassemus a nobis internosci posse, eos consuetudine adhibita, tam facile internosceremus, uti ne minimum quidem similes esse uiderentur? Videsne, ut in prouerbio sit ouorum inter se similitudo? Tamen hoc accepimus, Deli fuisse complures, qui Gallinas alere permultas quaestus caussa solerent. Hi, cum ouum inspexerant, quae id gallina peperisset, dicere solebant. Hactenus CICERO. Plura de principio indiscernibilium disserui in den Oberlausitzischen Beyträgen Tom. I, 4.

CAP. VI.

De Determinato et Indeterminato.

§ 43.

Vox *determinare*, si originem eius stirpemque spectes, nihil aliud significat, quam terminos limitesque rei constituere, eamque ab omni alia re distinguere.

E. gr. Si uocem *sensus*, cuius significatus latius patet, definimus, tum *determinare* eam definitione dicimur. Ita enim ipsi certus significatus tribuitur, atque adeo illam terminis quibusdam, intra quos contineatur, includimus. Cum uidemus, CAII animum in dubio esse, et cogitationes eius huc illuc impelli, tum dicimus, Cajus kan sich nicht determiniren. Quale quid obseruamus in Pamphilo Terentiano, qui iussus a patre Philumenam uxorem ducere, et nuptias parare, in ancipiti constitutus (Glycerium enim deperibat) quid faciat, nescit.

Nunc

Nunc primum, inquit, *quid exsequar?*
Tot me impediunt curae, quae meum animum diuorse trahunt:
Amor, misericordia huius (sc Glycerii), *nuptiarum sollicitatio,*
Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc
Quae meo cunque animo libitum est, facere: ein' ego ut aduorser? Hei mihi!
Incertum est, quid agam. TERENT. Andr. Act. I, 5 v. 26.

Vide, quam indeterminatus sit Pamphili animus, i. e. quam parum fluctuantibus et dubiis cogitationibus fixum aliquem terminum possit ponere! Eleganter haec ex TERENTIO expressit OVIDIVS:

Vt modo desperat: modo uult tentare: pudetque
Et cupit: et, quod agat, non inuenit. Vtque securi
Saucia trabs ingens, ubi plaga nouissima restat,
Quo cadat, IN DVBIO EST, omnique in parte timetur:
Sic animus uario labefactus uulnere nutat
Huc leuis, atque illuc, momentaque sumit utroque.
Metamorph. X, 371.

§ 44.

Determinatum est id, de quo aliquid ita praedicatur, ut oppositum eius, quod praedicatur, simul excludatur. *Indeterminatum* est, de quo aliquid adhuc praedicari non potest, etsi de eo in posterum praedicari posse non repugnet.

Has notiones exemplis perquam perspicuis illustrabimus. Sic e. gr. cum LIVIVM lego, tum haec actio dicitur determinata. Fieri enim non potest, ut, dum lego, simul non legam, adeoque *legere* ita de me praedicatur, ut oppositum lectionis, quae de me praedicatur, simul excludatur. Cum Gorlicii existo, tum

existo in loco determinato, quia fieri non potest, ut, dum commoror Gorlicii, simul Lipsiae aut Dresdae existam.

Voluntas est facultas *indeterminata*, est enim uoluntas tantum facultas et potentia appetendi, uel auersandi. Nondum enim de *uoluntate*, pro facultate sumta, praedicari potest, quod reuera appetat, aut auersetur, quamuis non repugnet, de uoluntate in posterum praedicari, illam appetere aut auersari, si scilicet motiua accesserint, quae determinatam uolitionem producant. Reguli filium, PLINIVS ait, fuisse ingenio AMBIGVO, *qui tamen posset recta sectari, si patrem non referret.* Ep. 2 L. IV. Non praedicat de ipsius ingenio, quod vel bonum fuerit uel malum, sed ambiguum, i. e. indeterminatum, de quo in posterum possit fortasse praedicari, esse uel bonum uel malum. Ad notiones *determinati* et *indeterminati* illustrandas perquam accommodata uidentur esse ea, quae LIVIVS de Horatiorum et Curiatiorum pugna eleganter commemorat. Cum terni iuuenes infestis armis animisque congrederentur, nondum uictoria erat determinata, et neutro, ut LIVIVS ait, spes inclinabatur. Cum uero HORATIVS, duobus fratribus caesis, Curiatios singulos aggrederetur, eosque omnes prosterneret, uictoria ex parte Horatiorum, atque adeo Romanae gentis, erat determinata. L. I c. 25.

§ 45.

Determinationes rei uocantur ea omnia, quae efficiunt, ut res aliqua praecise haec res sit, et non alia, siue: ea omnia, quae in aliquo subiecto certo respectu determinata sumuntur. E. gr. *Intellectus* et *uoluntas* sunt determinationes spiritus, per intellectum enim et uoluntatem efficitur, ut aliqua substantia sit spiritus.

Determinationes quasdam Iugurthae SALLVSTIVS eleganter ita commemorat: *Qui ubi primum adoleuit,*

pollens

pollens uiribus, decora facie, sed multo maxime ingenio ualidus, non se luxui neque inertiae corrumpendum dedit, sed equitare, iaculari, cursu cum aequalibus certare, et cum omnes anteiret, omnibus tamen carus esse: ad hoc pleraque tempora in uenando agere, leonem atque alias feras primus, aut in primis ferire: plurimum facere, minimum ipse de se loqui. Sall. Iugurth. c. 6.

§ 46.

De determinato et indeterminato has duas positiones habeto:

I. Si ponitur determinans, ponitur quoque ipsum determinatum.

E. gr. Quod de CAIO possit praedicari, eum effoeto corpore esse, et acutissimis doloribus, aetate ingrauescente, excruciari, id ex eo oritur, quod, cum esset iuuenis, intemperanter uixerit, uoluptatibusque se corrumpendum dederit. Cum itaque haec propositio: CAIVS *cum iuuenis esset, luxuriae et libidinibus seruiit*, efficiat, ut altera uera sit, ut de CAIO praedicari possit, *ipsum esse ualetudine debili, uel potius nulla*, intelligitur, statum morbosum senectutis determinari per iuuentutis intemperantiam. Eleganter CICERO et praeclare, *Defectio*, inquit, *uirium, adolescentiae uitiis efficitur saepius, quam senectutis. Libidinosa etenim et intemperans adolescentia effoetum corpus tradit senectuti.* Cato Mai. c. 9.

II. Ab indeterminato ad determinatum non ualet consequentia, quia a posse ad esse non ualet consequentia.

E. gr. Nondum CAIVS animum adiunxit ad Iurisprudentiae studium, dubius enim est, num Theologiam praeferat iurium scientiae, atque adeo ipsius uoluntas nondum est determinata. Quis vero ex hoc, quia indeterminatus est CAIVS, inferet, E. CAIVS iurisprudentiae studium eliget. Apud MOLIERIVM decrepitus quidam scepticum consulit de nuptiis

contrahendis. A quo uero non nisi has indeterminatas responsiones tulit: *Il n' est pas impossible: Cela peut être: Il se pourroit faire: La chose est faisable: Il n'y a pas d' impossibilité*, cetera. Num putas, senem ex his indeterminatis responsionibus, uel felicem, uel aduersum nuptiarum, quas parabat, euentum colligere potuisse? Vid. le Mariage forcé.

CAP. VII.
De Toto et Partibus.

§ 47.

Totum dicimus id, quod partibus constat, plura uero, quae simul sumta, constituunt unum aliquod ens, appellantur *partes*.

E. gr. Corpus humanum est *totum*, membra uero, nerui, ossa, ex quibus illud coagmentatum uidemus, sunt eiusdem *partes*.

§ 48.

Quemadmodum plura illa, ex quibus efficitur totum, non unius, sed diuersi sunt generis, ita uarie quoque diuidi posse *totum*, manifestum est.

Aliud scilicet est totum *Physicum*, quod materia et forma constat, e. gr. *Homo*, quatenus ex corpore et anima compositus est, aliud est totum *metaphysicum*, quo pertinet illud omne, quod potest definiri, quodque adeo ex genere constat, et differentia specifica, e. gr. *Spiritus*, qui est substantia intellectu ac uoluntate praedita.

Aliud dicitur totum *uniuersale*, quo refertur α) *genus*, plures species complexum (§ 48 Log.), e. gr. Spiritus in relatione ad DEVM, angelos, et mentem humanam. β) *species*, quae ex plurium indiuiduorum conuenientia efficitur, e. gr. *Homo*, si rationem habueris Paulli, Petri, Dauidis, ceterorum indiuiduorum, quae notio-

notionem ſpeciei conſtituunt. Addo denique totum *integrale*, quod complectitur plura et diuerſa corpora, quae, tanquam partes, ad illud conſtituendum concurrunt.

Corpora autem illa plura, quae, colligatione quadam deuincta, corpus totum efficiunt, uocare conſueuerunt partes integrantes, e. gr. Corpus humanum, quod ex pluribus aliis corporibus, capite ſcilicet, et trunco, contextum eſt, *totum* uocamus *integrale*, membra autem, quibus compages corporis continetur, *partes integrantes.*

§ 49.

Multitudo partium, ex quibus conſtat totum, dici ſolet *magnitudo.* Ipſum autem totum, quod plures habet partes, reſpectu eius, quod paucioribus eſt praeditum, uocatur *magnum.*

§ 50.

Poſitiones, quas de toto et partibus et ſubiicit tibi recta ratio, et experientia firmat, hae fere ſunt:

I. Totum eſt idem cum omnibus partibus ſimul ſumtis, et omnes partes ſimul ſumtae, ſibi poſſunt ſubſtitui, nec inde oritur mutatio. Sunt ergo totum, et omnes partes, EADEM (§ 37).

II. Poſito ergo toto, ponuntur omnes eius partes, et, poſitis omnibus totius partibus, ponitur ipſum totum.

III. Omne totum eſt aequale omnibus partibus ſuis, ſimul ſumtis, et omnes partes, quibus totum conſtituitur, ipſum totum exaequant. Idem enim debet ſibi ipſum eſſe aequale.

IV. Quaelibet pars totius toto est minor, et totum maius sit, necesse est, qualibet sua parte.

Quas propositiones cum tam perspicuas esse uideas, ut de iis addubitare ineptum sit, non est, quod earum demonstrationes, quae, si quando alias, hic superfluae uideri poterant, copiosius adferamus. Corpus tuum considera, eiusque partes, nexas inter se et deuinctas, contemplare, intelligis profecto, quiduis potius, quam euidentiam, in his enunciatis, desiderari posse.

CAP. VIII.

De Necessario et Contingenti.

§ 51.

Permagni interest, notiones τȣ̃ *necessarii et contingentis* distinctius explicari, cum, quod ea fere omnia, quae in morum Philosophia de actionibus expetendis fugiendisque differuntur, ab his notionibus lucem mutuantur, tum quod, iis minus recte intellectis, multi multos, eosque pestiferos, errores in Philosophiam inuexere, ex quibus, dici uix potest, quam funestae turbae concertationesque fuerint coortae.

§ 52.

Necessarium id uocamus, quod est eiusmodi, ut id, quod ei contrarium est, fieri nullo modo possit, siue quod non potest non esse.

WOLFFIVS ita: Necessarium est, cuius oppositum est impossibile. E. gr. Bis duo sunt necessario quatuor. Fingas enim, bis duo non esse quatuor, sed octo uel sex, tum, aut nihil uides, aut perspicis, quae inde oritur, contradictionem. Necessarium est, circulum

esse rotundum. Sumas enim id, quod huic opponitur propositioni, tum manifesta emerget repugnantia.

§ 53.

Necessarium duplicis est generis. Aut enim oppositum alicuius rei, in se, et sua natura contradictionem inuoluit, aut sub aliqua tantum conditione. Illud uocatur *absolute necessarium*, hoc *hypothetice necessarium*.

E. g. Absolute necessarium est, ut DEVS existat, ut bis duo faciant quatuor. Cogita enim Deum, qui non existat. Quid cogitas? σιδηρόξυλον cogitas. Ipsa etiam notio et natura Dei inuoluit existentiam, quae non magis a Deo potest seiungi, quam rotunda figura a circulo.

Necessarium est, ut, sole splendente, sit dies, sed hypothetice necessarium. Posita enim scilicet hac conditione, quod sol splendeat, necessarium est, ut sit dies. De qua necessitate hypothetica loquitur TERENTIVS, cum

Vbi, inquit, *animus semel se cupiditate deuinxit mala*, NECESSE est, *consilia consequi similia*. Heautont. I, 2, 34.

Non absolute necessarium est, ut mens humana malis consiliis in transuorsum rapiatur, sed sub hac conditione, si se malarum libidinum illecebris irretiri patiatur. Eandem necessitatem hypotheticam CICERO uult intelligi, cum, *si unumquodque membrum*, inquit, *sensum hunc haberet, ut posse putaret se ualere, si proximi membri ualetudinem ad se traduxisset; debilitari et interire totum corpus* NECESSE EST; *sic si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum detrahatque, quod cuique possit, emolumenti sui gratia: societas hominum et communitas euertatur* NECESSE EST. De Off. Lib. III c. 5.

Capite sexto ita pergit: *Si etiam hoc natura praescribit, ut homo homini, quicunque sit, ob eam ipsam caussam, quod is homo sit, consultum uelit*: NECESSE est,

 secun-

secundum eandem naturam omnium utilitatem esse communem.

Ex pluribus necessitatis hypotheticae speciebus necessitatem *physicam* et *moralem* exponemus.

Illa in regno naturae naturalique euentuum consecutione locum obtinet. De qua Adherbal apud SALLVSTIVM loquitur, *pater*, inquit, *uti necesse erat, naturae concessit*. Bell. Iug. c. XIV, 15. Conf. PLIN. Epist. XII L. I et ad h. l. CORTIVS.

PLINIVS maior, qui Vesuuium propius noscendi cupidus, cinere multisque pumicibus coopertus erat, non poterat non, spiritu crassiore caligine obstructo, clausoque stomacho, concidere, idque necessitate naturae.

Necessitas hypothetica moralis in spiritibus reperiunda est, e. gr. in anima, quatenus illa repraesentationibus boni uel mali ad bonum appetendum malumue auersandum determinatur et commouetur. E. gr. Cum tibi proponitur uenenum, et potio medicata, sanitati tuae saluberrima, ut alterutrum eligas; necessario eliges potionem, et uenenum repudiabis. Qua uero necessitate? morali. De hac necessitate loquitur CICERO, cum, *geometrarum rationes non persuadere, sed cogere, et uim adferre, in docendo*, copiosius affirmat. Acad. Quaest. L. IV c. 36. Quo referenda haec quoque TVLLII uerba uidentur: Omnes expetimus utilitatem, ad eamque RAPIMVR; NEC FACERE ALITER VLLO MODO POSSVMVS. De Off. Lib. III. cap. 28.

§ 54.

Ex iis, quae de necessitate hactenus adtulimus, intelligi potest, quid sit *contingens*, siue, ut CICERO uocat, *fortuitum*. *Contingens* dicitur id, cuius oppositum est possibile, siue quod aliter potest esse.

E. gr.

E. gr. Scribo. At poteram quoque non ſcribere. Lego, at poteram quoque non legere. Contingens ergo eſt, quod ſcribam legamue.

§ 55.

Num ens aliquod detur, cuius exiſtentia ſit abſolute neceſſaria, id in theologia naturali diſputabimus. At, ſi datur, conſequens eſt, ut ratio ſufficiens, cur exiſtat, debeat in eius eſſentia reperiri. Eſſentia enim cuiuſque rei eſt abſolute neceſſaria (§ 28), et, quicquid in ipſa notionem ſui ſufficientem habet, non poteſt non eſſe abſolute neceſſarium. Ens autem contingens, cum exiſtit, rationem ſufficientem, cur exiſtat, in ente habet a ſe diuerſo.

§ 56.

De neceſſario et contingenti quas hic adducemus poſitiones, eas uero cum in doctrina de mundo, tum de mente humana et Deo maximo nobis uſui fore ſcias.

I. Quod eſt abſolute neceſſarium, non poteſt eſſe contingens. Quod enim eſt abſolute neceſſarium, eius oppoſitum nullo modo fieri poteſt (§ 53), at, quod contingens eſt, eius oppoſitum fieri poteſt (§ 54). Vides ergo, quam aduerſis frontibus pugnent abſolute neceſſarium et contingens.

II. Contra, quod eſt hypothetice neceſſarium, in ſe eſt contingens, ut adeo neceſſitas hypothetica contingentiam neutiquam tollere cenſenda eſt. Quod enim eſt hypothetice neceſſarium, eius oppoſitum non, niſi po-

ſita

ſita conditione, eſt impoſſibile (§ 53). Tollas ergo conditionem, et oppoſitum erit poſſibile, atque adeo, quod hypothetice neceſſarium eſt, idem quin ſit contingens, dubitari non poteſt.

E. gr. Neceſſarium eſt, ut is,

Improuiſum aſpris qui ſentibus anguem
Attollentem iras, et coerula colla tumentem
Preſſit humi nitens, - - Virg. Aeneid. L. II v. 379.

neceſſarium, inquam, eſt, at hypothetice, ut is, terrore perculſus, obſtupeſcat, trepidusque pedem referat. At contingens tamen ſimul eſt. Poterat enim terror abeſſe, ſi monſtrum, in herba latens, aſpectuque horridum, non calcaſſet ex improuiſo.

CAP. IX.

De Ordine, Veritate metaphyſica et Perfectione.

§ 57.

Quae de ueritate metaphyſica ac perfectione nunc dicenda ſunt, ea intelligi non poſſunt, niſi ante, quid ſit *ordo*, et ad quas leges is exigatur, diſtincte traditum fuerit.

§ 58.

Illam ſimilitudinem, quae obuia eſt in modo, quo res iuxta ſe inuicem collocantur, uel ſe inuicem ſequuntur, dicimus *ordinem*.

E. gr. Cum in bibliotheca libros ita digeſtos uides, ut libri, eiusdem argumenti, eiusdem ligaturae, eiusdem formae, iuxta ſe inuicem collocentur, tum *ordine* libros dicis eſſe collocatos, idque nullam aliam ob cauſſam, quam quod ſimilitudinem et rerum, quas tractant

tractant libri, et formae, in uoluminibus, iuxta se inuicem positis, obseruas. Quod idem ualet de exercitu, in quo ordo esse dicitur, cum idem uestitus, eadem arma, idem gressus, aequalis series, idem motus membrorum, eadem statura, idem impetus in hostem, obseruatur.

CICERO haec de ordine: *Est compositio rerum aptis et accommodatis locis*, ab eoque, negat, similitudinem et conuenientiam partium posse seiungi. L. I de Off. c. 4 et 40. Iucunde hic legi poterit epistola PLINII, qua Spurinnae uitam ordinatam et apte dispositam commemorat, multaque adfert, quae ad notionem ordinis illustrandam mire faciunt. Lib. III, I. Coll. L. IX ep. 36 et ep. 40.

§ 59.

Ordini opponitur confusio siue ἀταξία, quae nihil est aliud, quam dissimilitudo, quae obuia est in modo, quo res iuxta se inuicem collocantur, uel se inuicem consequuntur.

Finge, milites, solutis ordinibus, ab hoste in fugam coniici. Quanta tum est dissimilitudo! quanta perturbatio! Incomposito agmine, sine certis ducibus, sine imperio, sparsi uagantur, alter arma abiicit, alter, recenti saucius uulnere, labat, et pedites equitibus, calones gregariis permixti, quo quemque instantis mortis timor rapit, aufugiunt.

Confusionem in comitiis, quae turbauerat omnia, eleganter describit PLINIVS: *Nam tempus* inquit, *loquendi, non tacendi modestia, non denique sedendi dignitas custodiebatur. Magni undique et dissoni clamores: procurrebant omnes cum suis candidatis: multa agmina, multique circuli et indecora confusio: adeo desciueramus a consuetudine parentum, apud quos omnia disposita, moderata, tranquilla, maiestatem loci pudoremque retinebant.* Lib. III ep. XX. Cogitabis hic comitia Polonorum.

§ 60.

§ 60.

De ordine haec teneto:

I. In omni ordine debet quid adesse, in quo uaria uel coëxistentia, uel sibi inuicem succedentia, sint sibi similia.

II. Id, in quo uaria sunt similia, dicitur *regula ordinis*.

E. gr. Si similitudinem et conuenientiam in bibliotheca obseruaueris, *ratione formae*, tum formae librorum similitudo constituit regulam ordinis, in bibliotheca conspicui.

III. Cogitur hinc, in omni ordine debere esse regulam ordinis. Debet enim aliquid adesse, in quo uaria, iuxta se posita, sint sibi similia (pos. I), quo ipso continetur regula ordinis (pos. II).

IV. Si una tantum adest regula ordinis, *simplex* ordo conspicitur, si plures adfuerint, maiorem et *compositum* ordinem inde oriri, intelligis.

E. gr. Si α) ratione formae externae et ligaturae, β) ratione argumentorum, γ) ratione editionum libri, iuxta se dispositi, conuenerint, tum ordo in librorum collocatione maior est, quam si solam formam externam librorum similem deprehenderis.

V. Potest in rebus, iuxta se inuicem dispositis, alio respectu adesse ordo, alio uero respectu confusio.

E. gr. Sunt similes libri, ratione formae. En ordinem! At, si rationem habueris argumentorum editionumque, summam saepe uides dissimilitudinem. En confusionem!

VI. In

VI. In iis, quae exiſtunt, reperitur ordo. In omnibus enim, quae exiſtunt, ea reperitur ſimilitudo, ut fiant principio rationis ſufficientis conformiter (§ 15).

Ea ergo, quae actu exiſtunt, per hoc diſcernuntur a ſomniis et commentis, quae non, niſi in fictionibus, exiſtunt.

§ 61.

Hinc eſt, ut *ueritatem metaphyſicam* definiamus per eiusmodi ordinem, per quem quodlibet habet rationem ſufficientem ſui, ſiue: *Veritas* eſt ordo eorum, quae enti conueniunt.

Scholaſtici ita: *Veritas* eſt rei affectio, qua res habet omnia ea, quae ipſius eſſentiae et naturae debentur. E. gr. Aurum eſt uerum aurum, cum ea habet omnia, quae ad aurum requiruntur. Quae definitio ſcholaſticorum non uidetur aduerſari noſtrae. Res enim tum habet eſſentiam ſibi debitam, ſi is ibi obſeruetur ordo, ut principio rationis ſufficientis omnia fiant conformiter.

Hoc ſenſu uox VERI identidem apud ueteres ſcriptores occurrit. Ita PLINIVS, *aes ipſum*, inquit, *quantum* VERVS (i. e. ſincerus, ſimplex et naturalis) *color indicat uetus*, (eſt) et antiquum, L. VII, 3. Mox dies VERVS, ſol etiam effulſit, VI, 20. Liberto Sabiniani tribuit VERAM emendationem, IX, 21. Recte ergo CICERO, *ea, quae fucata ſunt, ficta, adumbrata et ſimulata* iis, quae ſincera ſunt et VERA, opponit. De Amicit. c. 25 et 26.

§ 62.

Ens uerum eſt, in quo datur ueritas.

Haec definitio non eſt identica, quamuis eſſe uideatur. Quid enim ſit ueritas, § antecedenti explicatum eſt.

§ 63.

§ 63.

Ex his intelligas, licet, omne ens esse uerum.

Omne enim ens habet rationem sui sufficientem (§ 15) adeoque ueritatem. At falsum, inquis, datur aurum. Nego. Aurum, quod falsum esse dicis, aut est aurum, aut non est aurum. Si est, uerum est aurum. Si non est aurum, erit uel uerum cuprum, vel orichalcum, uel aliud metallum.

Quia ueritas entium nititur principio rationis sufficientis, consequens est, ut, sublato rationis sufficientis principio, tollatur, quae rebus inest, ueritas. Vides ergo, quid sit, quod LEIBNITIVS, sublato principio rationis sufficientis, tolli discrimen inter ueritatem et somnium, aiat.

§ 64.

Sequitur, ut notionem *perfectionis* euoluamus. Cuilibet rei, in qua uaria siue plura occurrentia ita consentire et conspirare deprehendimus, ut ad finem, cui assequendo res destinata est, obtinendum sufficiant, tribuimus *perfectionem*. Hinc nonnulli *perfectionem* definiunt per sufficientiam ad finem.

WOLFFIVS ita: *Perfectio* est consensus in uarietate, siue plurium a se inuicem differentium in uno. E. gr. Reipublicae tribuimus tum perfectionem, cum in eadem uaria, actiones scilicet imperantium et ciuium eo conspirant, et eo tendunt, ut tranquillitas publica obtineatur et conseruetur. *Agro* tribuimus perfectionem, si finis agri obtinetur, i. e. si frugum profundit ubertatem, nec unquam sine usura reddit, quod accepit. Ad hunc finem siue frugum ubertatem requiruntur haec uaria. α) Ager gremio mollito ac subacto semen sparsum excipiat. β) occoecatum cohibeat, γ) tepefactum uapore et compressu suo diffindat et eliciat herbescentem uiriditatem. δ) Haec,

nixa

nixa fibris ſtirpium, adoleſcat, et, culmo erecta geniculato, uaginis iam quaſi pubeſcens includatur. E quibus cum emerſerit, tum demum ager fundit frugem ſpicae, ordine ſtructam et contra auium minorum morſum munitam uallo ariſtarum. Vide, quam hic omnia conſentiant ad finem agri, id eſt, ad frugum ubertatem et copiam. Vid. CIC. de Senectute Cap. XV.

Hanc perfectionis notionem multi uſus eſſe in diſtinctius explicanda *eloquentiae* notione, demonſtrauimus in commentatione de orationis pulchrae uirtutibus, Gorlicii CIↃIↃCCXLIV, edita.

§ 65.

Imperfectionem in aliqua re deprehendimus tum, cum uaria in re quapiam fuerint eiuſmodi, ut fini rei aduerſentur.

Si e. gr. in republica uaria, actiones ſcilicet imperantium ciuiumque fini reipublicae, tranquillitati publicae aduerſantur, cum princeps, immanitate efferatus, in ciuium bona uitamque ſaeuit, cum ciues, audacia furentes, et pernicioſo ſcelerum foedere ac ſocietate coniuncti, inteſtinam aliquam perniciem patriae moliuntur, cum denique diuitiae auaritiam, et abundantes uoluptates deſiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia inuexere, tum nemo non haec omnia inter reipublicae imperfectiones referenda exiſtimabit. Exemplo eſſe poteſt coniuratio Catilinaria, de qua, praeter orationes CICERONIS, legas SALLVSTIVM Bell. Cat.

§ 66.

Tria ergo ad omnem perfectionem requiruntur, α) *finis* aliquis, ad quem uaria, quae in re quapiam deprehenduntur, tendunt. β) Requiruntur *plura* ſiue *uaria*. γ) *Conſenſus* uariorum cum

fine, id quod ex exemplis allatis luculentius apparet.

§ 67.

Si unicus adfuerit finis, ad quem plura siue uaria in re quadam tendunt, tum *perfectionem* adesse *simplicem* dicimus, cum plures uero fines, per consensum uariorum obtinentur, oritur inde *perfectio composita*.

E. gr. Cum horologium ita fuerit constructum, ut in eo conspiciatur partium et rotularum omnium consensus cum fine, ut horae tantum indicentur, tum haec perfectio horologii est simplex. At si consensus partium in horologio non id modo efficit, ut horae indicentur, sed quoque, ut singula minuta singulique menses, et singuli cuiusque mensis dies manifestentur, tum uero perfectio horologii est composita, propterea, quod plures adsunt fines et scopi, qui per structuram partium, in horologio apte cohaerentium, et amice conspirantium, obtinentur.

§ 68.

Saepius, experientia teste, usu uenit, ut perfectiones simplices, earundemque regulae inter se pugnent. Quod cum fit, plures regulae dicuntur inter se *collidi*.

E. gr. *Patriam libertatemque conseruare* est perfectio. *Vitam tueri*, *esse domi cum uxore et liberis*, *in pace et tranquillitate uiuere*, sunt perfectiones. At incidunt tempora, cum patria, religio, libertas, conseruari non possunt, quin uita tua in discrimen adducatur, et publica quies ad aliquod tempus turbetur. Colliduntur hic perfectiones. Plura exempla uide in CIC. Lib. III de Off. c. 24 seqq.

§ 69.

§ 69.

Quia ea, quae inter ſe pugnant, ſimul eſſe non poſſunt, opus eſt, ut, ſi utraque perfectio ſimul obtineri nequit, uel regularum perfectionis altera praeferatur, et negligatur altera, uel ut utraque ex parte negligatur, ex parte autem retineatur. Neglectus hic alterutrius regulae perfectionis uocatur *exceptio a regula perfectionis*, quae ex regularum ſimul obſeruandarum colliſione naſcitur.

Noſti e. gr. regulam: *honeſtatem conſectare.* Noſti illam quoque: *utilitati tuae et commodis ſeruias.* Fit uero perſaepe, id quod copioſius diſputat CICERO L. III de Off. ut duae hae regulae collidantur. Hic ergo exceptio eſt facienda, ita ut, cum honeſtas utilitasque ſimul obtineri nequeunt, uincat honeſtas, cedat utilitas. REGVLVS Romae manere utile putabat, at iusiurandum uiolare, nec Carthaginem redire, turpe ducebat. Honeſtum ergo praetulit utili, fecitque exceptionem a regula perfectionis. CIC. l. c. Praeclare PLINIVS: *Vtrumque ſaepe tam magnum eſt, ut abunde ſit, alterum efficere.* L. V, 8.

§ 70.

Quae adponam, enunciata eo vel in primis pertinent, ut, quae in morum philoſophia de officiorum colliſione diſſeruntur, plenius intelligantur.

I. Exceptio a regula perfectionis ita eſt inſtituenda, ut maius bonum ſemper praeferatur minori.

Mercator, aeſtu maris et turbine iactatus, uitam merceſque ſi ſimul ſeruare nequit, uitam ſeruet, merces in mare proiiciat.

II. Vbi unica tantum adfuerit regula perfectionis, ibi exceptioni non eſt locus.

Quia non adest pugna et collisio plurium regularum.

III. Ex exceptione a regula perfectionis oritur imperfectio in PARTE, salua tamen TOTIVS perfectione.

IV. Cum ergo saepius exceptio a regula perfectionis euitari non possit, intelligis, quid sit, quod identidem sit imperfectio in parte admittenda, ut inde resultet maior TOTIVS perfectio, fere, ut in pictura lumen non alia res magis, quam umbra commendat, PLIN. L. III. ep. 13.

E. gr. Vt patria conseruetur, ut saluti publicae, religioni, libertatique consulatur, peropus saepenumero est, ut singulorum ciuium commoda deminuantur. Pecuniae magna uis exigitur, uita periculis obiicienda, aedificia diruuntur, commerciorum cursus inhibetur, bona facultatesque diripiuntur, omniaque ea mala, quae bello adiuncta uidemus, sunt perpetienda, sine quibus uero non magis praesidia salutis publicae stabilita fuissent, quam sine membri putridi amputatione sanum corpus persaepe conseruari potest.

V. Omne ens gaudet perfectione, sibi debita.

In omni enim ente omnes determinationes eo tendunt, et in eo consentiunt, ut ens sit ens, non autem nonens, ut sic hoc ens, nec aliud, quo ipso ens gaudet perfectione sibi debita.

Vocatur haec perfectio *essentialis*, siue, Scholasticorum stilo, *bonitas metaphysica*. Hinc intelligis, cur, *omne ens esse bonum*, iidem affirmarint.

§ 71.

Perfectio, si sensibus percipitur, uocatur *pulchritudo*.

Quam-

Quamuis, quid ſit pulchrum, quid déforme, rectius ſentiri, quam doceri poſſe, uideatur, omni tamen tempore exſtiterunt, qui ſumma ope connisi ſunt, ut notiones *pulchri*, errore uulgi et ſententiarum pugnantium uarietate confuſas, accuratius diſtinguerent. Pertinent huc CROSAZIVS, BVDDEVS, BERGERVS, qui in peculiari libro *de naturali pulchritudine orationis*, erudite, ut ſolet, ſcienterque de pulchro commentatur, et, inueſtigatis *pulchri* fontibus, cauſſisque a ſtirpe ductis, quid in dicendo pulchrum ſit, exemplo CAESARIS, docet luculenter, latiusque explanat.

Quam de *pulchritudine* adtuli, definitio, dubito, an quisquam futurus ſit, cui minus probetur. Experientiae certe fundamentis eſt conſtituta. Cur aedificio, cur horto pulchritudinem tribuis? Nonne ideo, quod percipis in aedificio perfectiones, i. e. iuſtam partium conuenientiam commenſumque? Nonne ideo, quod in horto areolorum ſymmetriam, et ordines arborum in quincuncem directos, obſeruas, ſiue, quia perfectionem, quippe quae efficitur conſenſu uariorum, ſenſibus percipis? Cur imaginem, ut hoc addam, pulchram uocas? Nonne ideo, quod cum eo, quod exprimere debet, exacte congruit, et archetypo reſpondet, qualis illa imago ſiue ſtatua PLINIANA eſt, quae ſenem repraeſentat. *Corinthium ſignum*, inquit, *effingit ſenem ſtantem: oſſa, muſculi, nerui, uenae, rugae etiam, ut ſpirantis, apparent: rari et cedentes capilli, lata frons, contracta facies, exile collum, pendent lacerti, papillae iacent, receſſit uenter.* Ecquid elegantius fingi aut pingi poterat ad huius decrepiti corpus cutemque rugoſam exprimendam. L. III ep. 7.

Ad illuſtrandam pulchritudinis definitionem apprime faciunt, quae BERGERVS hanc in rem eleganter diſputat. *Vt pulchrum*, inquit, *dicatur corpus, partes, oportet, eam habeant conformationem, quam cuiusque perfectio, naturae debita, requirit. Poſſunt caput, manus, pedes, alia corporis membra, ſeorſum ſpectata, ſecundum ordinem, a natura ſancitum, ſic eſſe perfecta,*

 ut

ut in eorum forma, modo, omni ratione nullus reprehensioni locus, laudi contra et admirationi amplus pateat campus. Quae tamen partes, suis per se numeris absolutae, dedecorabunt corpus, nisi eam habeant molem ac modum, qui congruere corpori uideatur. Proinde corporis partes, necesse est, non singulae tantum ac separatim consideratae, sua gaudeant perfectione, sed etiam in ea, qua coaluerunt, compage, cum quodam iustae magnitudinis decore conueniant inter se, et ordine mensuraque conspirent. Tum demum existit illa corporis PVLCHRITVDO, quae, apta membrorum compositione, mouet oculos et delectat, hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiant. Quid hoc aliud est, quam pulchritudo est perfectio sensibus percepta? Vid. de Natural. pulchritud. orat. p. 27 et 29.

§ 72.

Deformitas est imperfectio sensibus percepta.

Animo informa feminam, ut TERENTIVS ait, rufam, caesiam, sparso ore, adunco naso, cuius exiguo corpori caput ingens, longi pedes, longae manus, et faciei contractae, aures promissae, dentes liuidi et color mustellinus iungantur, nonne deformem illam esse aies? Est enim hic imperfectio, partiumque dissensus, et nulla membrorum congruentia, nulla aequalitas obseruanda.

CAP. X.

De Ente Composito.

§ 73.

Notionibus communibus, generalioribusque entis affectionibus hactenus explicatis, nunc ad specialiorem entium diuisionem exponendam accedimus. Est autem omne ens uel *compositum* uel *simplex*. Quare compositi entis naturam proprietatesque

prietatesque primum confiderabimus, tum de ente fimplici commentabimur.

§ 74.

Vt autem, quae de ente compofito dicenda funt, intelligantur facilius, primo quidem loco, quid fint res, extra fe inuicem pofitae, definiemus.

§ 75.

Cum rei alicuius nobis fumus confcii, tanquam a nobis diftinctae et diuerfae, tum illam rem *extra nos* ponimus. Ea autem *extra fe inuicem poni* dicuntur, quae cogitamus, tanquam a fe diuerfa et diftincta.

E. gr. Cum folem et fidera tibi repraefentas, folem et fidera extra fe ponis. Solem porro et lunam extra fe inuicem ponimus, quia folem a luna diftinctum concipimus. Ita in hac menfa, quam coram uides, unam menfae partem extra alteram ponis, quatenus fcilicet quamlibet menfae partem ab alia diftinctam tibi repraefentas.

§ 76.

Illud ens, quod ex pluribus, a fe inuicem diftinctis, feu extra fe pofitis partibus conftat, dicimus *ens compofitum*.

E. gr. Arbor, menfa, liber funt entia compofita. Coagmentata enim funt ex pluribus partibus, a fe inuicem diftinctis, feu extra fe pofitis.

Ens compofitum, quod definiuimus, uocatur alias quoque *compofitum phyficum*, ut ab eo, quod *logice* feu mente tantum componi dicitur, diftinguatur. E. gr. Si in Deo omnia attributa, quae funt ipfe Deus, tanquam plura, a fe inuicem diftincta, et extra fe pofita, repraefentamus, tunc illa compofitio, qua Deus ex

pluribus attributis componi uidetur, dicitur compositio rationis siue logica.

§ 77.

Lucide hinc apparet, ens compositum per certam et determinatam partium, a se inuicem distinctarum, coagmentationem et iunctionem fieri compositum, et, ut alia aliaue est partium combinatio, ita inde oriri aliud aliudue compositum, manifestum est.

§ 78.

Intelligis nunc has positiones.

I. Essentia entis compositi consistit in modo compositionis earum partium, ex quibus constat compositum.

Per modum enim compositionis partium hoc praecise efficitur ens compositum, nec aliud (§ 76), quod ipsum constituit rei essentiam (§ 27).

Buccina, e. gr. et horologium sunt entia composita, a se plane diuersa. Distinguuntur autem a se inuicem per aliam aliamue partium connexionem, et structuram diuersam.

II. Quaecunque entia composita simili gaudent structura, ea sunt similia, quaecunque contra dissimilem compositionis modum habent, ea sunt dissimilia.

§ 79.

Extensum uocatur, quod habet partes, quarum unaquaeque extra alteram existit, easque inter se unitas.

E. gr. In hac mensa deprehendimus extensionem, propterea, quod in mensa partes sunt ita extra se inuicem

cem positae, ut pars A non sit ibi, ubi pars B, et B non sit, ubi pars C.

§ 80.

Continuum dicitur tum, cum eius partes eo ordine sunt iuxta se inuicem collocatae, ut aliae diuersae inter eas poni nullo modo possint.

E. gr. Massa aurea est compositum continuum, propterea, quod partes, totam massam constituentes, ita sunt inter se connexae, ut aliae, a massa aurea diuersae, partes interponi nequeant.

§ 81.

Interruptum est, si partes ita fuerint collocatae, ut aliae inter ipsas locum habere possint.

E. gr. Spongia uel cribrum sunt entia composita interrupta. Horum enim structura, totusque modus compositionis est eiusmodi, ut inter partes, laxius et per interstitia cohaerentes, aliae, a spongiae uel cribri partibus prorsus diuersae, partes possint interponi.

§ 82.

Contigua dicuntur entia composita, quae se ita contingunt, ut ipsa maneant plura, neutiquam uero unum efficiant extensum.

E. gr. Duo globuli, quorum superficies se mutuo ita contingunt, ut ipsi, licet sibi proxime coëxistant, nihilo minus maneant duo globuli.

§ 83.

Ex his conficitur,

I. Quod omne ens compositum debeat esse extensum.

Ens enim compositum constat partibus a se inuicem distinctis, inter se autem connexis (§ 76): quo ipso τὸ extensum continetur (§ 79).

II. Quod entia compoſita contigua non ſint ideo continua.

Quia inter entia contigua, quamuis ſe contingant, plures partes poſſunt interponi; nec unum extenſum efficiunt, ſed manent duo entia compoſita (§ 82).

§ 84.

Ad reliquas entium compoſitorum proprietates intelligendas opus eſt, ut notiones quasdam, huc pertinentes, ante explicemus, et, quid ſit *ſpatium*, *locus*, *figura*, *tempus*, *motus*, definiamus.

§ 85.

Spatii uox nonnullis uiſa eſt pertinere ad eas, quibus nulla ſubiecta eſt ſententia.

Alii, phantaſia, inepte ſedula, deluſi, ſpatium quoddam corporum receptaculum exiſtimant.

§ 86.

Vt ſpatii notio diſtincta formari queat, ad haec attendendum eſt.

I. Experientia teſtatur, plura entia compoſita ſibi coëxiſtere, ita, ut, dum A, B, C, D exiſtunt, exiſtant ſimul E, F, G. Haec plura entia compoſita, quae ſimul exiſtunt, dicuntur *ſimultanea*.

II. Dum ad haec entia compoſita, quae ſimul exiſtunt, attendimus, obſeruamus, τὸ A alio plane modo coëxiſtere τῷ B, quam coëxiſtit idem A τῷ C, uel D. Diſtinguimus itaque modum, quo A coëxiſtit τῷ B, a modo, quo idem coëſtit τῷ C uel D.

III. Hinc

III. Hinc intelligis, eiusmodi omnino ordine haec ſimultanea iuxta ſe inuicem collocari, ut diſtantia inter A et B ſit plane diuerſa a diſtantia, quae conſpicienda eſt inter idem A et D.

IV. Cum cogitamus hunc ordinem, qui conſpicitur in modo, quo plura ſimultanea A, B, C, D ſibi coëxiſtunt, reuera cogitamus id, quod dicitur *ſpatium*, neque fieri poteſt, ut res, extra ſe inuicem coëxiſtentes, nobis repraeſentemus, quin iisdem adhaereat notio *ſpatii.*

§ 87.

His obſeruatis, intelligis nunc WOLFFII definitionem, qui *ſpatium* explicat per ordinem ſimultaneorum, quatenus ſcilicet coëxiſtunt.

E. gr. Plura aedificia, quae ſimul exiſtunt, certam quandam relationem, certumque ordinem, ratione ſuae coëxiſtentiae, inter ſe ſeruant. Quae quidem relatio, quae inter aedificia coëxiſtentia intercedit, prout alia, aliaue eſt, ita aliud aliudue ſpatium inde exſurgit. Spatium ergo ſine relatione aliqua ad corpora coëxiſtentia concipi non poteſt.

§ 88.

Ex definitione ſpatii patet,

I. Spatium a rebus ſimul exiſtentibus eſſe prorſus diuerſum.

Quemadmodum enim, ſi res adfuerint numeratae, non poteſt non adeſſe numerus, numerus autem non eſt ipſa res numerata, et, quemadmodum, rebus numeratis ſublatis, numerus exiſtere ceſſat, ita etiam, cum plures res ſimultaneae certo quodam ordine coëxi-

ſtunt,

ſtunt, oritur *ſpatium*, ſpatium autem illud, quod a rebus ordinatis et coexiſtentibus oritur, non ſunt ipſae res ordinatae. Quod quidem ſpatium, rebus coexiſtentibus ſublatis, non poteſt non rurſus euaneſcere, fere, uti numerus, rebus numeratis ſublatis, euaneſcit.

II. Omnia compoſita inſunt ſpatiis.

Praeter diſtinctam *ſpatii* notionem datur adhuc quaedam ſpatii notio imaginaria. Scilicet imaginatio nobis ſiſtit ſpatium, tanquam ens reale, actu exiſtens, extenſum, uniforme, continuum. Quo ipſo ſpatium ſibi repraeſentant homines, tanquam receptaculum, a rebus omnicus uacuum, in quo aliquid reponere queamus.

§ 89.

Locus eſt determinatus modus coëxiſtendi ceteris.

§ 90.

De loco haec obſerua:

I. Locus non eſt ipſa res, quae eſt in loco, nec cum intrinſeco rei ullam habet connexionem.

II. Ratio, cur ens aliquod ſit hic, nec alibi, non eſt in loco.

§ 91.

Tempus eſt ille ordo, qui obſeruatur in rerum ſucceſſione.

§ 92.

Ad notionem temporis diſtinctius formandam haec maxime pertinent.

I. Entia, quorum alterum eſſe incipit, alterum uero eſſe deſinit, dicuntur *ſucceſſiua entia.*

entia. In his entibus ſucceſſiuis obſeruamus α) aliquod, quod adeſt actu, et appellatur *praeſens.* β) Cum id, quod praeſens erat, eſſe deſinit, et in ſtatum merae poſſibilitatis recidit, tum uocatur *praeteritum.* γ) Cum ens aliquod, quod mere adhuc eſt poſſibile, ſed ad actum deducetur, tum appellatur *futurum.*

II. Ordo in his ſucceſſiuis eſt id ipſum, quod *tempus* uocamus.

III. Intelligitur hinc, ubi nullum locum habent res ſucceſſiuae, quarum altera eſſe incipit, altera eſſe deſinit, ibi tempus nullum habere locum.

IV. Quam parua ſucceſſiua poſſumus a ſe inuicem diſtinguere, tam minuta temporis momenta ſeu tempuſcula poſſumus ſtatuere.

§ 93.

Motus eſt loci mutatio, perſeuerantia autem in eodem loco dicitur *Quies*, quicquid autem moueri, ſiue locum mutare poteſt, illud uocamus *mobile.*

§ 94.

Locus non obſtat, quo minus poſſit quodlibet ens moueri.

Quia ratio ſufficiens, cur ens aliquod ſit hic, nec alibi, non eſt in loco.

§ 95.

Cum partes, ex quibus conſtat compoſitum, a ſe inuicem ſeparantur, tum dicitur compoſitum *diuidi.*

§ 96.

Quia ergo ens compoſitum non neceſſario locum ſuum occupat (§ 94), partes poſſunt a ſe inuicem ſeparari, atque adeo, *omne ens compoſitum eſſe diuiſibile*, patet.

§ 97.

Magnitudinem diximus eſſe multitudinem partium (§ 49), ut adeo, cum ens compoſitum conſtet partibus (§ 76), *idem certa quadam magnitudine gaudere*, manifeſtum ſit.

§ 98.

Si partes quaedam ad compoſitum accedunt, tum compoſitum fit *maius*, ſi uero partes quaedam ab eo ſeparantur, tum compoſitum fit *minus*.

§ 99.

Compoſitum ergo maius minusque fieri poſſe, ex his, quae diximus, cumulate probari poteſt. Quia enim partes in ente compoſito locum mutare poſſunt (§ 94), quid obſtat, quo minus nouae partes ad compoſitum accedant, aliae uero ab ipſo ſeparentur.

§ 100.

Metiri ſiue *menſurare* ens compoſitum dicimur, ſi eius magnitudinem ad alteram datam magnitudinem exigimus. E. gr. Si ad ulnae cuiusdam uel fili magnitudinem inueſtigaueris menſae magnitudinem, tum diceris, menſam *menſurare*. Ipſum autem filum, ad cuius magnitudinem inueſtigatur menſae magnitudo, dicitur *menſura*.

§ 101.

§ 101.

Dubitari ergo non poteſt, omne ens compoſitum poſſe menſurari, quia conſtat magnitudine (§ 97).

§ 102.

Figura dicitur limes entenſionis.

Definitio poteſt exemplo figurae libri cuiusdam illuſtrari. Liber habet extenſionem, at limitibus definitam (non enim eſt liber in infinitum extenſus), quae extenſionis limitatio conſtituit figuram, quae alia aliaue eſt, prout alio alioue modo limites extenſionis mutantur.

§ 103.

Quandoquidem ad ens compoſitum nouae poſſunt partes accedere, et quaedam decedere (§ 99), intelligitur, limites extenſionis in ente compoſito poſſe mutari. *Figuram ergo entis compoſiti eſſe mutabilem, lucide apparet.*

§ 104.

Ex his omnibus pateſcit, quam demum cunque in ente compoſito cogitaueris mutationem, eam, niſi per *motum*, fieri non poſſe.

Siue enim maius ſit ens compoſitum ſiue minus, ſiue transponuntur partes, aliaque inde figura emergit, ſemper partes mutabunt locum, atque adeo mouebuntur.

CAP. XI.

De Ente ſimplci.

§ 105.

Enti compoſito opponitur *ens ſimplex*, de quo, quia contrariorum contrariae eſſe ſolent proprietates,

prietates, ea negantur, quae entium compoſitorum eſſe propria, hactenus commonſtrauimus.

§ 106.

Qui ergo ens compoſitum id diximus, quod conſtat ex partibus, extra ſe inuicem poſitis, ſed inter ſe iunctis (§ 76), conſequens eſt, ut *ens ſimplex* nihil ſit aliud, quam eiuſmodi ens, quod non conſtat ex partibus.

E. gr. *Mens humana, Deus*, de quorum ſimplicitate quemadmodum deinceps ſpecialius exponemus; ita nunc in eo ſumus, ut, quae ſint entis ſimplicis, generatim conſiderati, proprietates, dilucidius explanemus. Neque adeo de eo nunc magnopere ſoliciti ſumus, num exiſtant entia ſimplicia, ſed, quae ſit eorum, ſi exiſtunt, natura, quae attributa, explicandum ducimus. Sunt, qui entium ſimplicium exiſtentiam ex eo, quod dentur entia compoſita, demonſtrari poſſe, exiſtimant. Atque hi ita ratiocinando procedunt. *Si*, inquiunt, *dantur entia compoſita, tunc dantur eiusmodi entia, quae ex partibus conſtant.* Illae partes, ex quibus entia compoſita conſtant, aut ſunt rurſus entia compoſita aut ſimplicia. Si ſunt entia compoſita, nouis rurſus gaudent partibus. Atque ita hae nouae partes ſunt rurſus entia compoſita, aut ſimplicia, ſin illud, in nouas denuo partes reſolui debent, idque in infinitum, quod fieri non poteſt, ſin hoc, conſequens eſt, ut, ſi dantur entia compoſita, debeant dari entia ſimplicia, quae uocari ſolent a nonnullis prima entium compoſitorum ſtamina et elementa, ab aliis appellantur *monades*, aut *atomi*, de quibus in coſmologia ſpeciatim agetur.

§ 107.

Entis ſimplicis proprietates his habeto propoſitionibus.

I. Ens

I. Ens ſimplex non eſt extenſum.

Non enim habet partes (§ 106), ad extenſionem uero requiruntur partes (§ 79).

II. Ens ſimplex caret omni magnitudine.

Ad magnitudinem enim conſtituendam requiritur multitudo partium (§ 97), quae uero in ens ſimplex non cadunt (§ 106).

III. Neque figura tribui poteſt enti ſimplici.

Quia non eſt extenſum (§ 107), figura uero efficitur limite extenſionis (§ 102).

IV. Ens ſimplex eſt indiuiſibile.

Quomodo enim diuidi poterit id, quod nullam admittit partium ſolutionem (§ 102)?

§ 108.

Oriri ens ſimplex dicitur, quando exiſtentiam accipit, qua ſi priuatur, illud dicimus *interire.*

§ 109.

I. Si ens ſimplex abſolute neceſſario exiſtit, tum illud oriri non poteſt.

Si enim oriri poſſet, exiſtere coepiſſet, atque adeo aliquando non exſtitiſſet. Ens abſolute neceſſarium non poteſt non exiſtere (§ 53), oriri ergo non poteſt.

II. Quae ergo entia ſimplicia oriuntur, ea ſunt contingentia.

III. Ens autem ſimplex, contingenter exiſtens, ex ente compoſito oriri nequit.

Finge enim, illud oriri ex ente compoſito, tum orietur uel per partium combinationem, uel per earum transpoſitionem, uel per diuiſionem et ſolutionem. Combina partes. Quid inde orietur? Maius compoſitum (§ 98).

(§98). Transpone partes, atque ex loco eas in locum transfer. Quid inde emerget? Aliud compositum, siue alia entis compositi figura. Solue et diuide partes. Quid inde exsurget? Minus compositum. Quamuis enim ex partium solutione, paullo diutius continuanda, uideri posset oriri ens simplex, propterea, quod nonnulli, ut diximus, in partium solutione, deueniunt cogitando usque ad entia simplicia; manifestum tamen est, ex partium, in commpsito reperiundarum, diuisione neutiquam oriri ens simplex, sed iam in eo existere. Intelligis ergo ex his, *ex composito ens simplex oriri non posse.*

IV. Ex simplici ente ens simplex oriri nequit.

Quia enim omne ens simplex est indiuisibile (§ 107 pos. IV), sequitur, ut ens simplex A ex ente simplici B suam accipere existentiam non possit. Sic enim ens simplex A separaretur ab ente simplici B. Aliud autem est, EX ente simplici, tanquam materia, oriri, aliud A B ente simplici, tanquam caussa efficiente, oriri. Illud negamus, hoc affirmamus. Animae enim humanae, aliaeque entia simplicia A Deo orta sunt, quamuis EX Deo orta esse dici non possint.

V. Quid ex his efficitur? Quid? Nihil aliud, nisi hoc, ens simplex oriri debere ex nihilo? Quandoquidem neque ex composito, neque ex simplici oriri illud potest, restat, ut, ex nihilo illud ortum suum trahere, affirmemus.

Caue autem has duas propositiones commisceas:

A nihilo oriri, et *ex nihilo oriri.* Prior concedi non potest, posterior potest.

VI. Ens simplex, cum oritur, debet oriri *in instanti*, i. e. in eius ortu non possunt partes cum partibus successiue iungi et combinari, quemadmodum id fieri solet in ortu entium compositorum.

Ratio

Ratio in promtu eſt, Ens ſimplex caret partibus (§ 106), atque adeo fieri non poteſt, ut in eius ortu partes cum partibus ſucceſſiue combinentur. Oriri ergo debet ens ſimplex in inſtanti, i. e. exiſtentiam accipit ſine ſucceſſione.

VII. Ens ſimplex, cum interit, interire alio modo non poteſt, niſi ut annihiletur.

Fac enim, ens ſimplex, cum interit, non annihilari, tum, cum interit, ita exiſtere deſinet, ut eius aliquid adhuc amplius exiſtat. Hoc modo ens ſimplex erit diuiſibile, quod eſt contra § 107.

VIII. Ens ſimplex, quod abſolute neceſſarium eſt, non poteſt interire.

Ens enim ſimplex, quod abſolute neceſſario exiſtit, non poteſt non exiſtere (§ 53). Si uero interiret, poſſet etiam non exiſtere.

CAP. XII.

De Subſtantia et Accidente.

§ 110.

Vt intelligi queat, quid ſit *ſubſtantia*, ante, ex methodi lege, definiendum putamus, quid ſit *actio*, quid *paſſio*, quid *uis agendi*.

§ 111.

Actio eſt mutatio ſtatus, cuius ratio ſufficiens continetur in ipſo ſubiecto mutato.

Quam definitionem ut reddamus euidentiorem, primum addemus exemplum, deinde, quid per *ſtatum*, quid per *mutationem* intelligatur, determinabimus. E. gr. Dum ſcribo, *agere* quid dicor. Eſt enim in me tum, cum ſcribo, mutatio. Cuius quidem mutationis debere adeſſe rationem ſufficientem et quendam quaſi

fontem, ex quo ipſa fluat, intelligis ex rationis ſufficientis principio. Illa autem ratio cum in memetipſo reperiatur, (dum enim ſcribo, mutatio non ab alio quodam in me producitur, ſed ipſe me ad ſcribendum determino), facile uides, me, dum ſcribo, aliquid *agere* dici. Adeſt enim α) *mutatio*, β) ratio ſufficiens huius mutationis in *me ipſo*, tanquam in ſubiecto mutato, continetur. Mutationem definimus per uariationem modorum ſiue accidentium, quae uariatio alias quoque uocatur *modificatio*, et id, quod eiusmodi modorum uariationi obnoxium eſt, appellatur *ſubiectum modificabile*.

Statum THVMMIGIVS explicat per determinationem mutabilium. Si quis e. gr. eruditione perpolitus praeditusque uirtute eſt, in alio prorſus uerſari dicitur ſtatu, quam is, qui litterarum eſt imperitus, iners, uecors, omnibusque uitiis coopertus. *Eruditio* et *uirtus* (id quod, uel me non monente, intelligis), ſunt in homine mutabilia quaedam. Poſſunt enim adeſſe uel abeſſe. Si uero adſunt uel eruditio, uel pietas, tum certo quodam et determinato modo cum iis, quae homini perpetuo inſunt, ſimul in homine exiſtunt, et, quamuis ſint accidentia mutabilia, determinata tamen nunc gaudent exiſtentia. Dum enim adſunt, fieri non poteſt, ut ſimul non adſint. Adesſentia itaque eruditionis et uirtutis certum hominis *ſtatum* conſtituit.

§ 112.

Actioni opponitur *paſſio*, quae eſt mutatio, cuius ratio ſufficiens deprehenditur extra ſubiectum mutatum.

Cum quis gladio aut ictu fulminis percutitur, *pati* quid dicitur. Accidit enim in ipſo mutatio, eiusque mutationis ratio extra perſonam, quae mutatur, in alio quodam reperiunda eſt.

§ 113.

§ 113.

Vis agendi eſt continuus conatus ſiue niſus proximus agendi, ſiue eſt tendentia entis continua ad mutationes, producendas. Vis autem agendi probe eſt diſtinguenda a *potentia actiua* ſiue *facultate*, quae eſt mera agendi poſſibilitas.

E. gr. In globo ſuſpenſo deprehendimus continuum conatum deſcendendi et ſtatum ſuum mutandi. Qui quidem conatus, remoto impedimento, actu ſe oppido exſerit. Menti humanae tribuimus *facultatem fingendi*. Non fingit ſemper anima actu, ſed quia fieri poteſt, ut, data occaſione, fingat, ipſi tribuimus poſſibilitatem ſiue facultatem fingendi.

§ 114.

Hinc has fluere poſitiones, intelligis:

I. Ex ſola agendi potentia nulla ſequitur actio, et ex ſola patiendi potentia nulla oritur paſſio.

Quia a poſſe ad eſſe non ualet conſequentia (§ 23).

II. Poſita ui, ponitur actio, niſi adſit impedimentum.

Poſita enim ui, ponitur id, in quo continetur ratio ſufficiens, cur reuera detur et exiſtat actio (§ 23 poſ. II). Poſita uero ratione ſufficiente alicuius rei, ponitur id, quod rei producendae aptum eſt et ſufficiens, adeoque ipſa res ponitur, E. poſita ui, ponitur actio. Si uero impedimentum adfuerit, tunc eiusmodi quid obſtat, quod in ſe continet rationem ſufficientem, cur actio non perueniat ad exiſtentiam.

§ 115.

Subſtantiam definit LEIBNITIVS per ens, quod ui agendi eſt praeditum, ſiue, quod idem eſt, quod principium mutationum ſuarum in ſe continet.

WOLFFIVS, eine Substantz, inquit, ist dasjenige, welches die Qvelle seiner Veränderung in sich hat, Metaphysic. Germ. § 114.

Ita quoque *substantia* poteſt definiri: *eſt ſubiectum perdurabile et modificabile*, i. e. *quod ſuſtinet accidentia et modos.*

E. gr. Mens humana eſt perdurabile quid, quatenus illam conſidero, tanquam ſubiectum illud, quod multis gaudet accidentibus, innumerasque habet facultates. Multis enim modis et accidentibus eſt obnoxia, nunc enim cogitat, nunc iudicat, nunc appetit, nunc auerſatur, etc.

Diuiſiones *ſubſtantiae* nec omnes, nec nullas adferamus. α) *Subſtantia* diſpeſcitur in ſubſtantiam *primam* et *ſecundam*. Illam alias diximus *indiuiduum*, e. gr. Petrus, Paullus; ad hanc referimus Genera et Species, e. gr. Spiritus, homo, anima, conf. Log. § 46. β) Subſtantia eſt uel *communicabilis*, uel *incommunicabilis*. Illa eſt, quae pluribus poteſt competere, haec, quae non poteſt. γ) Eſt uel *completa* uel *incompleta*, illa eſt, quae ex ſua natura non ordinatur ad conſtituendam ſubſtantiam aliquam tertiam, haec, quae ad tertiam ſubſtantiam conſtituendam ordinata eſt, e. gr. anima humana eſt ſubſtantia incompleta. Eſt enim ad id ordinata, ut, cum corpore organico unita, ſubſtantiam tertiam conſtituat, ſcil. hominem. Angelus eſt ſubſtantia completa.

Addenda eſt definitio *ſuppoſiti*, quod eſt ſubſtantia ſingularis incommunicabilis et completa. Hic liber eſt ſuppoſitum. Eſt enim α) indiuiduum ſiue ſubſtantia ſingularis, β) eſt ſubſtantia incommunicabilis, γ) eſt ſubſtantia completa.

Perſonam definiunt ueteres per ſuppoſitum intelligens. Ex quo intelligis, animam humanam non poſſe dici perſonam. Eſt enim anima humana ad id ordinata, ut, cum corpore iuncta, conſtituat tertiam ſubſtantiam. Adeoque non eſt ſubſtantia completa, neque ſuppoſitum.

§ 116.

§ 116.

Omnes illae determinationes, quae in ſubſtantia deprehenduntur, ſiue conſtantes et perpetuae ſint, ſiue mutabiles, uocari ſolent *accidentia*.

Sumimus uocem accidentis paullo latius, pro omni ſcil. eo, quod non eſt ſubſtantia. Veteres uocabant *accidens praedicamentale*. Supra uero uocem *accidentis* ita accepimus, ut id opponeremus attributis, quod quondam uocabatur *praedicabile*.

CAP. XIII.

De Ente finito et infinito.

§ 117.

Sequitur, ut de entis finiti infinitiue differentia exponamus.

§ 118.

Limes eſt nihil aliud, quam defectus ulterioris realitatis.

Ad definitionem hanc diſtinctius intelligendam, limites corporis alicuius, e. gr. huius menſae tibi repraeſenta. Quid quaeſo, cogitas cum limites huius, quam coram uides, menſae animo informas. Nonne, cum, quae adſunt, partes reales eſſe deſinunt, limites incipiunt? Vt adeo limites recte conſtituamus in defectu ulterioris realitatis.

§ 119.

Limites ſi in entibus compoſitis deprehenduntur, oritur inde *figura* (§ 102). Limites in entibus ſimplicibus uocantur *gradus*.

E. gr. Mentis humanae cognitio limitibus eſt definita, ita ut nec omnia, nec, quae cognoſcit, diſtinctiſſime cognoſcere queat.

§ 120.

Hinc intelligi nunc possunt sequentia Theoremata:

I. Quod limitibus est circumscriptum, non omnia ea habet, quae habere potest.

Omne enim limitatum caret quibusdam realitatibus (§ 118), adeoque nondum omnia habet, quae potest habere.

II. Eo, quod limitibus est definitum, maius quid concipi potest.

III. Quod est limitibus circumscriptum, successiue alios atque alios status potest habere.

Quod est limitibus definitum, nondum habet omnia, quae habere potest. Atque adeo alia atque alia possunt accedere.

§ 121.

Quicquid habet limites, illud dicitur *ens finitum*, siue *limitatum*, quicquid uero caret limitibus, illud appellamus *illimitatum*, siue *infinitum*.

§ 122.

I. Omne ergo ens finitum nondum omnia ea habet actu, quae habere potest.

E. gr. Mens humana est ens finitum, atque ob ipsam suam finitudinem nondum habet actu omnia, quae habere poterat. Alia nosti hodie, quae heri plane ignorabas, alia cras scies distinctius, quae confuse hodie et obscurius percipis, secundum illud TERENTII:

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad uitam fuit,
Quin res, aetas, usus, semper aliquid adportet et noui,

Aliquid

Aliquid moneat, ut illa, quae te ſcire credas, neſcias,
Et, quae tibi putaris prima, in experiundo ut repudies.
Adelph. Act. V Sc. 4.

II. Ente finito maius quid concipi poteſt (§ 120 & 121).

III. Ens infinitum debet omnes realitates, quae tantum ſunt in ipſo poſſibiles, actu poſſidere.

Quia caret limitibus (§ 121), adeoque nullus in ipſo realitatis defectus eſt reperiundus (§ 118).

IV. Ens infinitum omnes realitates poſſidet ſine ullo gradu.

Quia gradus iam inuoluit limites (§ 119), qui ab ente infinito remoueri debent.

V. Ens infinitum nullam admittit ſucceſſionem.

Quia omnes realitates actu habet, atque adeo aliae aliaeue ſucceſſiue accedere nequeunt.

VI. Ens infinitum nullius mutationis eſt capax.

Quia ubi omnia iam actu adſunt, neque accedere quicquam poteſt, neque deminui.

VII. Duo entia infinita nec dantur, nec dari poſſunt (Conf. § 42 poſ. IV).

CAP. XIV.

De Principiis et Cauſſis.

§ 123.

Quae ſint entium diſcrimina, hactenus expoſuimus. Reſtat, ſut, qua ratione alterum ad

alterum referatur, cum eoque connectatur, explicemus.

Hic ergo aliud ens, deprehendemus, esse *caussam*, aliud *caussatum* siue *effectum*, aliud *principium*, *principiatum* aliud.

§ 124.

Principium est nihil aliud, quam omne id, unde aliquid quocunque modo dependet, siue, quod in se continet rationem alterius. Ens enim B ab ente A dependet, si ens A continet in se rationem, cur ens B sit. id, quod ab altero dependet, dicitur *principiatum*.

E. gr. Solis splendor est principium diei, propterea, quod dies a solis splendore dependet. Dies uero in respectu ad solis splendorem, dicitur *principiatum*.

Varie diuidebant Scholastici *Principium*. α) Aliud est *principium essendi*, in quo est ratio, cur alterum sit, e. gr. Deus, respectu mundi, aliud *principium fiendi*, in quo reperitur ratio, cur alterum fiat, aliud denique *principium cognoscendi*, e. gr. haec propositio: *anima est ens simplex*, in respectu ad hanc, *anima est immortalis*. Haec enim dependet ab illa. β) Principium diuiditur in *causale*, et *non causale*, illud est, quod rem aliquam reuera producit, e. gr. Deus, respectu mundi, est principium caussale. Principium non caussale est, quod quidem rem producendam praecedit, at eam non producit, e. gr. *aurora*, *respectu diei*. γ) Principium cognoscendi dispescitur in *complexum* et *incomplexum*. Illud est integra propositio, a qua ceterae dependent, e. gr. *quicquid scriptura sacra dicit, illud est uerum*. Hoc uero est terminus aliquis, qui in conclusione aliqua inferenda, loco medii termini, est, e. gr. *scriptura sacra*.

§ 125.

§ 125.

Nexus eſt illa rerum ad ſe inuicem relatio, ui cuius unum continet rationem alterius, et *connexa* ea dicuntur, quorum unum in ſe continet rationem, cur alterum exiſtat.

E. gr. Inter patrem et filium eſt nexus, item, inter bellum et calamitates, inter intemperantiam et uarii generis morbos, inde oriundos. Ratio enim, cur filius exiſtat, eſt in patre, et, cur tot calamitates cum ciues, tum ruſticos affliѓent, deprehenditur ratio in bello.

§ 126.

Intelligi nunc facillimo negotio poteſt, quid ſit *cauſſa*. Illud ſcilicet principium a quo alterius exiſtentia dependet, ſiue, quod continet rationem in ſeſe, cur alterum exiſtat, dicitur cauſſa. Id uero, quod a cauſſa dependet, uocatur *cauſſatum*, ſiue *effectus*.

Latius patet notio *principii*, quam notio *cauſſae*. Omnis cauſſa eſt principium, at non omne principium dici poteſt cauſſa.

Veteres omnes cauſſas dicebant eſſe uel *internas*, uel *externas*. His annumerantur α) *cauſſa efficiens, a qua* res eſt, β) *cauſſa finalis, propter quam* res eſt. Ad internas refertur 1) *cauſſa materialis*, ex qua res eſt, 2) *cauſſa formalis*, per quam res eſt. De ſingulis ſigillatim.

§ 127.

Cauſſa efficiens, quae proprie et κατ' ἐξοχὴν cauſſa eſt, nihil eſt aliud, quam id, quod per actionem ſuam continet rationem ſufficientem, cur alterum exiſtat, ſiue, quod ui ſua alterum producit.

E. gr. Deus produxit hunc mundum, atque adeo eſt cauſſa efficiens huius mundi. *Voluptas* eſt cauſſa innume-

numerabilium malorum, quorum nonnulla recenſet CICERO de Seneſt. cap. 14.

Cauſſa efficiens a Philoſophis uarie diuidi ſolet. α) Cauſſa efficiens eſt uel *libera*, uel *neceſſaria* et *naturalis*. Illa ita agit, ut poſſit quoque actionem omittere, e. gr. CATO cauſſa libera erat mortis ſuae, poterat etiam manus ſibi non inferre. Haec uero, natura ſua intrinſeca ad agendum impulſa, non poteſt non agere, e. gr. cum ignis lignum comburit, cum uenenum per uenas diffuſum corpus conficit. β) Cauſſa efficiens eſt uel *uniuoca*, uel *aequiuoca*. *Illa* effectum eiusdem naturae et ſpeciei producit, *haec* effectum diuerſae naturae et eſſentiae, e. gr. Pater eſt cauſſa uniuoca filii, eſt enim filius eiusdem cum patre naturae. Deus eſt cauſſa aequiuoca huius mundi, quia produxit hunc mundum, qui tamen eſt diuerſae naturae et ſpeciei. γ) Cauſſa efficiens eſt uel *principalis*, quae effectum producit, uirtute propria, uel *inſtrumentalis*, quae ui aliena effectum producit, e. gr. Deus eſt cauſſa efficiens principalis Scripturae ſacrae, Prophetae autem et Apoſtoli, ſunt cauſſae inſtrumentales. δ) Cauſſa efficiens eſt uel *phyſica*, uel *moralis*. Illa eſt, quae immediate uera et reali actione effectum producit, ſi uero quid effectum mediate et per alium ad exiſtentiam perducit, tum dicitur cauſſa moralis. Cum Alexander M. Cliti latus haſta tranſigeret, tum huius caedis erat *cauſſa phyſica*. Vid. CVRT. L. VIII cap. 1. Cauſſa phyſica incendii, quo Perſepolis conflagrabat, itidem erat Alexander, qui, teſtante CVRTIO, primus ignem regiae iniecit, idque ſuaſu Thaidos, quae temulenta pellex regem incitauerat ad urbem incendendam. Haec itaque erat cauſſa moralis tam funeſti incendii, quo regia totius orientis concidebat. Vid. CVRT. L. V c. 7. Cauſſa autem moralis ad effectum producendum adiumentum adfert his fere rationibus. Si quis fuerit 1) *mandans*, 2) *conſulens*, 3) *ratihabens*, 4) *laudans*, 5) *conſentiens*, 6) *prouocans*, 7) *non impediens*, *cum impedire poſſet*. Caeterum obſerua, effectum cauſſae morali aeque imputari, ac cauſſae

caussae physicae. CICERO ergo recte putat, quod is sciens in errorem inducat alterum, qui ruere alterum, et per errorem in maximam fraudem incurrere patiatur. *Vendat*, inquit, *aedes*, *uir bonus*, *propter aliqua uitia*, *quae ipse nouit*, *ceteri ignorent*: *pestilentes sint*, *et habeantur salubres*, *ignoretur*, *in omnibus cubiculis apparere serpentes*; *male materiatae*, *ruinosae*: *sed hoc*, *praeter dominum*, *nemo sciat*. Quaero, si hoc emtoribus uenditor non dixerit, aedesque uendiderit pluris multo, quam se uenditurum putarit, num id iniuste ac improbe fecerit? Iniuste uero ac improbe. De Off. Lib. III cap. 13 collat. 17. ε) Caussa efficiens praeterea distinguitur in caussam efficientem *per se*, et caussam efficientem *per accidens*. Philosophia e. gr. est caussa per se bonae, et regulis Logicae conuenienter institutae, ratiocinationis. Est autem caussa per accidens opinionum monstrosarum et pestiferarum. Mali mores sunt caussa per se multarum calamitatum et infortunii multiplicis, at sunt caussa per accidens bonarum legum. ζ) Caussa porro est uel *proxima*, uel *remota*. Haec est, a qua effectus, interuenientibus aliis caussis dependet. *Caussa* uero *proxima* est, a qua effectus, nulla alia caussa interueniente, dependet. Voluptas, superbia, et barbara feritas Tarquinii, Regis Romanorum, erant caussa remota libertatis Reipublicae Romanae, caussa proxima fuit BRVTVS. LIVIVS L. II c. 1. η) In *sufficientem* denique et *insufficientem* caussam nonnulli dispescere consuerunt. Sed, si dicendum, quod res est, caussa insufficiens non potest dici uera caussa. Huc referebant ueteres *conditionem*, *sine qua non*, quae quidem non, ut caussa, effectum producit, at sine qua caussa effectum producere nequit. E. gr. Si alterius uoluntatem a uitiis ad uirtutem, a libidine ad temperantiam traducere uelis, peropus est, ut ante remoueantur praeiudicia, quibus mens est corrupta. Quae quidem praeiudiciorum exstirpatio non est caussa emendationis uoluntatis, at est *conditio sine qua non*.

§ 128.

§ 128.

His caussae efficientis diuisionibus subiungemus positiones sequentes.

I. Nihil est caussa sui ipsius, siue nihil semetipsum potest producere.

Fingas enim, aliquid semetipsum producere, tum illud, quod semetipsum producere fingitur, et existit, et simul non existit. Existit, alias se producere non posset. Non existit, quia demum se producere, et sibi existentiam largiri fingitur. Hoc uero fieri nullo modo potest (§ 21). Fieri ergo quoque nequit, ut aliquid semetipsum producat.

II. Qualis caussa uniuoca, talis quoque effectus.

Caussa enim uniuoca et effectus sunt eiusdem naturae et essentiae.

III. Caussa caussae est etiam caussa caussati.

Bruti filios, LIVIVS narrat, fuisse caussas conspirationis de regibus recipiendis. Fuere ergo quoque caussae ignominiosi supplicii, quod de ipsis sumebatur. LIV. L. II c. 4.

IV. Caussa absolute eadem, contrarios effectus producere nequit.

Si eadem caussa A potest effectus B et C, sibi contrarios, aeque, bene, et facile producere, tunc, si producit B, non est ratio, cur non producat C, et uice uersa. Conf. CARPOV. in dissert. de poenis necessitati hypothet. non contrariis § 6.

V. Non potest esse plus in effectu, quam fuit in caussa, siue: Effectus plenus aequipollet caussae plenae, seu uiribus caussae integris.

Ratio huius propositionis manifesta est. Si enim plus in effectu dixeris, quam fuit in caussa, illud *plus* non depen-

dependet a caussa quapiam, quod est contra principium rationis sufficientis. Num putas, ut hoc utar, a duobus, uel tribus granulis pulueris pyrii aedificium magnae molis fundamentis suis conuulsum, collabi posse? At experientia uidetur positioni nostrae aduersari. Constat enim inter omnes, saepius ex leuissimis iniuriis maximas ortas iras, et ex maximis iniuriis saepe leues indignatiunculas, secundum illud TERENTII:

Non maximas, quae maximae sunt interdum iniuriae, iras
Faciunt, nam saepe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est,
Cum de eadem caussa est iracundus factus inimicissimus,
Pueri inter sese quam pro leuibus noxiis iras gerunt.
Hecyr. Act. III Sc. I.

Vide, quam parum hic caussae congruant et effectus. Ad quid hic responderi possit, infra de affectibus docebimus. Vid. ERNESTI Disput. de emend. volunt. per saltum § 12, Lips. 1730 hab.

§ 129.

Haec de caussa efficiente. Ad externas caussas refertur praeterea *caussa finalis.*

Est autem *finis* nihil aliud, quam id, cuius gratia caussa efficiens operatur, siue: est id, quod caussa efficiens per actionem suam cupit obtinere.

REGVLVS reuertebatur Carthaginem, idque ideo, ut iusiurandum conseruaret. En finem reditus! Vid. CIC. L. III de Off. c. 28. TERENTIVS in conficiendis fabulis hunc sibi proposuerat finem, et id sibi negotii credidit solum dari,

Populo ut placerent, quas fecisset, fabulae. Prol. in Andr.

Finis α) distinguitur in *finem principalem*, ob quem solum ens intelligens agit, et in *finem minus principalem,*

palem, siue *secundarium*, propter quem quis ita agit, ut, si non praeterea alium sibi finem propositum haberet, non ageret. Finis princeps poetarum in carminibus pangendis debet esse, ut *prosint*, secundarius, ut *delectent*. Vid. HORAT. Art. Poet. v. 333. CICERO de fine diuitiarum primario et secundario ita: *Expetuntur diuitiae tum ad usus uitae necessarios, tum ad perfruendas uoluptates.* L. I de Off. c. 8. β) Finis est uel *proximus*, qui, nullo alio mediante, intenditur, *remotus*, qui non, nisi aliis finibus interuenientibus, intenditur.

Librum e. gr. tibi emis, idque ideo, ut inde haurias eruditionem. *En finem proximum!* at eruditionem ideo uis haurire ex libro, ut aliquando felix euadas, et dignitate cum otio perfruaris. *En remotum finem emtionis libri!*

§ 130.

Medium uocatur id, quod in se continet rationem, cur finis existentiam consequatur. Medio opponitur *impedimentum*, quod nihil est aliud, quam id, quod in se continet rationem, cur aliquid ad existentiam non perueniat.

Virtus est medium honoris. In uirtute enim continetur ratio sufficiens, cur, quem intendis, finis, scil. honor, ad existentiam perueniat. In ignauia est ratio sufficiens, cur eruditio, tanquam finis, non ad existentiam perueniat, atque adeo ignauia est impedimentum eruditionis. Quod ingenium, studia, propensionesque adolescentulorum non plene distinctiusque perspiciantur, persaepe ratio sufficiens est in eo, quod metu custodis aut poenae, in officio contineantur, secundum illud Comici:

Qui scire posses, aut ingenium noscere,
Dum aetas, metus, magister, prohibebant. Andr. I, 1 v. 25.

§ 131.

I. Nullus finis ſine mediis poteſt impetrari.

Quia nihil eſt ſine ratione ſufficienti (§ 15), in mediis autem eſt ratio ſufficiens, cur finis ad exiſtentiam perueniat (§ 130).

Recte ergo Syrus apud TERENTIVM ridet uel potius grauiter increpat Clitiphonem, qui fine ſine mediis potiri cupiebat.

Vis amare, inquit, *uis potiri; uis, quod des illi, effici:*
Tuum eſſe in potiundo periculum non uis: haud ſtulte ſapis:
Siquidem id ſapere eſt, uelle te id, QVOD NON POTEST CONTINGERE,
i. e. uelle finem ſine mediis. Heautont. Act. II Sc. 3 v. 80.

II. Quicunque ergo uult finem, uelle etiam debet media, ſine quibus nullus finis obtinetur.

III. Vnius rei multiplex poteſt eſſe et uarius finis.

Quo pertinent haec PLINIANA: *Mihi duplex eſt ratio recitandi: una, ut ſollicitudine intendar, altera, ut admonear, ſi quid forte me, ut meum, fallit.* Lib. V ep. 13.

§ 132.

Materia, ſiue *cauſſa materialis* eſt id, ex quo conſtat ens compoſitum, e. gr. uenae, nerui, oſſa, quibus corporis humani compages continetur.

A *materia* EX *qua* diſcerni uolunt philoſophi materiam *in qua*, et materiam *circa quam*, quam appellamus *obiectum*. E. gr. *Sapientiae, quaſi materia, quam tractet, in qua uerſetur, ſubiecta eſt ueritas.* CIC. L. I de Off. c. 5.

§ 133.

Formam constituunt omnes notae et determinationes essentiales, quae rem aliquam ab altera distinguunt.

E. gr. Formam uirtutis constituunt hae notae, quod sit *habitus, actiones legi diuinae conuenienter instituendi.*

§ 134.

Ex qua definitione intelligis, quid sit illud: Forma dat ESSE rei, forma dat DISTINGVI et OPERARI.

CAP. XV.

De SIGNO et SIGNATO.

§ 135.

Signum est id, cuius idea excitat ideam alterius, siue ex WOLFFII definitione, *signum* est, ex quo alterius praesentia, uel aduentus, uel praeteritio colligitur.

E. gr. Lacrimae sunt signum tristitiae. Ex iis enim colligitur, adesse tristitiam. Per signum respondebat Tarquinius nuncio, ad se a filio misso. Hic ubi Gabiis unus omnia poterat, mittit ad patrem Romam sciscitatum, quidnam se facere uellet. Pater nihil dedit responsi, sed inambulans tacitus summa papauerum capita decussit. Quae ubi nuncius, qui Gabios redierat, narrat filio, intelligit, quid uelit parens. Idea scilicet decussionis summorum papaueris capitum ideam excitabat caedis, quam suscipere debebat. Decussio ergo papaueris erat signum stragis, a filio edendae. LIV. L. I c. 54.

§ 136.

§ 136.

Id, quod ex altero colligitur, ſiue cuius idea excitatur, dicitur *ſignatum*, e. gr. triſtitia per lacrimas, laetitia per riſum ſignificata.

§ 137.

Si res, quae ſignificatur, praeſens eſt, tum ſignum dicitur *demonſtratiuum*, ſi futura res ſignificatur, appellatur *ſignum prognoſticum*, ſi autem res praeterita ſignificata eſt, ſignum uocatur *rememoratiuum*.

§ 138.

Signum neceſſarium eſt, inter quod et rem ſignificatam nexus eſt neceſſarius. *Signum* uero *arbitrarium* eſt, quod cum re ſignificata non neceſſario nexu cohaeret, aut quod ab arbitrio humano dependet.

E. gr. Fumus eſt ſignum neceſſarium ignis. Veſtis obſoleta et ſordida, capillus et barba promiſſa erant apud Romanos ſigna arbitraria ignominiae acceptae, quod docet LIVIVS L. XXVII c. 34, ubi Marium Liuium in urbem reductum ait, ſed *ueſte obſoleta, capilloque et barba promiſſa, qui praetulerit in uultu habituque memoriam ignominiae acceptae.*

FINIS ONTOLOGIAE
SEV
PHILOSOPHIAE PRIMAE.

METAPHYSICES PARS II.

Coſmologia Generalis.

CAP. I.

De Coſmologia in Genere.

§ 139.

Coſmologia generalis eſt ſcientia de mundo in genere.

WOLFFIVS doctrinam de mundo primus in artis formam redegit, et notiones generaliores, ad mundi cognitionem pertinentes, diſtincte explicauit. Neque uero in hac diſciplina elegantiſſima huius mundi, quem *aſpectabilem* uocamus, quique continetur terra et caelo, corpora aut proprietates exponendas putat, ſed cum in earum notionum explicatione, quae, ab hoc, qui exiſtit, mundo indiuiduo abſtractae, mundo, generatim ſpectato, conueniunt, tum in eiusmodi poſitionibus, quae ſunt uniuerſaliores, quaeque in phyſica ſunt perutiles, demonſtrandis uerſatur. Atque adeo *Coſmologia generalis ſiue tranſcendentalis* appellatur, quae recte ad metaphyſicam, cuius eſt, notiones communes diſtincte tradere, refertur.

CAP. II.

De Notione ſiue Conceptu mundi.

§ 140.

Diſtinctam mundi, generatim ſpectati, notionem formaturus, attendat ad ea, quae in hoc mundo obſeruantur.

I. Cum

I. Cum uel caelum ſuſpicimus, uel terram, eaque, quae ſunt ante pedes, contuemur, tum plurima corpora obuerſari oculis noſtris deprehendimus, quae ſimul exiſtunt, e. gr. ſolem, ſidera, arbores, flumina, animalia, cetera. Haec, quia ſimul exiſtunt, dicuntur ſimultanea (§ 86): *E. in hoc mundo dari res ſimultaneas patet.*

II. Experientia nos docet, horum, quae in mundo uidemus, corporum alia interire, alia oriri. Diem nox, noctem dies excipit, nec ſol, nec ſidera, in eo ſemper ſitu, permanere cernuntur. Perſpicuum ergo eſt, *exiſtere in hoc mundo res ſucceſſiuas.*

III. Omnia, quae in hoc uniuerſo uel ſimul exiſtere, uel ſe inuicem ſequi, deprehenduntur, eiusmodi omnino ſunt, ut poſſint eſſe aliter et immutari. Quid obſtat, quo minus maior uel plantarum uel animalium copia adſit? Quid impedit, quo minus animal, quod nunc uiuit, cras intereat, et, quibus ſuperbit hortus, flores concidant? Quid impedit, quo minus nunc, cum ſol ſplendet, offuſa nebula ſolis intercipiat radios, et horrenda ſaeuiat tempeſtas? Quo igitur cunque oculos tuos conuerteris, *omnia in hoc mundo eſſe mutabilia*, uides ac ſentis.

IV. Videmus, eum eſſe rerum, huius mundi ambitu comprehenſarum, ordinem et ad ſe inuicem relationem, ut uel alteram rem altera producat, uel unum ſit propter aliud. Quis neſcit, pluuiam producere terrae foecundi-

tatem? Quis non intelligit, ſolem cum terra ideo ſimul exiſtere, ut terra ab eo illuminetur et calefiat? Patet ergo, eſſe *nexum* rerum in hoc mundo, (§ 125) et omnia eſſe *connexa*.

§ 141.

Ex his nunc formabitur notio uniuerſalis *mundi*, quem definimus, per ſeriem omnium rerum ſimultanearum, ſucceſſiuarum, mutabilium, et inter ſe connexarum. Breuius; *Mundus* eſt complexus omnium rerum creatarum.

Cum, quid ſint *res ſimultaneae*, quid *ſucceſſiuae*, in ontologia iam explicatum ſit, proximum eſt, ut, quae ſint *connexa*, ſpecialius indicemus.

§ 142.

Quaecunque ita ſunt comparata, ut unum eorum in ſe contineat rationem, cur alterum ei ſuccedat, ea dicuntur *connexa ratione temporis*, quae alias quoque dicuntur *connexa per cauſſas efficientes*.

Vitia corruptique mores Romanorum et euerſio reipublicae libertatisque Romanae erant *connexa ratione temporis ſiue per cauſſas efficientes*. Recte SALLVSTIVS: *Poſtquam auaritia fidem, probitatem, ceterasque artes bonas ſubuertit, pro his ſuperbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia uenalia habere edocuit - - ciuitas immutata, imperium ex iuſtiſſimo atque optimo crudele intolerandumque factum.* Bell. Catilin. c. X.

Atrociſſimum facinus Neronis, qui matrem interfecerat, et *conſcientiae angores*, erant *ratione temporis connexa*. Qui enim cum caedem perpetraſſet, ſceleris conſcientiam, poſt factum, ferre non potuit, ſaepe confeſſus, exagitari ſe materna ſpecie, uerberibus Furiarum ac taedis ardentibus. Vid. SVETON. in Nerone cap. 34.

§ 143.

§ 143.

Quae in uniuerſo ſimul exiſtunt, ita, ut alterum alteri praebeat uſum, *ea connexa* dicuntur per *cauſſas finales*, quae uocantur quoque *connexa ratione ſpatii*

Sol, ex conſilio et intentione Dei, ideo una exiſtit cum tellure, caeterisque planetis, ut ab ipſo lucem accipiant caloremque. Solem itaque planetasque eſſe connexa per cauſſas finales, cumulatius intelligi poteſt. Quo pertinent ea, quae CICERO de rebus huius uniuerſi, in generis humani uſum creatis, ita diſſerit: *Et fruges et reliqua, quae terra parit, et tempeſtates ac temporum uarietates caelique mutationes, quibus omnia, quae terra gignit, maturata pubeſcunt, a Diis immortalibus tribuuntur generi humano, - - quae talia ſunt, ut Dii immortales ad uſum hominum fabricati paene uideantur.* De Nat. Deor. L. I c. 2

§ 144.

Nexum ergo nonnulli recte definiunt per dependentiam a cauſſis efficientibus et finalibus. Vt adeo, qui in hoc uniuerſo cauſſam omnium rerum efficientem et finalem concedit, is non poſſit non nexum quoque concedere.

Eſt, teſte CICERONE, *admirabilis quaedam continuatio ſeriesque rerum, ut alia ex alia nexa, et omnes inter ſe aptae colligataeque uideantur.* De Nat. Deor. L. I c. 4.

Cauſſas efficientes et finales in hoc uniuerſo omnium rerum eſſe, nemo non philoſophorum affirmat. At uox NEXVS, tanquam inuidioſa, a plurimis repudiatur. Contigit ſcilicet huic uocabulo, quod Tarquinio Collatino, legimus, accidiſſe, qui libertatis licet Romanae aſſertor erat, abdicare ſe tamen conſulatu, rebusque ſuis omnibus Lauinium translatis, ciuitate cedere cogebatur, idque nulla alia de cauſſa, quam quod *Tarquinius* appellaretur. *Solum nomen*, ut ait LIVIVS, *non placebat.* Vid. LIV. L. II c. 2.

§ 145.

Ex his, rationibus rite ſubductis, id conficies, per ſimultanea et ſucceſſiua connexa HAEC, nec alia, mundum quemlibet eſſe praeciſe HVNC mundum, nec alium. E. poſito alio rerum nexu, mundus ALIVS inde emergit.

§ 146.

Ex nexu rerum intelligitur

I. In natura nihil fieri per ſaltum.

Per ſaltum quid fieri dicitur in natura, quando effectus aliquis contingere dicitur, ita, ut non eae omnes cauſſae praecedant, quae ad effectum producendum requiri uidentur. Saltu ergo admiſſo, aliquid fit ſine cauſſa, quod eſt contra § 128.

Saltum diſtinguunt in *abſolutum* et *reſpectiuum*. Ille eſt, cum effectus fingitur ad exiſtentiam peruenire ſine omni cauſſa, quod nullo modo fieri poteſt. *Saltum reſpectiuum* dicimus, ubi res ad exiſtentiam pauciori tempore, peruenire dicitur, quam alias ad eam producendam requiritur.

Saltus reſpectiui exemplum eſt celerrima illa et notiſſima CAESARIS uictoria, qui Pharnacem, intra *quintum*, quam adfuerat, diem *quatuor*, quibus in conſpectum uenit, horis, *una* profligauit acie. Pontico ergo triumpho inter pompae fercula trium uerborum praetulit titulum, VENI, VIDI, VICI, belli celeriter confecti notam. Vid. SVETON. in Iul. Caeſ. c. 37.

II. Ex rerum nexu manifeſtum eſt, non poſſe quicquam euenire forte caſuue.

Quicquid enim *forte caſuue* fieri dicitur, id ſine omni ratione aut cauſſa euenit. Nexus autem requirit, ut omnia ſuas cauſſas efficientes habeant (§ 144), ſi id *forte caſuue* contingere dicitur, cuius nos ratio ſuffi-

ciens

ciens latet, aut, quae praeter ſpem eueniunt, tum equidem infitias ire nolim, multa fieri *caſu*. Ita TERENTIVS

> \- - *Quam ſaepe FORTE TEMERE*
> *Eueniunt, quae non audeas optare.* Phorm. Act. V Sc. I.

et PLAVTVS:

> *Inſperata accidunt magis ſaepe, quam quae ſperes,* Moſtell. I, 3, 40.

III. Nexu rerum aſſerto, perſpicuum eſt, omnes euentus in uniuerſo habere ſuam ueritatem determinatam.

Determinatum eſt id, de quo aliquid ita praedicatur, ut oppoſitum eius, quod praedicatur, ſimul excludatur (§ 44). Iam uero omnis euentus in uniuerſo eſt eiusmodi, ut euentus oppoſitus ſimul locum non habeat (quando e. gr. pluit, fieri non poteſt, ut ſimul non pluat). E. omnis euentus in uniuerſo eſt determinatus, ſiue habet ueritatem ſuam determinatam.

Quae propoſitio cum a compluribus, qui WOLFFII philoſophiam impugnarunt, minus intelligatur, atque adeo in peruerſum detorqueatur ſenſum, factum eſt, ut, neſcio quid monſtri alere eam, nonnulli exiſtimarint.

Sed ſi eam aliis enunciaueris uerbis, tum omnis tolletur, minuetur certe, quae de uocibus ſuſcipiebatur concertatio. Dic e. gr. *quicquid in hoc mundo cauſſas efficientes, easque ſufficientes, habet, illud, CERTVM EST, ſubſecuturum eſſe.* Dic: *Saxonia, hoc anno, aut belli metu motuque concutietur, aut tranquillitate, exoptatiſſima pacis alumna, perfruetur.* Alterutrum futurum eſt. Et, ſi futurum eſt, CERTO futurum eſt.

Fingas, propoſitionem noſtram non eſſe ueram, fac, euentus, in mundo ſubſecuturos, non *certo* futuros eſſe, nec habere ueritatem determinatam, tum uero

non uideo, quomodo Dei praeſcientia adſtrui poſſit. Aut enim futuri euentus praeſciuntur a Deo, aut non praeſciuntur. Si praeſciuntur, tum ab ipſo praeſciuntur, ac ſi iam facti eſſent, adeoque, tanquam *certo* futuri. Si non praeſciuntur a Deo, tum Deus non erit omniſcius, quod, ſine ſummo ſcelere, de Deo affirmari nequit.

VI. Si nexum rerum in mundo concedimus, tum tollitur refelliturque doctrina de *fato*, cuius uis, ſi quam habet, mirum quantum infirmatur, quamdiu iis, quae de rerum connexione diximus, ſua conſtat ueritas.

Fatum, a *fando* dictum, id omne, ſi ſtirpem et originem uocis ſpectaueris, indicat, quod de hominibus fatus eſt Deus, iuſſit, et decreuit. *Quid aliud*, inquit MINVCIVS FELIX, *eſt fatum, quam, quod de unoquoque noſtrum Deus fatus eſt*, c. 36. Si loquendi uſum in conſilium adhibueris, per *fatum*, animaduertes, intelligi ſemper quandam rerum neceſſitatem in mundo. At ab aliis alio modo neceſſitas, quae in mundo dominari putatur, intelligitur explicaturque. Ex quo uaria *fati* genera orta ſunt.

§ 147.

Sunt, qui res euentusque, fati lege deſtinatos et fixos, ſubſequi exiſtimant, ſiue cauſſae, ad euentus producendos neceſſariae, praeceſſerint, ſiue minus, quo continetur *fatum Mahumedanum*.

Turcae ſcilicet dicuntur praeſentiſſimum uitae periculum, intrepido animo, adire, et in loca peſtilentiſſima ſe conferre, rati, ſi mors ipſis ſit fato deſtinata, non poſſe non ſe, hoc ipſo momento, quo mori, ex fati lege, debeant, mori, ſiue loca adeant periculoſa, ſiue uitent, ſiue bibant uenenum, ſiue minus.

§ 148.

§ 148.

Alterum eſt *Stoicorum* fatum, quos, ſcimus, non eo quidem proceſſiſſe uecordiae, ut, effecta ſine cauſſis, fines ſine mediis potuiſſe obtineri, crediderint, at cauſſarum effectorumque ordinem continuationemque, quam aſſerebant, immutabilem atque in aeterna Dei lege definitam, aiebant, ut neque propenſiones, neque conſilia hominum agentium in cenſum hic ueniant, libertasque omnis, neceſſaria illa et indeclinabili rerum cauſſarumque, ſe inuicem continentium, ſerie et catena, loco moueatur.

De quo GELLIVS. *Fatum eſt*, inquit, *ſempiterna quaedam et indeclinabilis ſeries rerum, et catena uoluens ſemetipſa, et ſeſe implicans per aeternos conſequentiae ordines, ex quibus apta connexaque eſt.* Noct. Att. L. VI c. 2. Pertinent huc illa SENECAE, in Oedip. v. 980.

Fatis agimur, cedite fatis,
Non ſollicitae poſſunt curae
Mutare rati ſtamina fuſi,
Quicquid patimur mortale genus,
Quicquid facimus, uenit ex alto:
Seruatque ſua decreta colus
Lacheſis, dura reuoluta manu
Omnia, ſecto tramite uadunt:
Primusque dies dedit extremum.
Non illa Deo uertiſſe licet,
Quae nexa ſuis currunt cauſſis.
It cuique ratus, prece non ulla
Mobilis, ordo: multis ipſum
Timuiſſe nocet: multi ad fatum
Venere ſuum, dum fata timent.

§ 149.

§ 149.

Chaldaei quondam, et, post hos, alii complures, opinionis errore, perridiculo illo et pestifero, finxere necessitatem quandam rerum actionumque humanarum, a ui imperioque astrorum immutabili oriundam. Quae necessitas nominatur *fatum astrologicum.*

In quo fati genere explodendo multus est Fauorinus, philosophus, apud GELLIVM, qui, ubi multa in eos dixit, qui actiones suas, quasi habena quadam, de caelo uinctas, gubernari, putant, haec tandem, in dissertationis fine, addit, quae, in eorum gratiam, hic adferri, nostra refert, qui uim, nescio quam, sideribus, in formandis regendisque moribus hominum tribuunt. *Aut aduersa*, inquit, *euentura dicunt*, *aut prospera. Si dicunt prospera, et fallunt, miser fies frustra exspectando. Si aduersa dicunt, et mentiuntur*, *miser fies frustra timendo. Sin uera respondent, eaque sunt non prospera, iam inde ex animo miser fies ante, quam e fato fias. Si felicia promittunt, eaque euentura sunt: tum plane duo erunt incommoda, et exspectatio te spe suspensum fatigabit*, *et futurum gaudii fructum spes tibi iam praeflorabit. Nullo igitur pacto utendum est istiusmodi hominibus, res futuras* (ex astris) *praesagientibus.* Noct. Att. L. XIV c. I.

§ 150.

Ad eos, qui ad fatum referunt omnia, ad diuini numinis prouidentiam, liberasque hominum destinationes consiliaque nihil, SPINOZA uel in primis pertinet. Hic enim, quamuis, et ad finem consequendum mediis, et ad cupiditates mentis humanae inclinandas flectendasque rationum momentis opus esse, dixerit, totam tamen caussarum effectorumque seriem ita deuinciri et colligari, affirma-

firmauit, ut nihil in ea agat dirigatque ſummi Numinis prouidentia, omniaque immutabili et coeca neceſſitate, conſequantur.

SPINOZA e. gr. ſtatuebat, aeque neceſſarium eſſe, me iam ſcribere, ac neceſſarium eſt, bis duo efficere quatuor.

§ 151.

Reſtat, ut explicemus id, quod nonnulli *fatum rationabile*, ſiue *rationi conſentaneum* appellant. Quandoquidem omnia in uniuerſo ita contingunt, ut cauſſarum et effectorum, ex cauſſis, tanquam ſeminibus, naſcentium, ſit is ordo, ea ſeries, ut, poſita cauſſa, neceſſario ponatur effectus, facile intelligitur, in mundo neceſſitatem hypotheticam locum habere, quae uero et a cauſſa aliqua prima ſapientiſſimaque dependet, et in ſe contingens eſt, mutabilisque. Quam neceſſitatem euentuum hypotheticam, aut, ſi mauis, certitudinem determinatam uocant nonnulli *fatum, rationi amicum.*

Hic uero, ſi dicendum, quod res eſt, cautius ages, ſi ab hoc inuidioſo *fati* uocabulo te abſtinueris, occaſionemque, decertandi de uerbis, defugeris. Videndum perſaepe eſt non modo, quam uere, ſed etiam quam commode cogitata animi exprimas.

§ 152.

Ex his, quae de rerum nexu et fato diximus, euidens eſt:

I. Fatum Mahumedanum nexui rerum plane eſſe aduerſum.

Haec enim huius fati uis eſt, ut effecta ſequantur, ſiue cauſſae idoneae praeceſſerint, ſiue minus (§ 147). Nexus autem poſtulat, ut ex ſua quodque cauſſa naſcatur (§ 144).

II. Fa-

II. Fatum Stoicum itidem, ubi rerum connexio locum habet, esse non potest, neque, quod uocant, fatum astrologicum dominabitur, quamdiu caussarum effectorumque colligatione omnia ita cohaerent, ut, cur unumquodque sit, cur sit ita, nec aliter, ex antecedenti statu ratio idonea reddi possit.

III. Quamuis omnes euentus, ex suis caussis orti, sint hypothetice necessarii, sunt tamen contingentes, nexusque, quo effecta cum caussis suis deuinciuntur, est eiusmodi, ut possit immutari.

Necessitas hypothetica non tollit contingentiam (§ 56 pos. II), neque adeo ea, quae in mundo, naturali colligatione, conserte contexteque fiunt, tam sunt necessaria, ut nihil in iis possit mutari. Quid repugnantiae habet, praesentem, quam uidemus, rerum, diuinitus conditarum, connexionem aliam esse, ac nunc est? Quid impedit, quo minus sit alius siderum cursus, aliae progressiones, institiones aliae, alia ratio solis, alia tempestatum series ac uicissitudo, alia natura, habitus, ornatusque totius caeli terraeque coagmentationis? Quid repugnantiae habet, quasdam res abesse, uersa uidere omnia, et, ut paucis dicam, alium plane, et ab hoc, qui nunc existit, prorsus diuersum, mutatis his sublatisque motus legibus, mundum condi?

IV. Perspicuum ergo est, praeter hunc mundum, alios quoque, forte innumerabiles, fieri potuisse.

CAP. III.

De Corporibus.

§ 153.

Ex uariis entibus compositis, tanquam partibus, componitur *mundus*, quae entia composita uocari solent *corpora*.

§ 154.

Plura requiruntur ad notionem *corporis* constituendam, quam ad entis compositi ideam.

§ 155.

In omni scilicet corpore attendendum est, α) ad *modum compositionis* siue *structuram*, β) ad *uim actiuam* siue *motricem*, γ) ad uim *inertiae*.

Sunt enim in corpore permulta, quae, non uideo, quomodo intelligi queant et explicari, si solam admittas *extensionem*.

§ 156.

Experientia nos docet, corpora, sensibus exposita, esse eiusmodi, ut non quaelibet uis ipsis mouendis sufficiat.

Impar enim est infans mouendo lapidi magnae molis.

§ 157.

Ex quo conficitur, in quouis corpore, dum motui resistit, nec uiribus nostris cedit, adesse quid debere, per quod corpus motui resistat.

§ 158.

Atque id ipsum, quo corpus motui resistit, dicitur *uis inertiae*.

§ 159.

§ 159.

Neque uero haec uis inertiae a corporis extensione dependet, aut ex ea sequitur.

Plagula chartacea est maioris extensionis, quam massa plumbea unius librae. At illa facilius ab infante potest moueri, minusque adeo resistit, quam massa plumbea.

§ 160.

Extensum, quod ui inertiae praeditum est, constituit *materiam* corporis, quam, intelligis, id esse, per quod unumquodque corpus motui resistit. Haec *de ui inertiae.*

§ 161.

Experientia nos docet, quodlibet corpus esse eiusmodi, ut mutationem possit in altero corpore producere, adeoque in alterum *agere. E. quodlibet corpus est ui agendi praeditum.*

§ 162.

Haec uis agendi dicitur uis *motrix,* siue actiua, eaque continetur corporis *natura,* quippe quam dicimus cuiusque rei uim actiuam.

§ 163.

His in unum collectis, ita nunc definimus *corpus,* est ens, ex materia compositum, et ui motrici praeditum.

CAP. IV.

De Legibus motus.

§ 164.

Quae cuique corpori uis motrix inesse dicitur, ea, in agendo, legibus quibusdam dirigitur

attem-

attemperaturque. Quibus quia quodlibet corpus in motu conflictuque determinatur, dicere eas solemus *leges motus.*

§ 165.

Praecipuas harum sequentibus complectemur positionibus.

I. Nullum corpus, quod quiescit, se ipsum potest mouere.

Quandoquidem omne corpus propter uim inertiae motui resistit (§ 160), intelligitur, omne corpus ad motum deprehendi ineptum, siue se non posse mouere.

II. Tamdiu ergo corpus quodlibet quiescit, donec ab altero corpore ex quietis statu ad motum perducatur.

III. Si corpus fuerit reuera in motu constitutum, tum tamdiu motum continuabis, donec impedimentum aliquod ex parte contraria accesserit.

IV. Actiones et reactiones corporum sunt aequales.

Quis enim nescit, pilam, in terram et lapidem duriorem proiectam, resilire, idque tanto maiori impetu, quanto fortiori maioriue ui in tellurem deiicitur.

Ceterum obserues, has, quas in mundo sanxit Deus, mouendi leges non esse tam necessarias, ut immutari nequeant. Potest eas Deus tollere, potest alias figere.

CAP. V.

De Corporum elementis.

§ 166.

Prima corporum stamina, ex quibus componuntur, dicuntur *corporum elementa.*

§ 167.

De corporum elementis haec habeto:

I. Corporum elementa ſiue prima ſtamina non poſſunt eſſe entia compoſita, ſed debent eſſe entia ſimplicia.

Si enim eſſent entia compoſita, in partes poſſent adhuc reſolui. Atque adeo nondum eſſent prima ſtamina. Conf. § 107 obſeruatio.

II. Haec entia ſimplicia, ex quibus, tanquam ex primis ſtaminibus, omnia entia compoſita conſtant, dicuntur a LEIBNITIO *monades*, et a WOLFFIO Einheiten.

Vox *monas* offendit nonnullos. Sed nihil habet, quo poſſis offendi. Latine reddideris *Vnitatem*, in qua omnis numerus, quantuscunque ille ſit, ſubſiſtit et terminatur. Quemadmodum ſcilicet omnis numerus ex unitatibus, tanquam partibus ſuis ultimis, conſiſtit: ita corpora quoque tandem reſolui debere in prima et ultima ſua elementa, putat LEIBNITIVS, qui omnia entia ſimplicia *monades* uocat.

III. Quicquid ergo de entibus ſimplicibus in genere diximus (§ 106 ſqq.), id omne quoque de corporum elementis uel affirmari, uel negari poſſe patet.

CAP. VI.

De Naturali et Supernaturali, ſiue Miraculo.

§ 168.

Quandoquidem *natura* nihil eſt aliud, quam rei cuiusque uis interna, unde, tanquam a fonte, actio-

actiones profluunt (§ 162), intelligi poteſt, *naturale* id omne dici poſſe, quod ex alicuius rei ui et eſſentia poteſt intelligi et explicari. Id ergo eſt *corpori naturale*, quod eſt eiuſmodi, ut ex corporis ſtructura et ui poſſit intelligi et explicari. *Spiritui* uero *naturale* id uocamus, quod ex ſpiritus ui et eſſentia poteſt concipi.

E. gr. Stomacho naturale hoc eſt, ut cibos concoquat. Ex eius enim ſtructura et ui explicari poteſt, quomodo fieri queat, ut concoctio perficiatur.

§ 169.

Id igitur omne, cuius ratio in eſſentia et natura entis non continetur, ſiue, quod ex ui et ſtructura corporum, aut ex ui et eſſentia ſpiritus non poteſt intelligi, dicitur *ſupernaturale*.

E. gr. Supernaturale quid erat, cum ignis tres illos uiros, in fornacem candentem coniectos minus laederet, minusque conſumeret. Is enim euentus ex ui et natura ignis non poterat concipi et explicari.

Quod uero *ſupra* naturam eſt, id caue, confundas cum eo, quod eſt *contra naturam*. Euentus *contra naturam* contingere dicitur, quando uis infertur rerum ordini, et effectus quidam ſequitur legibus naturae aduerſus, e. gr. quando magna moles aquae aut fluuius, ui et pondere ſuo deorſum preſſus, ob uim externam accedentem, ſurſum et in montis faſtigium propellitur.

§ 170.

Omnis euentus ſupernaturalis dicitur *miraculum*. Vt adeo intelligas, recte *miraculum* definiri per eiuſmodi euentum, qui neque ex eſſentia, neque ex ui creaturarum aut ordine mundi, ſecundum ſtatum antecedentem, poteſt explicari.

§ 171.

Vt, quae de miraculis, recentiori maxime aetate, ultro citroque disputata sunt, rectius teneamus, doctrinae huius capita his complectar positionibus.

I. Miraculum cum eo, quod est *mirabile*, non est confundendum.

Sunt enim multa, quae in hoc uniuerso recte dixeris *mirabilia*, propterea, quod uel raro eueniunt, uel eorum caussae nos latent, mentemque adeo stupore defixam detinent, quae uero non sunt miracula, quamuis PLINIVS ea quoque uocet *miracula*, quae sunt mirabilia. L. 9 ep. 33.

Huc referas prodigia illa innumera, quae LIVIVS passim nobis commemorat. Huc pertinent ea, quae PLINIVS de *delphino ludente* lib. 9 ep. 33, de *insulis natantibus* lib. 8 ep. 20 iucunde refert. De mirabilibus ita PLINIVS: *Sunt maxime mirabilia, quae maxime insperata, maxime periculosa, utque Graeci magis exprimunt*, παράβολα, lib. 9 ep. 26.

II. Quandoquidem paucissimi uires naturae plene perspectas habent, neque caussas latentes ita possunt exquirere, ut, quantum earum quaeque adferat adiumenti ad effecta producenda, definire semper queant, fit, ut saepissime pro miraculo quid habeatur, quod inter euentus naturales referendum est.

Difficilius ergo est, quam quisquam crediderit, in casu indiuiduo miraculum ab euentu naturali internoscere.

III. Quamuis philosophia, rationis fulta adminiculis, non definiat, num unquam miracula

racula facta sint, ea tamen fieri in hoc uniuerso posse, ratione duce, nouimus.

Scimus enim, totum rerum nexum esse eiusmodi, ut possit immutari, et omnes leges motus, ob contingentiam posse suspendi (§ 165).

IV. Si miraculum producitur, produci debet ab ente aliquo, quod est a mundo plane diuersum.

Miraculi enim ratio sufficiens non continetur in creaturarum ui et essentia, neque ex nexu rerum huius uniuersi potest explicari (§ 170). Ergo, quoties miracula producuntur, toties producantur necesse est ab ente aliquo, quod a mundo plane diuersum est.

Hoc ipsum ens, a mundo diuersum, est *Deus*. *Miraculum* ergo recte definitur a nonnullis per effectum Dei immediatum.

V. Omne miraculum, cum fit, fit per saltum.

Si enim miraculum in mundo contingit, tum, cur contingat, ratio non potest reddi ex connexione caussarum antecedentium, sed Deus, nulla caussa naturali interueniente, illud producit. Vides ergo, miraculum, si ad connexionem caussarum antecedentium attenderis, fieri per saltum (§ 146).

Non *saltum absolutum* hic intelligimus: Sic enim miraculum sine omni ratione sufficienti fieret (§ 146), quod fieri non potest (§ 15); sed saltum respectiuum, in quo non ea semper debent praecedere, ex quibus ratio reddi potest consequentium (§ 146). Ita e. gr. linguarum peritiam per miraculum acquirebant Apostoli, et per saltum euadebant multarum linguarum peregrinarum periti. Non enim, quae ad intelligendas linguas requiruntur alias, uocabula, declinationes et coniugationes sibi reddiderant familiares, sed in momento et callebant linguas et loqui poterant.

VI. Si a DEO miraculum patratur, tum eiusmodi effectus debet praestari, qui, sine miraculo, sola naturali caussarum connexione, non fuisset secuturus.

Aut enim miraculum uel nullus effectus, uel qui sine miraculo naturaliter secuturus fuisset, consequitur. Vtrumque esset principio rationis sufficientis contrarium (15).

Cum Christus Lazarum per miraculum ex morte in uitam reuocaret, euentus sequebantur, qui sine hoc miraculo patrato nunquam naturaliter fuissent insecuti. Naturaliter Lazarus computruisset, ac a uermibus corrosus in puluerem rediisset. Sed quam longe ab his diuersi erant effectus, qui, miraculo patrato, sequebantur. Colligi hinc potest, quid uelint sibi nonnulli, cum dicunt: *Per miraculum ordo naturae turbatur.* Item: *Per miraculum confusio in nexum rerum inducitur. Ordinem* supra § 58 diximus esse nihil aliud, quam similitudinem in modo, quo res sibi uel coexistunt, uel se inuicem excipiunt. Quamdiu ergo mutationes in corporibus et mundo ita eueniunt, ut altera ex altera, regulis motus conuenienter, fluat, et tertia sequatur ex secunda, secunda ex prima, tamdiu in mundo et corporibus deprehenditur *ordo naturae.* Simulac uero subsequentes mutationes uniuersi non ex antecedentibus proueniunt, et euentus, regulis motus minus conuenienter, contingunt, tum ordinem naturae turbari, affirmamus. Cum ergo miraculosi euentus eiusmodi sint, ut ex antecedentibus non fluant, nec regulis motus sint conformes, quid obstat, quo minus affirmemus, per miraculum turbari ordinem naturae. Rem exemplo illustrabimus. Leges ordinis naturalis exigebant, ut Lazarus, mortuus iam et contumulatus, putresceret, a uermibusque corrosus, in puluerem redigeretur. Quid uero euenit, cum per miraculum ex morte excitaretur? Nonne hic ordo naturalis turbabatur? Negas? Ergo Lazarus, miraculo facto, computruit, a uermibus fuit corrosus, perinde,

perinde, ac ſi miraculum factum non fuiſſet. Quod uero, quotusquisque eſt, qui affirmare auſit? Quae cum ita ſint, euidenter intelligis, culpandine, an excuſandi ſint illi, qui, per miraculum confuſionem in rerum nexum introduci, contendunt.

§ 172.

Omnia haec, quae de miraculis hactenus diſputauimus, luculenter demonſtrant, quid de miraculis reſtitutionis, ſiue ἀποκαταστάσεως, quae uocant, ſit exiſtimandum.

LEIBNITIVS mentionem facit horum miraculorum in Theodicaea § 243, WOLFFIVS quaedam in Metaphyſ. germ. § 639 de iis adfert, quae breuiter explicabimus.

α) Putat WOLFFIVS, per miraculum turbari nexum et ordinem naturalem. Cuius propoſitionis quae uis ſit, modo explicauimus.

β) Ex quo colligit, alios omnino euentus, facto miraculo, contingere, quam ſecuti fuiſſent, ſi miraculum non fuiſſet patratum.

γ) Diſquirit, quid facto opus ſit, ſi per miraculum DEVS finem ſuum conſecutus fuerit, et ipſe uelit, res in eum ſtatum reſtitui, in quem uenturae fuiſſent ſine miraculo.

δ) In quo caſu, (quem tamen dari, aut exſtitiſſe unquam, non affirmat WOLFFIVS) putat, per nouum miraculum nexum naturalem, qui ſine priori miraculo fuiſſet, reſtitui debere.

ε) Atque hoc nouum miraculum, per quod res in eum ſtatum, in quem uenturae fuiſſent ſine miraculo, uocat *miraculum reſtitutionis.*

Haec paucis illuſtrabimus. Per miraculum DEVS Apoſtolis linguarum donum infuderat. Quo miraculo facto, multa contingebant, quae ſine hoc miraculo non eueniſſent. Apoſtoli ebraice, ſyriace, grae-

ce, latine docti, uarias docebant gentes, innumeris hominibus uiam salutis aperiebant, et posteritati laudandi DEVM occasionem suppeditabant. Alia omnia insecuta fuissent, si miraculosa linguarum infusio ipsis non contigisset. Fac ergo, DEVM per hoc miraculum, finem suum obtinuisse. Fac, DEVM uoluisse, res omnes in eum statum, in quem uenturae fuissent sine hoc miraculo, in momento restitui. Quaeritur hic, qua id fieri potuerit ratione? Respondet WOLFFIVS: nouo opus fuisset miraculo, per quod res in nexum naturalem, qui sine miraculosa linguarum infusione secuturus fuisset, debuissent restitui. Num id recte et uere, ipse iudica, nihil impedio.

CAP. VII.

De Mundi perfectione.

§ 173.

Quae supra § 65 de perfectionis natura et regulis attulimus, facile nobis uiam munient ad iudicium ferendum de mundi perfectione.

Neque uero hic excutere animus est, num hic mundus sit perfectus, sed definiemus, quid requiratur, si mundo tribui debeat perfectio, et qua ratione gradus perfectionis rite aestimari queant. Ita enim ea rectius intelligentur, quae de perfectione huius mundi in Theologia naturali disputabimus.

§ 174.

Si ea, quae de perfectione supra excussimus, consideraueris, intelliges has positiones:

I. Vniuerso siue mundo tum demum tribui potest perfectio, si singula et simultanea et successiua, in eo obuia, ita inter se consentiant,

ſentiant, ut finis aliquis et commune bonum obtineatur.

In theologia naturali manifeſtum fiet, finem, ad quem omnia in hoc uniuerſo referri debent, eſſe gloriam DEI, et manifeſtationem maieſtatis Numinis diuini.

II. Quandoquidem nemo mortalium eſt, qui omnia corpora omnesque euentus plene perſpectos habeat, quique complicatam et admirabilem iſtam omnium rerum connexionem ita teneat, ut poſſit determinare, num omnia, maxima, minima, cum fine, quem DEVS in condendo adminiſtrandoque mundo intendit, conſentiant, intelligitur, perfectionem mundi a poſteriori ſiue per experientiam cognoſci et determinari non poſſe.

Falſo ergo iudicant de mundi imperfectione, qui ex imperfectionibus quibuſdam partialibus mundi colligunt, totum mundum eſſe imperfectum. Recte et perſcienter PLINIVS: *Si auulſum ſtatuae caput, aut membrum aliquod inſpiceres, non tu quidem ex illo poſſes ſtatuae congruentiam aequalitatemque deprehendere.* Lib. II ep. 5.

III. Quo plura in uniuerſo occurrunt, quae ad finem, ob quem mundus conditus eſt, referuntur, quo exactius item plura illa, quae in hoc uniuerſo reperiuntur, cum fine conſentiunt, *eo maior eſt uniuerſi perfectio.*

IV. Quemadmodum fieri poteſt, et fit ſaepenumero, ut, quae eſt in rei partibus imperfectio, multum faciat ad perfectionem totius (§ 71 poſ. IV): ita negari non poteſt, ſaepius ea, quae, ſeorſum et extra nexum, imperfectiones in mundo uocari merentur, ad mundi totius perfectionem et pulcritudinem efficiendam concurrere, ſi in nexu eadem conſideraueris.

Non inepte huc transferas ea, quae PLINIVS de diuerſis dicendi ſpeciebus, quae in una eademque oratione, ad oblectandum auditoris animum, identidem adhibeantur, pereleganter diſputat. *Sicut ueremur,* inquit, *ne quibuſdam pars aliqua, ſecundum ſuam cuiusque naturam* (i. e. extra nexum) *non probetur: ita uidemur poſſe confidere, ut uniuerſitatem omnibus uarietas ipſa commmendet. Nam et in ratione conuiuiorum, quamuis a plerisque cibis ſinguli temperemus, totam tamen coenam laudare omnes ſolemus: nec ea, quae ſtomachus noſter recuſat, adimunt gratiam illis, quibus capitur.* L. II, 5.

FINIS COSMOLOGIAE.



META-

METAPHYSICES
PARS III.
Pneumatologia, Pſychologiam et Theologiam naturalem complexa.

CAP. I.
De Spiritu in genere.

§ 175.

Per *ſpiritum*, generatim ſumtum, nihil aliud intelligimus, quam ſubſtantiam ſimplicem ſiue immaterialem, intellectu et uoluntate praeditam.

§ 176.

De ſpiritu haec teneto:

I. Omnia ea, quae ſupra de entibus ſimplicibus diximus, ad ſpiritus quoque naturam et notas intelligendas pertinent.

II. Ad ſpiritum non modo requiritur, ut ſit ens ſimplex, ſed quoque, ut ſit intellectu et uoluntate praeditus.

Complures ens ſimplex et ſpiritum unum idemque eſſe, exiſtimant. Ex quo natus eſt error, quum ex ſpiritibus conſtare entia compoſita, putant, ſi ea dicuntur a Leibnitianis ex entibus ſimplicibus conſtare.

Latius patet ſignificatus entis ſimplicis, quam ſpiritus. Omnis ſpiritus ens ſimplex, non omne ens ſimplex eſt ſpiritus.

III. Eo perfectior est unusquisque spiritus, quo perfectiori gaudet intellectu, et is est *spiritus perfectissimus*, qui praeditus est intellectu perfectissimo et uoluntate gaudet perfectissima.

Intellectus est facultas res sibi distincte repraesentandi. Quid autem sit id, quod constituat distinctam repraesentationem, explicauimus in Log. § 35.

Voluntas est facultas bonum appetendi et malum auersandi. Quas definitiones infra uberius enodabimus.

IV. Quaecunque substantia est tantum facultate res clare aut obscure repraesentandi instructa, ea non est in numerum spirituum referenda.

Animae ergo brutorum, quamuis entia simplicia sint, inter spiritus tamen referri non debent, propterea, quod facultate res distincte repraesentandi prorsus destituuntur, id quod infra a nobis demonstrabitur.

Omnes spiritus dispescuntur in *finitos* et *infinitos*. Ad illos referunt *animas humanas*, de quibus in *psychologia*. Spiritus infinitus est *DEVS*, de quo exponit *Theologia naturalis*. Finitis spiritibus annumerantur quoque *angeli*, de quibus uero rectius commentantur Theologi, quam philosophi.

CAP. II.

De Anima humana.

§ 177.

Doctrina, quae de anima exponit, dicitur *psychologia*.

Quandoquidem omnia ea, quae de anima nobis innotescunt, uel ope experientiae, uel rationis adminiculo cognoscimus, factum est, ut recentiores diuiserint psycho-

pſychologiam in *empiricam* et *rationalem*. In illa ea traduntur, quae experientia ſenſusque internus nos docet de anima, in hac ea demonſtrantur, quae, apto ratiociniorum nexu, ex experientia deducuntur. Nos experientiam rationemque, quae ſuauiſſimo connubio copulantur, ita coniungemus, ut alteri altera ſubſeruiat.

§ 178.

Animi, quem Deum in corpore noſtro concluſit, naturam et proprietates ſi recte intelligere uolueris, opus eſt, ut ante nonnullas notiones diſtincte euoluas, ad mentis humanae definitionem recte capiendam perutiles.

§ 179.

Suus quemque ſenſus condocet, nos poſſe nosmet ab aliis rebus, quae extra nos ſunt, diſtinguere. Res quoque, quae extra nos poſitae ſunt, a ſe inuicem internoſcere poſſumus.

Potes e. gr. te a menſa, cui incumbis, diſtinguere. Potes ſellam a menſa, menſam a libris adiacentibus ſecernere.

§ 180.

Tum dicimur nos *noſtrum* nobis eſſe *conſcii*, cum nos ab aliis rebus, quae extra nos poſitae ſunt, diſcernimus, et, ſi eas res, quae extra nos ſunt, ab aliis rebus diſtinguimus, tum illarum rerum, quas a ſe inuicem internoſcimus, *nos* nobis ſumus *conſcii*.

§ 181.

Illud ipſum ens, quod in nobis ſui, rerumque, extra ſe poſitarum, ſibi eſt conſcium, ſiue quod ſe ab aliis rebus, et res a ſe inuicem diſtinguit, dicitur *anima*.

Vox *animae* apud ueteres ſcriptores ſignificat plerumque nihil aliud, quam uitam ipſam, eamque ab animo diſtingui uidemus, ſecundum illud LVCRETII:

Nunc ANIMVM atque ANIMAM dico coniuncta teneri
Inter ſe, atque unam naturam conficere ex ſe,
Sed caput eſſe quaſi, et dominari in corpore toto
Conſilium, quod nos ANIMVM MENTEMque uocamus. L. III, 137 edit. HAVERCAMP.

Et rurſus:

Primum ANIMVM dico (MENTEM quam ſaepe uocamus)
In quo conſilium uitae regimenque locatum eſt,
Eſſe hominis partem.

Vides, eam hominis partem, quam nunc philoſophi *animam* uocant, quaque ſapimus et intelligimus, a ueteribus dici animum ſeu mentem, quamuis ſint, qui ex illo TERENTIANO:

Mala mens malus animus, Andr. p. 41 Edit. WESTERHOV.

probare uolunt, mentem, ab animo prorſus eſſe diuerſam. *Mentem* pro tota indole, *animum* pro conſiliis et uoluntate ſumunt.

§ 182.

Cum ergo experientia cumulate teſtetur, nos noſtrum rerumque extra nos poſitarum eſſe nobis conſcios, intelligitur, ipſam quoque comprobare animae exiſtentiam, quae ex conſcientia ſui rerumque extra nos poſitarum nobis innoteſcit.

Veteres *animam* diſtinguebant in *rationalem*, *ſenſitiuam et uegetatiuam*; at ita ſuccum uigoremque, quo uita continetur, corpusque mouetur, cum eo ſpiritu, qui in corpore hoſpitatur, ſentit, intelligit, et ſapit, confundebant.

CAP.

CAP. III.

De Facultate cognoſcendi, eiusque parte ignobiliori, ſeu quam uocant, inferiori.

§ 183.

Actio illa, qua anima res ſibi repraeſentat, et percipit, dicitur *cognitio*, et potentia illa res ſibi repraeſentandi appellatur *facultas cognoſcendi*.

Omnes animae facultates uiresque a ueteribus, nouimus, diuiſas fuiſſe in *intellectum* et *uoluntatem*. CICERO, *duplex eſt*, inquit, *uis animorum: una pars in appetitu poſita, altera in ratione, quae docet et explanat, quid faciendum fugiendumue ſit; ita ſit, ut ratio praeſit, appetitus uero obtemperet.* Off. I.

Cum uero *intellectus* uox non tam late pateat, quam facultas cognoſcendi, plurima enim ſunt in anima, quae ad facultatem cognoſcendi referri poſſunt, ad intellectum non poſſunt, rectius illi facere uidentur, qui eam diuidendi rationem ineunt, ut, omnes animi uires facultate cognoſcendi et facultate appetendi contineri, aiant.

Alia obſcure et confuſe, alia diſtincte percipimus. Obſcure confuſeque cognoſcendi facultatem anima humana habet cum brutis communem. Quae autem cum brutis menti humanae ſunt communes, facultates ad partem ignobiliorem, ſiue, ut uocant, inferiorem facultatis cognoſcendi referimus.

Huc pertinent facultas α) *ſentiendi*, β) *imaginandi*, γ) *recordandi et reminiſcendi*. Quae cognoſcendi facultates homini ſoli tribui debent, eas ad partem nobiliorem ſiue ſuperiorem facultatis cognoſcendi referimus, e. gr. facultas res diſtincte intelligendi, ratiocinandi, attendendi, reflectendi, abſtrahendi etc.

Nos

Nos ergo facultatem cognoſcendi ignobiliorem, quam cum brutis communem habemus, primo loco explanabimus, annexuri his ea, quae ad nobiliorem cognoſcendi facultatem, ſolique homini propriam, ſpectant.

CAP. IV.

De Facultate ſentiendi.

§ 184.

Habemus id cum brutis commune, ut res, corpori noſtro praeſentes, nobis repraeſentemus. Quod cum fit, eas dicimur *ſentire*. Ipſae autem illae repraeſentationes ſiue perceptiones rerum, corpori noſtro praeſentium, dicuntur *ſenſationes* ſiue *ſenſiones*.

E. gr. Cum uides hortum, uariis conſitum arboribus, florumque ueſtitum uarietate, tum percipis res, corpori tuo praeſentes, i. e. *ſentis*. Hoc ſignificatu occurrit uerbum *ſentire* in his TERENTII:

- - PAR. *Hem! quid hoc eſt?* PAM. *Tace,*
Trepidari SENTIO, *et curſari rurſum prorſum.*
PAR. *Agedum ad fores,*
Accede propius. *Hem* SENSISTIn'? PA. *noli fabularier.*
Proh! Iuppiter! *clamorem* AVDIO. Hec. III, 1, 37.

Corpori autem *noſtro* id dicitur *praeſens*, quod in organis ſenſoriis mutationem producit. Sunt autem quinque organa ſenſoria. α) *Oculus*, inſtrumentum uiſus, β) *aures*, organa auditus, γ) *nares*, olfactus officinae, δ) *lingua* cum *papillis ſuis*, inſtrumentum guſtus, ε) fibrillae denique neruea e, per totum corpus diſperſae, quibus tactus ſentitur.

§ 185.

De ſenſionibus haec habeto.

I. Nec

I. Nec ſolum corpus, nec ſola anima ſentit, ſed alio perfungitur munere corpus, alio anima, eodem tamen tempore, et iunctis quaſi uiribus.

Corpus in ſentiendo mutationes, a rebus externis in organis eius ſenſoriis productas, patitur et recipit. Anima uero mutationes, in organis ſenſoriis factas, repraeſentat. E. gr. Cum fragorem exploſi tormenti auribus percipis, tum id ita fit, ut motus aëris tremulus, qui uehementiori corporum agitatione aut conflictu efficitur, ad flexuoſos et labyrintheos aurium meatus deferatur, continuetur, atque ibi reconditum auditus organum percellat. Haec ad *corpus*. Quod cum contingit, eodem temporis momento, *anima* ſibi mutationes, in aurium tortuoſis anfractibus factas, repraeſentat.

II. Senſationum alteram altera ſaepius clariorem et fortiorem, alteram debiliorem et obſcuriorem eſſe, docet experientia.

Prout ſcilicet res, quae ſenſus feriunt, uel longius a corpore noſtro ſunt remotae, uel eidem propiores ſunt; ita ſenſiones uel clariores, uel obſcuriores debilioresque fiunt. Exemplum uide in PLIN. ep. 27 L. VII.

III. Quemadmodum lumen maius obſcurat lumen minus, ita fortior clariorue perceptio ſupprimit ſenſationem debiliorem.

Sonus, e. gr. tympanorum impedit, quo minus uocem amici, mecum loquentis, audiam. Splendor ſolis impedit, quo minus ſtellae luce ſua radient, et die conſpiciantur.

IV. Quando res externae in organa ſenſoria agunt, in iisque mutationem producunt, non eſt in poteſtate animae, utrum ſentire uelimus, nec ne.

Putasne esse penes te, utrum audire uelis, nec ne, si fragor, tormento disploso, aures tuas percutit.

At possumus persaepe impedire, quo minus res externae feriant organa sensoria, in iisque mutationes producant. α) Possumus e. gr. oculos claudere, si cadauerosam uetulae faciem uidere nolumus. Potes cum Vlysse aures obturare, si Sirenum cantus non uis audire. β) Possumus quoque sensationem debiliorem fortiori pellere. γ) Possumus animum a rebus externis auocare, eumque in aliis rebus defigere, fere, ut Athenodorus apud PLINIVM, qui ad scribendum animum, oculos, manum intendebat, ne uacua mens audita simulachra et inanes sibi metus fingeret. Deinde ubi concuti ferrum et uincula (spectri) moueri audiebat, ille non tollere oculos, non remittere stilum, sed OBFIRMARE ANIMVM et AVRIBVS PRAETENDERE. Vid. ep. p. m. 537 edit. CORTII et LONGOLII (lib. VII ep. 27.)

V. Non est penes nos, qualem ipsi sensationem esse uelimus.

Neque enim quisquam est, qui efficere possit, ut acutissimi podagrae dolores eum uoluptatis sensum adferant, qui efficitur suauissimo fidium tibiarumque concentu, aut cibo quodam dulci, et mellitis globulis condimentisque persperso.

§ 186.

His ita constitutis, manifestum est, hac mentem humanam quasi lege in sentiendo adstringi, quam, ex consilio diuino, perpetuo sequatur: *Si obiecta extrinseca in organa sensoria agunt, et in iis mutationes producunt, tum illas mutationes anima non potest non sibi repraesentare.*

Ceterum notes, sensus quasi esse fenestras et portas animae, per quas species, a rebus externis ductae, illabuntur in animam, unde deinde omnis cognitio ortum

tum ducit. Recte ergo CICERO, *natura*, inquit, *homini sensus, tanquam satellites attribuit et nuntios*. I de Leg.

CAP. V.

De Facultate imaginandi.

§ 187.

Non ea modo, quae praesentia sunt, et ante pedes, mens nostra, sensionum ope, percipit, sed illarum quoque rerum, quas dudum sensibus usurpauimus, perceptionem ita possumus instaurare, ut earum imago menti oculisque oberret, formaeque rerum absentium in animo excitentur, et quasi, motu reddito et spiritu, reuiuiscant.

Eleganter VIRGILIVS de Didone, quae Aeneam, licet absens erat, menti, tanquam praesentem, sistebat:
Illum absens absentem auditque uidetque, p. m. 405 ed. RVAEI.
PLINIVS ita de spectro, quod multo ante apparuerat: *Interdiu quoque, quanquam abscesserat imago, memoria tamen imaginis oculis inerrabat*. L. II ep. 27. Conf. ea, quae adfert erudite WESTERHOVIVS ad TERENT. p. m. 259.

§ 188.

Facultas, res absentes, tanquam praesentes, denuo sibi repraesentandi, et perceptiones pristinas instaurandi, dicitur *phantasia* siue *imaginatio*. Res autem, quae ab imaginatione denuo producuntur, et quasi praesentes fiunt, dicuntur *phantasmata*.

Vocem *phantasma* erudite explicatam inuenies in notis, quas CORTIVS et LONGOLIVS ad PLINIVM operose magnoque eruditionis apparatu congessere,

p. m. 534. Addatur LVCRETIVS Lib. IV. Praeclare AVGVSTINVS de Trinitat. 8, 6. *Alexandriam cum eloqui uolo, quam nunquam uidi, praesto est apud me PHANTASMA eius.* Cum enim a multis audissem et credidissem, magnam illam esse urbem, sicut mihi narrari potuit, finxi animo meo imaginem eius, quam potui.

§ 189.

De imaginatione has constituemus positiones:

I. Nihil nobis possumus imaginari, nisi quod antea sensibus percepimus.

Phantasiae enim siue imaginationis ope species et imagines rerum iam olim perceptarum, menti repraesentamus (§ 188). Atque adeo uides, quid sit, quod nonnulli phantasiam dicant *sensationem continuatam.*

At, AVGVSTINVS, inquis, Alexandriam, quam nunquam uidit, cogitatione depinxit, eiusque magnificentiam et amplitudinem animo exstruxit. Non uidit, fateor, sed audiuit tamen a multis, magnam esse urbem.

II. Quo clarius distinctiusque rem quampiam olim sensimus, hoc facilius eius imago in animum incurrit: hoc autem difficilius rem quamque nobis imaginamur, quo eam obscurius confusiusque quondam percepimus.

In qua urbe diutius commoratus es, eius uel magnitudinem, uel aedificiorum descriptionem, uel situm, facilius absens animo concipies, quam illius imaginem speciemque animo comprehendere et proponere ante oculos poteris, quam, tanquam in transitu, cum in itinere festinares, primo crepusculo aut nocte, aspexisti.

III. Quo recentior est sensatio, eo uiuidior et fortior est imaginatio.

Haec

Haec poſitio confirmatur experientia. Cum heri uel nudius tertius muſicam in aula regia audiuiſti, tum, quia noua eſt ſenſio tua, et quaſi de muſto et lacu feruida, magnam uim habet phantaſia, mirificeque uiget. *Hinc recens animi dolor* (ob uim phantaſiae) *conſolationes reiicit ac refugit, quemadmodum crudum adhuc uulnus medentium manus reformidat.* PLIN. ep. 16 L. V. Hinc eſt, ut omnes animi commotiones recentes ſint uehementiores. Audi ſeruum TERENTIANVM, ira percitum.

> *Nihil eſt*, inquit, *quod malim, quam illam totam familiam mihi dari obuiam,*
>
> *Vt ego iram hanc in eos euomam omnem, dum aegritudo haec eſt RECENS.* Adelph. III, 2, 13.

Si uero rem, ante multum tempus, ſenſiſti, tum, propter uetuſtatem, rerum perceptarum imagines exoleſcunt, quae, ſitu quaſi oblitteratae, ita obſcure menti obuerſantur, ut ſolent res, quae magno ex interuallo uix cernuntur. Ex quo intelligi poteſt, uerum eſſe, quod affirmat, quem modo adduxi, TERENTIVS,

> - - *Diem adimere aegritudinem hominibus*,

Heaut. Act. III Sc. IV. 12. Conf. CICERO Ep. famil. IV, 5. Att. III, 15.

IV. Quo crebrius repetitur eadem ſenſatio, hoc maiores uires acquirit imaginatio.

Quod eorum exemplo patet, qui, uel Veneri gulaeque, uel ludis dediti, ita ſaepenumero harum rerum illecebris ineſcantur, ut, impotentes ſui, et inconſulto mentis impetu, tanquam turbine, abrepti, in praecipitia quaequae ferantur. Vnde hoc? Hi ſcilicet cum uini aut Veneris dulcedinem iterum iterumque perſenſere, fit, ut imaginatio, ſenſuum illecebris irretita, et quoddam quaſi pabulum nacta, tantam in mentem exerceat uim, quantae, poſt aliquod tempus, uix poteſt reſiſti.

V. Multo fortius operatur imaginatio sola, cum sensus externi quiescunt, quam cum uel sensu uisus uel auditus uel aliis turbatur.

Experientia testatur, species, quae per somnia nobis offeruntur, multo uehementius mentem percellere, quam quae, cum uigilamus, in animum illabuntur. In somniis enim ceteri sensus externi quiescunt, imaginatio sola operatur. Intelligis ergo, α) quid sit, quod ii, qui uiuide res absentes sibi repraesentare cupiunt, oculos claudunt. β) Vides, cur phantasia in silentio et tenebris fortius operetur. Eleganter, ut omnia, PLINIVS: *Vndique siluae et solitudo, ipsumque illud silentium, quod uenationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt.* L. I ep. 7. γ) Manifestum denique hinc fit, cur, qui litteras amant, in secessum se abdant, turbasque defugiant, ut PLINIVS, qui, quam inierit in Tuscis studendi rationem descripturus, haec adfert: *Clausae fenestrae manent, MIRE ENIM SILENTIO ET TENEBRIS ANIMVS ALITVR,* p. 699 ed. CORTII.

VI. Habet hoc imaginatio, ut, si duas pluresue sensiones simul quondam habuimus, et earum una recurrit, alteram quoque, quae olim cum priori simul exstitit, renouet et producat, quod fieri quoque solet tum, cum similitudo adest perceptionum praesentium et praeteritarum.

Hanc idearum combinationem, ex similitudine perceptionum oriundam, uocare solent philosophi *associationem idearum.*

E. gr. Cum festi dies, Iesu nato sacri, singulis mensibus Decembribus recurrunt, simul animo bellaria et munuscula, quae a parentibus pueri adolescentuliue, hoc tempore, olim accepimus, animo obuersantur. Ratio latet in eo, quod festos hos dies munusculaue si-

mul

mul quondam uidimus. PLINII epiſtola 10 L. VI apte hanc propoſitionem illuſtrat. PLINIVS narrat, ſe ueniſſe in ſocrus ſuae uillam Alſienſem. Hanc uillam, ait, fuiſſe olim RVFI VERGINII. *Ipſe mihi,* inquit, *locus optimi illius et maximi uiri deſiderium non ſine dolore renouauit, Hunc enim incolere ſeceſſum, atque etiam ſenectutis ſuae nidulum uocare conſueuerat. Quocunque me contuliſſem, illum animus, illum oculi requirebant.*

VI. Atque ita intelligis, quid ſit id, quod uocant philoſophi *legem imaginationis*, quae continetur hac enunciatione. *Perceptio praeterita integra redit, cuius praeſens perceptio tantummodo partem in ſe continet.* Quod exemplum PLINII, modo allatum, confirmat.

Alii ita: *Si quae ſimul ſenſimus, et unius ſenſatio denuo producitur, imaginatio producit et perceptionem alterius.*

Hanc imaginationis legem identidem ſequuntur in agendo et homines et bruta. Noſti, canem aufugere, conſpecto baculo. Qui ſic? Verbera, olim baculo inflicta, ipſi repraeſentantur. Darius rex, hinnitu equi, conſtituebatur. Cur hinniebat ante regiam? Cauſſa erat lex imaginationis, quam probe intelligebat equi cuſtos. *Per noctem,* IVSTINVS inquit, *equum, pridie conſtitutam diem, ad eundem locum ducit, ibique equae admittit, ratus, ex uoluptate ueneris futurum, quod euenit. Poſtera die itaque, cum ad ſtatutam horam omnes conueniſſent, Darii equus, COGNITO LOCO, ex deſiderio feminae hinnitum ſtatim edidit.* L. I c. 10.

Ex lege imaginationis cum plurium rerum, tum uehementioris amoris odiique erga alios, quos ſaepius nunquam uidimus, ratio reddi poteſt. Cur Dido tenerrime amat Aſcanium? Cur gremio complectitur? Patris Aeneae, quem amabat, imago, filii conſpectu, reuiuiſcebat. Hinc VIRGILIVS

- - *Gremio Ascanium, genitoris imagine capta,*
Detinet. Aeneid. IV, 85.

VIII. Imaginatio quia est continuata sensatio, intelligis, imaginationes non semper esse in potestate nostra.

At si perceptiones sensuum, ex quibus, tanquam ex seminibus, nascuntur phantasiae lusus, potuisti impedire, tum, imaginationem in tua esse potestate, intelligis.

§ 190.

A facultate imaginandi dependet *facultas fingendi.* Cum plura phantasmata animo coniungimus, et inde quiddam, quod non extra nos existit, exstruimus, tum dicimur *fingere.*

Si *alas* et *equum* animo connectimus, tum fingendo inde exsurgit *equus alatus.* Harpyiarum formam hanc effinxit VIRGILIVS:

Virginei uolucrum uultus, foedissima uentris
Proluuies, uncaeque manus et pallida semper
Ora fame. Aeneid. III, 216.

§ 191.

Si ea, quae mente effingimus, eiusmodi sunt, ut ideae non sibi repugnent, neu altera alteram tollat, tum fictio dicitur *possibilis.* Si uero phantasmata combinantur, quae a se discordant, nec una esse possunt, tum *impossibilis* uocatur *fictio*, siue *chimaera.*

Quo referenda fabula apud LIVIVM, de membrorum corporis humani sermone, consilio, et conspiratione aduersus uentrem, quem, in medio quietum, nihil aliud, quam datis uoluptatibus frui, indignabantur, sed exitu infelici. L. II c. 32.

§ 192.

§ 192.

Ex his, quae de imaginatione et fingendi facultate diximus, intelligi nunc somniorum natura potest. *Somnia* scilicet sunt imaginationis operationes, quae solae in anima existunt, ceteris externis sensibus interim quiescentibus.

Periucundum lectu est somnium SCIPIONIS apud CICERONEM, somnium PLINII, III, 5, somnium CAESARIS apud SVETONIVM in Caes. c. 7.

§ 193.

Haec de somniis hic attulisse iuuabit.

I. Nihil menti in somnio oberrare potest, nisi, quod antea sensibus percepisti.

Est enim somnium imaginatio (§ 192), quae non, nisi res, sensibus perceptas, renouat. Indicat id CICERO sequentibus uerbis: *Hic mihi (credo equidem ex hoc, quod eramus locuti: fit enim fere, ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de* HOMERO *scribit* ENNIVS, *de quo uidelicet saepissime uigilans solebat cogitare et loqui), Africanus se ostendit illa forma, quae mihi ex imagine eius, quam ex ipso, erat notior.* Somn. Scip. c. 1.

II. Anima in somnio plura persaepe phantasmata coniungit, et imagines effingit, nunquam illas uisas quidem, at, extra nexum, et in partibus, a nobis ante sensibus perceptas.

III. Anima in somniis ad imaginationis legem operatur.

Quod ipsum experientia testatur. Librum legis, ut hoc utar, cubitum discessurus, de spectris. In somnio ergo tibi imagines formidolosae inerrabunt, atque ita facile ob similitudinem spectri et barbarorum, facie-

que hirta, et impexis comis terribilium, Pandurarum, a ſpectris imaginatio delabitur ad bellum, a bello ad incendium, ab hoc deinceps ad plures ſenſus, quas conectit uel ſeparat ob ſimilitudinem phantaſia.

A ſomnio diſtingui uolunt philoſophi *ſomnum* et *uigilias*. Quando anima noſtra in eo uerſatur ſtatu, ut res externae in organis ſentiendi mutationes producant, tum *uigilamus*. *Dormire* contra dicimur, cum anima in eo ſtatu eſt, ut nihil clare ſentiat, et nihil clare imaginetur. Somnium ergo eſt inter ſomnum et uigilias ſtatus medius.

CAP. VI.

De Memoria et Reminiſcentia.

§ 194.

Quemadmodum ſenſio et imaginatio a ſe differunt, ita ab utraque hac facultate diſtinguenda quoque eſt memoria, quae perſaepe cum phantaſia confunditur.

§ 195.

Senſatio res praeſentes percipit (§ 184), phantaſia rerum iam olim perceptarum imaginem inſtaurat et renouat (§ 188), at *memoria* agnoſcit, ideas, quas imaginatio denuo producit, easdem eſſe, quas iam olim habuimus.

Quam differentiam harum facultatum, ut luculenter intelligas, eam comprobabo exemplo SCIPIONIS, quem CICERO in ſomnio SCIPIONIS loquentem facit. Hic Africanum, dum uixerat, et eius imaginem uiderat. (*En ſenſationem*)! Qui Africanus poſt, quam obierat diem, eidem per ſomnium ſe oſtendebat. (*En imaginationem*)! Denique, cum illi appareret, agnoſcebat, eundem eſſe Africanum, quem uiuum uiderat.

uiderat. (*En memoriam*)! *Quem ut AGNOVI*, inquit, *equidem cohorrui.* CIC. Somn. Sc. c. 1.

Idem uerbum, AGNOSCERE, adhibet PLINIVS, memoriae uim actionemque indicaturus. *Respicit*, inquit, *uidet*, *AGNOSCITque narratam sibi effigiem.* L. VII ep. 27.

QVINCTILIANVS memoriae uirtutem his duabus rebus ostendi, putat, ut *facile percipiat*, et *fideliter contineat.* Institut. orator. L. I c. 3. CICERO memoriam uocat *thesaurum rerum omnium, quae, tanquam custos, inuentis cogitatisque rebus et uerbis adhibeatur.* De Orator. I, 5.

§ 196.

De memoria has enunciationes, quas et experientia firmat, et ratio nos edocet, teneto.

I. Memoria crebriori usu et exercitatione firmatur augeturque, et ea facile retinemus, quae diu multumque considerauimus.

Recte CICERO: *Memoria minuitur, nisi eam exerceas*, De Senect. c. 7. Et QVINCTILIANVS: *Memoria praecipue firmatur et alitur exercitatione.* Institut. orat. L. I c. 1.

Quare PLINIVS de sua studendi ratione haec habet: *Illa, quae dictaui, identidem retractantur, ac simul memoriae frequenti emendatione proficitur.* L. IX ep. 40.

II. Quae distincte percepimus, facilius memoriae imprimuntur, quam quae confuse, et tumultuario studio, didicimus.

III. Ex eo memoriae gradus aestimari solet, cum quis α) *plurima*, β) *cito* et *facile* memoriae mandat, γ) et, quae memoriae commisit, *diu* retinet.

Memoria Themistoclis apud ueteres in admiratione fuit, qui, teste CICERONE, *omnium ciuium nomina perce-*

perat

perat, et obliuionis, quam memoriae, artem malebat. De Orat. II, 86.

De ſtupenda memoriae ui, cuius plurima dedit documenta SIMONIDES, quem primum ferunt artem memoriae protuliſſe, legatur QVINCTILIANVS Inſtitut. orat. p. m. 985, edit. BVRMANN. et PHAEDRVS Lib. IV fab. 24.

§ 197.

Vt intelligas, quomodo a memoria diſtinguatur reminiſcentia, haec obſerua.

I. Vſu uenit nonnunquam, ut idea, quae ab imaginatione inſtaurari coepit, obſcura ſit, et, uetuſtate temporum, uel aliis ex cauſſis, paene oblitterata.

II. Hanc in claram quin etiam diſtinctam perceptionem perſaepe commutamus, idque

III. Notis quibusdam et ſignis adferendis, quae uel temporis uel loci ratio ſuppeditat.

IV. Quod cum fit, dicimur *reminiſci*. Reminiſcentia itaque eſt nihil aliud, quam facultas mentis noſtrae perceptiones praeteritas, circumſtantiarum quarundam adminiculo, recognoſcendi et obſcuras ideas commutandi in claras.

In hiſtoria diſcenda qui uerſantur, ſaepius ſibi, ſentiunt, nomina quaedam, quae centies olim in ore habuerunt, ita ex animo effluxiſſe, ut, quantumcunque adhibuerint ſtudii, ea recordari nequeant. At, opinione citius, nomen, cuius idea oblitterata uidebatur, ad animum recurrit, idque, ope uel aliarum uocum, quae ſimilis ſunt pronunciationis, uel plurium, quas hic enarrare omnes non poſſumus, circumſtantiarum. Tum dicere ſolemus: Ich beſinne mich nun.

§ 198.

§ 198.

Memoriae opponitur *obliuio*, quam dicimus impotentiam animae, ideam, denuo productam, recognoſcendi, quod eadem ſit, quam iam olim habuimus.

CAP. VII.

De Facultate cognoſcendi, eiusque parte nobiliori ſiue ſuperiori, et quidem primo de Facultate attendendi et reflectendi.

§ 199.

Hactenus eas animae facultates expoſuimus, quas, quia cum brutis communes habemus, ignobiliores ſiue inferiores uocare ſolemus. Proximum eſt, ut de iis mentis humanae uiribus commentemur, quae homini ſunt propriae, nec in bruta cadere poſſunt.

§ 200.

Hic ergo primo loco eſt excutienda *attentionis* uis et natura. *Attendere* dicimur, ſi efficimus, ut unius rei magis ſimus conſcii, quam ceterarum, quae ſimul exiſtunt.

Cum LIVIUM legis, et iis, quae Tarquinius effaeminate crudeliterque fecit, attendis, nonne, mente quaſi ab omnibus aliis rebus auocata, et, ſecluſis peregrinis cogitationibus, in hoc uno defixus haeres, ut integram factorum, ſcelerum, fatorumque Tarquinii ſeriem continuationemque tibi perſpectam reddas, ſiue,

quod

quod idem eſt, nonne eorum, quae de Tarquinio LIVIVS narrat, magis tibi es conſcius, quam ceterarum rerum.

§ 201.

Maior eſt attentio.

I. Quo *diutius* quis cogitationes ita poteſt intendere, ita in re quapiam defigere, ut omnes rei partes membratim examinet, et perluſtret.

Hic legi poteſt epiſtola ſecunda SENECAE, qui attentioni ſtudiorumque incrementis nihil magis officere demonſtrat, quam deſultoriam nonnullorum leuitatem, qui omnia curſim et properantes transmittunt.

II. Hoc plus admirationis habet attentio, quo pluribus rebus ſimul immoratur.

IVL. CAESAREM ſcimus, eodem tempore et plures epiſtolas diuerſi argumenti, dictaſſe, et alias ipſum ſcripſiſſe, et cum amicis de rebus publicis exercituque diſſeruiſſe.

III. Attentionis uis tantum non maxima iudicanda eſt, cum quis, inter ſtrepitus turbasque, ita animum intentum habet, ut rerum, uehementius ſenſus percellentium, uix ſit ſibi conſcius.

Hanc attentionis uim admiramur in ARCHIMEDE, de quo LIVIVS ita: *Archimedem, memoriae proditum eſt, in tanto tumultu, quantum capta urbs* (Syracuſae ſcil.) *in diſcurſu diripientium militum ciere poterat, intentum formis, quas in puluere deſcripſerat, ab ignaro milite, quis eſſet, interfectum.* L. XXV c. 31. Alio loco idem LIVIVS de militibus, intento animo praeliantibus, haec adfert: *Tantus fuit ardor animorum, adeo intentus pugnae animus, ut eum motum terrae,* (*qui multarum urbium Italiae magnas partes proſtrauit, auertitque curſu rapido amnes, mare fluminibus inue-*

ſtit,

ſtit, montes lapſu ingenti proruit) nemo pugnantium ſenſerit. L. XXII c. 5.

FRID. MORELLVS, typographus Pariſienſis celeberrimus, teſte COLOMESIO, adeo intentus fuiſſe dicitur LIBANIO ſuo expoliendo, ut ne nuncio quidem de repentino uxoris ſuae obitu, ab eodem ſeſe reuocari ſit paſſus. In Opuſc. p. m. 99.

IV. Inter plurima attentionem augendi adminicula eminet crebrior exercitatio, quae eo referenda eſt omnis, ut animum et cogitationes a rebus externis paullatim auocemus, rebusque, quae a ſenſibus longius diſtant, contemplandis adſuefaciamus.

V. Attentio turbatur et minuitur per ſenſus et imaginationes, quibus res, extra nos poſitae, confuſe repraeſentantur.

Teſtatur id experientia, quae neminem neſcire patitur, omnia ea, quae uel oculos uehementius adficiunt, uel aures percellunt, uel phantaſiam imaginum uarietate oblectant, eſſe eiusmodi, ut attendendi neruos mirum quantum infringant.

§ 202.

Si partes et membra alicuius rei attente perluſtraueris, tum attentio illa, per partes continuata, dicitur *reflexio.*

CAP. VIII.

De Intellectu, Ingenio, et Ratione.

§ 203.

Plurimi uoce *intellectus* ſignificari, putant, quamcunque cognoſcendi facultatem. Atque adeo, non

non possunt, quin ipsos sensus imaginationemque uocabulo *intellectus* comprehendant. At usus loquendi postulat, ut uocem hanc paullo arctioribus definiamus cancellis.

§ 204.

Intelligere tum demum rem aliquam dicimur, cum eam *distincte* cognoscimus. *Intellectus* ergo est facultas, res distincte repraesentandi.

Scriptores Romani *intelligentiae*, quam *intellectus* uoce uti lubentius solent. CICERO: *Rationis et intelligentiae animus particeps est.* De Diuinat. c. 32. Ita autem a se differunt. Intelligentia adiutrice, cognoscimus, QVID quaeque res sit, rationis adminiculo inuestigamus, CVR unumquodque sit uel fiat.

§ 205.

Ex intellectus definitione haec conficiuntur axiomata.

I. Quo *plura* sibi quis potest distincte repraesentare, eo maior est intellectus.

II. Quo *distinctius* res tibi subiicis et proponis, eo perfectior est intellectus.

III. Perfectissimus ergo intellectus ille iudicandus est, qui α) *omnia possibilia*, β) *distinctissime*, γ) *unico actu et simul* repraesentat.

IV. Cum ea, quae ante pedes sunt et existunt, sint eiusmodi, ut confuse tantummodo, non distincte cognosci queant (§ 36), consequens est, ut intellectus in notionibus uniuersalioribus et abstractis eruendis distincteque formandis occupetur.

Vt

Vt uideas CAIVM iratum, ad id, praeter ſenſus, nihil requiritur. At, ut ſcias, quid ſit *ira*, id uero efficit intellectus.

§ 206.

Quandoquidem, experientia teſte, nemo mortalium res, ab omni licet concretione et mole materiae ſeiunctas, ita poteſt ſibi repraeſentare, quin a ſenſibus et phantaſia admiſceatur aliquid, quod ſit corporeum, intelligitur, in hominem, quamdiu in his compagibus corporis eſt incluſus, *intellectum perfecte purum* non cadere.

Intellectus perfecte purus eſt is, ubi res tam diſtincte nobis repraeſentamus, ut nihil liceat ſenſibus aut phantaſiae in mentem, neu cogitationes quicquam habeant admixtum, diſpar ſui, aut ex materia concretum. *Intellectus* uero *impurus* dicitur, cum res diſtincte quidem repraeſentamus, at ita, ut multae rerum corporearum imagines, et confuſae repraeſentationes, quibus ſenſus et phantaſia, inepte ſedula, mentem turbant, admiſceantur. Eadem eſt intellectus puri ratio, quae caeli, liquide ſereni, quod, diſcuſſis nebulis, large, ut cum LVCRETIO loquar, diffuſo lumine ridet. At, cum nubes ita condunt lucem, ut, ſi qua ſidera aut ſol nonnunquam interniteant, plenus tamen ſplendor intercipiatur, tum intellectus impurus hac imagine exprimi poſſe uidetur.

§ 207.

Quae ſint intellectus operationes, iam in Logica, dedita opera, cumulatiusque expoſuimus. Notiones ſcilicet, easque diſtinctas, format intellectus, iudicat, et ratiocinatur.

§ 208.

Senſibus cognoſcimus res praeſentes, quae *cognitio* dicitur *intuitiua*. At intellectus in cognoſcen-

 dis

dis notionibus uniuerſalioribus, iisque diſtincte formandis, uerſatur, quod, niſi per uerba, fieri non poteſt, quae *cognitio* dicitur *ſymbolica*, quae ab intellectu ſeiungi non poteſt.

Terram arboresque ſenſibus intueris. Cognitio haec eſt intuitiua, neque intelligentiae adiumenta deſiderat. Cogita autem, quid ſit *ſpes*, quid *conſcientia*, quid *amor*, quid inuidia, harum abſtractarum notionum nulla diſtincte formari poteſt, niſi uerborum adminiculis, quo ipſo continetur *cognitio ſymbolica*, arctiſſimo uinculo cum intellectu connexa.

§ 209.

Intellectus perficitur, ſi plura diſtincte cognoſcit, atque adeo ſi partes rei peruidet, notasque, quibus altera res ab altera internoſcitur, diſtinguit. Quod cum ſit, menti noſtrae tribuimus *acumen* (Scharfſinnigkeit), quod eſt facultas, plura in una re diſtinguendi.

Si quis, ut hoc utar, praecepta de conſcientia ita pertractat, ut omnia, quae in notione conſcientiae occurrunt, enodet, omnesque conſcientiae formas et genera in nouas quaſi partes et membra ſecet, ita, ut nihil ſit, quod non attente, uel in minimis quoque, perluſtret, tum acute hanc doctrinam explanaſſe dicitur.

§ 210.

Hactenus de intellectu. *Ingenii* quae ſint proprietates, nunc diſpiciemus. *Ingenium* (Witz) dicitur facultas rerum ſimilitudines obſeruandi.

Voce *ingenii* plerumque omnes mentis humanae uires et facultates indicantur, ita, ut ambitu ſuo complectatur cum memoriam, tum phantaſiam, iudicium, intellectum et rationem. At uſus loquendi arctiores conſtituit cancellos, quibus uox ingenii includi debet. Ipſi ueteres ſcriptores ingenium a memoria, iudicio-

que

que discerni uolunt. PLINIVS, *utrique*, inquit, *erat tenax memoria, magnum INGENIVM, aequale iudicium.* L. V, 11.

Vt intelligas, recte nos ingenii naturam in perspicientia rerum similitudinis posuisse, ex ueterum scriptorum monumentis sententias producam, quas recte ideo ingeniosas dixeris, quia res plures inter se comparant, et rerum similitudines eruunt. Nonne haec TERENTIANA ab ingenii fonte profluxere? *Ita uita est*, inquit, *hominum, quasi, quum ludas tesseris: si illud, quod maxime opus est iactu, non cadit. Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.* Adelph. Act. IV Sc. 7, 21. Vide, quae WESTERHOVIVS ad h. l. eleganter commentatur.

Ad ingenium referuntur a nonullis 1) omnes *lepidae fabulae fictionesque*, quarum plena sunt scripta ueterum scriptorum, pleni, qui nostra aetate publicantur, libelli Gallorum, quos, scimus, omnibus ceteris nationibus ingenii laudem, si non praeripere, certe dubiam facere. Inprimis ingenii SWIFTIANI, ad satyras fabulasque effingendas peracuti, suauitates exosculor.

2) Omnia *breuiter, facete, acuteque dicta*, quae Galli *bons mots* uocant, omnes idem *commodae, nec exspectatae, responsiones*, quibus, tanquam sale, persperguntur ueterum scripta. Nouimus, ALEXANDRVM M. eo processisse insolentiae, ut se Iouis filium dici colique uoluerit. Is, quum ad matrem Olympiadem ita scripsisset: REX ALEXANDER IOVIS HAMMONIS FILIVS OLYMPIADI MATRI SALVTEM DICIT. Olympias rescripsit ad hanc sententiam: *Amabo*, inquit, *mi fili, quiescas, neque deferas me, neque criminere aduersum IVNONEM. Malum mihi prorsum illa magnum dabit, quum tu me litteris tuis PELLICEM illi esse confiteris.* Vid. GELLIVS noct. Att. L. XIII c. 4. Pertinet huc perquam festiua responsio ASDRVBALIS apud LIVIVM L. XXX c. 42, item HIEMPSALIS responsio

ad Iugurtham, apud SALLVSTIVM, Bell. Iug. c. II, aliae.

§ 211.

Quis ergo *ingeniosus* (ſinnreich) uocatur? is, qui ſimilitudines rerum facile obſeruat.

Poetae e. gr. qui id unum ſuſcepiſſe uidentur negotium, ut rerum ſimilitudinibus, feſtiue excogitatis, lectores delectent. Vix enim, uel ab HORATIO, uel VIRGILIO, uel OVIDIO, euentus quisquam narratur, qui non ſimilitudinibus, tanquam ſtellulis quibusdam, diſtinguatur. Eleganter HORATIVS L. IV Od. 14 illuſtrat Druſi facinora et impetum in hoſtes ſimili, ab Auſtri flatibus, et Aufidi fluuii inundatione. OVIDIVS perbelle amicos perfidos comparat columbis, quae nonniſi candidis tectis inſidere ſoleant. Conf. MASENII Palaeſtra eloquentiae ligatae p. 259 ſqq.

§ 212.

Accedo ad praecipuam, omniumque nobiliſſimam mentis humanae uim, *rationem* ſcilicet, qua fere ſola homo brutis praeſtat, quaque, neſcio, an quid diuinitus generi humano dari potuerit praeſtabilius. Eſt autem *ratio* nihil aliud, quam facultas animae noſtrae, nexum ueritatum uniuerſalium diſtincte perſpiciendi.

Male audit apud perplures, Theologos maxime, ratio, quam uero qui uituperant, neſcio, quid laudandum putent. Hi fere omnes, qui rationem tantopere damnant et explodunt, per rationem non id intelligunt, quod intelligi uolumus, ſed aut praeconceptas opiniones, aut cupiditates ferocientes, aut ludibria phantaſiae *rationem* uocant. Quare pleræque, quas noſtra aetate, de ratione coortas eſſe ſcimus, controuerſiæ inter logomachias merito ſuo referuntur.

Nititur definitio noſtra uſu loquendi. Quemnam dicimus uitam *rationi conuenienter* inſtituere? Nonne eum,

eum, qui futuras actionum suarum consecutiones, futuramque felicitatem infelicitatemue menti subiicit, et ante oculos proponit? At is ad rationis ductum uitam suam conformare minime dicendus est, qui, ut TERENTIVS ait, *quod ante pedes modo est, uidet, sed illa, quae futura sunt, minus prospicit.* *Est*, teste CICERONE, *boni consulis*, (adeoque etiam boni, et rationi conuenienter uiuentis, uiri), *non solum uidere, quid agatur, uerum etiam uidere, quid futurum sit*, Orat. pro L. Mur. c. 2.

Cum nostra definitione egregie consentiunt ea, quae de ratione CICERO scite eleganterque commentatur. *Homo*, inquit, *quod RATIONIS est particeps, per quam consequentia cernit, caussas rerum uidet, earumque progressus, et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, et rebus praesentibus adiungit, atque annectit futuras* L. I de Off. c. 4. Quod quid aliud est, quam ratio est facultas nexum rerum ueritatumque distincte perspiciendi?

§ 213

Ad ea, quae uim proprietatesque rationis declarant, luculentius intelligenda multum ualebunt hae propositiones.

I. Hoc quisque maiori rationis gradu gaudere existimandus est, quo longiorem ueritatum nexum potest perspicere.

Si quis, philosophiae praeceptis subactus, usuque exercitatus, ueritatum, in systemate quodam connexarum, continuationem seriemque, per innumeras propositiones ductam, ita perspicit, ut determinare possit, quomodo cohaereant ultima cum primis, nonne is melius rationem excoluisse putandus est, quam tyro, qui uix, nec id sine multo labore, paucarum enunciationum connexionem peruidet.

II. Vbi nulla perspicitur ueritatum connexio, ibi non locum habet ratio.

Intelligis ergo, *a*) uanam esse illam concertationem de ratione brutorum, quae, constat, tantum, quantum sensu mouentur, ad id solum, quod adest, sese accommodare, nec de futuris cogitare. *b*) Vides, cur sensus et experientia opponatur rationi. Sensu enim et experientia praesentia contuemur, rationis ope ex praesentibus futura colligimus.

III. Veritates, quae connexae sunt ita, ut altera partu quasi excludat alteram, dicuntur *ratio obiectiua*, at facultas, connexas ueritates perspiciendi *ratio subiectiua*.

Rationem obiectiuam definit LEIBNITIVS per catenam, i. e. nexum ueritatum.

IV. Si nexus demonstrationum et ratiociniorum ita perspicitur, ut, in eo perspiciendo, non opus sit nobis experientia sensuumque cognitione, tum ratio *pura* dicitur, sin minus, *impura*.

V. Ex his intelligi potest, id esse *rationi conforme*, quod cum ceteris ueritatibus connectitur. *Difforme* autem minusque consentaneum rationi illud recte dixeris, quod ueritatum nexui aduersatur.

E. gr. Haec propositio: *Fieri possunt miracula*: est rationi conformis. Connectitur enim cum his enunciationibus, quas ratio firmat; *leges motus suspendi possunt; nexus rerum est contingens*; item: *Deus est omnipotens*. At haec propositio: *Anima humana est mortalis*: est rationi minus consentanea, eidemque prorsus aduersa. Aliis enim propositionibus: e. gr. *Anima est ens simplex*; *ens simplex destrui non potest*: aduersatur.

VI. Rationem si eo habitu formaque consideraueris, qua tibi eam sistit definitio nostra, fieri

fieri non poteſt, ut errorum genitrix abs te habeatur.

Eſt enim unice in ueri inquiſitione occupata, nec quicquam aliud ſibi propoſitum habet, quam ut perſpiciat, quo modo altera ueritas ex altera nexa ſit. Labi, errare, et decipi ſunt phantaſiae, praecipitantiae, et praeconceptarum opinionum uitia. Recte MANILIVS:

Nam neque decipitur ratio, nec decipit unquam.

L. 2. Aſtronom.

At in ſcriptura ſacra ratio damnatur. Eph. II, 3. Col. I. 21. 2 Cor. X, 5. Reſpondeo: hic non de *ratione* agitur. Neque enim uox λόγος, in locis excitatis, reperitur, ſed uocabula λογισμὸς et διάνοια. Si graece doctus es, inter has uoces tantam eſſe differentiam, reperies, quanta maxima eſſe poteſt. Λογισμὸν et διάνοιαν multis erroribus corruptelisque mentem irretiri poſſe, aio, λόγον id poſſe, nego.

§ 214.

Sequitur, ut diſtincte explicemus, quid uelimus per *analogum rationis*, quibus uocibus identidem uſos eſſe, reperimus, ſcholaſticos, at uel nullam, uel confuſam certe, cum iis notionem connexuiſſe. *Analogum rationis* dicimus exſpectationem caſuum ſimilium.

§ 215.

Vt uero intelligi poſſit, quo contineatur *exſpectatio caſuum ſimilium*, haec obſerua. Qui caſus ſimiles exſpectant, hunc fere cogitandi ordinem ſequuntur:

Vbi eadem ſunt cauſſae et περιςάσεις *ſeu circumſtantiae, quae olim adfuerunt, ibi quoque idem effe-*

ctum idemque euentus debet sequi, qui olim, positis circumstantiis, consecutus est.

Atqui nunc eaedem caussae eaedemque circumstantiae adsunt.

Ergo abesse non potest, quin nunc idem effectum idemque euentus sequatur, qui olim has caussas circumstantiasque secutus est.

E. gr. Politici, cum rerum publicarum uicissitudines, incrementa scilicet, collapsionesque praedicunt ex praesentibus conditionibus, attente obseruatis, et cum iis, quae rerum publicarum conuersiones alio tempore uel praecesserunt, uel comitatae sunt, comparatis, similem, similibus positis circumstantiis, hariolantur euentum.

§ 216.

In casuum similium exspectatione opus est 1) ut praesentes quasdam circumstantias obserues, quod ope sensuum efficitur.

2) Vt, occasione praesentium circumstantiarum, *imaginatio* similes praeteritas reproducat.

3) Vt *memoria* agnoscat, easdem nunc adesse περιστάσεις quae olim adfuerunt.

§ 217.

Haec casuum similium exspectatio quia nititur sensu, phantasia et memoria (§ 216), consequens est, α) ut, sine rationis adminiculo, ea se exserere possit, β) ut ii, qui casus similes exspectant, saepius fallantur, et falli possint.

Quo pertinent illa TERENTII:

Duo cum idem faciunt, saepe ut possis dicere
Hoc licet impune facere huic, illi non licet,

Non

Non quod dissimilis res sit, sed quod is, qui facit.
Adelph. V, 3, 36.

Iucunde, hanc in sententiam, legi potest fabula de *catello et asino*, domino abblandientibus, sed exitu successuque contrario, quae est in Append. Fabb. PHAEDRI, X. Confer. *dissertatio nostra de fallaci casuum similium exspectatione.*

CAP. IX.

De Facultate appetendi, eiusque parte ignobiliori uel inferiori.

§ 218.

Hactenus de facultate cognoscendi cum ea, quam cum brutis habemus communem, tum illa, quae homini propria est, commentati sumus. Sequitur, ut de appetendi auersandique facultate quaedam nunc adferamus.

Quandoquidem uero cum omni appetitu *uoluptas*, et cum omni auersatione *taedium*, tam arcto uinculo connectitur, ut nec ab appetitu uoluptas, nec ab auersatione taedium seiungi possit; eam commentandi rationem inibimus, ut ante, quid sit uoluptas taediumque, distincte tradamus.

§ 219.

Voluptatis uocem paullo latius sumi uolumus, id omne, quod, patrio sermone, das Vergnügen uocamus, eadem complexi. Atque hoc sensu recte definitur *uoluptas* per sensum perfectionis.

Nititur haec uoluptatis definitio experientiae fulturis. Cur uoluptate adficeris, cum, te in dies longius progredi, sentis, in cultiorum litterarum studiis, cum hortum floridum, in quo areolorum commensus iu-

ſtam partium conuenientiam aptasque ſymmetriarum rationes habet? Sentis hic perfectiones. Cur PLINIVS tanta perfunditur uoluptate, cum ſe famamque ſuam apud omnes celebrari, intelligit. *Exprimere*, inquit, *non poſſum, quam ſit mihi iucundum, quod nomina noſtra quaſi litterarum propria, non hominum, litteris redduntur, quod uterque noſtrum* (ipſe ſcil. et TACITVS) *his etiam ex ſtudiis notus, quibus alter ignotus.* Definitionem noſtram mirifice quoque illuſtrabit epiſt. 7 lib. III; item epiſtola 4 lib. VII. Quae de definitione uoluptatis CICERONIANA adtuli, in logica leges p. 39.

§ 220.

Quam dedimus, definitio foecundiſſima eſt genitrix plurium propoſitionum, quarum permagnus eſt uſus cum in philoſophia morum, tum in theologia. Ex quibus haec axiomata notabis:

I. Hoc maior uehementiorque eſt uoluptas, quo maiores pluresque perfectiones percipis, animoque contemplaris.

Si pater, filium bonae eſſe indolis, uidet, ſi, ipſum ad litterarum ſtudia interno quodam ardore inflammari, animaduertit, ſi, eundem, ut aetate, ſic ſapientia creſcere, et in litteris ſeuera lege proficere, intelligit, ſi ipſum denique ad ampliſſima dignitatis faſtigia euectum cernit, tum uero ad patris uoluptatem quid addi poteſt?

II. Tanto magis augetur uoluptas, quanto quis accuratius de perfectionibus iudicium ferre, quantoque uiuidius easdem perſpicere poteſt.

Pictor imagine, eleganter exquiſiteque expreſſa, poeta carmine luculento et ſani coloris, uehementius delectatur, quam is, qui harum lautitiarum ignatus eſt.

III. Quo

III. Quo certius nosti, esse id, quod perfectiones putas, in perfectionibus numerandum, hoc insignior est uoluptas.

IV. Tamdiu durat uoluptas, quamdiu in ea re, ex qua uoluptatem capis, perfectiones, inesse, sentis. At tolle sensum perfectionis, oppido euanescit uoluptas.

V. Si perfectio est uera, si iudicium de ea est certum et constans, tum quoque inde oritur uoluptas uera, constans, sincera, nullaque aegritudine contaminanda. Sed si perfectio est opinata et apparens, aut iudicium de ea mutatur, uoluptas itidem est *apparens*, quae mutatur in aegritudinem, saepiusque relinquit caussas poenitendi, quam recordandi.

Voluptas, quam uirtutis studium adfert, uera est, et perpetua. Quæ uero ex uitiis oritur, percellit illa quidem uehementiusque afficit sensus, at mentem e sua sede et statu dimouet, doloresque parit. Praeclare BOETHIVS de uoluptate apparenti.

Habet omnis hoc uoluptas,
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par uolantum,
Vbi grata mella fudit;
Fugit, et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu. Metro III, 7.

§ 221.

Quae de uoluptate diximus, contraria ratione, de taedio demonstrari possunt. Est autem *taedium* nihil aliud, quam sensus imperfectionis.

Quanto

Quanto taedio afficeris, cum, a maleuolis famae tuae labeculam aſpergi, comperis? Quare uero? Quia imminutionem exiſtimationis tuae imperfectionem putas?

§ 222.

Taedium creſcit augeturque

1) Confuſa uiuidiorique imperfectionum repraeſentatione,

2) Imperfectionum multitudine,

3) Si iudicium, quod de imperfectionibus fers, certum eſt, et conſtans.

§ 223.

Eſt taedium, ut uoluptas, uel uerum perpetuumque, uel *opinatum* et *apparens*. Hoc euaneſcere poteſt, et maiori identidem compenſatur uoluptate. Illud manet, nec cauſſas laetandi relinquit.

§ 224.

Taedio ſiue aegritudini finitimus eſt *dolor*, qui oritur ex ſolutione continui neruoſi in corpore noſtro.

E. gr. Si neruos uenasque incidis cultello, tum continuum neruoſum ſoluitur, oriturque dolor.

§ 225.

Cum idea *boni* contineatur notione *appetitus*, quid bonum ſit, et, quae ſint eius formae, ante definiemus, quam ad notionem appetitus diſtincte euoluendam nos accingemus.

§ 226.

Bonum eſt, quod nobis noſtroque ſtatui perfectionem conciliat, ſiue, quod idem eſt, quod fini noſtro

noſtro eſt conueniens. *Malum* contra dicitur, quod nos noſtrumque ſtatum imperfectiorem reddit.

Diuitiae ſunt bonum quid, ſi eius, qui eas poſſidet, felicitatem, ad quam omnia cogitata factaque referenda ſunt, amplificant. At eaedem poſſunt eſſe, diuerſa ratione, malum quid, cum eius, qui iis affluit, felicitatem uel deſtruunt, uel impediunt, ſecundum illud TERENTII:

Quid reliqui eſt, quin habeat, quae quidem in homine dicuntur bona;
Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, diuitias?
Atque haec perinde ſunt, ut illius animus, qui ea poſſidet:
Qui uti ſcit, ei bona; illi, qui non recte utitur, mala,
Heaut. I, 2, 19.

§ 227.

Quandoquidem bonum perfectionem nobis conciliat (§ 226), perfectio autem uel uera eſt, uel apparens, conſequens eſt, ut bonum ſit uel uerum bonum, quod conſtanter eſt bonum uel apparens et opinatum, quod uidetur bonum, at mala tegit et occultat. Eadem eſt ratio *mali.*

§ 228.

Bonum, quod plures perfectiones adfert, dicitur maius, et, quod pauciores, *minus*, quod, ſi comparaueris cum bono maiori, malum habetur, contra *malum minus* eſt bonum, ſi refertur ad malum maius.

Diuitiae ſunt bonum minus, ſi compares eas cum uirtute, quae ſola a nonnullis id eſſe putatur, quod uere bonum dici mereatur. CICERO, *quod rectum*, ait,

et

et honeſtum et cum uirtute eſt, id ſolum opinor bonum. Paradox. I.

§ 229.

Haec, quae de bono maloue, de uoluptate item ac taedio, hactenus diſſeruimus, uiam quaſi nobis, ſalebris e medio ſublatis, expeditiorem reddunt ad diſtinctam explicationem *appetitus auerſationisque.* Scilicet, cum, quidpiam bonum nobis eſſe, putamus, tum in nobis niſum, conatum, inclinationemque ſentimus uerſus id, quod bonum opinamur. Quae inclinatio niſusque uerſus bonum cognitum *appetitus* uocatur, ipſa autem potentia mentis noſtrae, ad bonum cognitum inclinandi, appellatur *facultas appetendi*, ſiue, ueterum ſtilo, *uoluntas.*

Inclinationis uocem, quae, quia impropria eſt et metaphorica, offenſionis nonnihil habere uideri poterat, ita definimus, eſt conatus mentis humanae, ſenſationem aliquam producendi. In aegroto, qui, ardentiſſima febri peruſtus uinum et aquam appetit, animaduertis niſum conatumque guſtandi uinum et aquam, quo niſu conatuue continetur inclinatio. Quod ueteres *uoluntatem* uocabant, id facultatem appetendi generali nomine appellamus. *Voluntas* enim eſt nobis is appetitus, qui non, niſi ex diſtinctis rationis repraeſentationibus, ortum ducit.

§ 230.

De appetitu haec ſcire noſtra refert.

I. Nihil appetere poſſumus, niſi quod bonum opinamur.

CICERO ita: *Simulac obiecta ſpecies cuiuspiam eſt, quod bonum uideatur, ad id adipiſcendum impellit ipſa natura.* Tuſc. Quaeſt. L. IV c. 6. Qua propoſitione continetur lex appetitus, quam experientia demonſtrat. Quamvis enim perſaepe cupiditate feramur in id,

id, quod uere malum noxiumque est, id tamen quod malum est, bonum putamus, *decipimurque*, ut HORATIVS ait, *specie recti*.

II. Ab appetitu uoluptas seiungi non potest.

Quia enim nihil possumus appetere, nisi quod, bonum esse, siue perfectiones nobis conciliare, putamus, consequens est, ut ab appetitu sensus perfectionis siue uoluptas seiungi non possit.

III. Nihil appetere possumus sine *motiuis*.

Cum enim nihil possimus appetere, nisi quod bonum opinamur (posit. I), illa ipsa autem repraesentatio boni, quae, tanquam idonea sufficiensque ratio, te mouet, quaeque efficit, ut appetas, dicatur *motiuum*, uides, appetitum non magis esse posse sine motiuis, quam quicquam fieri sine ratione sufficienti et sine caussis.

IV. Appetitus uehementior fit et augetur, si plures fortioresque adsunt appetendi rationes et momenta.

Quid ergo? Quo plura, quoque maiora bona menti tuae occursant, quo item uiuidius certiusque, eadem tibi bona esse, cognosces, hoc uehementius ad ea obtinenda te ferri, fereque rapi, senties.

V. Appetitus est uel sensitiuus, uel rationalis.

Prout scilicet uel sensuum ope bonum tibi repraesentas uel ratione, ita appetitus, inde oriundus, uel sensitiuus uel rationalis uocatur. Qui febri aestuque iactatur, saepius appetit uinum, quod, medico monitore, noxium est. Cur appetit? quia id dulce palatoque iucundum putat. *En appetitum sensitiuum!* At, qui appetit medicamentum, quod nouit sanitati recuperandae accommodatum esse, quamuis amarum sit et peracerbum, eum appetitu rationali duci patet. De appetitu rationali et sensitiuo CICERO ita: *Voluntas* (i. e. appetitus rationalis) *est, quae quid cum ratione*

ratione desiderat. Quae autem ratione aduersa incitata est uehementius, ea libido (i. e. appetitus sensitiuus) *est, uel cupiditas effrenata, quae in omnibus stultis inuenitur.* Tusc. Quaest. IV, 6. Leges hic cum uoluptate PLINII epistolam I L. VII. Audi Pamphilum apud TERENTIVM, qui de uxore reducenda monitus, haec respondet:

- - *Equidem cupio et uix contineor* (en appetitum sensitiuum)!
Sed non minuam consilium. Ex usu quod est, id persequar (en appetitum rationalem)! Hec. IV, 3, 9.

VI. Appetitus sensitiuus fertur in id, quod sensus suauius afficit.

Oritur enim hic appetitus ex confusis sensuum repraesentationibus (pos. V), atque adeo fertur in id, quod sensibus bonum est. Sensus autem, quia ea tantum contuentur, quae coram sunt, et, ante pedes (§ 184), patet, eos, qui sensibus et, ex iis oriundo, appetitu reguntur, omne bonum praesenti sensuum delectatione metiri.

VII. Appetitus sensitiuus uires acquirit, mentemque uehementius ad id, quod bonum putatur, rapit, α) si *plura bona* simul, confuse, et uiuidius sensibus proponuntur, β) si quid iam saepius sensus et phantasiam oblectauit, tum id uehementius eos, qui sensibus obediunt, deinceps appetere, comperimus.

§ 231

Quae de appetitu diximus, ea, contraria ratione, ad notionem *auersationis* explicandam transferri possunt. Est scilicet *auersatio* reclinatio a malo cognito. Haec repraesentatio mali est motiuum auersandi, et uel sensibus efficitur, uel ratione,

tione, unde auerſatio uel ſenſitiua, uel rationalis eſt.

GENITOR, e. gr. apud PLINIVM conqueritur, taedio ſibi fuiſſe coenam, quamuis lautiſſimam. Hactenus *auerſatio*. Audi motiua. *Quia ſcurrae, cinaedi, moriones menſis inerrabant.* IX ep. 17. Senex TERENTIANVS abhorrebat a nuptiis, ad quas tantum non cogebatur. Motiua haec addit. *Hoc enim* (uxorem ducere) *mihi prauum, ineptum, abſurdum atque alienum a uita mea uidetur.* Adelph. V, 8 v. 21.

Hoc denique hic monendum uidetur, quod, quamuis ſemper adſint rationes et motiua, quae et appetitum cieant, et auerſationem taediumque efficiant, ſaepius tamen illae rationes et motiua non diſtincte a nobis intelligantur, neque aliis explicari poſſint. PLINIVS, inquit, *non me, ut feſtiuum, delectat, ſe quid molle a cinaedo, petulans a ſcurra, ſtultum a morione profertur. Non RATIONEM, ſed STOMACHVM tibi narro.* Lib. IX ep. 17.

CAP. X.

De Affectibus.

§ 232.

Quae de appetitu ſenſitiuo diximus, mirifice nunc inſeruiunt nobis, ea, quae de affectibus ſciri tradiue debent, explicaturis. Eſt enim *affectus* nihil aliud, quam appetitus uel auerſatio ſenſitiua uehementior, coniuncta cum inſolita quadam ſanguinis et fluidi neruei commotione in corpore noſtro.

Veteres ſcriptores Romani uocabant affectus *animi perturbationes, motus animi perturbatos*, CIC. Off. L. II c. 5. *Animi motiones, concitationes animi uehementiores, cupiditates* CIC. L. XV Fam. Ep. 4.

§ 233.

Ex definitione affectuum haec eruuntur axiomata:

I. Affectus oriuntur ex confusis sensuum et phantasiae repraesentationibus.

Quia omnis appetitus sensitiuus ortum suum ducit ex sensuum repraesentationibus (§ 230 pos. V). Ipsa quoque experientia hoc comprobat, quae cumulatius testatur, tanto quemque minus esse ad distincte ordinateque cogitandum aptum, quanto uehementioribus animi commotionibus perturbatur. Demipho apud TERENTIVM,

> *Ita sum*, inquit, *irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere.* Phorm. Act. II, 1, 9.

II. In omni affectu aut uoluptas, aut taedium, aut utrumque simul, pro diuersa sensuum repraesentatione, reperitur.

Est enim cum omni appetitu et auersatione uoluptas aut taedium coniunctum (§ 230 pos. II). Non est autem quaeuis animi uoluptas aut taedium affectus, sed ea demum uoluptas, quae mentem uehementius percellit, et corporis sanguinem turbat, inter affectus est referenda.

III. Affectus ergo sunt uel grati, uel ingrati, uel mixti.

Illi sunt, quos uoluptas, *isti*, quos taedium, *hi*, quos et uoluptas et taedium, comitantur. Inter mixtos, e. gr. referimus amorem.

IV. Affectus oritur, si *plura* bona malaue simul et confuse uiuidiusque repraesentantur.

Quod intelligi ex eo potest, quod de ui appetitus sensitiui diximus (§ 230).

V. Sunt

V. Sunt nonnulli affectus eiusmodi, ut ab eorum tanquam stirpe, ceteri, ut surculi, progerminent, quos uocamus *originarios*, in quibus numerantur *gaudium* et *tristitia*. Ceteri dicuntur *deriuatiui*.

§ 234.

Gaudium est insignior gradus uoluptatis, siue est praedominium uoluptatis.

Praedominatur uero in mente uoluptas, si repraesentatio perfectionum fortior est repraesentatione imperfectionum, siue, si uoluptas tanta est, ut omnes, si quae adsunt, taedii nubeculas dispellat. E. gr. Si pater, qui paullo ante morte amici turbatus erat, filium unicum, ex bello reducem, post multos demum annos, praeter omnem spem et exspectationem, in amplexus suos ferri, uidet, tum, quicquid superest taedii, ex amici morte concepti, tanquam nebula solis radiis, discutitur. Praeclare de praedominio uoluptatis PLINIVS: *Nihil est tam triste, quod per litteras sit minus triste. Itaque et infirmitate uxoris, et meorum periculo, quorundam uero etiam morte turbatus ad unicum doloris leuamentum, studia, confugi, quae praestant, ut aduersa magis intelligam, sed patientius feram.* Lib. VIII ep. 19.

§ 235.

De gaudio notes sequentia.

I. Quo uel plura bona simul, uel si magnum aliquod et insigne bonum confuse nobis repraesentamus, hoc uehementius est gaudium (§ 230).

Exemplum insignioris ac paene immodici gaudii uide in TERENTIO, Eunuch. Act. III Sc. 5, 3.

II. A gaudio differt laetitia (Frölichkeit), quae ex malo finito oritur.

E. gr. Si quis ex graui morbo fuerit recreatus, aut ſi quis, qui, ob atrocius delictum, in pegmate ferali, iam caput, mox moriturus, carnificis ſecuri ſubiecerat, uitam, gratia principis, ſeruat, ſaluusque euadit, tum laetatur. CICERO *laetitiam* a *gaudio* ita diſtinguit, ut illam immoderatam animi effuſionem putet, ponatque in uitio. *Gaudere*, inquit, *decet*, *laetari non decet: quoniam docendi cauſſa a gaudio laetitiam diſtinguimus.* Tuſc. Quaeſt. L. IV c. 31.

III. Multi ſunt gaudii laetitiaeque effectus, qui cum in animo, tum in corpore conſpiciuntur. Ex quibus hos enumerare iuuat.

1) Gaudium *non amat ſolitudinem*, quippe *quae*, teſte CICERONE, *fructum uoluptatum omnium aufert*, cap. 24 de amicitia, ſed ſemper, cum gaudemus, quaerimus aliquem, cui narremus ea, quae nobis iucunda contigerunt.

Eodem ergo iure, quo LVCRETIVS puellam, laetitiam *loquaculam* dixeris. Hinc non miror, cur Chaerea TERENTIANVS, gaudio elatus, tantopere optet, dari ſibi aliquem obuiam, in cuius ſinum partem gaudii ſui quaſi effundat. En! impatiens ipſius deſiderium, his uerbis expreſſum:

Sed neminemne curioſum interuenire nunc mihi,
Qui me ſequatur; quoquo eam, rogitando obtundat, enecet:
Quid geſtiam, aut quid laetus ſim: quo pergam, unde emergam, ubi ſiem
Veſtitum hunc nactus, quid mihi quaeram: ſanus ſim, anne inſaniam?

Eunuch. III Sc. 5 v. 5, conf. SVETONIVS in Caeſ. c. 22.

2) Comes gaudii eſt *celerior perturbatiorque curſus ſanguinis*, qui, ubi gaudium magis intenditur

tur, tanta persaepe ui ad cor propellitur, ut periculum mortis, quin ipsa nonnunquam mors repentina, insequatur.

LIVIVS, ubi narrauit, quam trepidatum fuerit Romae, nuncio de clade Romanorum accepto, haec, inter alia, addit. *Feminarum praecipue et gaudia insignia erant et luctus. Vnam in ipsa porta, sospiti filio repente oblatam, in conspectu eius exspirasse ferunt; alteram, cui mors filii falso nunciata erat, moestam sedentem domi, ad primum conspectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam.* LIV. L. XXII c. 7.

3) *Risus* praecipuus est gaudii effectus. Praeclare ergo risus ab EPICTETO uocatur *laetantis animi* ὑπερέκχυσις, *ebullitio quaedam.* Enchirid. c. 43.

Quamuis difficile nonnullis uisum sit, caussas risus inuenire, experientia tamen magistra, nouimus, α) quocunque risu gaudium aliquod indicari. Scite, ut omnia, TERENTIVS:

- - *Ille ringitur, tu RIDEAS* (i. e. gaudeas)
Prior bibas, prior decumbas: coena dubia apponitur.
Phorm. II, 2, 27.

Huc pertinet illud HORATII:

Cum rapies in ius malis RIDENTEM (i. e. gaudentem) *alienis.* Serm. L. II, 3 v. 72.

β) Illud, quod *insolitum* nobis, *insperatum* aut *absurdum* uidetur, haud raro risum ciet, cui tamen semper, uel nobis non animaduertentibus, immiscetur gaudium. HORATIVS de Porcio narrat, quod risum mouerit, quod unico haustu totas placentas deuoraret, et deglutiret:

Ridiculus, totas simul (siue, ut BENTLEIVS legit)
SEMEL absorbere placentas. Sat. II, 8, 24.

Cum Romani a Gallis petissent, ne Poeno, Italiae bellum inferenti, per agros urbesque suas transitum darent,

tantus cum fremitu risus dicitur ortus, ut uix a magistratibus maioribusque natu iuuentus sedaretur. Accipe caussam. *Adeo stolida impudensque postulatio uisa est, censere, ne in Italiam transmittant Galli bellum, ipsos id auertere in se, agrosque suos pro alienis populandos obiicere.* LIV. L. XXI c. 20. De risu HANNIBALIS in publico fletu uideatur idem LIV. L. XXX c. 44.

4) Laetitiae ac gaudii effectus praeterea est *exsultatio*, et *complosio manuum.*

Ita Romani laetitiam suam declarare consueuerant, cum ex eius recitationibus uoluptatem caperent, qui uel uenustum elegansque carmen, uel historiam orationemque confecerat, et, auditorum iudicia experturus, praelegebat. Alii acclamabant, alii, honoris fauorisque caussa, assurgebant, ad recitantium laudem *exsultabant* alii, uestes excutiebant, supplodebant pedes, *manibus plausus edebant*, totumque corpus circumagebant. Vid. FERRERIVS de acclamationibus publicis et plausu, quod opus thesauro Graeuiano Tom. VI insertum est. CICERO: *Mihi crede, tuis et illius litteris perlectis, EXSILVI GAVDIO.* Fam. XVI, 16. VIRGILIVS ita:

- - *Ingeminant PLAVSVM Tyrii.* Aen. I, 747.

§ 236.

Gaudio opponitur *tristitia*, quae est insignior gradus taedii, siue est praedominium taedii.

Fac, CAIVM festos dies celebrare, et, inter publica gaudia, comperire, filium unicum in academia esse confossum, tum omnis laetitia oppido euanescet, taediumque praedominabitur. Characterem tristitiae eleganter expressit TERENTIVS, exemplo Menedemi, qui filium unicum nimia acerbitate eo adegerat, ut, in Asiam ad regem, militatum abiret. Absentia ergo filii grauius affectus, ita conqueritur:

Domum reuertor moestus, atque animo fere perturbato atque incerto prae aegritudine. Heautont. I, 1, 70.

§ 237.

§ 237.

De triſtitia haec obſeruabis:

I. Quandoquidem triſtitia eſt uehementius taedium (§ 236), intelligitur, eam ex confuſa plurium magnorumque malorum perceptione oriri.

Quod uel exinde patet, quod plerumque per confabulationes et ſermones triſtitia leuior fiat. Per confabulationes enim momenta triſtitiae ſigillatim expenduntur ponderanturque. Quo fit, ut confuſae illae, ex quibus orta erat triſtitia, repraeſentationes fiant diſtinctae, triſtitiaeque ita nubes diſcutiatur.

II. Effectus triſtitiae ſunt uarii, quorum praecipui hi fere ſunt,

1) *Lacrimae et fletus.*

Simo TERENTIANVS de filio ſuo ita:

- - *Triſtis interim:*
Nonnunquam conlacrumabat.

Et ubi amorem moeſtitiamque filii penitius cognouerat, ita exclamat:

At, at! hoc illud eſt, hinc illae lacrimae. And. Act. I, 1, 98.

Sunt, qui lacrimas quoque nonnunquam laetitiae ſigna eſſe contendunt, experientia nixi. Ita TERENTIVS:

- - *Homini illico lacrimae cadunt*
Quaſi puero (prae) *gaudio.* Adelph. IV, 1 v. 20.

Cum quo PLAVTVS conſentit:

Vt prae laetitia lacrimae praeſiliunt mihi. Stich. III, 2, 13. Vid. WESTERHOVIANA editio TERENTII pag. 512 et 762.

At ſi recte attenderis, non laetitiam, ſed triſtitiam, quae laetitiae admiſcetur, et obſcure obrepit, has la-

crimas reperies ciere, quod recte obseruauit BVDDEVS Theolog. moral. p. 210. De uariis lacrimarum caussis legatur COEL. RHODIG. XII, 4.

2) Inter tristitiae effectus referuntur *oculi languidi*, et *humum intuentes*.

3) *Pallida facies* itidem comitatur tristitiam.

4) *Querimoniae*, quales Menedemi, apud TERENTIVM, sunt.

5) Is denique, qui moestus est, a *turba* hominum se recipit in *solitudinem*, ut meditari sine interpellatoribus, et dolori liberius indulgere possit. Audi, hanc in rem, Phaedriam apud TERENTIVM.

Dum rus, inquit, *eo, coepi egomet mecum inter uias, ita, ut fit, VBI QVID IN ANIMO EST MOLESTIAE, ALIAM REM EX ALIA COGITARE, et ea omnia in peiorem partem.* Eunuch. IV, 2, 1. Perbelle MARTIALIS: *Ille dolet uere, qui sine teste dolet.* Lib. I Epigr. 34.

§ 238.

Haec de affectibus, quos uocant, *primitiuis* siue *originariis*, gaudio scilicet et tristitia. Iam ad deriuatiuos accedemus, inter quos primo loco se offert nobis *amor*, qui est gaudium, ex alicuius personae felicitate perceptum, et *amare* alterum is dicitur, qui ex alterius felicitate uoluptatem capit.

§ 239.

Ad interiorem amoris naturam intelligendam faciunt hae enunciationes, amoris definitione nixae.

I. Amor

I. Amor oritur ex eo, ſi quid in altero obſeruamus, quod nobis placet, et bonum opinamur.

II. Quo uehementius quisque amat alterum, eo magis alterius felicitate delectatur, et quo quis plura bona in altero obſeruat, eo maiora incrementa capit amor.

III. Qui alterum amat, nae is aegritudine affligetur, ſi eum, quem amat, infelicem eſſe uiderit.

IV. Signum amoris luculentum illud eſt, cum id omne appetis, quod ad alterius felicitatem amplificandam pertinet, idque omne depellere et impedire allaboras, quod alterius felicitati officit.

§ 240.

Odium ergo quod amori opponitur, eſt gaudium ob alterius infelicitatem, eumque *odiſſe* dicimur, cuius infelicitate delectamur.

Odium definit CICERO per *iram inueteratam.* Tuſc. Quaeſt. IV c. 9. Odii nota haec eſt: *Qui alterum odit, alterius felicitatem uult deſtructam, et infelicitatem omnibus uiribus, omnique animi contentione, promouere nititur.*

§ 241.

Amoris effectus hi fere ſunt.

I. Amorem plerumque *commotio ſpirituum,* quos uocant, *animalium uehementior* comitatur, curſusque ſanguinis mirum quan-

 tum,

tum, huius affectus uehementia perturbatur.

Recte ergo TERENTIVS amorem uocat morbum.

- - *Quid hoc morbi est? adeon' homines immutarier ex amore, ut non cognoscas eundem esse.* Eunuch. II Sc. I, 9.

II. Qui amant, *absurda* et *ridicula* plerumque *iudicia* formant de persona, quam amant. Quod, si quisquam, LVCRETIVS, luculenter acuteque demonstrauit L. IV v. 1145.

Nam, inquit, *hoc faciunt homines, plerumque, cupidine coeci:*
Et tribuunt ea, quae non sunt his commoda uere.
Multimodis igitur prauas, turpesque uidemus
Esse in deliciis, summoque in honore uigere, etc.

III. Quod tanto minus mirum est, quanto certius est, amorem, si sensus solos sequatur, et *coecum* esse, et eos, quos cepit, *coecos* reddere, hominemque, mente, tanquam de gradu deiectum, in insaniam furoremque rapere.

Ita Dido, abeuntis Aeneae amore capta, VIRG. Aen. IV, 595.

Quid loquor? aut ubi sum? quae mentem insania mutat?

IV. Habet hoc praeterea amor, ut cum perpetuo desiderio connexus sit se coniungendi cum ea persona, quam amamus.

Phaedria apud TERENTIVM:

Tandem

Tandem non ego illa caream, ſi ſit opus, uel totum triduum?

Hunc Parmeno falſe ridet. Hui, inquit, *uniuerſum triduum?* uide, quid agas.

V. Amor occultari neſcit, ſed, uel nobis inuitis, foras erumpit, proditurque uel ſuſpiriis frequentioribus, uel oculis micantibus, uel aliis geſtibus partim ridiculis, partim indecoris.

Huc ſpectant illa OVIDII, Ep. 12.

- - Quis enim bene celat amorem?
Eminet indicio prodita flamma ſuo.

Seruus ergo, apud TERENTIVM, herum ſuum, ſi, cum amica, praeſente patre, una ſit, monet, ne amorem prodat.

Inuerſa uerba, euerſas ceruices tuas,
Gemitus, ſcreatus, tuſſes, riſus abſtine. Heaut. II, 3, 130.

VI. Denique in amore inſunt *ſuſpicio, lacrimae, bellum, pax rurſum.*

De ſuſpicione amantium praeclare TERENTIVS Heaut. 3, 3 v. 9.

Noui ego amantium animum: grauiter aduertunt, quae non cenſeas.

Idem alio loco ita:

In amore haec omnia inſunt uitia: iniuriae,
SVSPICIONES, inimicitiae, induciae,
Bellum, pax rurſum.

Eunuch. I, 1, 14.

§ 242.

§ 242.

Ex amore nascitur *commiseratio*, quae est nihil aliud, quam taedium ob alterius infelicitatem.

CICERO ita: *Misericordia est aegritudo ex miseria alterius, iniuria laborantis.* Tusc. Quaest. L. IV, c. 8. Vides e. gr. CAIVM amicum tuum, fame laborantem, multisque aerumnis deformatum. Tum, si CAIVM amas, animo commoueris ob ipsius, quam uides, miseriam, quo commiseratio continetur.

§ 243.

Commiserationi aduersatur *inuidia*, quam definimus per taedium, ex eo ortum, cum alium, quem odimus, felicem esse opinamur. Breuius: *Inuidia* est taedium ob felicitatem alterius.

CICERO ita: *INVIDENTIA est aegritudo, suscepta propter alterius res secundas, quae nihil noceant inuidenti, et si quis, cui alterius commoda nihil noceant, tamen eum, doleat, his frui, is inuidet profecto.* Tusc. Quaest. IV, 8. Quod HORATIVS eleganter ita reddit:

Inuidus alterius rebus MACRESCIT opimis.

I. Ep. 2, et rursus:

Quodque aliena capella gerat distentius uber
TABESCIT. Serm. I, I v. 110.

Inuidiae exemplum habebis in Iustiniano: Belisarius cum subactis Vandalis, actoque de Persis triumpho, Iustiniano Imperat. suspectus redderetur, oculis, eius iussu, orbatus est. At is tugurium ad uiam regiam constituendum curauit, ubi stipem a praetereuntibus sibi erogari, hac uerborum formula postulabat: Viator da obolum Belisario; quem uirtus extulit, coecauit inuidia. PROCOP. et CRINIT. L. IX c. 6.

§ 244.

Commiserationis et inuidiae diuersa sunt effecta.

I. Illa

I. Illa lacrimas plerumque habet comites. At inuidia inuidenti pallorem, maciemque conciliat.

Pereleganter inuidiae deformitatem et effecta expressit OVIDIVS:

Videt intus edentem
Vipereas carnes, uitiorum alimenta suorum,
INVIDIAM, etc.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes;
Pectora felle uirent; lingua est suffusa ueneno;
Risus abest, nisi quem uisi mouere dolores;
Nec fruitur somno. uigilantibus excita curis:
Sed uidet ingratos, intabescitque uidendo
Successus hominum; carpitque et carpitur una
Suppliciumque suum est. Metamorph. l. 2 v. 762.

II. Inuidia semper coniuncta est cum maledicentia et obtrectatione.

Quod testatur exemplum Alexandri Magni, qui Antipatro gloriam uictoriae inuidebat. Ita CVRTIVS: *Alexander hostes uinci uoluerat; Antipatrum uicisse ne tacitus quidem indignabatur: suae demtum gloriae existimans, quicquid cessisset alienae.* VI c. I, 18.

Quare hanc pugnam Antipatri per contemtum μυομαχίαν, *murium pugnam* appellabat. Conf. ea, quae ad hunc locum erudite adferuntur in editione SNACKENBVRGIANA p. m. 392. Audi Thrasonem apud TERENTIVM:

- - Inuidere omnes mihi:
MORDERE CLANCVLVM: ego non flocci pendere,
Illi inuidere misere. Eunuch. Act. III Sc. 2 v. 20.

III. Inuidia inuidentis animum misere cruciat et torquet.

Scite

Scite hanc in rem HORATIVS:

Inuidia Siculi non inuenere Tyranni
Maius tormentum. I ep. 2 v. 58.

Quod Alexander apud CVRTIVM his confirmat: *Inuidi homines nihil aliud, quam ipſorum ſunt tormenta.* L. VIII c. 12.

§ 245.

Periucundus, et ad animum exſuſcitandum accommodatus affectus eſt *acquieſcentia in ſe ipſo*, quae efficitur gaudio, quod percipimus, cum, boni quid nos commiſiſſe, putamus.

E. gr. Cum quis, ſua uirtute et eruditione ſe ad dignitatis faſtigium euectum, uidet, aut optimorum animos ſe ſibi deuinxiſſe ſentit, tum non poteſt non his bonis gaudere.

§ 246.

Huic affectui contrarius eſt affectus *poenitentiae*, quae eſt taedium ex malo, quod patrauimus.

Clitum Alexander ebrius interfecerat, et deteſtabile carnificis miniſterium occupauerat. At, poſtquam ira mente deceſſerat, etiam ebrietate diſcuſſa, magnitudinem facinoris ſera aeſtimatione perſpexit. CVRTIVS aegritudinem regis, ex caede patrata conceptam, his uerbis deſcribit: *Haſtam ex corpore iacentis euulſam retorſit in ſemet, iamque admouerat pectori: quum aduolant uigiles, et repugnanti e manibus extorquent, adleuatumque in tabernaculum adferunt. Ille humi proſtrauerat corpus, gemitu eiulatuque miſerabili tota perſonante regia. Laniare deinde os unguibus et circumſtantes rogare, ne ſe tanto dedecori ſuperſtitem eſſe paterentur.* L. VIII c. 2. Vide, quo animum cogat poenitentia.

§ 247.

Cum, alios de nobis noſtrisque uirtutibus honorifice exiſtimare, ſentimus, tum mirifica quadam uolu-

uoluptate perfundimur. Idque ipſum gaudium, quod ex aliorum iudiciis benignis, quae de nobis ferunt, percipimus, dicitur *gloria*.

Hunc affectum uiuis coloribus depictum uidebis in epiſtola PLINIANA uiceſima tertia libri IX. Vbi PLINIVS uerbis uix exprimere poteſt, quam ſit ſibi iucundum, quod de ſe ſtudiisque ſuis tam honorifice exiſtimari, audiat.

§ 248.

Pudor opponitur gloriae. Eſt autem *pudor* nihil aliud, quam taedium ex eiuſmodi malo ortum, quod opinamur exiſtimationem noſtram laedere famamque imminuere.

Pudoris characterem eleganter expreſſit TERENTIVS exemplo Clitiphonis, cui cum ſcelerum, quae patraſſet, infamiam his uerbis obiectaſſet pater:

- - *Gerro* (es) *iners*, *fraus*, *beluo*,
Ganeo, *damnoſus*,

ita, cognita factorum turpitudine, reſpondet:

Eheu, *quam ego nunc totus diſpliceo mihi!*
Quam pudet! neque, *quod principium inueniam ad placandum*, *ſcio.* Heautont. V, 4 v. 20.

§ 249.

Cum pudor ex eo oriatur, cum quidpiam famam noſtram imminuere opinamur (§ 248), conſequens eſt,

I. Vt, quo quisque acrius gloriae ſtimulis concitatur, hoc facilius citiusque pudore ſuffundatur.

Colligimus inde recte, eos, a quibus omnis pudor abeſt, famam infamiamque iuxta aeſtumare, et inter perditiſſimos homines eſſe referendos, ſecundum illud PLAVTI:

Ego

Ego illum periisse duco, cui quidem periit pudor.
Bacchid. III, 3, 3.

II. Cum non omnibus idem sit honestum et turpe, sed alii aliam honoris infamiaeque notionem animo informent, id, quod et experientia, et elegantissima praefatio CORNELIANA testatur, intelligitur, cur nonnullos earum rerum pudeat, quas alii laudi honorique sibi ducunt, et contra iis factis glorientur, quae alii sine rubore ne nominare quidem possunt.

Pertinent huc TERENTIANA illa:

Si roges, nihil pudet. Hic, ubi opus est,
Non uerentur: illic, ubi nihil opus est, ibi uerentur.
Andr. IV, 1, 13.

PLAVTVS hanc in rem, ita:

Plerique homines, quos, cum nihil refert, pudet: ubi pudendum est,
Ibi eos deserit pudor, quum usus est, ut pudeat. Epid. II, 1, 1.

III. Peruersum ergo de honore conceptum indicat ille pudor, quo suffunduntur nonnulli α) ob *paupertatem*. Talis est pudor Clitiphonis apud TERENTIVM, qui paupertatem fateri erubescebat:

Nihil, inquid, *esse mihi, religio est dicere.* Heaut. II, 2.

β) ob *deformitatem corporis, caluitiem, crines rufos, pusillam staturam, cetera.* Alcibiadem tibias, a se inflatas, oris deformitate pudefactum abiecisse et infregisse, narrat GELLIVS noct. Att. L. XV c. 17. Iulium item Caesarem, caluitii deformitatem iniquissime tulisse, testatur SVETO-

SVETONIVS. Et *deficientem*, inquit, *capillum reuocare a uertice assueuerat, et ex omnibus decretis sibi a Senatu populoque honoribus non alium aut recepit aut usurpauit libentius, quam ius laureae perpetuo gestandae.* In Caesare c. 45.

§ 250.

Variis indiciis se prodit pudor. Comitantur enim eum plerumque

I. *Rubor in facie suffusus.* Quod CICERO confirmat. *Pudorem*, inquit, *rubor consequitur.* Tusc. IV, 8. Hinc uides, cur Diogenes ruborem uocauerit *colorem uirtutis*. Vid. SENECA ep. 11.

II. Qui erubescunt, *in terram, deiecto aut uelato uultu, figunt oculos ac deprimunt.* Pudorem feminae cuiusdam, regia stirpe genitae, et cum ceteris captiuis in conspectum Alexandri M. productae, eleganter describit CVRTIVS: *Captiuae*, inquit, *feminarum iubebantur suo ritu canere inconditum et abhorrens peregrinis auribus carmen. Inter quas unam rex ipse conspexit moestiorem, quam ceteras, et producentibus eam uerecunde reluctantem. Excellens erat forma, et formam PVDOR honestabat. DEIECTIS IN TERRAM OCVLIS, et, quantum licebat, ORE VELATO, suspicionem praebuit regi, nobiliorem esse, quam ut inter conuiuales ludos deberet ostendi.* L. VI. c. 2. Conf. TERENTIVS Eunuch. III, 5 v. 31, et CICERO orat. Catil. III, 5.

III. Efficit nonnunquam pudor, ut mens, stupore attonita, linguam, quasi compede

 uinciat,

uinciat, omnemque ſermonem inhibeat. Audi TERENTIVM:

- - *Poſtquam ad iudices*
Ventum eſt, non potuit cogitata proloqui,
Ita eum timidum OBSTVPEFECIT PVDOR. Phorm. II, 1, 51.

§ 251.

Sequitur, ut affectum *ſpei* explicemus. Eſt autem *ſpes* nihil aliud, quam gaudium ob futurum bonum, quod obtenturos nos opinamur. E. gr. Cum quis, qui febri aeſtuque adhuc iactatus eſt, omnia, quae adſolent, quaeque oportet ſigna eſſe ad ſalutem, ſibi eſſe, audit ex medico, tum uoluptate quadam inſigni perfunditur, propterea, quod, ſe ex morbo propediem recreatum iri, opinatur, quo ipſo ſpes continetur.

Elegantem ſpei imaginem ſubiicit animo OVIDIVS L. I de Ponto 7, it. TIBVLL. eleg. ult. l. 2.

§ 252.

Eminentior gradus ſpei dicitur *fiducia.* Gradus autem et magnitudo *ſpei* ex eo aeſtumatur, ſi quis multa bona ſibi repraeſentat, et ſi certo aut probabilius, iſta bona obtentum iri, cognoſcit.

Veteres ſcriptores ſpem itidem diſtinguunt a *fiducia*, qua uoce quoties utuntur, toties maiorem certioremque ſpem indicant. Ita SENECA: *Iam de te ſpem habeo, nondum FIDVCIAM.* ep. 16. Quo pertinet locus CORNELIANVS: *Ea erat aetate, ut non iam ſolum de eo bene SPERARE, ſed etiam CONFIDERE ciues poſſent.* Milt. c. I.

Fit nonnunquam, ut ſperent multi ea, quae, ne ueri quidem ſimile eſt, obtentum unquam iri. At haec ſpes

ſpes eſt inanis, ridicula, et irrita. Qualis ſpes eſt plerorumque adoleſcentulorum. Scite CICERO: *At ſperat* (uerba haec continent obiectionem) *adoleſcens, diu ſe uicturum: quod ſperare idem ſenex non poteſt. INSIPIENTER ſperat. Quid enim ſtultius, quam incerta pro certis habere, falſa pro ueris.* Cato mai. c. 19.

§ 253.

Spei opponitur *metus*, qui eſt taedium, ex malo futuro ſeu imminenti ortum.

E. gr. Miles, in acie conſtitutus, mortem imminentem, quam, tanquam malum quid, ſibi repraeſentat, timet, taedio enim adficitur, quod ex eo oritur, cum ſibi pereundum eſſe opinatur.

§ 254.

Augetur intenditurque metus, α) quo *plura*, quae extimeſcimus, mala inſtant, β) quo *probabilius certiusque* nouimus, ea mala ceruicibus noſtris impendere.

Si metuit quis ea, quae nullo modo fieri poſſunt, aut ea, quae fieri quidem poſſunt, ſed, euentura eſſe, minus probabile eſt, tum metus ille ridiculus eſt, inanis, et praepoſterus. Ridet eiusmodi metum ſeruus TERENTIANVS, qui herum ſuum increpat, quod *poſſibilia* metuat.

Cl. *Quid tum quaeſo, ſi hoc pater reſciuerit?*
Sy. *Quid ſi redeo ad illos, qui aiunt: QVID SI NVNC COELVM RVAT?* Heaut. IV, 3, 40.

§ 255.

Metus efficit in corpore pallorem, tremoremque, fugam item, ſuſpicionem, alia ex aliis cogitantem, et ea omnia in peiorem partem, ita, ut, quae poſſunt fieri, iam facta putet.

De metus natura effectisque praeclare PLINIVS: *Vereor omnia, imaginor omnia, quaeque natura metuentium est, ea maxime mihi, quae maxime abominor, fingo.* L. VI ep. 4. Cum quo egregie consentiunt ea, quae adfert CLAVDIANVS de B. Get. v. 227.

Vtque est ingenio loquax et plurima fingi
Permittens credique timor; tum somnia uulgo
Narrari, tum monstra DEVM monitusque sinistri etc.

Vid. CORTIVS ad SALLVSTIVM Bello Cat. c. 30. p. m. 183.

§ 256.

Extremus gradus timoris dicitur *desperatio*, quae est taedium intolerabile ob malum imminens, nullo modo deuitandum.

CICERO ita: *Desperatio est aegritudo sine ulla rerum exspectatione meliorum* Tusc. Quaest. IV c. 8. E. gr. Si quis, cum nauis ad uada scopulosque delata est et concussa, fluctibus maris committitur, ubi nec littus uidet, nec tabulam, qua naufragus deportetur ad oram, tum in extremo uitam sitam esse uidet, salutemque, ipsis iam mortis faucibus absorptus, desperat, re cum consilio amissa.

Desperantis characterem eleganter expressit Catilina apud SALLVSTIVM: *Nobis domi* (est) *inopia, foris aes alienum, mala res, spes multo asperior, denique quid reliqui habemus, praeter miseram animam.* Cap. 20. Bell. Cat. Quod apud TERENTIVM Geta, auxilii consiliique expers, profert, eo uero, nescio, an quid ad desperantis miseriam perspiciendam possit esse accommodatius.

Nunc illud est, quod si omnes omnia sua consilia conferant,
Atque huic malo salutem quaerant, auxilii nihil adferant,
Quod mihique, heraeque, filiaeque herili est. Vae misero mihi!

Tot

Tot res repente circumuallant, unde emergi non potest;
Vis, egestas, iniustitia, solitudo, infamia. Adelph. III, 2, 1. et Act. IV, 7, 43.
- - *Ipsa, si cupiat, salus*
Seruare prorsus non potest hanc familiam.

§ 257.

Inter ea, quae desperationem consequuntur, conspicias plerumque in facie colorem uarium, et oculos truces furorisque plenos, quin etiam, αὐτοχειρίαν haud raro desperationis comitem esse, deprehendimus.

SALLVSTIVS de Catilina: *Animus impurus, Dis hominibusque infestus, neque uigiliis, neque quietibus sedari poterat: ita conscientia mentem excitam uastabat. Igitur color exsanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus ingressus: prorsus in facie uultuque uecordia* (i. e. furor et amentia) *inerat.* Bell. Catil. c. 15. De Iul. Caesare ita SVETONIVS: *Iterum in Hispania ultimo praelio, cum, DESPERATIS rebus, etiam de consciscenda nece cogitauit.* In Caes. c. 36.

§ 258.

Terror est uehementius taedium, ex malo improuiso ortum. Et insignior gradus terroris dicitur *pauor* (Bestürtzung).

CICERO *terrorem* dicit *metum concutientem*, et *pauorem* uocat *metum, mentem loco mouentem*, siue, stilo ENNIANO, metum, qui omnem sapientiam ex animo expectorat. Tusc. Quaest. IV, 8.

Exemplum terroris suppeditat Augustus, apud SVETONIVM, quem, clade Variana nunciata, adeo consternatum ferunt, ut per continuos menses barba capilloque summisso, caput interdum foribus illideret, uociferans: *Quinctili Vare, legiones redde.* In Aug. c. 23.

Pauoris naturam si penitus perspicere uis, lege LIVIVM cap. XXIX libr. I: *Legiones deinde ductae*, inquit, *ad diruendam urbem, quae ubi intrauere portas, non quidem fuit tumultus ille, nec pauor, qualis captarum esse solet urbium, quum, effractis portis, stratisue ariete muris, aut arce ui capta, clamor hostilis et cursus per urbem armatorum omnia ferro flammaque miscet; sed silentium triste ac tacita moestitia ita defixit omnium animos, ut prae metu obliti, quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio, rogitantesque alii alios, nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos suas, ultimum illas uisuri peruagarentur.*

§ 259.

Terrorem consequuntur, teste CICERONE, pallor et tremor, et dentium crepitus, pauorem exanimatio, et stupor quidam insolitus.

Pertinet huc locus TERENTII:

Discrucior animi. Hoccine de IMPROVISO mali mihi obiici
Tantum, ut neque quid de me faciam, neque quid agam, certum siet?
Membra metu debilia sunt, animus timore obstupuit,
Pectore consistere nihil consilii quicquam potest. Vah! quo modo
Me ex hac turba expediam? Adelph. IV, 4, 1.

Cum omnes affectus sint eiusmodi, ut iis, rationis adminiculo, occurri possit, quo minus impetu uique sua mentem de sede sua prorsus turbent: Solus terror, ex malo improuiso nec opinato oriundus, hoc habet proprium, ut nullo modo euitari possit declinarique. Id unum ad eum quodam modo minuendum ualere uidetur, si, quae nobis accidere possunt, mala multo ante, quam accidunt, nobis repraesentamus, et, tanquam ex specula, prospicimus. Quod egregie monet TERENTIVS:

Omnes,

- *Omnes, quum ſecundae res ſunt maxime, tum maxime*
Meditari ſecum oportet, quo pacto aduerſam aerumnam ferant:
Pericla, damna, exilia. Peregre rediens ſemper cogitet,
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiae.
Communia eſſe haec, fieri poſſe, ut ne quid animo ſit nouum.
Quicquid praeter ſpem eueniat, omne id deputare eſſe in lucro. Phorm. I, 5 v. 11.

§ 260.

Cum animus, ſpe metuque ſuſpenſus, huc illuc impellitur, ita, ut ſpem metus, metum ſpes excipiat, tum dicitur illa ſpei metusque uiciſſitudo *animi uacillatio*, quam OVIDIVS pereleganter ita exprimit:

Speque timor dubia, ſpesque timore cadit. Heroid. IX, 42.

Conf. SALLVST. Bell. Iug. c. 108, et TERENT. Andr. Act. II, 1 v. 2.

- - - - *Vae miſero mihi!*
Vt animus in ſpe atque in timore uſque antehac attentus fuit,
Ita, poſtquam adempta ſpes eſt, laſſus, cura confectus, ſtupet.

§ 261.

Zelotypiam ſiue aemulationem uocamus eum uehementiorem appetitum, quo ferimur in aliquod bonum percipiendum prae altero quodam, idem appetente.

CICERO aemulationem et zelotypiam, ex mente Stoicorum ita distinguit a se inuicem. *Aemulatio*, inquit, *dupliciter illa quidem dicitur, ut et in laude et in uitio nomen hoc sit. Nam et imitatio uirtutis aemulatio dicitur: sed ea nihil hoc loco utimur: est enim laudis, et est aemulatio aegritudo, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat. Obtrectatio autem est ea, quam intelligi zelotypiam uolo, aegritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupiuerit.* Tusc. Quaest. IV, 8.

§ 262.

Illud taedium uehementius, quod ortum est ex iniuria uel nobis, uel aliis, quos amamus, illata, et quod coniunctum est cum odio eius, qui iniuriam intulit, dicitur *ira*.

Quamuis alii alio modo definire soleant iram, experientia tamen nostram definitionem egregie firmat, quippe quae testatur, solam et unicam caussam irae esse iniuriam, uel nobis, uel aliis illatam. Lege, hanc in rem, TERENTIVM, qui Demiphonem ita loquentem facit:

DE. En unquam cuiquam contumeliosius
Audistis factam iniuriam, quam haec est mihi?

Quid ad haec seruus? *iratus est*, inquit. Phorm. II, 2, 1.

Considera apud CICERONEM Titum Manlium, qui postea Torquatus est appellatus. Hunc TVLLIVS narrat, *iratum accurrisse Romam, et cum prima luce Pomponii, Tribuni plebis, domum uenisse.* Cum *iram* Tito tribuit CICERO? 1) Quia taedio insigniori et aegritudine adficiebatur, ad iniuriam, patri a Pomponio illatam. Audiuerat enim, patri negotium exhiberi. En fontem irae! 2) Quia hoc taedium coniunctum erat cum odio Pomponii. Vbi enim ingressus est domum, confestim distrinxit gladium, iurauitque, se illum statim interfecturum. De Off. L. III. c. 31.

§ 263.

§ 263.

Inter alia plurima mala ira comitem habet *uindictae cupiditatem*, quam dicimus ſtudium malo malum compenſandi.

Teſtatur id TERENTIVS exemplo Getae:

Vix ſum, inquit, *compos animi; ita ardeo iracundia:*
Nihil eſt, quod malim, quam illam totam familiam mihi dari obuiam,
Vt ego iram hanc in eos euomam omnem, dum aegritudo haec eſt recens,
Satis mihi id habeam ſupplicii, dum illos ulciſcar modo. Adelph. III, 2, 12.

§ 264.

Quantas turbas *ira* excitet in corpore, indicat horridus habitus, oculi ſcintillantes, truculenta ſpecies, uiolenti ſpiritus, uox terribilis, cetera, quae OVIDIVS paucis his complectitur:

Ora tument ira: nigreſcunt ſanguine uenae:
Lumina Gorgoneo ſaeuius angue micant.

L. 3 de Arte amandi.

Luculentius multo copioſiusque iratorum habitum et geſtus ante oculos exponit SENECA: *Flagrant*, inquit, *et micant oculi, multus ore toto rubor, exaeſtuante ab imis praecordiis ſanguine. Labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus, ac ſtridens articulorum ſe ipſum intorquentium ſonus, gemitus mugitusque et parum explanatis uocibus ſermo praeruptus, et comploſae ſaepius manus, et pulſata humus pedibus, et totum concitum corpus, magnasque minas agens. Foeda uiſu et horrida facies, deprauantium ſe atque intumeſcentium. Neſcias utrum magis deteſtabile uitium ſit, an deforme.* De Ira L. I c. 1.

§ 265.

Cum quis ad appetendum auerſandumque tantummodo confuſis ſenſuum imaginationisque repraeſentationibus, impetuque affectuum commouetur, tum in *Statu ſeruitutis moralis* uerſari dicitur.

Statum ſeruitutis moralis uiuis depinxit coloribus CICERO his, inter alia, uſus uerbis: *Non enim ita* (Stoici) *dicunt, eos eſſe ſeruos, ut mancipia, quae ſunt dominorum facta nexu, aut aliquo iure ciuili, ſed, ſi SERVITVS ſit, ſicut eſt, obedientia fracti animi et abiecti, et arbitrio carentis ſuo, quis neget, omnes leues, omnes cupidos, omnes denique improbos eſſe ſeruos.* Paradox. V c. 1 ſeqq. Seruos morales HORATIVS ſalſius perſtringit, cum pluribus in locis, tum Satyr. 7 L. II.

Tu, inquit, *mihi qui imperitas, aliis ſeruis miſer, atque Duceris, ut neruis alienis mobile lignum.*

De ſtatu ſeruitutis moralis, ex inſtituto, copioſius quondam commentati ſumus in quibusdam diſſertationibus, Vitembergae habitis.

CAP. XI.

De Appetitu rationali, ſiue uoluntate eiusdemque libertate.

§ 266.

Hactenus de appetitu ſenſitiuo. *Rationalis appetitus* ſiue *uoluntas* eſt inclinatio ad bonum, quae oritur ex diſtinctis rationis intellectusque repraeſentationibus.

§ 267.

Ex hac definitione ſequentes poſitiones intelligi poſſunt.

I. Quo

I. Quo maius bonum nobis intellectus ſiſtit, eo fortius motiuum adeſt, quod appetitum rationalem cieat.

II. Non ergo mirum, nos ex bonis, diſtincte perſpectis, maius bonum praeferre minori.

III. Vſu perſaepe uenit, ut id, quod ratio et intellectus, tanquam bonum, nobis repraeſentat, ſenſus et imaginatio, tanquam malum, ſiſtant.

IV. Ex quo exiſtit pugna *appetitus ſenſitiui* et *rationalis*, quæ pugna eo continetur, cum appetitus ſenſitiuus eſt rationali contrarius.

Hanc pugnam, neſcio, an rectius aptiusque expreſſeris, quam uerbis TERENTIANIS:

Nolo, uolo: uolo, nolo rurſum: - -
Quod dictum, indictum eſt, quod modo erat ratum, irritum eſt. Phorm. V, 7, 56.

Exemplum luculentum pugnae appetitus rationalis et ſenſitiui tibi exhibet Phaedria TERENTIANVS, qui, cum amore conflictatus, nunc, ratione in conſilium adhibita, damnat illum, ſe ultro accuſat, et mollitiem animi eiiciendam putat, nunc, uoluptatum et ſenſuum illecebris irretitus, Thaida ſuam rurſus deperit, et uim amoris uix ſuſtinet:

- - *O indignum*, inquit, *facinus. nunc ego et*
Illam ſceleſtam eſſe, et me miſerum, ſentio:
Et taedet: et amore ardeo et prudens, ſciens,
Viuus, uidensque pereo: nec, quid agam, ſcio. Eunuch. I, 1, 25.

Quod Phaedria, idem de ſe Medea apud OVIDIVM Metam. VII, 19 dicit:

Sed trahit inuitam noua uis: aliudque CVPIDO (appetitus sensitiuus)
MENS (appetitus rationalis) *aliud suadet. Video meliora proboque* (secundum rationem),
Deteriora sequor (ex appetitu sensitiuo).

Hanc sententiam alio loco ita expressit:

Odi, nec possum cupiens non esse, quod odi:
Heu quam, quod studeas ponere, ferre graue est:

Et:

Quod sequitur, fugio, quod fugit, ipse sequor. Vid. BVRMANNVS ad h. l. p. m. 447.

Addi merentur, quae SENECA, hanc in rem, eleganter affert:

Quae memorat, scio,
Vera esse, nutrix.
- - *Sed furor cogit sequi*
Peiora. Vadit animus in praeceps sciens
Remeatque frustra, sana consilia appetens. in Hippol. Act. I p. 237 edit. SCHROEDERI 4to. mai.

V. Appetitus, qui rationem sequitur, quamuis distinctis repraesentationibus, tanquam motiuis, nitatur, non tamen mens humana uel externa, uel interna ui ad appetendum cogi potest.

Fac enim, uoluntatem posse ad appetendum cogi, tum ui externa poterit effici, ut uoluntas id appetat, quod intellectus, tanquam malum, sistit, quod contrarium iis est, quae supra de natura appetitus disputauimus. Quotusquisque, e. gr. tormentis licet omnibus adhibitis, te coget, ut uenenum, quod auersaris, appetas? Hoc equidem uis externa efficiet, ut poculum, ueneno impletum, ori admoueas, illudque exhaurias, at, ut appetas, non efficiet.

VI. Quandoquidem ergo mens humana ad appetendum auersandumque nulla ui cogi potest,

potest, intelligitur, eam cum in appetendo, tum in auersando *sponte* agere.

Est enim *spontaneitas* facultas animae semetipsam determinandi. *Sponte*, e. gr. agit is, qui dissolutius uiuit, et sodalitates flagitiosorum in deliciis habet. Neque enim a quoquam trahitur aut cogitur ad sodalitates impiorum obeundas.

VII. Ita uia munitur ad notionem *libertatis* recte intelligendam. Voluntas scilicet appetit *libere*, si ex pluribus rebus, sibi obiectis, id sponte eligit, quod optimum intellectus iudicat.

VIII. *Libertas* ergo, tanquam praecipua uoluntatis affectio, est nihil aliud, quam facultas entis intelligentis ex pluribus, quae appeti poterant, sponte eligendi id, quod optimum iudicat.

Quae libertatis definitio male audit apud nonnullos, qui, monstri quid alere eam, existimant: At, si experientiam in consilium adhibueris, deprehendes, nunquam libertatem sine his tribus requisitis α) *intelligentia*, β) actionis suscipiendae *contingentia*, γ) *spontaneitate* locum habere. Quod ut pateat euidentius, exemplum subiungam. Theoxena apud LIVIVM *libere* sese in mare deiiciebat. Vides in hac feroci femina, mortem subeunte, omnia libertatis requisita. (α) Perpendebat, se et liberos ludibrio futuros non regis Philippi modo, sed custodum etiam libidini, atque adeo facinus, quod suscipiebat, LIVIVS uocat multo ante *praecogitatum* (*en intelligentiam*)! (β) Potuisset se potestati regis tradere, penes ipsam erat, posito in conspectu poculo, strictisque gladiis, uel ferrum capere, uel haurire poculum, quo mortis genere liberos absumtos legimus (*en contingentiam!*) (γ) Sed sponte, nullaque ui coacta, se determinabat, ad illud mortis genus eligendum, quod ipsi maxime place-

placebat. *Ipsa*, inquit LIVIVS, *uirum, comitem mortis, complexa, in mare sese deiecit (en spontaneitatem!)* Vid. LIVIVS Lib. XL c. 4.

§ 268.

Ex hac libertatis definitione perspicitur:

I. Motiua, mentem ad appetendum eligendumque incitantia, non tollere libertatem, quippe quae nulla est, nisi intelligentia consilioque fuerit constituta.

Ecquis te libertate orbatum dicet, si cum ratione ex pluribus libris eum, quem tibi utilissimum iudicas, elegeris.

II. Intelligitur ex his, *indifferentiam*, quam uocant, *perfecti aequilibrii* inter anilium rerum deliramenta esse referendam.

Indifferentiam uero *perfecti aequilibrii* uocabant ueteres, cum mens humana, positis omnibus ad uolendum requisitis, tamen contrarium, idque sine motiuo, sine omni ratione sufficienti, eligere posset. In omni electione, adeoque libertate, 1) calculi quasi in utraque parte ponuntur, 2) id praefertur alteri, in quo uicerit ratio. Vid. Epist. PLINII 19 L. II. Plura de libertate disputauit S. R. WAGNERVS, in scripto pererudito, quod, ante plures annos, patria lingua, foras dedit.

CAP. XII.

De Commercio animae et corporis.

§ 269.

Habent anima corpusque commune quoddam uinculum, quo continentur, et tam arcte inter se

ſe colligantur, ut in motibus ſenſionibusque mutuas ſibi praeſtent operas, et utrumque per ſe indigens, alterum alterius auxilio indigeat.

§ 270.

Experientia quemque condocet,

I. Cum a rebus externis in corpore noſtro ſentiendi inſtrumenta, ut oculus, auris, cetera, pulſantur mouenturque, tum in anima oriri ideam ſiue perceptionem.

E. gr. Cum tonitru auditur, tum tremulus aeris motus ad aures defertur, easdemque percellit. Qua mutatione in auribus facta, ſtatim excitatur perceptio in anima.

II. Experientia magiſtra, nouimus, quod tum membra corporis moueantur, cum anima eadem uult moueri.

E. gr. Volo, ut lingua, ut pedes manusque moueantur. Tum ad decretum animae conſequitur motus.

III. Ex his intelligas, licet, per experientiam conſtare, quod animae competat *regimen* in corpus, quod eſt facultas animae, motus corporis pro lubitu ita determinandi, ut ſequatur hic, nec alius motus.

Scite SALLVSTIVS Iugurth. c. I: *Dux et imperator uitae mortalium animus eſt.* Cum quo conſentit LACTANTIVS de ira D. c. X: *Animus rector eſt corporis, cui membra obſequuntur, tanquam regi et imperatori.* Conf. SENECA epiſt. CXIV, et CORTIVS ad SALLVSTIVM p. 4.

§ 271.

Quas quidem poſitiones, hactenus ex experientia adſtructas, non facile quisquam eſt, qui in dubium

bium uocet, nisi, qui, aut mentem hospitari in corpore, aut corpus reuera adesse, negauerit. At si quaeras, *quomodo* regat animus corpus, et qui fiat, ut, mutatione in corporis membris facta, oriatur perceptio siue sensio in anima, tum necti, comperies, difficultatis nodos, quos nemo dum expediuit, nec, si quid uideo, in posterum quisquam expediet.

§ 272.

In contrarias discinduntur sententias eruditi, de commercii modo inter animum et corpus interrogati. Alii existimant, animam ita agere in corpus, et corpus ita agere in animam, ut α) quando anima uelit, corporis membra moueri, tum anima alium aliumque neruum impellat, atque ita efficiat, ut motus hic, nec alius in corpore sequatur. β) Item, quando in organis sentiendi mutatio a rebus extra nos positis, producatur, tum, motu per neruos in cerebrum usque propagato, animae imprimatur idea. *Alii*, ipsum, putant, Deum toties perceptionem conuenientem in anima producere, quoties mutatio in organis sensoriis contingat, et, coorta in anima uoluntate, motum conuenientem a Deo in corpore effici. *Alii* denique, secessione ab his, quas recensui, opinionibus facta, modum, quo cum corpore mens humana est copulata, ita exponunt.

I. Existimant, quoties in organis sensoriis et corporis membris contingat mutatio, toties animam ui, sibi congenita, sine corporis adminiculo, perceptionem producere, idque ita, ut, quae producitur perceptio, ex

ex aliis antecedentibus perceptionibus, ſerie nexuque continuato, reſultet.

II. Opinantur, motus corporis nec ab anima, nec a Deo produci, ſed oriri illos ex ſtructura et ui motrici corporis et motibus praecedentibus.

III. Quod autem, cum in motibus, tum in ſenſionibus, tam amicus arctusque animam inter et corpus conſenſus adſit, id uero a quadam Dei praeordinatione ſapientique praeſtabilitione deriuandum putant.

Prima hypotheſis, qua putant nonnulli, animam, tanquam cauſſam efficientem, ui ſua producere motus in corporis membris, et, mutatione in organis ſenſoriis facta, per motum fluidi neruei animae imprimi ideam ſiue perceptionem, dicitur *ſyſtema influxus phyſici.*

Altera opinio, qua ſtatuitur, Deum, ad decretum animae, motus in corpore efficere, et ſenſiones in anima producere, quoties mutatio in organis ſenſoriis contingit, uocatur *ſyſtema cauſſarum occaſionalium*, *ſiue adſiſtentiae.*

Tertia denique ſententia, qua opinantur nonnulli, neque ab anima motus in corpore, neque a corpore et fluido nerueo ſenſiones in anima produci, ſed utramque ſubſtantiam ſeorſum agere, et ui propria motus perceptionesue efficere, ita tamen, ut legibus, diuinitus praeſtitutis, conuenienter, in ſumma conſenſione mutationes producant, appellari conſueuit *ſyſtema harmoniae praeſtabilitae.*

Influxum phyſicum defenderunt quondam Ariſtotelici, ſyſtema cauſſarum occaſionalium Carteſiani, harmoniam praeſtabilitam Leibnitiani.

Ad tres has opiniones illuſtrandas unicum ſubiungam exemplum. Fac, te uelle epiſtolam ſcribere. Statim moues manum, arripis calamum, et litteras pingis. Τὸ *uelle ſcribere* pertinet ad animam. Τὸ *mouere*

uere manus, et ſcribere ad corpus ſpectat. Qui fit ergo, ut, dum anima uult ſcribere epiſtolam, manus obſequatur et moueatur? Ariſtotelici reſpondent. Hoc fit per influxum phyſicum, i. e. dum anima uult ſcribere, ea quoque, tanquam cauſſa efficiens, ui ſua neruos impellendo manum mouet, fere, ut alieni nerui, HORATIO teſte, mobile lignum ducunt. Carteſiani quaeſtionem hanc ita ſoluunt. Dum anima uult ſcribere, Deus, quaſi ex machina aduocatus, membra corporis mouet. At Leibnitiani, ſe rem acu tetigiſſe, opinantur, ſi affirmant, eo ipſo temporis momento, quo anima uult ſcribere, corpus ui propria ſine adminiculo animae, moueri, idque legibus, diuinitus praeſtitutis, conuenienter, fere, ut duo horologia conſentiant, quorum neutrum in alterum agat, ſed unumquodque, quod ſuum eſt, ſine adminiculo alterius, perficiat, idque ſtructurae legibusque conuenienter, quas artifex, in exſtruendis horologiis, ad conſenſum obtinendum, fixerit. Quae harum opinionum ad ueri ſimilitudinem propius accedat, nec ſcio ſatis, nec, ſi ſciam, definire auſim. Tuo ipſe, lector, utere iudicio, nihil impedio. Noſtra intererat, recenſere, quid ſenſerint philoſophi, non quid ſentire debuerint. Plura de his tribus opinionibus adtulimus in Inſtitutionibus Metaphyſ.

CAP. XIII.

De Immortalitate Animae.

§ 273.

Animae immortalitatem expoſituri, permultum noſtra intereſſe putamus, ut antea diſtinctius euoluatur, quid ſit *immortalitas.* Immortalitatis notionem animo non facile informabis, niſi ante, quid ſit *mori*, diſtinctius intellexeris.

Vete-

Veterum philosophorum complures, cum, in quaestionem, num animus humanus, extincto corpore, uiuat uigeatque? incidunt, fluctuant animo, et dubitanter nimis sententiam suam exponunt. Optant certe, si nihil aliud coniectando assequi possunt, ut animus, post mortem, sensu aliquo gaudeat. CICERO, ubi multa de animae immortalitate in utramque partem disputauit, tandem haec addit: *Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, lubenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector, dum uiuo, extorqueri uolo. Sin mortuus, (ut quidam minuti philosophi censent), nihil sentiam: non uereor, ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant. Quod si non sumus immortales futuri: tamen extingui homini suo tempore, optabile est.* De senectute c. XXIII. Idem CICERO, uel potius Atticus apud CICERONEM, ita de PLATONIS libro de animarum immortalitate iudicat: *Nescio, quomodo, dum lego, assentior: cum posui librum, et mecum ipse de immortalitate animarum cogitare coepi, assensio omnis illa elabitur.* Quaest. Tuscul. L. I. Vid. GROTIVS de ueritat. relig. Christianae L. I § 22.

Animae immortalitatem, ex mente Epicureorum, copiosius impugnat LVCRETIVS de rerum natura L. III v. 418 seqq. Sunt autem argumenta, quibus utitur, admodum infirma et leuia, quibus FIRMIANVS respondet L. VII c. 12. Rectius de immortalitate animae iudicat SALLVSTIVS, qui, *corporis et fortunae,* inquit, *bonorum, ut initium, finis est: quoniam orta occidunt, et aucta senescunt: animus incorruptus, AETERNVS, rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipse habetur.* Bell. Iug. c. 2. Egregia sunt, quae ad hunc locum adfert CORTIVS p. m. 415.

§ 274.

Mori dicitur corpus nostrum, cum omnia eius membra et organa a functionibus suis cessant. Anima ergo humana tum demum mori dicenda

 est,

eſt, cum omnes eius perceptiones et appetitiones, ipſaque animae uis ceſſat.

§ 275.

Anima ergo *immortalis* tum uocanda eſt, ſi, poſt mortem corporis, perceptiones et appetitiones continuat.

§ 276.

Tria ergo ad mentis humanae immortalitatem conſtituendam requiruntur.

I. Vt ipſa, corpore extincto, ſuperſit.

Quod anima, poſt mortem corporis, non intereat, ſed exiſtat, id ex eo patet, quod ea entia, quae a materiae concretione remota ſunt et ſimplicia uocantur, deſtrui nequeant. Id quod ſupra, ubi de ente ſimplici commentabamur, demonſtrauimus. Atqui uero animam humanam eſſe inter entia ſimplicia referendam, id uero ipſius probant cogitationes operationesque ceterae, quae in ens compoſitum, et ex materia moleque concretum, cadere non poſſunt. Quascunque enim in ente compoſito cogitaueris mutationes, eas eiusmodi eſſe deprehendes, ut non, niſi motu, contineantur, id quod ſupra oſtendimus. Vid. CANTZIVS Tom. I de uſu philoſ. in Theologia p. 226 ſqq.

De mentis humanae ſimplicitate ita CICERO: *In animi autem cognitione dubitare non poſſumus, niſi plane in phyſicis plumbei ſimus, quin nihil ſit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex.* L. II de natur. Deorum.

Argumenti, quod ad mentis humanae durationem poſt mortem probandam ab eiusdem ſimplicitate deſumitur, uim momentumque CICERO his propoſuit uerbis: *Sic mihi*, inquit, *perſuaſi, ſic ſentio, cum tanta celeritas animorum ſit, tanta memoria praeteritorum futurorumque prudentia, tot artes, tot ſcientiae, tot inuenta,*

uenta, non posse eam naturam, quae res contineat, esse mortalem: cumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moueat, nec finem quidem habiturum esse motus, quia nonnunquam se ipse sit relicturus, et cum simplex animi natura esset, neque haberet in se quidquam admistum, dispar sui, atque dissimile, non posse eum diuidi: quod si non possit, non posse interire De Senectute c. XXI.

II. Ad immortalitatem animae requiritur, ut, post mortem corporis, perceptiones suas continuet.

Quod ex eo intelligi potest, quod, si anima post mortem existere perseuerat, non possit quoque non in ea uis repraesentandi perdurare. Est enim uis repraesentandi id ipsum, quod efficit, ut anima sit anima, atque adeo animae naturam constituit. Vi autem repraesentandi perdurante, ipsae perceptiones durant.

Omnis enim uis in actum transit, ubi nullum adfuerit impedimentum. Nullum autem impedimentum ne fingi quidem potest, quod fontem perceptionum in anima, scilicet uim cogitandi, post mortem, obstruat.

III. Vt anima immortalis sit, requiritur, ut, machina corporis soluta, ipsa in statu perceptionum distinctarum uersetur.

Quod facile potest perspici, si intellexeris, omnem, quae in animae perceptionibus inest, confusionem, non, nisi ex corporis, quo, tanquam ueste, induta est, limitatione cooriri. Compagibus ergo corporis exsoluta mens, dubitari non potest, quin, ex diuturna quadam quasi caligine in lucem prouecta, multo clariores distinctioresque perceptiones sit formatura.

IV. Tandem, ut anima sit immortalis, postulatur illud, ut sui sibi sit conscia, eandemque se agnoscat, quae fuerat ante corporis mortem.

Si enim in idearum diſtinctarum ſtatu uerſatur, conſequens eſt, 1) ut ſui ſibi conſcia ſit, i. e. ut ſe ab aliis rebus internoſcat, 2) ut ſe eandem eſſe agnoſcat, quae olim fuerat, 3) ut memoriam ſtatus praeteriti conſeruet. Haec enim omnia ſi tollis, tollis idearum diſtinctarum ſtatum.

Non attinet, philoſophorum argumenta, quae, animae immortalitatem ſtabilituri, proferunt, cumulare. Plurima eorum adduxi in Inſtitut. Metaphyſ. p. 512.

CAP. XIV.

De Animabus Brutorum.

§ 277.

Quoties bruta animantia contemplor, toties non modo miror artificioſam corporum membrorumque, ex quibus coagmentata ſunt, ſtructuram, ſed in ipſorum quoque corporibus hoſpitari animas, ex his colligo.

I. In Brutis deprehendimus organa ſenſoria, cerebrum item, ut in homine. Iam uero, cum in homine hunc organorum ſenſoriorum cerebrique uſum, finemque adeo diuinum eſſe, conſtet, ut, ope organorum ſenſoriorum, perceptiones formemus, patet, eundem eſſe horum organorum cerebrique in brutis finem. Vt ita ex his manifeſtum fiat, brutis non minus, quam hominibus, tribuendas eſſe animas.

Quo argumento, ab *analogia* deſumto, utuntur complures in aſſerendis brutorum animabus. Neque id, ſi recte iudico, male. Vid. Ribouius de hoc argumento in diſſert. hiſtorico-philoſophica de anima brutorum, RORARII Libro de ratione brutorum annexa p. m. 303.

II. Per

II. Per experientiam deprehendimus, bruta esse sibi sui rerumque extra se positarum conscia.

Possunt enim se ab aliis rebus, et res, extra se positas, a se inuicem distinguere. Ita Delphinus apud PLINIVM, puerum, qui primus ipsi adnatarat, ipsiusque tergo insidens ferebatur referebaturque, a ceteris pueris probe distinguere poterat. Lib. IX c. 33.

III. Bruta ergo cogitare, dubitari non potest.

Quid enim est *cogitare* aliud, quam sui sibi rerumque extra se positarum esse conscium?

IV. Non modo sentiunt bruta, dum res, quae ante pedes sunt, sibi repraesentant, sed imaginatione quoque et memoria gaudent.

De facultate sentiendi, quam tribuimus brutis, non potest quisquam dubitare, nisi qui, sol sit, nec ne, dubitare uelit. Quin plures belluae sensibus, a natura datis, praestant hominibus. Aquilae acutius cernunt. Palpae, obrutae licet terra, facilius liquidiusque audiunt. Vultures sagacius odorantur, quod non modo PLINIVS Hist. Natural. L. X c. 6, sed LVCRETIVS quoque his uerbis testatur:

Verum aliis alius magis est animantibus aptus (scil. odor)
Dissimiles propter formas, ideoque per auras
Mellis apes quamuis longe ducuntur odore:
Volturiique cadaueribus: tum fissa ferarum
Vngula quo tulerit gressum, permissa (alii: promissa) *canum uis*
Ducit: et humanum longe praesentit odorem
Romulidarum arcis seruator, candidus anser. L. IV v. 680.

Imaginationis brutorum plurima exſtant documenta. Ita uideas, in cane, cum, dominum obſeruat, baculum, quo ſemel iterumque fuit percuſſus, eleuare, oppido ideam uerberum, ope legis imaginationis, excitari.

De Memoria brutorum certiores nos facit experientia, qua magiſtra, ſcimus, canem herum ſuum, uel ſi quatuor pluresue hebdomades abfuerit, agnoſcere. Quod idem miramur in hirundine, quae, terrarum tam immenſa marisque ſpatia, ſingulis annis transuolans (utor uerbis RORARII) reddita anni uice, in adſuetam reuertitur quid regionem? imo in eandem domum, domusque partem, in qua prius nidum contexuit et parieti affixit. Vid. l. c. p. 181.

V. Appetitum praeterea ſenſitiuum et auerſationem in brutis deprehendimus.

Quod uel ſolo edendi appetitu commonſtratur. CICERO, *dedit*, inquit, *eadem natura belluis et ſenſum et appetitum, ut altero conatum haberent ad naturales paſtus capeſſendos, altero ſecernerent peſtifera a ſalutaribus.* Lib. II. de Natur. Deor.

Et quem fugit, affectibus bruta identidem uehementius commoueri? De ceteris, e. gr. timore, terrore, ira, nunc nihil adferam. Triſtitiam tantum commemorabo, qua philomelam, pullis orbatam, turbari uides apud VIRGILIVM, cuius elegans locus hic eſt;

- - *Populea moerens philomela ſub umbra*
Amiſſos queritur foetus, quos durus arator
Obſeruans nido implumes detraxit; at illa
Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen
Integrat et moeſtis late loca queſtibus implet. Georg. L. IV v. 511.

Locum hunc VIRGILIANVM a cenſura HVETIANA egregie uindicauit IOANN. HENR. KROMAYERVS, in peculiari diſſertat. Ienae habita.

§ 278.

§ 278.

Haec omnia, in unum collecta, quid aliud indicant, quam hoc, bruta non esse meras machinas, sed animabus gaudere, quae sunt ab ipsorum corporibus diuersae, nec ex materia concretae.

Cartesiani bruta machinas esse statuerunt, de quorum sententia uid. RIBOVIVS diss. de anima brutorum p. 743.

§ 279.

Quod uero animae brutorum sint mentibus humanis multo inferiores ignobilioresque, id ex his positionibus intelliges.

I. Bruta carent ideis rerum distinctis, atque adeo intellectu.

Bruta destituuntur facultate sermocinandi, et uoces articulatas formandi. Atque adeo bruta notas, quibus unaquaeque res ab altera internoscitur, sigillatim sibi repraesentare et dignoscere nequeunt, quod ipsum requiritur ad ideas distinctas formandas (Log. § 33). Si gaudent ideis distinctis, notiones quoque uniuersales formare possunt, e. gr. distincte intelliget canis, quid sit *lex*, quid *conscientia*, quid *uirtus*, quid *uitium*, cetera. Cum uero harum notionum uniuersalium nullum indicium in brutis appareat, quo pacto ipsis tribuentur ideae distinctae?

Cum *intellectus* sit facultas, res distincte sibi repraesentandi (per def.) consequens est, ut in bruta non cadat intellectus.

II. Bruta carent ratione.

Rationis enim est, ueritatum uniuersalium nexum distincte perspicere (per def.). Ecquis uero hanc facultatem deprehendit in brutis? Putasne, canem consequentias huius propositionis, *Virtus nos felices reddit*, perspicere posse? *Tantum, quantum sensu mouentur, ad id solum, quod adest, quodque praesens est, se*

 accom-

accommodant bruta, nec sentiunt praeteritum aut futurum. CIC. de Off. L. I c. 4.

Quae de brutorum ratione disputantur, ad logomachias pertinent. Mirabilia sunt, fateor, et attentione dignissima, quae a nonnullis bestiis suscipi uidemus. At, quas edunt operationes, aut proueniunt ab instinctu quodam naturali, qui omnem praeuiam deliberationem, meditationem, consiliumque in brutis excludit, aut lege imaginationis determinantur. Ita miramur rempublicam apum

Qualis apes aestate noua per florea rura
Exercet sub sole labor, cum gentis adultos
Educunt foetus, aut cum liquentia mella
Stipant, et dulci distendunt nectare cellas,
Aut onera accipiunt uenientum, aut, agmine facto,
Ignauum fucos pecus a praesepibus arcent,
Feruet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
VIRG. Aeneid. L. I v. 434.

Putasne, hanc apum in laborando sollertiam, hunc in construendis fauis mirificum ordinem ab ipsarum inuentione, meditatione et praeuia deliberatione prouenire? Minime. Eadem ratio est loquelae nonnullarum auium, quas, scimus, hominum sermones imitando nonnunquam posse effingere. At nihil hic deprehendo, quod rationem indicet. Neque enim intelligunt sonos, quos edunt, neque plures uoces pro lubitu ita coniungere aut immutare possunt, ut, iis opitulantibus, sensa animi expromere queant. Caussam docilitatis promotae in imitanda uoce humana perscienter reddit PERSIVS in prologo Satyrarum:

Quis expediuit Psittaco suum χαῖρε?
Coruos quis olim concauum salutare?
Picasque docuit nostra uerba conari?
Magister artis, ingeniique largitor
Venter, negatas artifex sequi uoces.

III. Ana-

III. Analogum rationis, siue exspectationem casuum similium deprehendimus in brutis.

Ita canis, eleuato baculo, timet cuti suae, sensit enim olim uerbera, cum herus baculum eleuaret. Vbi ergo baculum rursus eleuari uidet a domino, exspectat casus similes. Syllogismus, quem hic canis uidetur formare, non ratione, sed sensatione et imaginatione nititur. Exemplum casuum similium exspectationis, in brutis obuiae, suppeditat elegans fabula PHAEDRI de catello et asino, blandientibus domino. Videantur hic ea, quae supra de analogo rationis diximus.

IV. Libertas non cadit in bruta, quamuis spontaneitas iisdem tribui potest.

Libertatis enim praecipuum attributum est *intelligentia* (§ 267), qua cum bruta destituantur (§ 279 pos. II), libertatem ipsis tribui non posse, uides. At quia bruta ad agendum se ipsa determinant, *sponte* agere recte dicuntur.

FINIS PSYCHOLOGIAE.



META-

METAPHYSICES PARS IV Theologia Naturalis.

CAP. I. De Dei exiſtentia.

§ 280.

Quaecunque de DEO eiusque proprietatibus, duce et magiſtra ratione, nouimus, ea a philoſophis apto digeſta ordine, et peculiari diſciplina ſunt pertractata, quam uocamus *theologiam naturalem*, quae eſt ſcientia de Deo, eiusque attributis et operibus.

Haec diſciplina ideo dicitur theologia *naturalis*, quia, quae in ea de Deo diſſeruntur, ex ſolo lumine *naturae*, ſiue ex ratione, nobis innoteſcunt. Ita haec ſcientia a theologia *reuelata* diſtinguitur, quae, ſcripturae ſacrae effatis nixa, ea explanat, quorum ὕψος et excellentiam ratio, ſibi relicta, non capit.

§ 281.

Primum ergo, quod in theologia naturali demonſtrari debet, illud eſt, *Deum exiſtere*. Quod ut intelligatur diſtinctius, paucis, quae uoci DEVS uis ac poteſtas ſit ſubiecta, exponemus.

§ 282.

Per *Deum* nihil aliud intelligimus, quam ens perfectiſſimum, quod ui propria et per eſſentiam ſuam neceſſario exiſtit, et a quo hic mundus, omnia-

omniaque, quae in eo continentur, tanquam a caussa efficiente, dependent.

Quos hic recensuimus, characteres eiusmodi sunt, ut α) luculenter indicent, quid, audita DEI uoce, cogitare debeas, β) ut Deum ab omnibus aliis rebus internoscant. Nominalem ergo hic Dei definitionem suppeditari tibi, uides, quam ita quoque concinnare poteras: *Deus est spiritus perfectissimus.* Item: *Deus est ens independens*, aut, *Deus est ens infinitum.* Omnes enim hae notae soli Deo tribui possunt, atque adeo sufficiunt ad Deum ab omnibus aliis rebus discernendum.

§ 283.

Varia sunt argumenta, quibus demonstratur, existere Deum, siue eiusmodi ens perfectissimum, quod necessario existat, et quod hunc mundum produxerit. Quorum uero cum alia aliis fortiora sint, et ad conuincendum animum aptiora, praecipua tantum hic adducemus.

I. Dei existentia a nonnullis probatur ex eo, quod ueritas haec: *datur Deus*, in omnium animis, inde usque a prima infantia, sit altissime impressa, ita, ut, quae de Deo cognoscimus, non didicerimus, acceperimus, legerimus, uerum ex natura ipsa arripuisse, hausisse, expressisse uideamur.

Huic argumento, quod a notitia Dei, nobis connata, desumitur, plusculum nonnunquam, quam par erat, ponderis tribuitur. CICERO, *omnibus*, inquit, *innatum est, et in animo quasi insculptum, esse Deos.* De Nat. Deor. L. II c. 4. Quae uerba, si hanc habent uim, quod Dei notio in hominum animis informata sit, et quod unusquisque, sola notitia, sibi congenita, cognoscat Deum, quamuis nullus accesserit rationis usus

usus conformatioque doctrinae, tum multae incident difficultates, quae uix expediri posse uidentur.

II. Esse Deum, ex admirabili structura et pulchritudine huius uniuersi, corporumque caelestium ordine perpetuo, sapientissimisque legibus fixo, demonstrant complures.

Ex multis locis, in quibus de Deo, ex mundi pulchritudine et omnium partium conuenientia cognoscendo CICERO differit, alterum alterumue adducemus. *Cum uidemus*, inquit, *speciem primum candoremque caeli, deinde conuersionis celeritatem tantam, quantam cogitare non possumus: tum uicissitudines dierum atque noctium, commutationes temporum quadripartitas, ad maturitatem frugum et ad temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem et ducem, solem, lunamque accretione et diminutione luminis quasi fastorum notantem et significantem dies, tum in eodem orbe in duodecim partes distributo, quinque stellas ferri, eosdem cursus constantissime seruantes, disparibus inter se motibus, nocturnamque caeli formam, undique sideribus ornatam - - - Hoc, et alia innumerabilia cum cernimus, possumusne dubitare, quin his praesit aliquis, uel effector, si haec nata sunt, ut Platoni uidetur, uel si semper fuerint, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis et muneris.* Quaest. Tuscul. L. II c. 28. Huc spectant quoque sequentia TVLII uerba: *Qui igitur conuenit, signum aut tabulam pictam cum adspexeris, scire, adhibitam esse artem, cumque procul cursum nauigii uideris, non dubitare, quin id ratione atque arte moueatur: aut cum solarium uel descriptum aut ex aqua contempleris, intelligere, declarari horas arte, non casu: mundum autem, qui et has ipsas artes et earum artifices et cuncta complectatur, consilii et rationis esse expertem putare. Quod si in Scythiam aut in Britanniam sphaeram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cuius singulae conuersiones idem efficiant in sole, et in luna, et in quinque stellis errantibus, quod efficitur in caelo singulis diebus et noctibus: quis in*

illa barbarie dubitet, quin ea sphaera sit perfecta ratione? Hi autem dubitant de mundo, ex quo et oriuntur et fiunt omnia, casune ipse sit effectus, aut necessitate aliqua, an ratione ac mente diuina. Haec Balbinus, quem CICERO loquentem facit de Natura Deorum Lib. II. Idem haec addit: *Philosophi cum uidissent motus mundi finitos et aequabiles omniaque ratis ordinibus moderata immutabilique constantia, debuerunt intelligere, inesse aliquem non solum habitatorem in hac caelesti ac diuina domo, sed etiam rectorem et moderatorem, et tanquam architectum tanti operis tantique muneris.*

III. Sunt nonnulli, qui argumento illi plurimum tribuunt, quod a gentium consensu desumitur. Quia scilicet nulla gens, barbara licet sit et immanitate efferata, in hoc terrarum orbe inueniatur, quae non, existere Deum affirmet.

Ita CICERO: *Firmissimum hoc adferri uidetur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de iis praua sentiunt, id enim uitioso more effici solet: omnes tamen, esse uim et naturam diuinam arbitrantur. Nec uero id collocutio hominum aut consensus efficit; non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est.* Lib. I Tuscul. Quaest. oper. Tom. IV ex edit. Gothofredi p. 171. His assentitur SENECA: *Multum*, inquit, *dare solemus praesumtioni omnium hominum. Apud nos argumentum ueritatis est, aliquid omnibus uideri: tanquam deos esse, inter alia sic colligimus, quod omnibus de diis opinio insita est, nec ulla gens usquam adeo est extra leges moresque proiecta, ut non aliquos Deos credat.* Epist. 117.

IV. Argumentum, quod ab usu finibusque rerum petitur, nonnullis ita placet, ut ad

exi-

existentiam Dei probandam nihil eo ualidius esse arbitrentur.

Siue enim totum huius mundi contextum admirabilemque structuram, siue humani corporis elegantissimam coagmentationem, siue animantium plantarumque et herbarum uarietatem et usum mente cogitationibusque percurras, omnia ita ad certum finem collocata et disposita inuenies, ut, nihil frustra adesse, lucidissime appareat. Praeclare hanc in rem GROTIVS: *Si humani*, inquit, *corporis admirabilem constructionem intus extraque conspicimus, et ut omnia ibi, etiam minima, suos usus habeant, nullo studio, nulla industria parentum, arte uero tanta, ut philosophorum ac medicorum praestantissimi nunquam ea satis possint admirari, ostendit hoc, opificem naturae esse mentem excellentissimam. - - Caelestia quoque sidera, et, quae in iis maxime eminent, sol et luna, cursus agunt ita attemperatos ad terrarum foecunditatem, et animantium ualetudinem, ut ne excogitari quidem aptius quicquam possit.* De ueritat. relig. Christianae p. m. 11 et 13, edit. Clerici.

V. Qui denique, in demonstranda DEI existentia, a mundi *contingentia* et *mutabilitate* ad ens aliquod absolute necessarium ratiocinando assurgunt, ii uero plerumque optimam simplicissimamque demonstrandi rationem iniisse iudicantur.

Argumenti uero, a mundi contingentia desumti, neruus his fere continetur enunciatis: Hic mundus est contingens, et potest esse aliter. Si itaque mundus hic potest etiam non existere, aut alio modo existere, consequens est, ut debeat adesse ratio sufficiens, cur existat (§ 15), cur hoc modo existat et non alio modo. Haec ratio sufficiens aut est in ipso mundo, aut est extra eum § 15 pos. III. Non potest esse in ipso mundo, alius enim mundus esset ens absolute necessarium, quod est contra (§ 152 pos. III). E. debet ratio esse extra mundum. E. debet ens existere, quod a mundo

mundo eſt diuerſum, et in quo ratio continetur ſufficiens, cur hic praeciſe, nec alius mundus adſit. Illud ens, a mundo diuerſum, non poteſt eſſe contingens, alias pertineret ad ipſum mundum, et non eſſet a mundo diuerſum. Ergo debet eſſe ens neceſſarium. Ergo exiſtit ens neceſſarium, quod non poteſt non exiſtere, quod a mundo eſt diuerſum, et in quo continetur ratio ſufficiens, cur hic mundus exiſtat.

§ 284.

Quamuis igitur tam apertum, tamque perſpicuum ſit, eſſe aliquod numen, a quo hic mundus et effectus ſit, et admirabiliter regatur, ut, id qui dubitet, haud ſane intelligam, cur non idem, ſol ſit, an nullus ſit, dubitare poſſit: fuere tamen omni tempore, et ſunt etiam nunc, qui eo impudentiae procedunt, ut negent, exiſtere Deum. Hos uocamus *Atheos*, et peſtilentiſſimus ille error, quo nullus agnoſcitur Deus, dicitur *Atheiſmus*.

Sunt, qui ſcrupuloſius diſquirunt, num unquam fuerint Athei? Quibus quidem, neſcio, an rectius reſponderi poſſit, quam ſi uaria Atheorum genera curatius perſpexeris. Diſpeſci ſolent Athei in *theoreticos* et *practicos*. Hi uocantur, qui, in omne uitiorum libidinumque genus effuſi, ita uiuunt, ut luculenter demonſtrare uideantur, ſe nullum Numen credere. Quales num dentur, nemo dubitat. Theoretici ſunt, qui uel docent, uel ſibi perſuadent, non eſſe Deum. Qui docent in ſcriptis, foras datis, non exiſtere Deum, uocantur *Syſtematici*, ad quos recte referas SPINOZAM, TOLANDVM, alios. At qui mente ſibi perſuadent, non eſſe Deum, *perſonales* a nonnullis appellantur. De quibus ſi iudicium ferre uelis, opus eſt, ut intimos

mentis recessus latebrasque perscruteris, quod, praeter Deum, cadit in neminem. Duos insigniores Atheos, Diagoram scilicet et Theodorum, ex ueterum memoria, nobis commemorat CICERO, *nullos*, inquit, *esse omnino Deos, Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaeus putant.* Atque apud eundem Cotta, argumentum illud, quod a gentium consensu petitur, confutaturus *quid*, quaerit, *Diagoras*, ἄθεος *qui dictus est, posteaque Theodorus: nonne aperte Deorum naturam sustulerunt.* CIC. de nat. Deor. Lib. I c. I.

Quem ad modum Athei existentiam Dei negant, ita superstitio rebus humanis uim diuinam attribuit, et in multiplicandis Diis peccat. Idolorum cultores, superstitione inducti, quondam auium uolatui aut extis, regimen tribuebant fatorum, quod non, nisi Deo, competit. Rex Prusias, cum Annibali, apud eum exulanti, pugnare placeret, negabat se audere, quod exta prohiberent: An tu, inquit Annibal, carunculae uitulinae mauis, quam imperatori ueteri credere? CIC. L. II de Diu. cf. de Natur. Deor. L. IV c. 28.

CAP. II.

De Essentia et attributis Dei in genere.

§ 285.

Si de essentia diuina hic commentamur, id agimus, ut exquiramus, quisnam sit conceptus primus, ex quo, tanquam fonte, cetera, quae Deo tribuuntur, praedicata deduci, legitimeque demonstrari debent. *Essentia* itaque Dei erit, qua eius existentia est absolute necessaria.

Ex

Ex hac absolute necessaria existentia proprietates diuinae demonstrantur.

§ 286.

Per *attributa* Dei intelligimus quaelibet Dei praedicata, quae de ipso possunt enunciari.

E. gr. *Quod Deus sit infinitus, omnipotens, sapientissimus,* reliqua.

§ 287.

Haec attributa Dei ex eo, quod Deus ABSOLVTE NECESSARIO EXISTAT, commode, aptoque nexu, posse deduci, sequentes propositiones testatum facient.

I. Vt Deus existat, non opus habet ui entis alterius extra se.

Quia enim Deus est ens absolute necessarium (§ 282), atque adeo rationem sufficientem, cur existat, in essentia sua habet (per def. *entis absolute necessarii*), sequitur, ut Deus in existendo non indigeat ui alterius entis extra se.

II. Deus ergo ui propria existit.

III. Ex quo lucide apparet, Deum recte dici *ens a se.*

Id enim uocatur *ens a se,* quod ui propria existit.

IV. Intelligitur hinc porro, Deum esse independentem, immutabilem, et aeternum.

Quandoquidem enim Deus rationem sufficientem, cur existat, in essentia sua continet, et ui propria existit (pos. 2); consequens est, ut Deus sit independens. Illud enim ens dicitur *independens,* quod in

nullo alio extra ſe habet rationem ſufficientem, cur exiſtat.

Deum nec eſſe, nec eſſe poſſe mutationi obnoxium, ex eo conſtat, quia eſt ens abſolute neceſſarium, quod mutari nequit. (Ens enim abſolute neceſſarium aliter eſſe non poteſt, per def.).

Quod ad Dei aeternitatem attinet, eam, quamuis ſciam, multis modis probari poſſe, haec tamen demonſtrandi aeternitatem diuinam ratio, quae ab eius abſolute neceſſaria exiſtentia petitur, mihi uidetur ceteris anteferenda. Propoſitiones, in hac demonſtratione, ita connectuntur.

α) Deus eſt ens abſolute neceſſarium (per defin.).

β) Ens abſolute neceſſarium non poteſt non exiſtere (per def.).

γ) Atque adeo ens abſolute neceſſarium non poteſt habere exiſtendi initium (alias enim aliquando non exſtitiſſet, quod repugnat naturae eius (§ 109), neque exiſtendi finem (ita enim aliquando non exſtiturum eſſet, quod itidem eius naturae aduerſatur).

δ) Ens ergo abſolute neceſſarium eſt aeternum.

ε) Ergo Deus eſt *aeternus*, i. e. nec initium, nec finem habet exiſtendi.

V. Deus non poteſt eſſe ens compoſitum, ſed ſit ens ſimplex, neceſſe eſt.

Nec oriri poteſt Deus, nec interire (per poſit. anteced.). Ens autem compoſitum poteſt oriri, ſi partes iungas, et interire, ſi easdem ſoluas (§ 99). Ergo Deus non poteſt eſſe ens compoſitum. Relinquitur ita nihil aliud, quam, ut, ipſum ens ſimplex eſſe, affirmemus.

IV. Deus eſt ens infinitum.

Finge, Deum non eſſe ens infinitum, ſed finitum, tunc habebit limites (§ 121). Quod eſt limitibus circumſcriptum, id ſucceſſiue alios atque alios ſtatus poteſt habere (§ 120 poſ. III), atque adeo eſt mutabile;

bile. Cum uero Deus ſit ens immutabile (poſ. IV), intelligitur, Deum non eſſe ens finitum, ſed infinitum.

VII. Deus ergo omnes perfectiones realitatesque, quae tantum in eo ſunt poſſibiles, poſſidet actu, et quidem abſolute et ſine ullo gradu.

Id enim praecipuum entis infiniti attributum eſt, quod demonſtratum dedimus § 122 poſ. III & IV.

VIII. Deo nihil concipi poteſt maius, et eſt immenſus.

Ente enim infinito nihil concipi poteſt maius (§ 122), atque adeo manifeſtum eſt, ipſi Deo certam quandam et determinatam magnitudinem perfectionum attribui non poſſe. Quo ipſo patet, Deum eſſe *immenſum*.

IX. Quia plura entia infinita eſſe non poſſunt (§ 122 poſ. IV), ſequitur, ut tantum ſit unicus Deus, nec poſſunt plures Dii eſſe, quam unus.

Inter alia veterum teſtimonia, quae de uno Deo perhibuerunt, illud uel in primis memorabile eſt, quod GROTIVS ex SOPHOCLE adfert:

> Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐςι Θεὸς,
> Ος ȣ̓ρανὸν τ᾽ ἔτευξε καὶ γαίαν μακρὰν
> Πόντȣ τε χαρωπὸν οἶδματ᾽ κ᾽ ἀνέμων βίας.

X. Quae Deo inſunt, ipſi inſunt ſine temporis ſucceſſione.

Quod luculentius ex entis infiniti natura demonſtratur (§ 122 poſ. V).

CAP. III.

De Intellectu diuino.

§ 288.

Ex iis, quae capite antecedenti demonstrata sunt, facile nunc intelliges ea, quae ad diuini intellectus infinitam perfectionem et magnitudinem distinctius perspiciendam pertinent, quaeque his propositionibus distributius explicanda putabimus.

I. Est in Deo intellectus, isque absolute perfectissimus.

Sunt enim in Deo omnes realitates perfectionesque actu, quae ipsi inesse possunt (§ 287 pos. VII), atque adeo quoque intellectus, quem in condendo mundo ita quasi praesentem uideas, ut in uilissimo quoque corpusculo, tanquam in speculo, reluceat eius excellentia et maiestas. Quod autem intellectus Dei sit absolute perfectissimus, ita, ut eo non maior intellectus concipi queat, id uero ex eo demonstratur, quia, quicquid Deus possidet, id, ob infinitatem, possidet in gradu absolute summo, uel potius sine gradu (§ 287 pos. VII).

II. Deus non ea modo omnia, quae existunt, sed quae existere quoque possunt, quamuis nunquam exstitura sint, unico actu distinctissime cognoscit intimeque perspicit.

Cum enim Deus gaudeat intellectu perfectissimo, (pos. I), intellectus autem perfectissimus habendus sit is, qui α) omnia possibilia, β) distinctissime, γ) unico actu et simul repraesentat (§ 205), patet, Deum non has modo res, quae adsunt aut exstiterunt,

ſtiterunt, diſtinctiſſime ſibi repraeſentare, ſed ea quoque cognita habere pleneque perſpecta, quae nec exſtiterunt, nec ſunt, nec fortaſſe erunt, fieri tamen poſſunt, ſi alia eſſet cauſſarum ſeries, aliusque effectorum, ex his cauſſis, tanquam ſeminibus, naſcentium ordo. Quin etiam haec omnia Deus cognoſcit non diuiſo, quod fit in hominibus, intelligendi actu, non per partes, non per interuallum ſuſpenſo, ſed uno momento uniuerſa contuetur, et uno in conſpectu cernit omnia, quia in ente infinito non locum habet temporis ſucceſſio (§ 287 poſ. X).

III. Intellectus Dei eſt puriſſimus, atque adeo nec ſenſio, nec imaginatio in ſummo Numine locum habere poteſt.

Sunt enim repraeſentationes intellectus diuini diſtinctiſſimae, et ab omni confuſione et obſcuritate liberae. Repetantur hic ea, quae ſupra de intellectu puro diximus § 206.

§ 289.

Quicunque omnia ea, quae exiſtunt, quaeque fieri poſſunt, penitus diſtinctiſſimeque perſpicit, eum, patet, nihil poſſe neſcire. Deum ergo eſſe omniſcium, ex his, quae de eius intellectu diſputauimus, luculenter cumulateque intelligitur.

De omniſcientia diuina praeclare Poeta:

- - Vide, qui cuncta ſuorum
Nouit, et inſpectis ambit latus omne miniſtris
Nec mirum: uidet ille ortus obitusque: quid Arctos
Quid Boreas hibernus agat; ferrique togaeque
Conſilia, atque ipſam mentem probat.

Stat. 5 Sil. 1.

CAP. IV.

De Voluntate Dei.

§ 290.

Quandoquidem Deus, quae est infinita eius intelligendi uis, omnia, quae sunt, aut esse possunt, distinctissime cognoscit; manifestum est, ipsum quoque omnia, quae bona sunt, distinctissime perspecta habere. Neque adeo fieri potest, quin his bonis, distinctissime cognitis, delectetur, eademque appetat, id quod ex natura indoleue boni cogniti supra demonstrauimus, § 229 seqq.

§ 291.

Hic actus, quo Deus appetit bonum, dicitur *uoluntas Dei*, de qua has positiones tecum communicabo.

I. Voluntas Dei est perfectissima.

Cum enim, quae sunt in Deo, perfectiones omnes excludant gradus, infinitasque eius requirat, ut nulli perfectionibus eius constituantur limites (§ 287 pos. VI), euidens est, uoluntatem, nisi perfectissimam, esse in Deo non posse.

II. Deus uult omnia, quae bona sunt.

Postulat enim id uoluntas perfectissima, cuius praecipuum attributum est, tendere et ferri in OMNIA bona.

III. Deus uult omne bonum, pro exacta bonitatis mensura, i. e. bonum maius praefert minori, atque adeo ex pluribus rebus, quae magis minusue bonae sunt, eligit id,

id, quod perfectius est finibusque suis conuenientius.

Fac, Deum non appetere, pro bonitatis mensura, tum minus bonum praeferret maiori, nec adesset consensus inter actum uolendi, et inter magnitudinem boni, in re, quae appetitur, obuii. Cum uero, ubi deest consensus, ibi desit aliqua perfectio (§ 64), intelligitur, Deum ita non esse perfectissimum, quod est absurdum, scelestumque dictu.

IV. Ex his conficitur, Deum non nisi id appetere, quod est optimum, i. e. finibus suis conuenientissimum.

V. Illud autem optimum, in quod Dei uoluntas fertur, non ex hominum iudicio, saepius fallaci, aestumari debet, sed id hic *optimum* recte dixeris, quod Deus finibus suis conuenientissimum iudicat.

Voluntas enim diuina perfectissima Dei intellectu nititur, qui, ut docuimus iam iam, distinctissime perspicit, quae res sit bona, quae melior, quae optima. Positionibus his superstruitur doctrina, recentius controuersa, de MVNDO OPTIMO, cuius propugnationem suscipiunt alii, alii eam impugnant, et subuertere allaborant. Qui mundum optimum defendunt, ita positiones suas connectere solent.

α) Hic mundus est ens contingens et esse potest aliter.

β) Sequitur ergo, ut, praeter hunc mundum, plures alii sint possibiles.

γ) Ex his pluribus possibilibus mundis, quos Deus ab aeterno sibi distinctissime repraesentauit, Deus elegit praecise hunc mundum, nec alium.

δ) Deus autem, quae est uoluntas eius perfectissima, eligit non nisi id, quod est finibus suis conuenientissimum.

ε) Ergo hic mundus finibus suis est conuenientissimus.

ζ) Mundus, qui finibus Dei est conuenientissimus, dicitur *optimus*, *siue perfectissimus*.

η) Ergo hic mundus est OPTIMVS siue PERFECTISSIMVS.

Vt autem intelligas, a quibus primordiis ducta sit controuersia de MVNDO OPTIMO, quam possumus breuissime, rem, ut gesta est, narrabimus. LEIBNITIVS, impeditam illam, multisque interclusam difficultatibus, quaestionem, de ORIGINE MALI, enodatius expositurus, BAILIVMque, qui contortulis quibusdam et minutis conclusiunculis effici uolebat, originem mali ad Deum quendam malum esse referendam, confutaturus, suam de MVNDO OPTIMO opinionem in lucem conspectumque proferebat, malumque propterea, quod hic mundus, in quo insit malum, sit optimus, ab eo, negabat, seiungi posse. Vt adeo uideas, quaestionis de mundo optimo stirpem et incunabula quaeri debere in altera illa, tot implicata controuersiis, quaestione de origine mali. PETRVS BAILIVS, in explicanda *mali* origine, tot tantosque difficultatis nodos occurrere arbitrabatur, ut uix expediri eos posse, crederet. Rationem, doctrinamque, diuinitus humano generi patefactam, aduersis uelut frontibus, putabat, inter se pugnare, atque, ob intestinam quandam discordiam, quae eas in unum coire non facile pateretur, adfirmare alteram, opinabatur, quod negaret altera. Quod uel ex eo lucide apparere aiebat, quod ratio eas adferat dubitationes contra illa, quae de funesta exitialique humani generis parentum prolapsione, in sanctioribus litteris praecipiantur, ut ex iis se expediendi nulla detur uia, nihilque prorsus sit, quod minus possit explicari. Rationem, negabat, perspicere, qui fieri possit, ut Deus sit bonus, sapiens, sine macula, si condat hominem, mox, consceleratissima mente,

in flagitia omnia prolapsurum, si malorum plenus sit mundus, ubi nec diuinum quicquam, nec humanum sit sanctum.

LEIBNITIVS in eo omnes ingenii neruos contendebat, ut BAILIVM, de suis deiectum praesidiis, prosterneret, atque adeo ipsius nodos dissolueret. Borussorum regina, Sophia Carolina LEIBNITIVM identidem rogarat, ut scrupulos, quos ex Bailianarum scriptionum lectione sibi sentiebat iniectos, eximeret, BAILIVMque confutaret. LEIBNITIVS ergo, reginae obsecuturus precibus, in lucem proferebat, idque gallico sermone, meditationes illas, quae Theodicaeae nomine circumferuntur. In hoc libro nouam Bailianas soluendi difficultates rationem init, qua bonitatem Dei a maleuolorum criminationibus uindicari optime, malique originem planissime posse explicari, uir eruditissimus est arbitratus. De Theodicaeae Leibnitianae argumento sic habeto: *Deus inquit, est intelligentissimus, sapientissimus, sanctissimus. Atque adeo non potuit non eligere id, quod est OPTIMVM*, siue quod est MELIVS. *Cum ergo Deus hunc potissimum mundum prae pluribus aliis elegerit, omnesque omnino, qui existere poterant mundos ex omni aeternitate, distinctissime perspexerit, consequens est, ut hic mundus, quem Deus ceteris praeferendum putauit, et in quo malum futurum accuratissime praeuidit, sit optimus.* Plura uide in dissertatione nostra de mundo optimo § 6 seqq. De mundi perfectione haec legis apud CICERONEM: *Mundus, quoniam omnia complexus est, nec est quidquam, quod non insit in eo, perfectus undique est. Quid igitur potest ei deesse, quod est optimum?* Item: *Cum constituisset Deus bonis omnibus explere mundum, mali nil admiscere quoad natura pateretur. Fas autem nec est, nec unquam fuit, quicquam, nisi pulcherrimum, facere eum, qui esset optimus.* De Natura Deorum L. II c. 14 conf. SENECA L. VII de Benef. c. 7.

VI. Vo-

VI. Voluntas Dei eſt immutabilis.

Quandoquidem intellectus diuinus eſt perfectiſſimus, atque adeo id, quod bonum eſt, diſtinctiſſime cognoſcit (§ 288 poſ. I), fieri non poteſt, ut, quod, tanquam bonum, ſibi repraeſentauit, poſt aliquod tempus ſibi repraeſentet, tanquam malum. Voluntas ergo ſemper manebit eadem, nec mutari poteſt.

VII. Voluntas Dei eſt liberrima.

Eſt enim α) in Deo perfectiſſima boni maliue intelligentia, β) non dependet a quoquam Deus, atque adeo ipſe ſe ad appetendum determinat, γ) ob uoluntatem perfectiſſimam ſemper eligit optimum (§ 291 poſ. IV). Haec tria ueram conſtituere libertatem, ſupra diximus (§ 267 poſ. VIII).

VIII. Voluntas denique eſt principium omnium rerum contingentium exiſtentium, nec quicquam poteſt ad exiſtentiam peruenire, niſi quod Deus uult.

Totus enim mundus rationem ſufficientem, cur exiſtat, habet in Deo (§ 282). Num fortaſſe in eius eſſentia? Minime uero. Ita enim mundus non eſſet contingens, ſed abſolute neceſſarius. Ergo in eius actu uolendi.

§ 292.

Ita tibi munitur uia ad cognoſcendam voluntatem diuinam.

I. Quicquid eſt, uel fit, id etiam uult Deus.

Haec cognitio uoluntatis diuinae eſt cognitio a *poſteriori*.

II. Si a priori uis cognoſcere uoluntatem Dei, inquirendum tibi eſt, num aliquid ſit diuinis perfectionibus conueniens.

III. Si

III. Si Deus homini IMMEDIATE uoluntatem ſuam ſignificat, tum hoc dicimus REVELATIONEM.

Non diſputabimus nunc, num Deus aut reuelauerit unquam hominibus uoluntatem ſuam, aut reuelare debuerit. Id nunc agemus, ut quasdam notas et charaćteres recenſeamus, quibus reuelatio ab omnibus aliis rebus internoſcatur.

§ 293.

Notae autem et criteria uerae reuelationis his fere continentur poſitionibus.

I. In reuelatione debent tradi ueritates, quae ſunt ſupra rationem, ſiue, quarum ὕψος et praeſtantiam ratio capere nequit.

Si enim Deus reuelaret ueritates, quae iam cognitae ſint ex ratione, aut ex eadem cognoſci poſſint, tum Deus reuelaret eas ſine ratione ſufficienti. Reuelare enim ea, quae capiat ratio, ſibi relićta, eſt aćtum agere.

II. Atque adeo reuelatio continere debet myſteria.

Sunt enim myſteria ueritates ſupra rationem poſitae, quae a reuelatione abeſſe non debent (poſ. I).

III. Sed illa myſteria, in reuelatione tradita, non debent ueritatibus ex ratione cognitis aduerſari iisdemque eſſe contraria.

Veritas enim, quae rationis principiis nititur, et ueritas reuelationis eundem habent aućtorem, ſcil. Deum. Deus uero ſibi ipſe nequit contradicere.

IV. Quae in reuelatione continentur ueritates, non poſſunt ſibi inuicem contradicere.

Neque

Neque enim ueritas ueritati aduersatur, neque ipse sibi Deus est contrarius.

V. Nihil occurrat in reuelatione, quod perfectionibus diuinis sit indignum.

VI. Debet reuelatio suppeditare media, quae sufficiant ad salutem, per rationis lumen non impetrandam. Salus enim humani generis nisi promoueatur reuelatione, quid ea opus est?

§ 294.

Ad attributa, cum uoluntate Dei connexa, pertinent *sapientia*, *bonitas*, *iustitia*, *omnipotentia*.

§ 295.

Notionem *Sapientis* ac *Sapientiae* distinctam his habeto: *Sapientem* dicimus, qui eligit id, quod finibus suis est conuenientissimum. *Sapientiam* definimus per scientiam, optimum eligendi, siue media et fines sibi inuicem recte subordinandi.

§ 296.

Quandoquidem Deus, ob intellectum perfectissimum, omnia, quae sunt, aut fieri possunt, distinctissime cognoscit (§ 288 pos. II), omnes quoque finium mediorumque connexiones perspectas ita habet, ut, qua uia quibusue mediis fines optimi possint impetrari, distinctissime sciat. Dubitari ergo non potest, Deum sapientia gaudere summa et perfectissima.

§ 297.

§ 297.

Propensio ac studium aliis perfectiones conferendi dicitur *Bonitas*, quae summa est et perfectissima, si studium adest intensissimum, entibus omnibus perfectiones omnes, quas capere possunt, conferendi.

§ 298.

Cum Deus, ob perfectissimam uoluntatem, omne uelit bonum, (§ 290 pos. III), dubitari non potest, Deum quoque uelle omnibus rebus, abs se conditis, perfectiones conferre, quas capere possunt. Deum ergo summe esse bonum, lucide apparet.

Neque bonitatem diuini Numinis uel ideo quis in dubium uocauerit, quod, experientia teste, plures res in hoc sint uniuerso, in quibus exigua bonitatis diuinae uestigia deprehendere tibi uidearis. Tantum unicuique rei creatae largitur Deus, quantum capere ipsa potest, et quantum sapientia, nexum et conuenientias rerum spectans, permittit.

§ 299.

Iustitiae notionem distincte euoluit WOLFIVS, qui ad eam constituendam requiri haec duo existimat, α) *Bonitatem*, β) *Sapientiam*, ad cuius leges attemperetur bonitas. *Iustitia* ergo est bonitas cum sapientia connexa.

Bonitas scilicet tribuit unicuique, sapientia autem ostendit, quid sit illud tandem, quod tribuere deceat, aut negare oporteat, pro rei conuenientia.

§ 300.

Vbicumque ergo est summa bonitas, ad sapientiae perfectissimae leges temperata, ibi summam

mam eſſe iuſtitiam, patet. Vt adeo Deo, quippe qui eſt benigniſſimus et ſapientiſſimus, ſumma iuſtitia tribui debeat.

§ 301.

Potentiam dicimus eſſe facultatem, ea, quae poſſibilia ſunt, ad exiſtentiam perducendi. *Summa* haec eſt et *perfectiſſima* potentia, cum quis omnia poſſibilia ad exiſtentiam perducendi facultate gaudet.

§ 302.

Cum Deus totum hunc mundum perduxerit ad exiſtentiam (§ 282), dubitari non poteſt, Deo tribuendam eſſe potentiam, quae, quia Deus nullos agnoſcit limites, ſumma eſt, infinita, et perfectiſſima, quae uocatur *omnipotentia*.

Huic omnipotentiae omnia poſſibilia ſunt ſubiecta. Quae autem inter ἀδύνατα referenda ſunt, neque adeo ad exiſtentiam perduci poſſunt, ea non ſubiacent Dei omnipotentiae.

§ 303.

Cum in Deo omnes concurrant perfectiones, neque adeo ulla in eo eſſe poſſit imperfectio (§ 287 poſ. VII), conſequens eſt, ut Deus ſit Sanctiſſimus. Eſt enim *Sanctitas* Dei nihil aliud, quam excluſio omnium imperfectionum.

§ 304.

Decretum Dei eſt ipſa executio ſiue actus & determinatio uoluntatis, qua id, quod contingens eſt, exiſtens redditur.

Alii ita: *Decretum* eſt Numinis uoluntas de uniuerſo ad actum perducendo.

§ 305.

§ 305.

De decretis diuinis has poſitiones teneto:

I. Decreta Dei ſunt immutabilia. Voluntas enim Dei eſt immutabilis.

II. Nihil poteſt euenire, niſi quod Deus decreuit.

Voluntas enim diuina eſt principium et fons rerum exiſtentium.

III. Decreta Dei ſunt liberrima. Voluntas enim diuina eſt liberrima (§ 291 poſ. VI).

CAP. V.

De Operibus diuinis.

§ 306.

Operum diuinorum praecipua duo haec ſunt: CREATIO et PROVIDENTIA. Creatio eſt productio rei ex nihilo.

Creationis notionem BÜLFINGERVS paullo aliter format. *Mea quidem ſententia*, inquit, *foret etiam illa ueri nominis creatio, ſi Deus ab aeterno realitatem illi largiretur, quod ex ſeſe nullam habet, adeoque de ſe ipſo nihil eſt.* Dilucidat. philoſ. p. 186.

§ 307.

In condendo mundo hunc Deus intendit finem, ut perfectiones ſuas, maxime uero ſapientiam bonitatemque, generi humano omnibusque creaturis intelligentibus manifeſtaret. Id

uel exinde colligitur, α) quia Deus sua caussa non creauit mundum. Fuisset enim perfectissimus, quamuis nullus mundus fuisset; β) quia omnia in hoc mundo sunt ita disposita et connexa, ut in unius cuiusque corporis structura, et rerum adspectabilium ordine, tanquam in speculo, reluceat sapientia diuina, ceteraeque perfectiones inde lucidissime conspici queant.

§ 308.

Cum perfectiones Dei creaturis intelligentibus manifestantur, tum *gloria Dei illustrari* dicitur. Atque adeo intelligis, quid sit, quod mundo condendo gloria Dei illustrata dicatur.

§ 309.

Cura Dei pro creaturis dicitur *prouidentia diuina*, quam qui rectius intelligere uoluerit, is et conseruationem, et concursum, et gubernationem hac cura contineri, sciat.

§ 310.

Quandoquidem omnes res, quae in hac rerum uniuersitate existunt, ideo existunt, quia Deus uult eas existere (§ 282), consequens est, ut, si res existere in posterum diutiusque debent, Deus uelle debeat, ut eae in posterum existant. Haec uoluntatis diuinae continuatio de rei creatae existentia dicitur *conseruatio*.

In

In omni autem re, quae exiſtit, duo ſunt conſideranda, α) *res ipſa*, quae conſeruatur, β) eius *limites*. Res ipſa a Deo conſeruatur, ſed limites rei aliunde accedunt, neque ii conſeruationi diuinae ſubiacent. e. gr. Vis repraeſentandi in mente humana eſt *reale*, quod Deus conſeruat. At quod anima nonnunquam aliquid ſibi uel obſcure, uel confuſe repraeſentet, quodque adeo erret, et in iudicando labatur aut decipiatur, id uero a limitibus, quibus mens humana definita eſt, dependet.

§ 311.

Intelligi hinc poteſt, quid ſit *concurſus Dei*. Actio ſcilicet uoluntatis diuinae, qua Deus id, quod in re quapiam reale eſt, in ui actiua conſeruat, dicitur *concurſus*.

E. gr. Quaeritur: num Deus concurrat ad motum, qui conſpicitur in manu furis, alteri ſuum eripientis? reſpond. *Vim mouendi* conſeruat Deus in manu furis, quo ipſo continetur Dei concurſus. At *limitationes motus*, a quibus prouenit, ut motus ſit hic motus, nec alius, non diuino concurſu diriguntur.

§ 312.

Gubernatio diuina eſt directio mediorum et actionum, ad certum aliquem finem. Cum Deus, propter ſapientiam infinitam, ita cum finibus media connectat, ut id, quod optimum eſt, obtineatur (§ 295), conſequens eſt, ut Deus omnia gubernet.

§ 313.

Ita manifeſtum fit, Deum, cum et conſeruet et gubernet omnia (§ 310 et 312), omnium curam gerere, atque adeo rebus creatis prouidere (§ 309).

Quae prouidentiae diuinae poterant uideri aduerſari, ea adduxit SENECA de prouidentia. Inprimis prouidentiae diuinae illud contrarium uideri poterat, quod Deus innumera mala in hoc mundo permiſerit, quae, ob ſanctitatem infinitam, non poteſt non auerſari. Quare, qui hic nectuntur, difficultatis nodos, paucis his, ex mente LEIBNITII, expediemus.

I. LEIBNITIVS, malum aliud eſſe, dicit, *metaphyſicum*, quod conſiſtit in rerum creatarum limitatione, aliud *malum morale*, quod continetur legis transgreſſione, aliud denique *phyſicum*, quod efficitur perpeſſione doloris, et ex malo morali oritur.

II. Malum metaphyſicum non potuit Deus impedire, quia limitationi, quae a rerum creatarum eſſentia ſeiungi nequit, adhaeret.

III. Mali moralis non auctor eſt Deus, ſed illud permiſit ob rationes ſuae ſapientiae conuenientiſſimas. Si conuenientius fuiſ-

ſet,

ſet, malum morale impedire, impediuiſſet potius illud, quam permiſiſſet.

§ 314.

E notione prouidentiae diuinae intelligi poteſt, in quo conſiſtat omnipraeſentia Dei, ad quam haec duo requiruntur, α) ut Deus ſibi omnia repraeſentet, β) ut omnia operetur in omnibus.

Praeſens enim id alteri dicitur, quod operatur in alterum.

§ 315.

Cum Deus omnia poſſibilia ſibi diſtinctiſſime repraeſentet, (§ 288 poſ. II), et omnes res conſeruet, ad easque concurrat (§ 310), intelligitur, Deum omnibus rebus eſſe praeſentem.

§ 316.

Ex his, quae de Deo diximus, haec fluunt conſectaria.

I. Deus eſt ens actuoſiſſimum. Demonſtratur id ex ipſius conſeruatione aeque, ac gubernatione rerum creatarum, quibus eſt ſemper praeſens.

II. Deo competit ſumma maieſtas et gloria. Conſiſtit enim haec in complexu omnium perfectionum poſſibilium, quas Deo, ob infinitatem, non poſſumus non tribuere.

III. Deus eſt beatiſſimus, ſibique ſufficientiſſimus. Sunt enim omnes perfectiones in Deo, quae concipi poſſunt (287 poſ. IX), atque adeo ipſi nihil deeſt ad ſummam, quae cogitari poteſt, uoluptatem.

IV. Deus eſt dominus omnium rerum. Cum enim Deo ſubiecta ſint omnia, quae exiſtunt (§ 287 poſ. VI), ipſe autem a nemine dependeat, intelligitur, eius uoluntati ita omnes res eſſe ſubiectas, ut nemini rationem reddere teneatur.


FINIS TOTIVS METAPHYSICES.



PHILO-

PHILOSOPHIAE MORALIS INSTITVTIONES

IVS NATVRAE, ETHICAM, ET POLITICAM COMPLEXAE.



PHILOSOPHIA MORALIS.

PRAEFATIO.

§ 1.

Dum in eo nunc uersamur, ut, quibus mores hominum conformari debent, regulas enodatius exponamus, id nobis, existimamus, datum esse negotii, ut, primo quidem loco, in philosophiae, quam uocant, practicae siue actiuae naturam, atque item in singulas eius partes penitius inquiramus.

§ 2.

Vt ergo rectius intelligatur, quid sit illud, quod philosophiam practicam siue moralem constituat, ad has uolo attendi positiones.

I. Experientia quemque cumulatius docet, uoluntatem nostram non nisi id appetere, quod nobis, tanquam bonum aliquod, repraesentauerimus, et id tantum

refugere et auersari, quod malum esse opinamur.

Positionem hanc in metaphysica uberius explicatam et stabilitam inuenies § 230.

II. Deprehendimus porro per experientiam, nos saepius, opinionis errore, nescio quo, id bonum existimare, quod reuera malum est, et id haud raro pro malo habere, quod bonum est.

III. Quo fit, ut uoluntas, recto lapsa tramite, identidem in id feratur, quod uerum malum est, et id saepenumero auersetur, quod bonum est et salutare. Sic ergo mirum uideri nemini debet, complures homines, in praecipitia quaeque ac funestissimum prolapsos exitium, uera ac duratura orbari felicitate.

IV. Quare, quantum interest, homines, ad decus et felicitatem natos, fine suo non excidere, tanti quoque refert, tradi ipsis uiam rationemque, qua possint uoluntatem ita dirigere, ita conformare, ut non, nisi in uerum bonum, feratur, malumque omne et nociturum declinet et auersetur.

V. Atque id ipsum est, in quo philosophia practica siue actiua, aut, si mauis, moralis uersatur.

VI. Vt adeo pateat, philosophiam practicam, siue moralem nihil esse aliud, quam eam philosophiae partem, qua praecepta tradun-

traduntur, quibus uoluntas humana in eligendo bono et fugiendo malo dirigitur.

§ 3.

Hac philoſophiae practicae definitione praeſtructa, facile nunc intelliges enunciata, quae hac definitione continentur, quaeque, quam poſſumus ordine maxime concinno, euoluemus.

I. Cum philoſophia practica ſiue moralis praecepta tradat, quibus uoluntas humana in eligendo bono fugiendoque malo dirigitur (§ 2 poſ. VI), primo quidem loco opus eſt, ut ipſa doceat, quaenam ſint illa bona, quae uoluntas appetere, et quaenam ſint illa mala, quae eadem auerſari debeat.

II. In philoſophia ergo practica certae quaedam regulae et propoſitiones tradantur, neceſſe eſt, quae determinent, quid bonum ſit, quidue malum, quaeque adeo homini indicent et praeſcribant, quid ipſi ſit appetendum, quidue auerſandum item et fugiendum.

III. Regulae ſiue leges, quae, quid faciendum, fugiendumue ſit, homini indicant, debent eſſe ita comparatae, ut uiribus humanis ſint accommodatae, i. e. ut ea praeſcribant, quae ſint in uiribus ac poteſtate hominum poſita. Vires, quibus anima aeque ac corpus hominis gaudent, conſtituunt eius naturam (§ 162 Coſmol.). E. quas

philo-

philoſophia actiua tradit, regulae et leges ex ipſius hominis natura ſunt deducendae.

IV. Vnde oritur noua diſciplina practica, in qua leges naturales, quibus homines ad bonum faciendum, et ad malum euitandum obligantur, exponuntur. Atque haec diſciplina dicitur IVS NATVRAE, quod eſt ſcientia legum naturalium, quibus homo obligatur.

V. Non autem ad felicitatem hominis ſtabiliendam ſufficit, praeſcribere ipſi regulas, ad quas ſuas conformet actiones, aut, quod idem eſt, iubere tantum facienda, et prohibere omittenda, ſed id quoque accedat, oportet, ut modus uiaque demonſtretur, qua homo legi naturae obſecundare, ſuamque adeo felicitatem, eius imperata faciendo, firmare et amplificare poſſit.

VI. Hinc exiſtit alia, a priori prorſus diuerſa, diſciplina, quae praecepta tradit, quibus modus uiaque traditur, actiones ſuas ad ea, quae legibus, iure naturae ſancitis, mandata ſunt uel uetita, conformandi. Hanc diſciplinam nominamus ETHICAM, quam recte dicimus ſcientiam earum regularum, quibus ratio et modus oſtenditur, ea faciendi, quae iure naturae ſancita ſunt, et ea omittendi, quae eodem prohibita ſunt.

VII. Homo conſiderari poteſt, uel ut homo tantum, uel quatenus uiuit in communi-

munitate et ciuili ſocietate. Quid homini, quatenus eſt homo, ſit faciendum uel omittendum, docet ius naturae et Ethica: illud quidem ita, ut leges obſeruandas praeſcribat, haec uero ita, ut modum uiamque legibus naturalibus obſequendi oſtendat (poſ. VI). Quid uero homini, quatenus eſt ciuis, ſit faciendum omittendumue, docet POLITICA.

VIII. Vt adeo ex his conficiatur, *politicam* nihil eſſe aliud, quam ſcientiam ſiue diſciplinam, qua praecepta traduntur, quibus hominis, quatenus in re publica, ut ciuis, uiuit, actiones dirigi conformarique debeant.

IX. Omnes uero has philoſophiae actiuae ſiue practicae partes minus recte tractabimus, niſi antea, methodo mathematicae conuenienter, principia quaedam et fundamenta praeſtruxerimus, ex quibus ueritates poſitionesque, cum in Ethica, tum in Iure naturae politicaque occurrentes, legitimo nexu poſſint demonſtrari.

X. In his ergo notionibus uniuerſalibus, generalioribusque poſitionibus demonſtrandis occupata eſt philoſophia *practica uniuerſalis*, quae nihil eſt aliud, quam eiuſmodi ſcientia, in qua generaliſſima traduntur fundamenta et principia, ex quibus praecepta morum et ueritates diſcipli-

ſciplinarum practicarum legitimo nexu poſſunt demonſtrari.

§ 4.

Intelligis adeo, quae diſciplinae ambitu philoſophiae moralis ſiue practicae contineantur. Vides item, quomodo commentandi ordo in diſciplinis moralibus tradendis ſit inſtruendus.

I. Principia generaliora praefulcienda ſunt, et uniuerſaliores notiones euoluendae, ſine quibus ueritates iuris naturae et ethicae intelligi nequeunt. Atque adeo philoſophiam practicam uniuerſalem, ſiue doctrinam morum generalem primo loco pertractabimus.

II. Quo facto, leges, quibus unusquisque homo, ut homo ſpectatus, obligatur ad bonum committendum, et ad malum fugiendum, percenſebimus. Quod cum in iure naturae fieri debeat (§ 3 poſ. IV), ius naturae altero loco exponemus.

III. Tum rationem quoque uiamque demonſtrabimus, qua habitus ſiue facilitas legi naturae conuenienter uiuendi acquiri poſſit. Quod quidem cum pertineat ad Ethicam (§ 3 poſ. VI), Ethica tertio loco ſequetur.

IV. Denique ea, quae homini, quatenus uiuit in communitate et conſociatione, obſeruanda ſunt, commentabimur. Ex quo POLITICA ultimo loco orietur.

CAP. I.

CAP. I.

De Actionibus humanis earumque differentia.

§ 5.

Quandoquidem in philoſophia morum, quae de rebus expetendis fugiendisque praecipit, uniuerſaliores notiones debent praemitti, et generaliores propoſitiones fundamenti loco ſubſterni (§ 4 poſ. I), noſtrum eſt, exponere, quid ſit *actio libera*, quid *bona actio*, *quid mala*, quid *lex*, *obligatio*, *poena*, *praemium*, *uirtus*, *uitium*, *felicitas*, *conſcientia*, cetera.

§ 6.

Experientia magiſtra, nouimus, nonnullas actiones, in homine obuias, eſſe eiuſmodi, ut non ſit in poteſtate noſtra, utrum eas ſuſcipere uelimus, nec ne, alias uero ab hominis libertate proficiſci, ita quidem, ut pro lubitu eas uel ſuſcipere poſſimus, uel omittere. Illas uocamus *actiones neceſſarias*, itemque *naturales*, has uero *liberas*, nonnunquam etiam *morales*.

E. gr. Quod anima cogitet, et perceptiones producat, id eſt actio animae neceſſaria ſiue naturalis.

Non eſt enim in cuiusquam arbitrio et poteſtate poſitum, num cogitare uelit, nec ne. Anima enim, interno et continuo quaſi motu agitata, ſuas perceptiones producit, uelimus, nolimus. Concoctio ſtomachi itidem eſt actio naturalis ſiue neceſſaria. Stomachus enim per ſtructuram ſuam et naturam ita determinatur, ut cibum concoquat, ſiue homo uelit,

uelit, ſiue nolit. Sed ſi quis librum obſcenum in manus ſumſerit, eundemque perlegerit, tum haec actio eſt libera. Poterat enim alius liber, isque caſtior et utilior, euolui, et in poteſtate arbitrioque illius, qui librum obſcenum legit, poſitum eſt, utrum eum uelit legere, nec ne.

Inter actionem neceſſariam et liberam, tanquam mediam, interiacere actionem mixtam, putant nonnulli. Actionem mixtam, libere quidem, aiunt, ſuſcipere hominem, at non libenter, ſiue *actio mixta* tum dicitur, cum quis, grauiori adactus neceſſitate, aliquid, tanquam minus malum, eligit et ſuſcipit, quod, ſine hac neceſſitate, nunquam ſuſcepiſſet.

E. gr. Cum mercator, aeſtu maris et procellis in uitae diſcrimen coniectus, ideo merces in mare proiicit, ut uitam ſuam conſeruet, tum illa proiectio mercium in mare, quam mercator ſuſcipit, dicitur actio mixta. Libere enim hanc actionem ſuſcipit, non libenter.

Quae ſubtilius a nonnullis hic diſputantur de differentia actionis HVMANAE, et actionis HOMINIS, non uidentur eſſe eiusmodi, ut iis uerboſius percenſendis immoremur. Pauca ergo, hanc in rem, hic annotabimus. *Actio* ſcilicet *hominis* illa dicitur, quam homo habet cum brutis communem, e. g. *dormire*, *edere*, *bibere*, *ſui ſimile procreare*, *creſcere*, cetera. *Actio* uero *humana* dicitur, quam homo cum brutis aut plantis non habet communem. E. gr. Bonum a malo diſtinguere, ratiocinari, et unum ex altero colligere, facere item id, quod legi conforme eſt. Eodem fere modo, in uita communi, diſtingui audimus inter actionem regis, et actionem regiam. Iacobus I, rex Angliae, multas declamationes ſcholaſticas coram concione habebat, quae actio erat regis, non regia.

§ 7.

§ 7.

His praeſultis, ſequentes intelligi poſſunt poſitiones.

I. Nulla actio dici poteſt libera, niſi quae, decernente uoluntate, ſuſcipiatur. Nemo enim poteſt libere agere, niſi qui eligit ex pluribus poſſibilibus id, quod ſibi maxime placet (per defin. libertatis § 267 poſ. VIII Metaphyſ. trad.). Nemo poteſt ex pluribus poſſibilibus eligere id, quod optime placet, niſi unum appetat prae altero (per defin. *electionis*). Nemo poteſt appetere unum prae altero, niſi decernente uoluntate (τὸ enim *appetere* non aliunde, niſi a uoluntate, ortum trahit, id quod uel ipſa uoluntatis definitio commonſtrat). Ergo nemo poteſt libere agere, niſi qui agit ex decreto uoluntatis. Ergo nulla actio dici poteſt libera, niſi quae, decernente uoluntate, ſuſcipiatur.

II. Nulla actio libera dici poteſt, niſi quae, praelucente intellectu, ſuſcipiatur. Si enim actio libera illa eſt, quae a libertate proficiſcitur (§ 6 poſ. VI), ibi autem nulla libertas locum habere poteſt, ubi non locum habet intellectus et ratio (§ 267 Metaphyſ.), conſequens eſt, ut nulla actio libera dici poſſit, niſi quae, praelucente intellectu, ſuſcipiatur.

III. Intelligitur hinc, recte a nonnullis philoſophis intellectum et uoluntatem PRINCIPIA dici actionum liberarum. Vid. HEINECCII Ius Nat. et Gent. § 30.

IV. Patet ratio, cur PVFENDORFIVS actionem humanam (sic enim uocat actionem liberam) definiuerit per eiusmodi motum, qui, uelut praelucente intellectu, ac decernente uoluntate, suscipitur.

V. Manifestum ex his fit, actiones, quas homines, rationis destituti usu, eiusdemque praesidiis nudati, suscipiunt, ad actiones liberas neutiquam esse referendas.

VI. Actiones ergo phreneticorum, delirorum, noctambulonum, summe ebriorum, alto somno sopitorum non pro liberis sunt habendae.

§ 8.

Omnis actio libera, quae ab homine suscipitur, est eiusmodi, ut ex ea nonnullae oriantur mutationes, in homine, eiusdemque statu, uel externo, uel interno, id quod experientia et suus quemque sensus condocet.

Si Caius opes luxuriando profundit, remque suam strenue conficit, nonne ex hac profusione innumerae proueniunt mutationes in statu Caii, uel interno, uel externo, quas recte dixeris effectus aut consectaria profusionis.

§ 9.

Dum itaque ex qualibet hominum actione libera consectaria quaedam et mutationes, tanquam ex sua causa effectus, proueniunt (§ 8), facile intelligis, aut illas mutationes, ex actionibus liberis oriundas, esse eiusmodi, ut cum

natura hominis conueniant, uiresque, corpori animaeque diuinitus concessas, et conseruent, et promoueant, atque adeo status nouus, ex actione resultans, consentiat cum statu antecedenti, uel esse ita comparatas, ut naturae humanae, quae in uirium, animae et corpori diuinitus impressarum, complexu consistit, sint contrariae, atque adeo nouum statum producant, statui antecedenti prosus contradicentem.

Vt haec facilius capias, ad sequens attende exemplum. Fac, Caium sobrie temperanterque uiuere. Fieri ergo non poterit, quin eiusmodi mutationes ex sobria hac uita proueniant, quae sint naturae Caii, i. e. uiribus ipsius conseruandis augendisque conuenientissimae. Non est, quod funestas actionum suarum consecutiones uereatur, non est, quod senex de effoeto corpore, per intemperantiam et lubidinem senectuti tradito, conqueratur. Summus hic statuum, praesentis, praeteriti ac futuri consensus conspicitur. Quod multo aliter fit in Titio. Hic, gulae libidinibusque seruiens, epulatur opipare, uina in se ingurgitat, continenterque in popinis et helluationibus uersatur. At quales inde oriuntur mutationes? quae consectaria? Nonne status nouus, ex actionibus resultans, contradicit antecedenti? Olim Titius inter epulas hilaris erat, iucundissimeque cum amicis uiuebat. Nunc, desertus ab omnibus, inediaque fere confectus, perpetuo moeret. Olim diuitiis affluens obuio cuique largiter pecuniam offerebat. Nunc, omnibus exhaustus facultatibus, stipem ostiatim flagitare cogitur. Olim corpore erat sano, uegeto, succique pleno. Nunc maligna ipsum uexat pituita, aut podagra, tanquam compede uinctus, innumerabilibus acutissimisque excruciatur doloribus, aut, lenta confectus tabe, ob cadauerosam faciem corpusque emaciatum omnibus iniicit terrorem. Vide,

quanta ſtatuum, praeteriti, praeſentis, ac futuri diſſenſio!

§ 10.

Cum perfectio ſit conſenſus uariorum in uno (§ 64 Metaphyſ.), conſequens eſt, ut, quicquid conſenſum in ſtatibus noſtris efficit, idem et nobis ſtatuique noſtro perfectionem conciliet, ſiue, quod idem eſt, nos noſtrumque ſtatum perfectiorem reddat. Et quia imperfectio eſt diſſenſus uariorum in uno (§ 65 Metaph.), patet, id omne, quod ſtatuum, praeteriti, praeſentis ac futuri diſſenſionem quandam producit, nobis noſtroque ſtatui imperfectionem inferre, ſiue, quod idem eſt, nos noſtrumque ſtatum imperfectiorem reddere.

Recentiori aetate de his loquendi formulis: *actio nos noſtrumque ſtatum perfectiorem reddit*: item: *actio nos noſtrumque ſtatum imperfectiorem reddit*: uarie acriterque eſt diſputatum. Neque miror ualde, has loquendi formulas a compluribus non intelligi. Eum enim oportet notionibus metaphyſicis *perfectionis* et *imperfectionis* probe eſſe imbutum, qui recte intelligere cupit, quid ſit illud: *Actio ſtatum noſtrum perfectiorem reddit.* Vt autem, quae hic Wolffii mens ſit, pateat diſtinctius, ipſum audiamus. *Vita hominis*, inquit, *quatenus denotat complexum actionum liberarum, dicitur perfecta, ſi ſingulae ad communem quendam finem tendant, ad quem tendunt naturales. Inde nimirum oritur actionum liberarum cum inter ſe, tum cum naturalibus conſenſus. Atque in hoc conſiſtit uitae humanae perfectio.* Ontolog. Lat. § 503.

§ 11.

Ex his pateſcit, omnes actiones liberas, quas ſuſcipimus, uel nos noſtrumque ſtatum

tum perfectiorem reddere, uel nos nostrumque statum efficere imperfectiorem.

Cum enim actiones, quas suscipimus, uel eiusmodi mutationes statui nostro, siue interno siue externo inferant, quae cum natura nostra conueniant, consensumque statuum praesentis, praeteriti, futurique inter se producant, uel eas habeant consecutiones, et euentus, qui naturae, fini, uiribus corporis et animae sint contrarii et quandam statuum dissensionem gignant (§ 9); actio autem illa, quae cum uiribus nostris naturaque et statibus ceteris consentit, nos nostrumque statum perfectiorem reddere dicatur: illa autem actio, quae minus conueniens est naturae humanae, nec cum finibus et statibus consentit, statum nostrum imperfectiorem reddat (§ 10); manifestum est, omnes actiones, quas suscipimus, uel nos nostrumque statum perfectiorem uel eundem imperfectiorem reddere.

§ 12.

Bonum definimus in Metaphysica per id, quod nobis nostroque statui perfectionem conciliat, siue, quod idem est, quod fini nostro est conueniens, et malum, quod nos nostrumque statum imperfectiorem reddit, siue quod cum fine nostro non consentit. *Actio* itaque *bona* erit, quae nobis nostroque statui perfectionem conciliat, siue, quae fini est conueniens, et *mala*, quae nos nostrumque statum imperfectiorem reddit, siue, quod idem est, quae cum fine nostro non consentit (§ 10).

§ 13.

Haec ergo enunciata ex praestructis definitionibus fluunt:

Omnis actio libera uel bona est, uel mala.
Cum enim omnis actio libera uel nos nostrumque statum perfectiorem reddat, uel eundem efficiat imperfectiorem (§ 11), illa autem dicatur bona, haec mala (§ 12); manifestum est, omnem actionem liberam uel bonam esse uel malam.

Actiones bonas, quas *honestas* etiam recte dixeris, definiunt nonnulli per eiusmodi actiones, quae naturae sunt consentaneae, item, quae cum fine consentiunt, quae ad conseruationem felicitatemque hominis spectant: alii actiones esse dicunt, quae cum lege conueniunt. *Malas* contra, quas turpes etiam uocari constat, explicant per actiones, quae cum lege et cum ultimo hominis fine minus conueniunt, quae item conseruationem felicitatemque hominis destruunt, eiusdemque naturae repugnant, aut cum lege minus conueniunt. Qui quidem quamuis uideantur alias, easdemque a nostra diuersas, definitiones adferre, uerbis tamen tantum discrepant a nobis, reque ipsa nobiscum consentiunt. Intelliges hoc plenius, si a nobis legeris demonstratum, per id esse actionem legi uel conformem, uel contrariam, quod aut perficiat nos nostrumque statum, aut eundem minus reddat perfectum. Deprehendi quoque, re rite perpensa, nihil posse naturae uel conuenire, uel eidem repugnare, nihil item uel conseruationi felicitatique hominis amplificandae, uel eidem destruendae esse accommodatum, nisi idem sit eiusmodi, ut nos nostrumque statum aut perficiat, aut reddat imperfectiorem.

Si ergo, inquies, omnis actio uel bona est, uel mala, consequens est, ut nulla detur actio *indifferens*. Cum uero, teste experientia, complures suscipiamus actiones, quae neque nos conditionemque nostram

noſtram perficiant, neque felicitatem noſtram deſtruant, quaeque adeo nec bonae ſint, nec malae, facile eſt ad iudicandum, dari actiones indifferentes. Actio enim indifferens ea dicitur, quae neque eſt bona, neque eſt mala. Hic uero uelim ad ſequentia animum aduertas. Quotusquisque eſt, qui eiusmodi unquam ſuſceperit actionem, ex qua nihil omnino reſultarit, quod aut ad ſtatus ſui perfectionem, aut imperfectionem ſpectaſſet. Quamuis enim plurimi, non ſatis ſibi ſuisque attendentes actionibus, nihil omnino, in actionibus nonnullis, quas ſuſcipiunt, deprehendiſſe ſibi uideantur, quod aut ad perfectionem, aut ad imperfectionem ſtatus ſui pertineat; ii tamen, qui acerrime et intentis, ut aiunt, oculis actionum ſuarum conſecutiones contemplantur, obſeruant nonnulla, ex iis oriunda, quae, niſi perſpicaciſſimus quisque, nemo facile animaduertit. Fit ita plerumque, ut ex iis tantum, quae in ſenſus incurrunt, actionum conſequentiis earundem uel honeſtatem, uel turpitudinem aeſtumemus. Falſo. Vnaquaeque actio eſt ex ſimplicioribus compoſita, quarum infinita eſt complicatio, ita quidem, ut qui ad ea, quae actionem, ratione loci et temporis, circumſtant, ſolicite attenderit, facile proſpiciat actionis cum perfectione noſtra conuenientiam uel diſconuenientiam. Non enim ea tantum actio uitioſa putanda eſt, quae homini immediate eſt perniciosa, e. g. Si quis uenenum biberit, aut ſibi mortem conſciſcat. Ea etiam actio ſtatum noſtrum imperfectiorem reddere cenſenda eſt, quae, multis demum annis praeterlapſis, aut nobis aut aliis damni quid adfert, item ea, qua non directe quidem felicitatem deſtruit, ſed impedit tamen, quo minus ad maiorem perueniamus felicitatem; aut efficit certe, ut paullo tardius difficiliusque felicitatem conſequamur. Nec praetereundum hic illud eſt, nonnullas actiones eſſe eiuſmodi, ut *ſingulae* uix ac ne uix quidem nocere nobis poſſe uideantur. At eaedem cum ſuauitate quadam ſenſibus lenocinentur, atque adeo

hominem ad easdem crebrius ſuſcipiendas pelliciant, ut, quo ſaepius eaſdem homo repetierit, eo maior eaſdem ſuſcipiendi cupiditas gignatur, quae, interna mentis uitioſitate, tanquam peſtifero quodam nutrita pabulo, tandem eo hominem deducit, ut, qua ſe ratione ex aerumnis expediat, uix reperiat. His rite obſeruatis, intelligi facile poteſt, quid de actionibus indifferentibus exiſtimari debeat. Plura occurrent infra. Vid. Gottſchedii diſſert. de fonte uitiorum humanorum § 5.

§ 14.

I. Ratio ſufficiens, cur actio alia ſit bona, alia mala, in intrinſeca eiuſdem natura conſequentiisque eſt quaerenda. Cum enim actio per id ſit bona, quod ſtatum noſtrum ſiue externum ſiue internum perfectiorem reddat (§ 12), et per id ſit mala, quod eundem efficiat imperfectiorem (§ 12), manifeſtum eſt, ex perfectione uel imperfectione ſtatus, ex actionibus oriunda, concipi debere, cur actio ſit bona, uel mala; E. cur actio ſit bona, uel mala, ex intrinſeca actionis natura eiusque conſequentiis uel periculoſis, uel optabilibus laetisque concipi debet. Id, ex quo concipitur, cur alterum ſit, uel non ſit, cur ſit hoc modo, nec alio, dicitur *ratio ſufficiens* (§ 14 Metaphyſ.), E. ratio ſufficiens, cur actio alia ſit bona, cur ſit mala, in intrinſeca actionis natura, eiusque conſequentiis reperitur.

Quaeris e. gr. ex me, cur temperantia ſit bonum quid? Reſpondeo, quia ea eſt temperantiae natura, ut corporis uires non modo non deſtruat, ſed etiam conſeruet et augeat, mentemque adeo ipſam,

corpo-

corporis quasi fulturis sustentatam, ad uigorem et alacritatem quandam admirabilem perducat, impediatque denique, quo minus opes, quibus et ad uiuendum et ad bene uiuendum indigemus, dissipentur. Aut profecto nihil uides, aut luculentissime intelligis, hic, cur temperantia sit bona, rationem sufficientem arcessi ex ipsa temperantiae natura, felicissimisque eiusdem effectis. Quod idem fit, cum intemperantiae turpitudinem aliis ob oculos ponere uolumus. Nonne ideo eam malam fugiendamque dicimus, quod corporis uires succumque exhauriat, quod omne animi lumen exstinguat, consilium impediat, hominemque ad incitas redigat, et, ad turpissima quaeque eundem impellendo, nihil in mente relinquat aliud, quam acerbitates, dolores, cruciatus, et innumera conscientiae uulnera et labes. Quod egregie confirmat Paulus, Ephes. V, 18 qui ideo fugiendam suadet uinolentiam, quod ea, tanquam pestifero partu, excludat ἀσωτίαν.

II. Actio bona est in se bona, et actio mala in se mala. Actionem in se bonam diximus illam, quae rationem sufficientem, cur sit bona malaue in se suaque natura, et, quos producit, euentibus habet. Cum uero in actionis bonae malaeue natura et consequentiis ratio deprehendatur sufficiens, cur sit bona aut mala (pos. I), consequens est, ut actio bona sit in se bona, actio mala in se mala.

III. Actio bona est necessario bona, actio mala est necessario mala. Cum enim ratio sufficiens, cur actio sit bona uel mala, in ipsa actionis intrinseca natura, siue ut Wolffius loquitur, in essentialibus determinationibus reperiatur (pos. I), id autem, quod rationem sui sufficientem in alicuius rei essentia habet,

 sit

ſit neceſſarium (Ont. § 33 poſ. II), ſequitur, ut actio bona ſit neceſſario bona, et actio mala ſit neceſſario mala.

Fac, actionem bonam non eſſe neceſſario bonam, et actionem malam non eſſe neceſſario malam, tunc ſequetur, ut actio bona poſſit etiam eſſe mala, et actio mala poſſit eſſe bona: id enim, quod non eſt neceſſarium, poteſt eſſe aliter, ſiue quod idem eſt, eius oppoſitum eſt poſſibile (§ 54 Metaph.). Sequetur ergo, ut cultus Dei eiuſque adoratio, ut conſeruatio ſui, ut temperantia, ut caſtitas, ut amor amicorum et gratus animus poſſint eſſe mali quid. Sequetur, ut blaſphemia, ut periurium, ut furtum et rapina, ut homicidium et alia eiuſmodi deteſtabilia ſcelera poſſint eſſe boni quid. Quo uero cum nihil abſurdius ſceleſtiusque dici fingique poſſit, facile intelligitur, actionem bonam eſſe neceſſario bonam, et malam neceſſario malam.

Caue, putes, intelligi hic neceſſitatem quandam ſpinoſiſticam et abſolutam, quam ut ex omni Philoſophia, ita ex morum maxime doctrina proſcriptam uolumus. Hypothetica neceſſitate effectus ex cauſſis ſuis prodeunt, id quod in actionibus noſtris uel inprimis animaduertimus. Neceſſariumne eſt, ut cum uirtutem bonaeque mentis decus conſectamur, animi perfruamur tranquillitate? Quotusquisque eſt, qui unquam mentis laetitiam a uirtute ſeiunctam uiderit? Quotusquisque eſt, qui unquam potuerit impedire, quo minus ex homicidio, periurio, intemperantia et libidine uel conſcientiae cruciatus, uel alia mala, quae cum turbulento animi ſtatu ſunt copulata, oppido orirentur?

§ 15.

Bonitas prauitasque actionum humanarum dicitur earundem *moralitas*. Et ſi ratio ſufficiens, cur actiones liberae uel bonae ſint uel malae, in ipſa actionum natura intrinſeca, earum-

que

que conſequentiis reperitur, tum dicitur *moralitas obiectiua*, quia ratio non extra actionem in ſubiecto aliquo, quod eam uel praecepit, uel uetuit, quaeritur, ſed in ipſa actione, ſiue in obiecto, quod uel tanquam bonum praecipitur, uel tanquam malum prohibetur.

§ 16.

Vt adeo ex his, quae a nobis demonſtrata ſunt, intelligas, nos non poſſe non in eorum concedere ſententiam, qui moralitatem obiectiuam defendunt.

Funeſtas haec de moralitate obiectiua ſententia turbas acerrimasque controuerſias noſtris temporibus excitauit, quae ne nunc quidem prorſus conſopitae ſunt, nec irae omnes, quas haec lis commouit, pace et odio uidentur conſediſſe. Dici non poteſt, quam multis quamque inanibus logomachiis nonnulli hanc foedarint doctrinam, quamque turpiter uerba, male intellecta, complurium animos diſſociarint. Quaeſtio ſcilicet inſtituitur de ratione, cur actiones liberae uel bonae ſint, uel malae. Hic ergo in uarias diſtrahuntur ſententias eruditi. Alii rationem, cur actio quaelibet bona malaue ſit, petunt ex ipſa actionis indole, eiusque effectis, Deumque, aiunt, nonnullas ideo actiones uel praecepiſſe, uel prohibuiſſe, quia illae in ſe et ſua natura ſint bonae aut turpes, non autem ideo uel bonas eſſe, uel malas, quia Deus illas mandauerit, aut uetuerit. Alii contra ſentiunt, Deumque, negant, ideo actiones uel praecepiſſe uel interdixiſſe, quia in ſe ſint bonae turpesue, ſed ideo eſſe bonas, uel malas, quia Deus illas praeceperit, aut prohibuerit. Ad illos pertinent Scholaſtici, quos, accepimus, in eam ingreſſos fuiſſe ſententiam, ut ſtatuerent, actus quoſdam antecedenter ad legem ſeu uoluntatem diuinam bonos, uel malos eſſe.

Quod

Quod quamuis incommode et obſcurius enunciari, non negent ipſi nonnulli moralitatis obiectiuae defenſores, fuerunt tamen, qui ſcholaſticorum ſententiam diſtinctius explicandam putarunt, adlata diſtinctione inter uoluntatem Dei *creatricem et ordinatam et inter uoluntatem Dei praeceptricem ſiue legislatoriam*. Scilicet Scholaſticorum mentem fuiſſe dicunt, quod nonnulli actus turpes honeſtique ſint prius, quam Deus eos uel lege poſitiua praecepe-rit, uel interdixerit.

Scholaſticorum ſententiae aſſenſus eſt GROTIVS, quem, poſt id tempus, ſecuti ſunt plures alii uel Theologi, uel Philoſophi. In quibus commemorari merentur Velthemius, celebris quondam Ienenſium Philoſophus, Iaegerus, Hochſtetterus, Hebenſtreitius, Foertſchius, Wernsdorffius, Klauſingius, Leibnitius, Wolffius, Cantzius, Hanſchius, Koehlerus, alii.

A Scholaſticis Grotioque ſeceſſionem fecit Pufendorfius, qui intrinſecam actionum liberarum bonitatem turpitudinemque negauit, rationem, cur actio alia ſit bona, alia mala, in ſola Dei uoluntate quaerendam eſſe, arbitratus. Pufendorffii ſententiam ſuffragiis comprobarunt, cum plures alii, tum uel inprimis noſtra aetate, Buddeus, Langius, Walchius, Zimmermannus, qui, adſtructa moralitate arbitraria, ideo, ut hoc utar, homicidium mali quid eſſe et turpe, pertendunt, quia Deus homicidium lege interdixerit. Neque nullas adferunt rationes, quibus ſententiam ſuam communiri poſſe arbitrantur.

§ 17.

Ex his intelligis has poſitiones.

I. Cum qualibet actione per naturam ipſius connectuntur motiua uel eam appetendi, uel auerſandi. Dum enim cum qualibet actione, nexu naturali, eiuſmodi effectus ſunt copu-

copulati, qui aut ſtatum noſtrum reddunt perfectiorem, aut imperfectiorem (§ 11), quique uel boni ſunt, uel mali (§ 12), bonum autem, in re quapiam a nobis cognitum, eſt motiuum eam appetendi, et malum, in actione deprehenſum, eſt motiuum eam auerſandi (§ 230 Metaphyſ.); conſequens eſt, ut cum qualibet actione, naturali nexu, connectantur motiua uel eam appetendi uel auerſandi.

Sic, e. gr. cum temperantia connexa ſunt, nexu neceſſario, uaria bona, mentis gaudium, corporis ſanitas, opum honorisque conſeruatio et amplificatio. Quae bona, cum temperantia coniuncta, ſi a nobis cognoſcuntur, nos, tanquam motiua, determinant et incitant, ad temperantiam colendam appetendamque. Contra cum intemperantia, bone Deus! quam multa ſunt connexa mala, e. g. morſus conſcientiae, deſperatio, ualetudo debilis, morbi acutiſſimi, ſumma paupertas, famae bonae iactura, alia. Quae mala ſi rectius diſtinctiusque inſpiciuntur, id efficiunt in animo, ut deteſtemur intemperantiam, adeoque ſunt motiua eam auerſandi.

II. Vides hinc, quid ſit, quod Philoſophi affirment, actionem bonam eſſe in ſe appetibilem, et actionem malam in ſe auerſabilem. Cum enim in qualibet actione bona lateant motiua eam appetendi, et in mala actione motiua eam auerſandi (poſ. I), euidens eſt, quamlibet actionem bonam eſſe eiuſmodi, ut appetitum ciere poſſit, et cieat etiam, ſi, quod in ipſa eſt bonum, diſtinctius cognoſcatur, contra in qualibet actione mala eſſe quid, quod, ſi ab homine perſpiciatur, non poſſit non reſpui et repudiari.

Mira-

Miratus fui, cum a nonnullis hanc positionem uel ideo negatam uidi, quod experientia alia omnia unumquemque condoceat. Quam multi, inquiunt scilicet, sunt, qui omni impetu feruntur in actiones, quae reuera sunt malae, turpes, et noxiae, eas contra fugiunt et detestantur, quas, negari non potest, ipsis fore saluberrimas. Certum est, quid respondeam? Largior id, esse complures, qui actiones bonas auersentur, malas appetant. At id nostrae positionis ueritatem non euertit. Neque enim semper appeti actiones bonas, dicimus, sed id affirmare sustinemus, actiones bonas habere in se quicquam, quod, si cerni posset acutius, admirabiles sui amores conci-taret, siue esse appetibiles. Cur uero non semper eae appetantur, caussa satis iusta potest adferri. Scilicet in compluribus praeiudicata quaedam opinio, quae iudicium ueri adulterat et tollit, ita mentis praestrinxit oculos, ut, quod in actione est uere bonum pulchrumque, minus perspiciant.

CAP. II.

De Obligatione.

§ 18.

Perspecta ita actionum humanarum differentia, pedem proferimus, et ad ipsas, quibus actionum quaelibet conformanda est, leges explicandas nos accingimus. Cum uero, quae sit uocis *legis* uis ac potestas, intelligi recte non possit, nisi ante, quid sit *obligatio*, quae legum uelut anima est, fuerit accurata definitione constitutum, ea, quae ad notionem obligationis enodatius tradendam pertinent, ante adferemus, quam in ipsa lege definienda fuerimus uersati.

§ 19.

§ 19.

Vocabuli *obligationis* ſignificatus latiſſime patet. Quid ſit *ligare*, et *obligare*, ſi has uoces proprie ſumſeris, non facile quisquam eſt, qui neſciat. Quod ſolutum eſt, ligamus, atque adeo, libertate longius euagandi reſtricta, impedimus, quo minus uage disiiciatur, et huc illuc paſſim erret.

§ 20.

Eſt in unoquoque hominum poteſtas uiuendi, ut uelit, id, quod ſuus quemque ſenſus, et experientia condocefacit. Vt ergo mens impediatur, quo minus, uagis agitata cogitationibus, licenter erret, nec, quicquid libet, pro licito iudicet, opus eſt obligatione, et tali quidem, qualis in mentem humanam, tanquam ſpiritum, cadere poteſt. Neque enim noſter, qui incolit corpus, animus, ut uitis, erratico ſerpens lapſu, uiminibus uinciri poteſt et obſtringi, ſed ſi qua cadit in mentem obligatio, ut cadit omnino, nulla alia eſſe ea poteſt, quam quae rationibus mouentibus et ad agendum incitantibus efficitur. Cum autem nihil ſit, quod mentem ad appetendum quid et ſuſcipiendum perpellere poſſit et commouere, quam ſola boni repraeſentatio, nihilque ſit, quod eandem ad rem quampiam auerſandam fugiendamque incitare queat, quam ſola mali repraeſentatio (§ 230 Metaphyſ.), euidens eſt, eum *obligare* nos, qui rationes, quae uoluntatem ad bonum appetendum malumque auerſandum mouent, cum actionibus ſuſcipiendis fugiendisque coniungit, ſiue, quod

quod idem eſt, qui hominem motiuo aliquo impellit, ut actiones moresque ſuos ad normam quandam componat.

§ 21.

Intelligis ergo hinc, quid ſit, quod Wolffius, Koehlerus, Heineccius, alii *obligationem actiuam* definiant per connexionem motiuorum cum actionibus uel committendis, uel omittendis. *Motiua* enim nihil aliud ſunt, quam repraeſentationes boni uel mali, quae uoluntatem uel ad appetendum bonum, uel ad auerſandum malum determinant.

§ 22.

Hanc obligationis actiuae definitionem, a Wolfio traditam, hoc libentius retinemus, quo certius eſt, magnam uim in ea poſitam eſſe, ad intelligendum id omne, quod de obligatione eiusdemque formis ſiue ſpeciebus praecipitur, aut praecipi debet.

Quae iam abs me in philoſophia recens controuerſa ſufficienter et diſtinctius p. 170 ſq. explicata eſt, definitio ut intelligatur rectius, caſus quoſdam adferam ſpeciales, qui, meo quidem iudicio, illuſtrandae huic definitioni uidentur perquam eſſe accommodati. Conſideres, quaeſo, quartum Decalogi praeceptum, quod hac continetur propoſitione: *Parentibus obedias, eosdemque reuerearis.* Cum hoc praecepto ſiue lege Deus connectit motiuum. Repraeſentat et proponit ſcilicet omnibus iis, qui parentibus obſecundant, bonum quoddam, quo ad obedientiam impellantur. Quodnam eſt illud bonum? Vita ſcilicet diuturna, et perpetua, ſecundo uitae fine ulla offenſione curſu, felicitas. Haec, tam praeſtabilia, bona dum adiunxit legi Deus, homines ad obediendum parentibus obligat.

§ 23.

§ 23.

Ex hac definitione ſequentes conficiuntur poſitiones:

I. Quanto plura et quanto ualidiora cum actionibus committendis omittendisue motiua connectuntur, hoc magis creſcit obligatio.

Obligatus eſt e. gr. belli dux, qui a rege ſuo exercitui praeficitur, ad fortitudinem in bello adhibendam, periculaque, quibus caput corpusque ſuum obiici uidet, excelſo inuictoque animo ſubeunda. Ad quod ipſum impellit et exſtimulat repraeſentatio fidei, quam regi ſuo obſtrinxit. En! primum motiuum! Ad hoc uero ſi accedunt alia, u. c. repraeſentatio laudis et gloriae, ex bello reportandae, item praemiorum, a rege promiſſorum, et patriae periclitantis, tum uero cumulatis motiuis creſcit obligatio.

II. Noua ſi ad actionem aliquam ſuſcipiendam uel omittendam accedunt motiua, noua inde cooritur obligatio, et diuerſa ſi concurrunt motiua, diuerſae quoque in actu aliquo progignuntur obligationes.

Fac, Caium Titio promittere, ſe certam pecuniae ſummam, quam ipſi debet, definito quodam die ſoluturum. Caius obligatus eſt ad promiſſum ſeruandum fidemque liberandam. Secus enim ſi fecerit, innumera mala, e. gr. laeſio Caii, fideique et exiſtimationis iactura inde coorirentur, quae mala dum ſibi repraeſentat Caius, determinatur, et commouetur ad ſummam pecuniae, quam debet Titio, ſoluendam, promiſſisque ſtandum. Fac uero, Caium, fide iurisiurandi interpoſita, polliceri, ſe, dicto die, debitum uelle ſoluere, tum noua in ipſo exſurgunt motiua, quae ipſum ad fidem liberandam incitant, ſcilicet repraeſentatio iuſtitiae

Dei uindicis, infamiae item, ex periurio oriundae etc. Noua ergo hic adest obligatio.

III. Fit persaepe, ut plura motiua inter se pugnent, adeoque sibi contradicant. Quod cum fit, motiua inter se dicuntur *collidi*. Ex ipsa autem hac motiuorum collisione existit obligationum collisio.

Exemplum collisionis motiuorum reperimus in M. ATTILIO REGVLO, consule Romano, qui cum in Africa ex insidiis captus esset, iuratus missus est ad Senatum Romanum, ut, nisi redditi essent Poenis captiui nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Romam ergo ubi uenerat, utrinque uariis solicitabatur rationibus et manendi Romae, et Carthaginem redeundi. Ex altera parte sibi repraesentabat utilitatem, in se redundaturam, si Romae maneret, fidemque Carthaginiensibus datam, frangeret. Esse domi suae cum uxore, cum liberis, tenere consularis dignitatis gradus, foedissimae seruitutis iugum excussisse, quis haec neget esse utilia? Ex altera repraesentabat sibi periurii foeditatem et turpitudinem, infamiam item nominis sui, si redire nollet, certo secuturam. Vid. CIC. Libr. III de Officiis Cap. XXVI.

IV. Nemo potest obligari, nisi qui usu intellectus et uoluntatis gaudet.

Cum enim obligatio sit connexio motiuorum cum actionibus uel committendis, uel fugiendis (§ 21), consequens est, ut is, qui obligari debet, motiuis debeat flecti et inclinari ad actionem uel suscipiendam uel fugiendam.

Quicunque debet motiuis inclinari ad actiones, ille debet repraesentationibus uel boni uel mali ad agendum uel non agendum moueri (§ 20). Cum uero repraesentatio boni uel mali non possit cadere in quemquam, nisi qui usu intellectus gaudet (§ 205 Met.), patet, neminem posse obligari, nisi qui usu

usu intellectus est praeditus. Qui obligari debet, ille debet motiuis ad agendum determinari (§ 21), τὸ *agere* supponit τὸ uelle agere. E. qui obligari debet ad agendum, ille debet esse eiusmodi, ut possit uelle agere. E. obligandus uoluntate gaudeat, necesse est.

V. Quo maior est intellectus cognitio, eo maior hinc existit obligationis capacitas.

Theologus e. gr. qui ueritates cœlestes scitaque Dei distinctius accuratiusque nouit, quam pleps infiĉeta, maiori tenetur obligatione ad cultum Dei et pietatem, quam ii, quibus mysteria fidei non adeo sunt perspecta. Hinc ipse Seruator iis maiorem pœnam comminatur, qui uoluntatem Domini sciunt, nec ei conuenienter uiuunt. Matth. XVII.

VI. Quia furiosi, infantes, bestiae, hominesque, inter feras siluestres educati, intellectus usu prorsus carent, perfacile est ad iudicandum, in ipsos non cadere obligationem.

VII. Non potest dari ad ea, quae fieri non possunt, siue quae sunt impossibilia, obligatio.

Quoties quis nos obligat, toties connectit motiuum cum actione uel committenda, uel omittenda, E. qui nos obligat, uult, ut actionis uel commisfio, uel omisfio ad existentiam perducatur. Cum uero nihil possit ad existentiam perduci, nisi idem sit possibile (§ 23 Metaph.), facile intelligitur, neque commissionem, neque omissionem actionis ad existentiam perduci, nisi sit possibile, ut actio uel committatur, uel omittatur. E. Obligatio ad impossibilia dari non potest.

Theorema hoc a plerisque ita enunciatur: *ultra posse nemo obligatur*. Sunt autem complures, qui, hac abusi positione, ignauiae suae aut malitiae patroci-

 nium

nium inde petunt. Falſa impoſſibilitatis notione decepti plerique, uirium imbecillitatem, cum iubentur bona agere, praetexunt. Hic ergo cauendum α), ne id ſtatim impoſſibile credas, quod difficile eſt, nec, niſi ſumma animi corporisque contentione, poteſt obtineri. Sufficiunt, dummodo uelis et diligentiam adhibueris, uires ad ea perſaepe, quae putaueras, nulla ratione ad exiſtentiam perduci poſſe. Eſt, ut hoc utar exemplo, aliquis, qui operam ſuam Theologiae addixit. Hic ad linguam graecam hebraeamque, quibus noſtrae ſalutis oracula continentur, perdiſcendam obligatus eſt. At quid ille? Memoriae uigorem exoleuiſſe, conqueritur, et quod ab ipſo poſtulatur, fieri poſſe negat. Fraus autem hic ſubolet plerumque. Diligentia et intenſiſſimo ſtudio opus erat, debebatque, continua exercitatione, memoriae uis acui, et ingenii hebetioris tarditas expugnari. Idem uſu uenire ſolet, cum homines ad uitam pie Chriſtique praeceptis conuenienter inſtituendam excitantur. β) Caue, ne impotentia agendi, quam tua culpa tibi contraxiſti, tolli obligationem exiſtimes. Adamus uires, ſibi diuinitus conceſſas, ſceleratiſſime decoxerat, neque adeo, inciſis quaſi bene agendi neruis, Deo obſequium perfectum poterat praeſtare. At num ideo obligatione Deo perfectam obedientiam exhibendi ſolutus erat? Non magis profecto, quam prodigus decoctor, ad incitas redactus, aes alienum creditoribus ſoluendi obligationi liberatur, aut ſeruus ebrius ab obligatione ſeruitia domino praeſtandi immunis eſt.

VIII. Ex his manifeſtum eſt, ad ea non dari obligationem, quae non ſunt in poteſtate noſtra, ſed ad eas tantum actiones, quae ſunt eiusmodi, ut in poteſtate noſtra ſint, utrum eas ſuſcipere uelimus, nec ne. Cum enim ad impoſſibilia nemo obligetur (poſ. VII), conſequens eſt,

ut ad eas actiones nemo quoque obligari possit, quarum commissio uel intermissio non est in potestate nostra, atque adeo obligatio ad eas tantum actiones se extendit, quae sunt eiusmodi, ut sit in potestate nostra, utrum eas suscipere uelimus, nec ne.

IX. Non datur, nec dari potest obligatio ad actiones naturales, sed tantum ad liberas. Cum enim actio naturalis sit illa, quae non est in potestate nostra (§ 6), ad eas autem actiones, quae non sunt in potestate nostra, nemo queat obligari (pos. VII), intelligitur, ad actiones naturales nec dari, nec dari posse obligationem. Cum actio libera dicatur, quae est in potestate nostra (§ 6), ad ea autem tantum obligari possimus, quae sunt in potestate nostra (pos. VII), intelligitur, non nisi ad actiones liberas dari obligationem.

Perabsurdum e. g. foret, si quis alterum ad concoctionem stomachi intermittendam, aut ad cibum concoquendum obligare uellet. Sunt enim haec actiones naturales, nec potestati arbitrioque nostro subiacent. At ad Deum colendum, ad damnum, alteri illatum, reparandum, ad calumnias euitandas homo potest obligari, quia haec omnia sunt eiusmodi, ut pro lubitu ab homine possint suscipi et omitti.

§ 24.

Necessitas moralis dicitur, ubi oppositum moraliter impossibile est. *Moraliter* impossibile dicitur illud, quod quidem non in se contradictionem inuoluit, infert tamen repugnantiam, in hoc illoue subiecto, ob intercedentes subiecti illius perfectiones morales (§ 20 Metaphys.)

Has notiones, in Metaphyſicis iam euolutas, hic ideo adferimus, quia, quae ſequuntur de obligatione paſſiua, intelligi non poſſunt, niſi, quid ſit *neceſſitas moralis*, intellexeris. Exemplum, illuſtrationis gratia adferemus: Fac, Caium philoſophiae praeſtantiam, dignitatem et admirabilem uſum penitius perſpicere. Tum Caius non poterit non repraeſentationibus tot opportunitatum, in philoſophia reperiundarum, commotus et incitatus, Philoſophiam amare et appetere. Amat ergo et appetit eam neceſſitate morali. Qui ſic? Quam diu enim Caius utilitates pulchritudinemque philoſophiae ſibi repraeſentat, tamdiu oppoſitum, ſcilicet odium et contemtio Philoſophiae, eſt impoſſibile quid. Non quidem in ſe contradictionem inuoluit, ut Caius oderit contemnatque philoſophiam, at infert tamen illud repugnatiam nunc in Caio, ob intercedentes ſcilicet repraeſentationes, quas format de philoſophiae uſu, pulchritudine, praeſtantia et dignitate.

I. Necesſitas moralis locum habet tum, cum uoluntas entis intelligentis motiuis ſiue repraeſentationibus boni uel mali ad agendum uel non agendum commouetur.

Cum enim uoluntas entis intelligentis motiuis ſiue repraeſentationibus boni uel mali ad appetendum flectitur, tum non poteſt non ſequi in uoluntate appetitus; poſito enim determinante ſiue motiuis, ponitur quoque determinatum, ſiue appetitio (§ 46 Met.), atque adeo *τὸ non appetere* non poteſt locum habere, ob intercedentes ſcilicet repraeſentationes, quibus uoluntas ad appetendum determinatur, *τὸ non appetere* ergo, poſitis ad appetendum motiuis, eſt moraliter imposſibile (§ 230 poſ. III). E. appetitus, poſitis motiuis, eſt moraliter neceſſarius.

E. necesſitas moralis locum habet tum, cum uoluntas

tas entis intelligentis motiuis siue repraesentationibus boni uel mali ad agendum uel non agendum commouetur.

Non igitur uoluntas necessitate physica aut ui externa ad appetendum uel auersandum cogitur, id quod anima, tanquam nobilissimo spiritu, esset prorsus indignum, sed necessitate morali, i. e. suaui uoluntatis inclinatione, quae efficitur boni uel mali repraesentationibus siue motiuis. Haec uero motiua, non sunt libertati inimica, neque eam tollunt. Conf. § 268 Metaphys.

II. Qui obligatur ad aliquid uel agendum uel omittendum, illi imponitur necessitas moralis, aliquid uel agendi uel omittendi.

Qui enim obligatur ad aliquid uel agendum uel omittendum, cum illius actionibus uel committendis uel omittendis connectuntur motiua (§ 21), siue, quod idem est, illius uoluntas uel ad appetendum uel ad auersandum repraesentationibus boni maliue determinatur, flectitur, et commouetur (§ 230 Met.). Cum uero status ille, quo uoluntas entis intelligentis repraesentationibus boni maliue ad appetendum auersandumque commouetur et determinatur, fit *status necessitatis moralis* (per def.), consequens est, ut illi, qui obligatur ad aliquid uel agendum uel omittendum, imponatur necessitas moralis uel agendi, uel non agendi.

§ 25.

Status ergo, quo quis obligatus est, siue *obligatio passiua* est nihil aliud, quam necessitas moralis aliquid agendi uel non agendi.

Ita obligationem complures definire memini, et in his eos etiam, qui Wolffianam obligationis definitionem, qua obligatio per connexionem motiuorum, explicatur, exploserunt. Qui uero, si perpendissent,

 sent,

ſent, Wolffii definitionem eſſe fundamentum huius, qua obligatio definitur per neceſſitatem moralem ad agendum uel omittendum, tum profecto non adeo illam obligationis notionem, quae motiuorum connexione continetur, riſiſſent. Tota controuerſia, quod facile uides, in logomachiam abit, cum Wolffius definiat obligationem actiuam, aduerſarii autem explicent obligationem paſſiuam, quae demum ex actiua fluit. Vides ergo, quomodo cum Wolffiana plurium definitiones, quas de obligatione ſuppeditarunt, poſſint conciliari. Quid? quod ipſa Iureconſultorum definitio, qua obligatio per *uinculum iuris* explicatur, cum noſtra facile conſentiet. Vinculum enim, ſi de anima praedicatur, in ſenſu morali intelligi debet, non proprio. Per ipſa ſcilicet motiua, quae animae proponuntur, et cum actione connectuntur, ligatur uinciturque uoluntas, tanquam per uinculum, ne, uagis ducta cupiditatibus, longius euagetur, ſed in hanc potius, quam oppoſitam partem, ſe inclinet.

§ 26.

Quicunque obligatur, aut per ſpem, aut per metum obligatur. Quicunque obligatur, ille ad agendum determinatur motiuis ſiue repraeſentationibus boni, uel mali (§ 21); quicunque ad agendum determinatur uel boni uel mali repraeſentationibus, ille determinatur repraeſentationibus uel perfectionum, uel imperfectionum, quia notione τȣ boni continetur notio perfectionis, et notione mali notio imperfectionis (§ 226 Met.); quicunque determinatur ad agendum repraeſentationibus perfectionum uel imperfectionum, ille determinatur ad agendum uoluptate et taedio, quia uoluptas oritur ex

repraे-

repraeſentatione perfectionum, et taedium ex ſenſu imperfectionis (§ 219 Met.). Cum uero bonum, quo obligamur et ad agendum determinamur, malumque ſit futurum (per experientiam), conſequens eſt, ut obligandus per uoluptatem ex repraeſentatione boni futuri, et per taedium ex repraeſentatione mali futuri ad agendum determinetur. Voluptas ex repraeſentatione boni futuri dicitur *ſpes* (§ 251 Met.), et taedium ex repraeſentatione mali futuri dicitur *metus* (§ 253 Met.). E. qui obligatur, aut per ſpem, aut per metum obligatur.

Vide, lector, quam facile manu quaſi nos ducat noſtra obligationis definitio ad notionem obligationis Thomaſianam. Thomaſium enim, ſcimus, obligationem poſuiſſe in ſpe commodi, ex actionibus bonis noſtris oriundi, et in metu incommodi periculisque, quod actiones malas conſequatur. Vid. eius Fundam. iuris N. et G. L. I c. 4 § 61.

§ 27.

Cum uero, quae ſit obligationis, generatim conſideratae, natura et indoles, ex his perſpiciamus facile; proximum eſt, ut uarias obligationis formas ſiue ſpecies accuratius paullo contemplemur.

§ 28.

Per intrinſecam actionum liberarum naturam obligamur uel ad actiones bonas committendas, uel ad malas omittendas.

Cum enim cum liberis actionibus per intrinſecam earundem naturam motiua connectantur, uel bonas actiones appetendi, uel malas auerſandi (§ 14), motiua autem connectere cum alicuius actionibus

uel committendis, uel omittendis, ſit nihil aliud, quam *obligare aliquem* (§ 21), conſequens eſt, ut per intrinſecam actionum liberarum naturam obligemur uel ad bonas actiones appetendas committendasque uel ad malas omittendas.

§ 29.

Atque hinc exiſtit *obligatio naturalis*, quae nihil eſt aliud, quam, cum nexus motiuorum ex ipſa noſtra natura actionumque poteſt intelligi.

Sic ad intemperantiam fugiendam, per intrinſecam eius naturam eſſentiamque noſtram obligamur, proterea quod cum ea, nexu naturali, copulantur motiua eam auerſandi. Sic ad caſtitatem obligatione naturali ſumus obligati, cum plurima ſint motiua ad eam nos incitantia, quae in ipſa lateant caſtitatis natura eſſentiaque uel mentis uel corporis humani. Fac enim, te, repagulis pudoris officiique perruptis, in omne libidinis genus effundi, fac, corpus tuum uoluptatum quaſi uinculis conſtrictum detineri, quid efficietur inde aliud, quam ut ſuccus, quo vita continetur, et conſeruatur, exhauſtis uiribus, exareſcat, omnisque animi impetus ad rectiora et bona, amiſſo uelut aculeo, elangueſcat. Taceo labes et uulnera conſcientiae, taceo rei familiaris et exiſtimationis iacturam, inde oriundam, cetera. En motiua, quibus unusquisque ad lubidinum illecebras euitandas caſtitatemque conſectandam obligatur. Quae motiua, uides, in ipſa uoluptatis foedae natura latitare.

§ 30.

Obligatio naturalis eſt neceſſaria. Quia obligatio naturalis eiusmodi motiua connectit cum actionibus uel ſuſcipiendis uel omittendis, quae ab ipſa hominis rerumque eſſentia et natura petuntur, (§ 29) ſequitur, ut, poſita hominis rerumque eſſentia et natura, ponatur quoque obli-

obligatio naturalis. Atque adeo fieri non poteſt, quin, quamdiu homo hominis habet eſſentiam, tamdiu quoque obligatio naturalis locum habeat. Neceſſaria ergo eſt obligatio naturalis, quia hominis rerumque eſſentia, qua, tanquam fundamento, nititur, eſt neceſſaria (§ 28 poſ. III. Metaphyſ.).

Hoc autem theorema, caue, putes, periculi quid continere, quia uox neceſſaria occurrit. Non fatalem hic brutamque neceſſitatem adſtruimus, ſed eam hic neceſſitatem intelligi uolumus, quae rationi eſt conueniens. Haec ſcilicet noſtri theorematis uis eſt et ſenſus: *quamdiu homo hanc habet naturam et eſſentiam, et quamdiu actiones nexu neceſſario per naturam ſuam has, nec alias conſecutiones ſecum uehunt, tam diu quoque obligatio naturalis locum habeat neceſſe eſt.* E. g. quamdiu homo eſt homo, et quamdiu hoc habet corpus, et hanc habet animam, quamdiu item ebrietas funeſtos ſecum coniunctos habet euentus, ut ſcilicet corpus deſtruat, ut uires ingenii mentisque debilitet, cetera, tamdiu fieri non poteſt, quin per ipſam ebrietatis naturam et noſtrae mentis conditionem obligemur ad ebrietatem euitandam. Fac enim, obligationem hanc non eſſe neceſſariam, tum poteſt eſſe aliter, tum fieri poteſt, ut ipſi funeſti ebrietatis euentus ſint motiua, quae uoluntatem ad ebrietatem appetendam flectant et moueant, id, quod per ipſam uoluntatis humanae naturam eſt impoſſibile. Conf. Metaphyſ. §. 230.

Obligatio naturalis dicitur quoque *interna*, at, ſi ens aliquod, quod extra nos eſt, et a mente noſtra diuerſum motiua connectit cum actionibus noſtris, tum exſurgit inde obligatio externa, quae *poſitiua* quoque uocatur. Cumque omne ens, quod extra nos reperitur, quodque a mente noſtra diuerſum eſt, ſit uel *Deus* uel *homo ſuperior*, intelligitur, obligationem poſitiuam recte diſpeſci in-

diui-

diuinam et *humanam*. Si ens, quod extra nos est, ita nos obligat ad actiones, ut, si fraena mordeamus, imperiumque detrectemus, poenarum comminatione nos ad imperata facienda compellat, tum dicitur *obligatio perfecta*, e. g. perfecte obligamur ad damnum, alteri illatum, reparandum. At si ens illud, cuius imperium agnoscimus, sine coactione ad uirtutem nos obligat, appellatur *obligatio imperfecta*, e. gr. ut alteri officia amoris et humanitatis exhibeamus, ut benefactoris merita et munificentiam grata mente praedicemus, ut in congressione familiari, morum ciuilitatem et elegantiam iis, quibuscum uersamur, comprobemus. Sunt enim haec omnia eiusmodi, ut nemo ad ea a magistratu aut quocunque superiori cogi possit. Eleganter disseruit de obligatione b. KOEHLERVS in dissert. de obligatione morali Ienae habita 1723.

CAP. III.

De Lege naturae.

§ 31.

Distincte expositis iis, quae ad obligationis naturam et proprietates intelligendas spectant, nunc, quid sit *Lex*, quid *Lex naturae*, facillimum erit intellectu.

§ 32.

Per legem, generatim consideratam, nihil aliud intelligimus, quam regulam quandam siue normam, ad quam actiones liberas instituere et determinare obligamur.

Regulam uero hoc loco dicimus quamcunque propositionem, quae, quid uel faciendum uel omittendum sit, dictitat, e. g. Haec propositio, *parentibus obedias*, est regula, quia, quid faciendum sit, prae-

praeſcribit, et, cum haec regula cum obligandi uirtute copulata ſit, recte dicitur lex. Alii legem ita definiunt: *Lex eſt decretum ſuperioris obligans inferiorem.*

§ 33.

Quandoquidem a lege obligatio ſeiungi non poteſt (§ 32), conſequens eſt, ut a diuerſis obligationis fontibus diuerſae legum ſpecies profluant, ſitque adeo alia *lex diuina*, *humana alia*, *alia naturalis*, *poſitiua* denique *alia*.

§ 34.

Si ea, quae de *obligatione naturali* diximus § 29, expenderis, facile intelliges, quid ſit id, quo lex naturalis contineatur. *Lex* ſcilicet *naturae* per hoc a ceteris legum ſpeciebus internoſcitur, quod ea obligandi uim ſuam ab ipſa rerum atque hominum natura habeat.

E. gr. haec propoſitio, *temperanter uiue*, eſt lex naturalis. Ipſa enim temperantiae corporisque tui et animae natura ſuppeditat motiua, ſiue obligat te ad temperantiam colendam. Eſt enim temperantia eiusmodi, ut ad corpus conſeruandum uiresque animi perficiendas perquam ſit accommodata. Et niſi temperanter uixeris, mala, ex uita intemperanti oriunda, oppido ſenties, uelis, nolis.

§ 35.

Si Deus fuerit obligationis auctor, *lex* dicitur *diuina*; ſed ſi homo aliquis obligat ad actiones liberas, hoc et non alio modo inſtituendas, tum uero *lex* appellatur *humana*.

§ 36.

§ 36.

Quae de lege, generatim ſpectata, itemque de lege naturae ex definitionibus, modo allatis, efficiuntur enunciata, haec fere ſunt.

I. Nulla poteſt eſſe lex, niſi ei uis obligandi ſit adiuncta.

II. Atque adeo cum omni lege id debet eſſe connexum, ut eorum animis, quibus lex proponitur, uel damna, ex actionibus malis oritura, uel bona opportunitatesque, ex bonis factis reſultantes, ſubiiciantur. Eo enim continetur obligatio, ut aliorum motiuis uel ad bonum ſuſcipiendum impellamur, uel a malo reuocemur (§ 21). Motiuis autem impelluntur flectunturque alii, ſi bonum malumue animo ſibi informarint (§ 230 Met.).

III. Ex quo conficitur neceſſaria conſecutione, legem non, niſi eum, poſſe obligare, cui innotuerit fueritque promulgata.

IV. Quandoquidem legum diuerſitas ab obligationis pendet diuerſitate (§ 33), conſequens eſt, ut, ſi obligatio eſt perfecta (§ 30), lex quoque ueri nominis et κατ' ἐξοχὴν ſic dicta, adſit. Lex ſcilicet, ſtricte ſic dicta, illa uocatur, ad quam obſeruandam alii nos ui externa cogere poſſunt. Quare a nonnullis uocatur *lex cogens, ſiue neceſſitatis.* Cui opponas *conſilium*, quod eſt norma agendi, ab altero mihi data, ad quam exſequen-

dam

dam alter, qui normam dedit, me ui externa cogere nequit. E. gr. Si princeps, belli tempore, iusserit ciues ad patriam defendendam arma capere, tum ui cogendi ciues gaudet. Est haec lex cogens. At si amicus multas mihi rationes aperuerit, quibus ad iuris prudentiae studium amplectendum inducere me allaboret, tum, licet aures ipsius monitis claudam, me ad parendum cogere nequit.

V. Cum lex naturae uim obligandi ab ipsa actionum rerumque natura arcessat (§ 34), per ipsam autem rerum actionumque naturam obligemur uel ad actiones bonas committendas, uel ad malas euitandas, (§ 28), sequitur, ut lex naturae hac contineatur propositione: *Fac ea, quae bona sunt, et, quae mala sunt, refuge et omitte.* Est haec quaedam generalis formula, ad quam omnes actiones liberae sunt attemperandae, diciturque ideo *κατ᾽ ἐξοχὴν lex naturae*, quia proxime ex obligatione naturali fluit. Poterat quoque dici PRIMA LEX NATVRAE, quia ceterae propositiones, quae specialius, quid faciendum omittendumque sit, indicant, huic quasi subiectae sunt, ex eaque demonstrantur. E. gr. haec enunciata: *temperanter uiue, suum cuique tribue, damnum resarcias*, ex hac propositione, quae fundamenti quasi loco substernitur, uim ac robur accipiunt.

VI. Ex

VI. Ex quo patet, non male a quibusdam legem naturae his quoque enunciari uerbis: *Facienda sunt ea, quae nos, nostrumque statum reddunt perfectiorem; fugienda contra et omittenda sunt omnia illa, quae nos nostrumque statum efficiunt imperfectiorem.* Bonum enim quid aliud est, quam id, quod nos nostrumque statum reddit perfectiorem (§ 226 Met.), et malum quid est, nisi id, quod nos nostrumque statum reddit imperfectiorem? Siue ergo dicas: *fac bonum, et omitte malum.* Siue ita hanc propositionem proferas: *fac ea, quae te statumque tuum reddunt perfectiorem, omitte ea, quae te statumque tuum reddunt imperfectiorem*, unum idemque, mutatis tantum uerbis, dicis.

VII. Legis naturae fundamentum est natura. Ex hac enim lex naturae repetit uim obligandi (§ 34).

VIII. Lex naturae per rationem nobis innotescit, quae recte dicitur legis magistra. Cum enim lex naturae bonum faciendum iubeat malumque uitandum praecipiat, (pos. VI), consequens est, ut lex naturae per id nobis innotescat, per quod cognoscimus, quid sit bonum malumue. Hoc autem ex eo cognoscimus, si mutationes, ex actionibus oriundas, nexumque adeo inter actionem et eius consecutiones perspicimus (§ 10). Quod cum, nisi, adiutrice ratione, fieri non possit (§ 212 Met.), intelligitur, rationem legis naturae magistram recte dici, per eamque unice innotescere no-

bis

bis hanc propofirionem: *Fac ea, quae te tuumque ftatum perficiunt, omitte ea, quae te tuumque ftatum reddunt imperfectiorem.*

Quandoquidem ergo ratio nos condocet, quae actiones fint bonae, quae malae, intelligis, cur nonnulli legem naturae uocent *dictamen rationis.*

IX. Vides hinc, omnibus iis, qui rationem ducem et rectricem fequuntur, pro lege effe rationem, neque adeo ipfis effe neceffariam peculiarem legem, quae ad bonum fufcipiendum eos compellat.

X. Lex naturae eft immutabilis et neceffaria. Eft enim obligatio naturalis neceffaria et immutabilis (§ 30). Lex ergo naturae, quae obligatione naturali nititur (§ 34), itidem fit neceffaria, oportet, et eiufmodi, ut immutari non poffit.

XI. Lex naturae eft aeterna. Eft enim id omne aeternum, quodcunque eft neceffarium, id, quod in Ontologia cumulatius a nobis fuit commonftratum. Ifthaec theoremata plenius faciliusque ut intelligas, pauca haec addere uifum eft. Fac, legem naturae poffe mutari, fac, eam non effe neceffariam, tum haec propofitio emerget: *fac ea, quae mala funt, i. e. quae te tuumque ftatum reddunt imperfectiorem, et omitte ea, quae bona funt.* Ita iubebitur uoluntas humana, apperere malum, et auerfari bonum. Quod uero, quid aliud eft, quam hominem ex homine tollere (§ 230 Met.)? Quid fi uero, inquies, Deo collubitum fuiffet, ita creare hominem, ut malum

appeteret, et bonum auerſaretur? Ad haec quid reſpondeam, certum mihi eſt. At cum uerboſiori mihi eſſe hic non liceat, ea repetas, quae et ſupra de interna cuiusque actionis uel turpitudine uel honeſtate, et in Ontologia de eſſentiarum neceſſitate uberius ſumus commentati.

XII. Lex naturae latiſſime patet, uisque eius obligandi ad omnes, qui demum cunque fuerint, homines pertinet, omnesque actiones liberae, ſine ulla uel temporis uel loci exceptione per eam determinantur. Eſt enim lex naturae cum ipſa hominis natura tam arcto connexa uinculo, ut, niſi natura humana ſublata, tolli non poſſit. Quisquis ergo eſt homo, et quamdiu homo eſt homo, non poteſt non ei eſſe ſubiectus.

Quod alii ita enunciant: *lex naturae eſt uniuerſalis*, quia ad omnes homines pertinet, eſt *adeaquata*, quia per eam omnes actiones liberae conformantur diriguntur que. Suae ergo inſcitiae temeritatisque pudeat atheos, ſi naturae leges uel peruertere uelint, uel ab earum obligatione cupiant immunes eſſe. Deſinant homines eſſe, et tum demum legis naturalis uinculo ſe exſolutos eſſe, credant.

XIII. Ex his omnibus euidentiſſimum fit, omnes eos *naturae uiuere conuenienter*, qui eam uiuendi rationem ineant, ut legem naturae ſeruent. Is enim naturae conuenienter uiuere dicitur, qui bonum appetit, malum auerſatur. Poſtulat id uoluntatis humanae natura (§ 230 Met.). Atqui uero lex naturae quid aliud praecipit, quam ut bonum con-

consecteris malumque fugias (§ 36 pos. V). Qui ergo legem naturae seruant, aut hi naturae conuenienter uiuunt, aut nemo.

XIV. Deus est auctor legis naturalis. Cum enim, quicquid hac rerum uniuersitate continetur, atque adeo ipsa quoque hominis natura ad Deum auctorem referatur, id, quod in Theologia naturali demonstratum dedimus, patet, Deum quoque obligationis legisque illius, quae naturae fundamentis constituta est, esse auctorem.

XV. Recte ergo lex naturalis dicitur diuina. Cum enim ea lex dicatur diuina, ubi obligationis auctor est Deus (§ 35), consequens est, ut lex naturalis sit diuina.

XVI. Quid ex his conficitur? Hoc nimirum, illos omnes actiones ad diuini Numinis uoluntatem componere, qui legi naturali, atque adeo ipsi naturae et rationi conuenienter uiuunt. Hinc illud ortum: *uox naturae est uox Dei.* Atque haec uox Dei, cum ob constantissimam eius sanctitatem, tum ob internam actionum uel turpitudinem uel honestatem, semper eadem similisque sui manet, ita, ut Deus edicti, de bono faciendo fugiendoue malo in mentibus humanis altissime impressi, gratiam nunquam fecerit, aut facere possit, (*dispensare* hoc uocant alii). Quod contra nonnunquam fit in legibus positiuis, quae obligandi uim non a natura actionum hominumque arcessunt, sed a libera uoluntate et arbitrio legislatoris.

Vnum reſtat, quod iis hic dictum uelim, qui, cum enunciatum hoc: *fac ea, quae te perficiunt*, audiunt, ita haec accipiunt uerba, ut non niſi utilitatis propriae ſtudium commendari opinentur. Eas, inquiunt, cum lege tua naturali, quae ad commodum proprium referri uult omnia, ad aliorum utilitatem gloriamque diuini Numinis nihil. At hi, ſi infra a nobis demonſtratum legerint, nullius, quisquis hic et cuias fuerit, ſtatum poſſe perfectiorem reddi, niſi Deum colat, niſi gloriae eius amplificandae intentus ſit, niſi denique aliorum, cum quibus uiuit in communitate, rationibus conſultum cupiat, facile, ſi ingenui ſint, intelligent, quam turpiter errarint. Omnia enim officia, quae et Deo et aliis debes, his uerbis, *fac ea, quae te perficiunt*, continentur, id quod ex iis, quae deinceps dicemus, lucide apparebit.

CAP. IV.

De Poenis et Praemiis.

§ 37.

Cum, quae de legibus, ſpeciatimque lege naturali, obſeruari merentur, adtulerimus, conſequens eſt, ut de poenis et praemiis commentemur. Ita enim fieri ſolet, ut, qui legi morigerantur, ſe bonis quibuſdam exhilarari ſentiant, et qui eam migrant, affligantur malis, et uel fortunae, uel honoris, uel opum, uel internae tranquillitatis iacturam experiantur. Illud malum, quod legislator actionibus turpibus adiungit, ideo, ut eae omittantur, dicitur *poena*. Sed bonum illud, quod a legislatore cum actione honeſta copulatur, ut ad eam perpetrandam animus

animus eo acrius commoueatur, inciteturque, dicimus *praemium*.

GROTIVS poenam ita definit: *Est malum passionis ob malum actionis.* E. gr. Si miles, qui uel furtum commisit, uel sine commeatu signa deseruit, uirgis lorisque caeditur, malum perpetitur, idque ideo, ut a turpibus his actionibus in posterum absterreatur. Malum hoc, quod ipsius corpori infligitur, et ex mala actione ortum est, dicitur *poena*.

§ 38.

Sunt quaedam mala, quae ex actionibus malis necessitate naturali consequuntur, euitarique nullo modo possunt (§ 10), quae dicuntur *poenae naturales*. Quae autem bona ex actionibus honestis, necessaria consecutione, oriuntur, ea uero *praemia naturalia* appellari solent. Quibus recte opponas eas uel poenas uel praemia, quae *positiua* nominantur, et ab arbitrio legislatoris dependent.

E. gr. Ἀσωτία, quae, monitore PAVLLO, necessitate quadam naturali, ex uinolentia, uitaque libidinose et intemperanter acta, consequitur, est poena naturalis intemperantiae. At liquida illa serenaque mentis uoluptas, quae ex uirtutis studio non potest non oriri, est praemium naturale.

§ 39.

Ex definitionibus his distinctius intelliges has positiones.

I. Omnes actiones per se bonas honestasque nexu indissolubili sequuntur praemia naturalia, et omnes actiones per se malae sunt eiusmodi, ut ab iis poenae naturales seiungi non possint.

 Quod

Quod intelliges plenius, ſi, quae de actionibus, per ſe bonis malisque, ſupra diximus, repetieris. Quis enim, ut hoc utar, ab ebrietate crapulam cruditatesque ſtomachi diuellet? Quotusquisque eſt, qui poſſit haec, natura cohaerentia, mala, libidinoſam ſcilicet uitam, et effoetum corpus angoresque conſcientiae a ſe inuicem disiungere? Contra, quis poteſt uinculum illud naturale, quo uirtus mentisque tranquillitas continetur, diſſoluere?

II. Omnes poenae naturales ſunt poenae diuinae, omniaque praemia, ex actionibus honeſtis nexu naturali oriunda, itidem ad DEVM auctorem ſunt referenda. De quo tanto minus dubitaueris, quanto exploratius habes, et naturam mentis corporisque humani, et uniuerſum rerum omnium nexum a DEO dependere. Quis e. g. corpus ita coagmentauit, ut uires eius luxu, torpore, ac libidinibus non poſſint non langueſcere, debilitari, conſumi? Quis mentem ita effinxit, ut ea, uirtutum culturae ſi fuerit intenta, neceſſario quodam incredibilique laetitiae ſenſu expleatur, contra, uitiorum ſordibus immerſa, angoribus et ſcelerum conſcientia, tanquam furiarum taedis, agitetur, crucietur? Nonne Deus?

III. Hunc autem poenarum praemiorumque naturalium uſum eſſe uoluit Numen, rebus humanis propitium, ut homo iis obligetur uel ad actiones turpes euitandas, uel ad bonas honeſtasque committendas. Connexuit enim et poenas et praemia naturalia cum actionibus malis bonisue, tanquam motiua et incitamenta, quae uoluntatem

tatem, uel ad bonum committendum inclinent et impellant, uel eam a malo reuocent. Quo ipſo uero obligationis notio continetur (§ 21).

Si e. gr. is, qui ex ebrietate languorem corporis membrorumque debilitatem et mentis angores ſentit, in rationem ſufficientem penitus inquirere uelit, cur et corpus et animus tantis affligetur tortoribus, nonne his quaſi monitoribus ad uitam cautius inſtituendam ſe incitari ſentiet? Nonne per gaudium, quod ex recte factorum conſcientia oritur, ſtimulos quaſi ſubdi ſibi animaduertet, quibus animus ad maiora excellentioraque indies facta ſuſcipienda concitetur?

Vide, quod, tanquam in tranſcurſu, monitum uelim, quam prouida ſit utilitatum humanarum conſultrix natura! Vide, quam egregie ſoliciteque DEVS generis humani rationibus proſpexerit! Quam multi ne perſpecturi quidem forent, quid bonum malumue eſſet, niſi Deus actionibus turpibus adiunxiſſet quasdam calamitates et incommoda? Quam multi, quadam mentis effrenatione, coecoque impetu, in peſſima quaeque proruituri eſſent, niſi poenas naturales extimeſcerent, quibus tanquam frenis, a turpitudine mentem humanam retinendam putauit DEVS? Quam multi in uirtutis cultura langueſcerent, niſi innumeris illis opportunitatibus, quas, nexu neceſſario, adfert uirtus, internaque mentis tranquillitate, actionum bonarum comite, ad praeclariora exſtimularentur?

Praeter naturales actionum humanarum conſecutiones, dubium non eſt, quin fortunae, quos uocant, caſus, uel ſecundi uel aduerſi pro praemiis poenisue diuinis haberi queant. DEVS ſcilicet, qui, ex omni aeternitate, hunc mundum perfectiſſima intelligentia complexus eſt, cauſasque rerum, prout altera ex altera nexa eſt, conſecutionesque etiam nunc perluſtrat, admirabilem cauſarum effectorum-

que ex his causis, tanquam seminibus, nascentium ordinem, ordinisque leges sanxit, legibusque his conuenienter mundum administrat. Ex quo causarum effectorumque ordine, naturali colligatione, conserto contextoque, exsurgit notio *fortunae*, quam recte dixeris eam causarum effectorumque seriem et continuationem, quae, quia mirabilibus est implicita nexibus, a nemine hominum potest plene perspici, et, quia sapientissime et prouidentissime est deuincta, nec immutari potest in ea quicquam, nec tolli. Hos casus fortuitos ita disposuit DEVS, ut ii persaepe, qui legi morigerantur, fortuna secunda utantur, contra illi, qui legum repagula perrumpunt, infortuniis affligentur, ut ita fortuna uel prospera uel aduersa merito quodam suo in numerum diuinarum poenarum et praemiorum referatur. Num poenae naturales recte dicantur poenae, de eo inter eruditos disputatio est orta, quae concertatio, de uerbo *poenae* suscepta, recte ad λογομαχίας pertinere existimatur.

CAP. V.

De Virtute et Vitio Hominisque felicitate.

§ 40.

Vt, quid sit *uirtus*, intelligi queat, ad id, uel maxime, animum aduertas, uelim, ut *actiones*, ad naturae legem conformatas, distinguas ab *habitu* actiones legi naturali conuenienter instituendi. Neque enim is uirtute praeditus dici existimarique potest, qui alteram alteramue actionem ad legis praescriptum componit. Sed uirtus requirit rectum animi habitum, constantemque et conuenientem animi affectionem, perpetuum

petuumque ſtudium legis imperata faciendi. *Virtus* enim eſt habitus actiones ſuas legi naturae conuenienter inſtituendi. *Vitium* uero, uel potius *uitioſitas* eſt habitus legem migrandi, ſiue actiones ſuas legi naturali minus conuenienter inſtituendi.

§ 41.

Quae his definitionibus continentur enunciata, paucis habeto.

I. Non quaecumque externa actionum conuenientia cum lege pro uirtute haberi debet. Virtus enim internam quoque mentis habilitatem ſtudiumque recte agendi poſtulat.

II. Caue ergo, honeſtatem externam, quae in externa conuenientia actionum cum lege poſita eſt, cum uirtute confundas.

III. Virtus aeque, ac uitium, uſu continentique exercitatione acquiruntur. Habilitas enim ſiue firma agendi facilitas non, niſi continuo exercitio, acquiritur.

IV. Qui uirtute praeditus eſt, eas actiones ſuſcipit, quae ſtatum ſuum perficiunt. Eſt enim uirtus habitus legi naturae actiones conuenienter inſtituendi (§ 40). Qui uero ad legem naturae facta ſua componit, is ea ſuſcipit, quae ſtatum ſuum perficiunt (§ 36 poſ. V).

Poteras ergo uirtutem ſic quoque definire: *Virtus eſt perpetua et conſtans uoluntas, ſe ſtatumque ſuum perficiendi.* Item: *Virtus eſt habitus uoluntati diuinae conuenienter actiones ſuas inſtituendi:* Eſt enim lex naturae lex diuina (§ 36 poſ. XV).

V. Qui uirtuti deditus eſt, actiones ſuas legi naturae lubenter ac libere attemperat. Eſt enim uirtus conſtans et perpetua uoluntas recte agendi, et, qui eius ſtudioſus eſt, gaudet facilitate aliqua legi obediendi. Omnis ergo hic externa coactio, quae animum ad bonum impellat, abeſt, ſed mens, uirtuti dedita, naturali honeſtarum actionum bonitate allicitur, ſuauiterque inclinatur ad bonum committendum.

VI. Qui ergo ad malas actiones omittendas metu poenae compelluntur, non poſſunt uirtute praediti eſſe.

VII. Virtutem ſibi ipſam praemium eſſe, ex his intelligitur. Id enim efficit uirtus, ut legi conuenienter agamus (§ 40); atque adeo, ut nos noſtrumque ſtatum reddamus perfectiorem (§ 36 poſ. V). Quia uero ea, quae nos noſtrumque ſtatum reddunt perfectiorem, bona ſunt (§ 230 Met.): Bona autem, ex actionibus, quas ſuſcepimus, reſultantia, ſunt praemia (§ 38); uirtus praemia nobis largitur, ſiue ſibi ipſa eſt praemium. Hic explicanda quoque eſt *imbecillitas moralis*, quae eſt, cum quis naturali quadam impotentia impeditur, quo minus legem naturalem obſeruet, *impotentiam* uero *naturalem* tum demum locum habere dicimus, cum ea corrigi aut tolli uiribus noſtris non poteſt.

Ita infirmitati naturali tribuere conſueuimus, cum quis ob ignorantiam quandam, quae uitari non potuit, officia non obſeruat. E. gr. ſi homines, inde

ate.

a teneris unguiculis inter feras educati, cultum Dei omittunt. At si ignorantia recti honestique fuerit eiusmodi, ut potuerit euitari, tum falso infinitatis naturalis integumento male facta uelari excusarique, oppido patet. Vid. CARPOVII Disp. de gradibus uirtut.

§ 61.

Cum in eo, ut quis uitam ad legem naturae componat, magna uis magnumque momentum positum sit ad perficiendam et mentis et corporis conditionem (§ 36 pos. V), manifestum est, non posse non eius animum, qui legem naturae obseruat, iucundissimo uoluptatis sensu expleri, propterea quod uoluptas a perfectionum nostrarum amplificatione separari nequit (§ 219 Met.). Haec animi laetitia siue uoluptas, quam legis naturae custodia partu quasi excludit, quaeque uirtutis fulturis nititur, efficit id, quod felicitatem dicere consueuimus. Est enim *felicitas* nihil aliud, quam status durabilis gaudii.

Quid per *durabile gaudium* hic intelligi uelimus, copiosius explicauimus in Metaphys. § 220 pos. V. Si quis ea, quae ibi adtulimus, intelligit, non mirabitur, nos felicitatem in durabilis gaudii statu ponere. Sed si qui tamen fuerint, quibus haec felicitatis notio minus probetur, eos uero rogatos uolo, ut haec cum animo paullisper reputent, quae, illustrationis causa, adponam. Felicitatem humanam aut efficit dolor et aegritudo, aut gaudium. Illud non facile quispiam dixerit. Relinquitur ergo, ut felicitatem in statu gaudii consistere, affirmes. Quale autem hic uis gaudium? Num fugax, num breue, et caducum, num tale denique putas, quale hominum libidinosorum ebriosorumque esse solet, qui, quam diu in lustris et helluationibus uiuunt, tamdiu

tamdiu immoderatiori efferuntur gaudio, at paullo post ex insana illa uoluptate innumeras poenitendi dolendique causas enasci uident. Eiusmodi laetitia, uel umbra potius laetitiae, tantum abest, ut gignat felicitatem, ut potius miseros efficiat infelicissimosque omnes eos, qui uoluptatibus seruiunt. Restat ergo, ut, nisi quae cum perpetuo constantique coniuncta sit gaudio, felicitas nulla esse queat.

CICERO definit felicitatem per cumulatam bonorum complexionem, secretis malis omnibus, Lib. V Quaest. Tusc. Alii ita: *Felicitas* est fruitio boni. Qui quidem nostram definitionem aliis uerbis enunciant.

§ 43.

Infelicitas est status perdurantis taedii.

Taedium, quod cito transit, quodque saepius uoluptatis perpetuitate pensatur, non est infelicitas nominandum.

§ 44.

De felicitate obserues has positiones.

I. Qui statum suum quotidie reddit perfectiorem, non potest non felicitate potiri. Qui enim statum suum reddit perfectiorem, non potest non uoluptatem mentis laetitiamque promouere, (quia a perfectionibus earumque sensu uoluptas seiungi non potest) (§ 219 Met.), et, quae inde oritur uoluptas, non potest degenerare in taedium, (quia causa taedii abest, addit enim perfectiones perfectionibus). Patet ergo, eum, qui statum suum perfectiorem quotidie reddit, non posse non felicitate potiri.

II. Qui

II. Qui legem naturalem obſeruat, is felicitatem conſequitur. Cum enim is, qui legem naturalem obſeruat, ſtatum ſuum perfectiorem reddat (§ 36 poſ. V), conſequens eſt, ut idem felicitatem conſequatur.

III. Qui uirtutem colit, is felicitatem adipiſcatur neceſſe eſt. Cum enim, qui legem naturalem obſeruat, felicitate potiatur (poſ. II), uirtutis autem proprietas haec prima ſit, ut legem naturalem cuſtodiat (§ 40); intelligitur, uirtute et gigni et conſeruari felicitatem.

IV. Omne ergo uitium felicitatis eſſe impedimentum, et miſeriae infelicitatisque cauſam, ex his apparet.

V. Qui rationi et uoluntati diuinae conuenienter uiuit, is fit felicitatis particeps. Quia enim is, qui legi naturae obſequitur, felix ſit (poſ. II); lex autem naturae eſt ipſa ratio, et lex diuina (§ 36 poſ. XV), patet, qui rationi et uoluntati diuinae obſequitur, eum non poſſe non felicem euadere.

VI. Summum bonum (philoſophicum) et felicitas arcto uinculo continentur, neque a ſe inuicem diuelli poſſunt. Si quis eam uiuendi rationem inierit, ut perfectiorem ſe in dies reddat, et in perfectionibus magis magisque creſcat longiusque progrediatur, tum eum hoc bono maius quoddam excellentiusque, in hac uita, per uires rationis conſequi poſſe negamus, atque adeo ei tribuimus SVMMVM BONVM. Iam uero cum is ſtatus,

ſtatus, quo quis in dies ſe perfectiorem reddit, a felicitate ſeiungi nequeat (poſ. I), palam eſt, ſummum bonum et felicitatem arctiſſimo uinculo contineri.

De ſummo bono, quod WOLFIVS in *progreſſu non impedito ad maiores in dies perfectiones ponit*, omni tempore philoſophi diſputarunt, at, ut fit, de uerbis magis, quam de re ipſa concertationes ſuſceperunt. Summum malum uocat idem WOLFIVS *non impeditum progreſſum ad maiores in dies imperfectiones.*

CAP. VI.
De Conſcientia.

§ 45.

Si quis uitam ad naturae legem componere, atque adeo uera perfrui felicitate cupit (§ 44 poſ. II), tum ſingulas, quas ſuſcipit omittitque, actiones accuratius examinet, oportet, num legi ſint conſentanae, nec ne. Quod fieri non poteſt, niſi adiutrice ratione, qua, quid honeſtum, quid turpe, perſpicimus, iudicamusque adeo, num actio committenda ſit an omittenda. Iudicium hoc de actionum honeſtate ac turpitudine appellatur *conſcientia.*

E. gr. Si quis, artibus ueteratoriis, incautiores argento emunxerit, aut fraude ſceleſtaque malitia animos amicorum diſſociauerit, contuberniumque euerterit, is, ſi iudicat, num recte fecerit, an ſecus, uim conſcientiae in ſe perſentiſcit. Scrupuloſius paullo minutatimque WOLFIVS in omnes conſcientiae formas et ſpecies inquiſiuit, quarum praecipuas pro inſtituti ratione, adducemus.

§ 46.

Si iudicamus prius, quam actio patrata fuerit, num illa ſuſcipienda ſit, aut omittenda, tum iudicium hoc uocamus *conſcientiam antecedentem*, idem uero poſt actionem patratam appellamus *conſcientiam conſequentem*.

Si ante, quam quidpiam ſuſcipimus, de eo tantum iudicamus, num actio ſuſcipienda *bona* ſit uel *mala*, tum uero appellatur *conſcientia theoretica*. At ſi de eo diſquiſitionem inſtituimus, num actio *patranda* ſit, aut *omittenda*, tum conſcientia uocatur *practica*.

§ 47.

Si iudicium, quod fers de actionis ſuſcipiendae uel ſuſceptae honeſtate aut turpitudine, uerum fuerit, conſcientia dicitur *uera* uel *recta*, *falſa* autem eſt uel *erronea*, ſi iudicium fuerit falſum. Si dubitas, num actio bona ſit aut mala, conſcientia uocatur *dubia*. Ratio autem illa, quae efficit, ut ambigas, honeſtumne ſit, an turpe factum, dicitur *ſcrupulus conſcientiae*.

Has notiones qui diſtincte intelligere cupit, is ea repetat, quae de iudicio uero falſoue, itemque de dubitatione in logica attulimus. Ad illuſtrandas has definitiones accommodata uidentur ſequentia exempla. Si quis iusiurandum ſeruandum putat, ut REGVLVS apud CICERONEM, ſi quis item, quamuis omnes homines celare poſſit, nihil tamen auare, nihil iniuſte, nihil libidinoſe, nihil incontinenter eſſe faciendum, cenſeat, conſcientiam ueram ſiue rectam ei tribuimus. At ſi quis, ut Pythius ille, qui argentariam faciebat Syracuſis, alterum, utilitatis ſuae cauſa, fallere doloque deludere, non modo non nefas, ſed honeſtum quoque et ingenio ſuo duxerit dignum; Si quis, qui ſolus, quam

cum altero, regnare mauult, ſpecie utilitatis commotus, fratrem interimi iure poſſe exiſtimauerit, ut ROMVLVS, in eo non minus falſam erroneamque conſcientiam deprehendis, quam in illo, qui aliorum ſpoliis facultates ſuas aucturus, ueneno, idque ſine ſcelere, perfici poſſe, opinatur, ut ueri heredes moueantur, ut in eorum locum ſuccedat. Si patriam prodere conatus fuerit pater, reſcieritque id ſcelus filius, dubitet autem, indicandumne hoc ſit magiſtratibus, an ſilendum, tum conſcientia filii eſt dubia. Si quis PAVLLI epiſtolam, ad Corinthios miſſam, legerit, ſapientiamque humanam inuenerit appellari μωρίαν, et ipſos philoſophos a felicitatis aeternae aditu fere excludi uiderit, tum uerba Paullina ipſi ſcrupulum iniiciunt, quo inquietatus ambigere occipit, rectene, et ſine ſalutis diſpendio philoſophiae quis operam dare poſſit. Verba ergo PAVLLI ſunt ſcrupuli conſcientiae, qui animum aeque pungunt ac uellicant, ac ſolet ſcrupus ſiue lapillus, qui, cum inciderit in calceum, pedem miſere adfligit preſſusque ſollicitudinem et angorem creat.

§ 48.

Cum iudicium uerum uel *certo*, uel *probabiliter* uerum eſſe, logica doceat (§ 156), intelligitur, conſcientiam ueram uel *certam* eſſe, uel *probabilem*.

E. gr. Si quis, demonſtrationibus fultus, certo norit, tollendum eſſe in rebus contrahendis omne mendacium, ſi quis de eo conuictus fuerit, dedecere uirum bonum, haereditates malitioſis blanditiis officiorum quaerere, tum conſcientia eius *certa* eſt. At ſi uir bonus (quem caſum adducit CICERO Lib. III de Off. c. 12), Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum aduexerit in Rhodiorum inopia ac fame, ſummaque annonae caritate: ſi idem ſciat, complures mercatores ab Alexandria ſoluiſſe na-

uesque in curſu, frumento onuſtas, petentes Rhodum, uiderit, dicturusne ſit in Rhodiis, an ſilentio ſuum quam plurimi uenditurus. Pro ſilentio militare uideri poterant hae rationes et περιστάσεις.

1) Sine inſidiis ago, inquit mercator, nec uitia in frumento ſunt, quae iure ciuili dicere me oporteat.

2) Qui uendit ſua, uult omnia quam optime uendere.

3) Adduxi, ſic pergit mercator, expoſui: uendo meum non pluris quam ceteri: fortaſſe etiam minoris, cum maior eſt copia.

4) Cui fit iniuria? non extorqueo emtoribus pecuniam, nec merces meas ipſis obtrudo, cetera.

Ex his circumſtantiis conficit probabiliter hanc concluſionem: *ergo licitum eſt, nec nefas, de nauibus Rhodum petentibus tacere.*

§ 49.

Si quis, rationem ducem ſecutus, eiusmodi de actionibus uel ſuſceptis uel ſuſcipiendis tulerit iudicium, quod diſtincta nititur actionis cognitione, tum conſcientia dicitur *libera*. Sed ſi quis affectuum impetu, tanquam turbine, abreptus iudicauerit, ita, ut ſenſus, fallaces illos peſſimosque conſultores, potius ſequatur, quam rationem, *ſerua* tunc uocari conſueuit conſcientia.

Si quis daret hanc uim CRASSO, ut digitorum percuſſione haeres poſſet ſcriptus eſſe, qui reuera non eſſet haeres, in foro ſaltaret, prae gaudio ſcilicet, quippe qui, ſenſuum illecebris auaritiaque impulſus, honeſtum opibus poſtponeret, conſcientiam ſeruam ſecutus. Vir autem iuſtus et bonus nihil cuiquam, quod in ſe transferat, detrahet, conſcientia libera duce et norma uſus.

§ 50.

Cum conſcientia conſequens conſentit cum antecedenti, tum conſcientia dicitur nos *excuſare*, at ſi diſſenſio adfuerit antecedentis conſequentisque conſcientiae, *accuſat nos conſcientia.*

E. gr. Iudas ante, quam Ieſum prodebat, mercedulam ſperatam putabat bonam utilemue, quin imo pluris eam aeſtumabat, quam gratiam amoremue Seruatoris ſui. At poſt, quam turpem hanc actionem ſuſceperat, triſtiſſimo poenitentiae ſenſu excruciabatur, proditionemque et pecuniam acceptam exiſtumabat turpem, malam, noxiam et deteſtabilem. Vide conſcientiae antecedentis et conſequentis diſſenſum, quo conſcientiae accuſatio continetur! Cum CICERO, globo Catilinariae coniurationis diſiecto, et Catilinam ipſum, et eius ſatellites adminiſtrosque foras proieciſſet, eiusmodi quid ſe ſuſcepiſſe iudicabat, quod reipublicae foret apprime ſalutare. Acto in exſilium Catilina, quamuis ſe innumeris inuidiae calumniaeque telis propoſitum uideret, perſtabat tamen in ſententia, ſeque reipublicae conſeruatorem fuiſſe ſentiebat. Quo ipſo conſcientia Tullium excuſabat, de quo uid. Orat. III Cat. c. 12.

§ 51.

Morſus conſcientiae eſt taedium illud, quod ex accuſatione conſcientiae, ſiue ex conſcientiae antecedentis et conſequentis diſſenſione oritur.

NERO, qui matris caedem bonam adeoque patrandam putabat, atrociſſimo hoc ſcelere admiſſo, aliter entiebat, factumque deteſtabatur. Ex quo iudicii uel conſcientiae antecedentis et conſequentis diſſidio mentis cooriebantur turbae, quas ita ſubiicit legentium oculis SVETONIVS: *ſceleris conſcien-*

ſcientiam, quamquam et militum, et ſenatus populique gratulationibus confirmaretur, aut ſtatim, aut poſtea nunquam ferre potuit, ſaepe confeſſus, exagitari ſe materna ſpecie, uerberibus Furiarum, ac taedis ardentibus.

Eleganter quoque SALLVSTIVS morſus conſcientiae, quibus Iugurthae animus uulnerabatur, hunc in modum deſcripſit: *Neque poſt id locorum Iugurthae dies aut nox ulla quieta fuit, neque loco, neque mortali cuiquam aut tempori ſatis credere ciues hoſtesque iuxta metuere: circumſpectare omnia, et omni ſtrepitu pauescere: alio atque alio loco ſaepe contra decus regium noctu requieſcere: interdum ſomno excitur, arreptis armis tumultum facere? ita formidine, quaſi uecordia exagitari.* Bell. Iugurth. c. 72.

§ 52.

Qui diuturno peccandi uſu et exercitatione ita induruit, ut ad id, quod agit, non amplius aduertat animum, nec disquirat adeo, num factum, quod committit, turpe ſit, an honeſtum, ſed ſequatur, quo effrenata ipſum cupiditas rapit, eius *conſcientia* dicitur *dormire*, ut ita *ſomnus conſcientiae* nihil aliud ſit, quam is mentis humanae ſtatus, ubi de eo ne quidem cogitat, utrum actiones, quas homo ſuſcipit, ſint legi naturae ſiue diuinae conuenientes, nec ne.

WOLFIVS ita: *ſomnus conſcientiae appellatur abſentia conſcientiae antecedentis et conſequentis.* Philoſoph. practic. uniuerſal. § 499. E. gr. ſi quis, in omne uitiorum libidinumque genus effuſus ſolutusque, ita iam luxum omnesque uoluptates conſuetas habet, ut ſcortari, comeſſari, otiarique ipſi, quia omnem aetatem in laſciuia, ſocordia et deliciis egit, iam ex conſuetudine in naturam uerterit, tum actionum ſuarum turpitudinem penſitare non ſolet. Quod

ipſum documento eſt, dormitare conſcientiam. Accidit idem conſcientiae ſomno ſopitis, quod ebriis euenire ſolet, quos ſcimus, de mente deiectos, et ipſis adeo ſenſibus orbatos, alterum ab altero uix internoſcere, et nihil eorum, quae egerunt, noſſe.

§ 53.

Si quis, cum dormitauerit conſcientia, in actiones praeteritas inquirit, et transacta perpendit, tum dicitur *conſcientia euigilare.*

E. gr. Fratres Ioſephi, omnium rerum penuria laborantes, inediaque fere confecti, iniuriae, Ioſepho olim illatae, memoria perculſi, grauiter ſe peccaſſe ſentiebant. Mire conſcientiae dormientis euigilantisque notionem illuſtrat exemplum Alexandri M. qui, imporens animi, ſenſibus mero uictis, Cliti latus haſta transfixit, parum, quamdiu ebrietas noctem quaſi menti offuderat, facti turpitudinem perpendens. (*En imaginem conſcientiae dormientis!*) At idem ebrietate diſcuſſa, magnitudinem facinoris ſera aeſtimatione perſpexit, ſcelusque, ad quod currebat praeceps, ſedente impetu, ueris mox pretiis aeſtimauit. CVRT. L. VIII c. 2.

§ 54.

Qui nullum ex actione patrata taedium ſentit, quamuis factum accuratiori examini ſubiiciet, *perfrui* is dicitur *conſcientia tranquilla.* Aegritudo autem et dolor, actionem patratam ſequens, turbidam et irrequietam conſcientiam efficit.

§ 55.

Qui fruitur conſcientia libera, i. e. qui ſequitur ſemper in agendo rationem ducem, nec ad malum, quod diſſuadet ratio, perpetrandum ſe induci patitur, is *religioſus* dicitur, at, qui affe-

ctuum

ctuum ablatus impetu, id suscipit, quod ratio pensitatis omnibus facti momentis, turpe esse dictitat, idque omittit, quod ratio bonum honestumque et suscipiendum esse perspicit, *nullius* homo *conscientiae* appellatur. Si quis de eo sollicitus est ut recta gaudeat certaque conscientia, dicitur *conscientiam custodire*.

E. gr. Regulum in retinenda fide officioque religiosum fuisse, testatur ipsius constantia, qua iusiurandum, Carthaginiensibus praestitum, seruandum existimabat, nullo modo, nullis opportunitatibus, nec ipso mortis crudelissimae subeundae metu a sententia sua dimouendus. Rationem sequebatur, qua magistra, persancte fidem seruandam nouerat, omniaque, quae sensibus lenocinari uidebantur, excelso inuictoque animo spernebat. At nullius erat conscientiae Caesar, qui, teste CICERONE, omnia iura diuina et humana peruertit, propter eum, quem sibi ipse opinionis errore finxerat, principatum. Lubidini et dominatui, quam rationi et reipublicae, magis seruiebat. Vid. CIC. de Off. L. I c. IX. Pari modo perfuga ille, qui, si praemium sibi propositum esset, Pyrrhum ueneno se necaturum pollicebatur, nullius se conscientiae esse testabatur, de quo CICERO L. III Off. c. 22.

§ 56.

Variis conscientiae formis expositis, euolutisque distinctius, quae huc pertinent, notionibus, perfaciles nunc erunt intellectu positiones, definitionibus allatis superstructae.

I. Vbi est nulla legis naturalis cognitio, ibi non potest locum habere conscientia. Vbi nullum iudicium de actionum honestate, uel turpitudine locum habet, ibi non locus

eſt conſcientiae (§ 45). Vbi nulla legis naturalis cognitio reperitur, ibi non poteſt eſſe iudicium de actionum uel honeſtate uel turpitudine. Omnis enim actionum honeſtas et turpitudo ad legem naturalem exigitur, cui, quicquid conſentaneum eſt, bonum honeſtumque dici ſolet; malum contra et turpe, quod eidem eſt contrarium (§ 36 poſ. VI).

Alii ita: Conſcientia eſt applicatio legis ad facta propria (§ 45); lex quomodo ad facta applicabitur, niſi eandem cognoſcas? Conſcientia ergo, fieri non poteſt, ut locum habeat ſine legis cognitione.

II. Sine ratione nulla poteſt eſſe conſcientia. Cum enim lex naturae per rationem nobis innoteſcat (§ 36 poſ. VIII), ſine legis autem naturae cognitione non locum habere poſſit conſcientia (poſ. I), manifeſtum eſt, nullam eſſe poſſe ſine ratione conſcientiam.

III. In bruta ergo animantia non cadit conſcientia. Bruta enim deſtituuntur ratione (§ 279 poſ. II Met.), quae ſi abeſt, non locum habet conſcientia.

IV. Fieri poteſt, ut quis agat contra conſcientiam, ſi ſcilicet iudicium mutat de actionum honeſtate uel turpitudine. Si enim, quod quis bonum iudicabat olim, nunc idem, accedentibus momentis quibusdam, antea non cognitis malum putat, et contra, manifeſtum eſt, tum animum, qui ferebatur antea in bonum, nunc auerſari illud, et contra. Mutata enim boni maliue cognitione,

muta-

mutatur appetitus auerſatioque (§ 230 Met.). Quis ergo neget, hominem id omittere poſſe, quod antea ſuſcipiendum putabat, et id ſuſcipere, quod antea omitti debere opinabatur?

Sunt autem multa, quae efficiunt, ut mutemus iudicium de eo, quod bonum malumue eſt. Nonnunquam in re ipſa circumſtantias quasdam, ſuccedente tempore, detegimus, quae efficiunt, ut quidpiam, quod bonum antea exiſtimabamus, malum, detectis his περιστάσεσι, ducamus.

E. gr. Obedientiam, parentibus praeſtandam, iudicas, bonum quid eſſe. At ſi pater iuſſerit, te furari, aut patriam prodere, tum, quam antea patri praeſtandam eſſe putabas, obſequentiam, iam malum quid eſſe exiſtimas. Maxime uero ſenſus et imaginatio, quique ex his oriuntur, affectus turbulentiores, iudicium mentis humanae de bono maloue immutare conſueuerunt. Vnde uſu uenit, ut plerique homines, quod, duce ratione, turpe agnoſcebant, id, ſenſuum et perturbationum animi impetu, tanquam turbine, abrepti, agant. Complures, uoluptatum illecebris ſe perdi, et ſummam ineſſe libidinibus turpitudinem, non ignorant, ſed certo ſciunt, idemque alios perſaepe docent. At, ſenſuum illecti lenociniis, ſi ita ferat occaſio, id agunt, quod damnarunt, neque, quam, tanquam uenenum, fugiendam ſuadebant aliis, uoluptatem diuitant, ſed ei foediſſime ſeruiunt. Videantur ea, quae de pugna appetitus rationalis et ſenſitiui dedimus in pſychologia § 298.

V. Quam diu rationem ducem ſequimur, ſiue, ad conſcientiae liberae decretum actiones ſuſcipimus (§ 49), tamdiu, ſingulis

gulis momentis accurate expenſis, fieri non poteſt, ut contra conſcientiam agamus. Quamdiu enim quis, rationem magiſtram ſiue liberam conſcientiam ſecutus, bonum malumue diſtincte cognoſcit, omniaque actionum momenta accuratius expendit, tamdiu fieri non poteſt, ut uoluntas uel appetat id, quod mens diſtincte cognoſcit, ut malum, aut auerſetur id, quod a ratione bonum habetur (§ 230 Met.).

Si quis diſtincte certoque nouit, turpe eſſe, mentiri, fallere, furari, nae is omne mendacium furtumque auerſabitur, tamdiu ſcilicet, quamdiu ratio imperat, nec ſenſuum affectuumque ui de ſolio quaſi ſuo deiicitur.

VI. Qui ſecundum conſcientiam erroneam agit, is peccat. Qui enim ſecundum conſcientiam erroneam agit, is, id bonum eſſe, exiſtimat, quod malum eſt, et id malum opinatur, quod bonum eſt (per def. *error.*). Atque adeo id, quod reuera malum eſt, appetit agitque, quia bonum eſſe arbitratur, et, quod re bonum eſt, auerſabitur, quia malum eſſe credit. Agit ergo contra legem naturae, quae bonum faciendum praecipit, malumque a quouis omitti iubet (§ 36 poſ. V). Qui agit contra legem, *peccat*. Ergo, qui ſecundum conſcientiam erroneam agunt, peccant.

Si idolorum cultores imaginibus ligneis lapidibusque cultum exhibent diuinum, conſcientiae errore ad immolandum ſupplicandumque idolis inducuntur. Qui uero cultus cum ſit turpiſſimus illicitusque, patet, gentes maximo ſe ſcelere obſtringere, quandoquidem

doquidem bonum id ſuſcipiendumque ducunt, quod malum eſt, turpe, et deteſtandum.

VII. Qui contra conſcientiam erroneam agit, itidem peccat. Qui enim contra conſcientiam agit, ſiue ſit recta, et uera, ſiue ſit falſa, id ſuſcipit uel ex libidine, uel propter utilitatis ſpeciem, uel quacunque alia de cauſa, quod malum eſſe iudicat, idque omittit, quod bonum cenſet. In quo quantum inſit uitii, intelligis, uel me non monente, maxime ſi expenderis, eiusmodi hominem ſcientem uolentemque id, quod legis decreto praeſcribi putabat, migrare.

Si idolorum cultor eum, quem idolis exhiberi debere exiſtimat, cultum imaginibus non exhibet, peccat, idque non ideo, quia cultum non praeſtat idolis, ſed propterea, quia id, quod bonum putat, omittit negligitque. Indicat enim id et leuitatem et malitiam mentis. Dionyſius, Syracuſis genitus, ſi, quod propius fidem eſt, idola pro ueris Diis habuit, egit contra conſcientiam, licet erroneam, atque adeo peccauit, ſimulacris, ex aere fictis, illudendo, iisdemque ornamenta detrahendo. De quo VALERIVS MAXIMVS plura adfert Lib. I c. I de religione.

VIII. Vides ex his, quanti interſit ad hominis felicitatem, mentem, in rebus expetendis fugiendisque, uera boni maliue notione imbui, nec erroribus praeiudicatisque opinionibus de recto tramite detorqueri. Qui enim erroribus ducuntur in agendo, peccant, ſiue actionem ſuſcipiant, ſiue omittant, (poſ. VI, VII).

IX. Qui actionem ſuſcipit, quamdiu con-

ſcientia dubia eſt, peccat. Quamdiu enim conſcientia dubia eſt, tamdiu is, qui actionem ſuſcipere uult, ignorat, an actio committenda ſit nec ne, honeſta ſit, an turpis. Fac ergo, eiusmodi hominem nihilominus actionem ſuſcipere, quamuis, num bona ea ſit, an mala, ambigat, nonne ita honeſtatem, turpitudinemque actionis iuxta aeſtumabit? Nonne ita ſecum cogitabit; „ſiue bona ſit actio, quam ſuſcipere uo„lo, ſiue mala, tamen ſuſcipiam illam.„ Nonne, ſic ſe gerendo, declarabit, uelle ſe agere contra legem, et peccare? Atqui uero, qui uult peccare, iam peccat. (Lex enim nos obligat, ut actiones bonas committamus, et uelimus etiam committere). Qui ergo actionem ſuſcipit, quam neſcit, bonisne actionibus annumeret, an malis, is peccat, proditque animum Deum offendendi.

E. gr. Si quis adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis, cum id reſcierit, et, animo in diuerſa diſtracto, dubitauerit, honeſtumne ſit et licitum eos, ſi cui debeat, pro bonis ſoluere, ſoluat tamen; is magno ſe obſtringit ſcelere. Praeclare, hanc in rem, CICERO, Lib. I c. 9 de off. *Quocirca bene praecipiunt, qui uetant quicquam agere, quod dubites, aequum ſit, an iniquum.* Vid. STEINWEHR diſſert. de obligatione conſcientiae dubiae.

X. Ex quo intelligitur, religioſum non poſſe quicquam ſuſcipere, quod, dubitet, honeſtum ſit, an turpe. Sequitur enim religioſus conſcientiam liberam (§ 55), atque adeo actiones ſuas ad rationis normam et decretum componit. Nihil ergo agit, niſi quod ratio bonum eſſe dictitat, nec omittit quicquam,

quam, nisi quod ratio uult omitti. Quod contra fit in iis, qui, animo fluctuantes, ad agendum accedunt, actionem suscipiendam rati, siue sit legi consentanea, siue minus.

XI. Permultum ergo ad tranquillandam mentem interest, certam reddi conscientiam, quod non, nisi demonstratione, effici potest. Est enim demonstratio, id quod in Logica docuimus, praecipuum certae cognitionis adminiculum (§ 159 Log.).

E. gr. Si animus, contrariis rationibus huc illuc impulsus, definire non queat, saltatio num licita sit, tum peropus est, ut mens rationes interiores, quae pro defendenda alterutra aut utraque sententia adferuntur, expendat, ponderet, et demonstrationum ui uincatur.

XII. Cum conscientiae scrupuli eam dubiam reddant (§ 47), patet, conscientiae scrupulis eximendis demonstrationes egregie inseruire.

XIII. Qui secundum conscientiam rectam et certam agit, is non habet, quod accusationem conscientiae extimescat. Qui enim secundum conscientiam rectam et certam agit, is id, quod in se bonum est, non modo bonum esse, iudicat, sed certo quoque nouit, illud bonum esse et honestum, (§ 48). Fieri ergo non potest, ut iudicium de bono maloue mutet. Atque adeo nunquam iudicium, post actionem demum latum, a iudicio ante actionem discordabit. Quo ipso manifestum fit, ipsi conscientiae accusationem, quae dissensione iudicii ante actionem et iudicii

dicii poſt actionem efficitur (§ 50), non eſſe extimeſcendam.

Fac, iudicem, qui iuſtitiam aequabiliter promit et exercet, furem aut latronem in uincula coniici iusſiſſe. Hic iudex agit id, quod certo nouit, reipublicae eſſe ſalutare et bonum. Fac porro, furem aut latronem in carceribus ſibi uel cultro fauces praecidere, uel laqueo easdem intercludere, num iudicem a conſcientia accuſatum iri putas? Non putauerim. Conſcientia enim conſequens ab antecedenti iudicis conſcientia non diſſentiet.

XIV. Ex quo apparet, ei, qui ſecundum conſcientiam rectam et certam agit, non eſſe morſus conſcientiae pertimeſcendos. Cum enim morſus conſcientiae ex accuſatione conſcientiae oriantur (§ 51), accuſatio autem conſcientiae in eo, qui ſecundum conſcientiam rectam certamque agit, locum habere non poſſit (poſ. XIII), intelligas, licet, neque morſus conſcientiae illi, qui ſecundum conſcientiam rectam certamque agit, eſſe metuendos.

XV. Accuſatio et morſus conſcientiae reddunt hominem infelicem. In omni enim accuſatione et morſibus conſcientiae innumeri, iique turbulentiores, motus conſpirant quaſi ad aegritudinem animo conciliandam mentemque doloribus excruciandam (§ 51). Cum uero is ſtatus, quo mens, dolore conturbata, taedium aegritudinemque perſentiſcit, *infelicitatis* notionem conſtituat (§ 43), dubitari non poteſt, accuſationem, et, qui eam ſequuntur, morſus conſcientiae hominem reddere infelicem.

CAP. VII.

CAP. VII.

De Imputatione.

§ 57.

Si cui quidpiam imputamus, tum eum, cui factum imputamus, pro causa libera et auctore facti declaramus. Vt adeo *imputare*, si generatim hanc uocem sumseris, nihil sit aliud, quam declarare, ad quem, tanquam auctorem, actio, cum eaque connexa, uel poena, uel praemium pertineat.

E. gr. Si quis opibus, quas honeste habere licet, per luxum lubidinemque abusus fuerit, easque abligurierit, tum helluoni eiusmodi et prodigalitas, et, quae ex ea cooriuntur, mala, paupertas, infamia, desperatio, cetera, tanquam auctori tribuuntur. Ita Dionysio recte imputas uitia, funesta fata, miserrimamque et infelicissimam mortem, quam Dionis filius subiit. CORNELIVS haec de eo memoriae prodidit: *Dionysius filium Dionis sic educari iussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. Nam puero, priusquam pubes esset, scorta adducebantur, uino epulisque obruebatur, neque ullum tempus sobrio relinquebatur. Is usque eo uitae statum commutatum fere non potuit, postquam in patriam rediit pater, (namque appositi erant custodes, qui eum a pristino uictu deducerent) ut se e superiore parte aedium deiecerit, atque ita interierit.* In Dione c. 4.

§ 58.

Ex imputationis notione distincte concipi intelligique possunt sequentes enunciationes.

I. Nulla actio, nisi libera, potest imputari. Si enim actio debet imputari, tum opus est, ut causa

causa libera eam susceperit (§ 57). Causa autem libera facti esse non potest, nisi quae libere agit (per def.) atque adeo nulla actio, nisi libera, imputari potest.

II. Nulla ergo actio imputari potest, nisi quae penes te est, siue in potestate tua. Actio enim libera debet esse in potestate nostra (§ 6).

III. Quo magis libera est actio, eo magis imputatur.

IV. Fundamentum ergo omnis imputationis est *libertas*, quae quemadmodum uel laxatur, uel restringitur, ita uel magis uel minus imputatio locum habet.

V. Ex his conficitur, actiones, quae uocantur *naturales*, homini imputari non posse. Non enim sunt actiones naturales in potestate nostra (§ 6), neque adeo liberis annumerandae.

E. gr. Si pulmones tui difficulter, nec, nisi cum anhelatione et sono quodam, respirauerint, tum haec pulmonum actio, in se spectata, est eiusmodi, ut imputari tibi non possit. At si intemperantia aut lubidine respirandi uim in pulmonibus labefactasti, haec pulmonum debilitas, omnesque, qui ex ea consequuntur, morbi recte tibi imputantur. Penes te enim fuit, temperanter uiuere, libidinesque et nimiam uenerem fugere.

VI. Actiones furiosorum, delirorum, noctambulonum, alto somno sopitorum, infantum, ipsis imputari non possunt. Non pertinent enim ad actiones liberas (§ 6 pos. V), quippe quae rationis usum postulant,

lant, qui in delirantibus aut infantibus nullus eſt.

VII. Ea, quae fieri non poſſunt, ſiue ἀδύνατα, imputari nobis non poſſunt. Haec enim non ſunt in poteſtate noſtra, neque adeo a libertate dependent.

Vt uero intelligas, quaenam ad ἀδύνατα ſiue impoſſibilia referenda ſint, ea repetas, quae in Metaphyſ. § 18 et 19 et ſupra (§ 23 poſ. VII), hanc in rem diſputauimus. Sunt nonnulla ita impoſſibilia, ut uires humanas prorſus tranſcendant, e. gr. ut quis linguas omnium gentium calleat. Sunt alia uero eiusmodi, ut fieri poſſint, neque uires humanas excedant, quae uero, ſi huius illiusue hominis uires ſpectaueris, ſunt ἀδύνατα e. gr. Infanti philoſophiae mathematumque inſcitia imputari nequit, quia uires infantis his ſcientiis capiendis impares ſunt.

VIII. Ita uides, an et quatenus ea poſſint imputari, quae propter impotentiam agendi uiriumque defectum fieri non poſſunt. Si uirium debilitas et agendi impotentia a libera tua uoluntate dependet, tum ea, quae fieri debebant, at, propter uires debilitatas ſublatasque, effici non poſſunt, tibi imputantur.

Si e. gr. ebrius ſeruus per ebrietatem ineptum ſe reddiderit ad miniſteria debita obeunda, intelligitur, ipſi intermiſſionem laborum recte imputari. Poterat enim ebrietatem euitare. Si quis crapulis helluationibusque memoriae robur ac uigorem ita imminuat, ut litteris, et maxime linguis, addiſcendis impar ſit, ei imputabitur iure memoriae defectus, et, inde coorta, inſcitia.

IX. Ex

IX. Ex his quoque definiri poteſt, quaenam actiones, ex ignorantia et errore prouenientes, imputari queant.

X. Si ignorantia aut error per uires tuas, euitari potuit, facile intelligis, ea omnia, quae ex ignorantia et errore eiusmodi profluunt; tibi imputari. Penes enim te fuit, non errare, et ignorantia, ſi uoluiſſes, poterat etiam abeſſe. Liberam ergo tuam uoluntatem et ignorantiae et erroris cauſſam eſſe intelligis.

Ignorantiam hanc uocant *uincibilem*. E. gr. Si quis, ſacrarum qui litterarum ſtudioſus appellari uult, quinque, amplius, annos in academiis commoratus fuerit, neſcieritque religionis noſtrae elementa; hanc ignorantiam ab ipſo euitari potuiſſe, facile uides. Sibi ergo imputet ea, quae ex inſcitia hac proueniunt, incommoda.

XI. Ea autem, quae ex ignorantia erroreque, quem uocant inuincibili, proueniunt, imputari nequaquam poſſunt. Euitari enim non potuit haec ignorantia, errorque non fuit in tua poteſtate.

E. gr. Commemoratur Harpagus filium ſuum, ab Aſtyage, Perſarum rege iugulatum, et in fruſta conciſum, partimque toſtum, partim elixatum, et probe conditum ſibique appoſitum comediſſe. Ignorans id fecit, neque adeo factum hoc ipſi potuit imputari, quod error uix euitari poſſe uidebatur. Vid. SENECA L. 3 de ira c. 15. Cum filius in acie, qua confligitur cum hoſtibus, patrem ſuum, qui in hoſtium agmine eſt, glande plumbea contrucidat, filio id imputari non poteſt, ob ignorantiam, quae euitari non poterat.

XII. Cum

XII. Cum ſenſiones ſiue eae perceptiones, quae, ope ſenſuum, perficiuntur, non ſint in poteſtate noſtra (§ 145 poſ. V Met.), euidens eſt, ſenſiones nobis non poſſe imputari (poſ. VII).

Fac, te repentino et improuiſo tonitruum fragore ita percelli, ut aures tuae auditus ſenſu priuentur, ſurditas tibi imputari nequit. Si femina grauida, monſtri cuiusdam adſpectu, nec opinato exterrita, partu praematuro foetum excluſerit, ipſi imputari nequit, quod embryo uitae uſura frui minus potuerit.

XIII. Fit nonnunquam, ut ſenſionem ſiue perceptionem, modo uelimus, impedire queamus. Quo in caſu ſenſio, et, quae ex ea ſequuntur uel bona, uel mala, imputari poſſunt.

Si quis imaginem obſcenam, quam ſibi oblatum iri nouit, intuetur, nec oculos ab ea, cum poſſit, deflectit, intelligis, eiusmodi homini omnes uel ſpurcas cogitationes, uel malas libidines, inde oriundas, imputari debere.

XIV. Cum imaginatio non ſemper ſit in poteſtate noſtra (§ 189 Met.), ſed ea, nobis inuitis, mentem perſaepe turbet, euidens eſt, imaginationem non ſemper poſſe nobis imputari. Oriuntur imaginationes ex ſenſionibus, quin ipſae ſunt continuatae ſenſiones (§ 189), quid mirum ergo, quod eae imagines perſaepe ad animum occurrant, quae ex ſenſionibus neceſſariis ortum trahunt. E. gr. Si in piis meditationibus uel precibus, Deo nuncupandis, ſumus

cupati, ſit haud raro, ut iis mens imaginibus conturbetur, de quibus antea non cogitaramus.

XV. Quandoquidem uero incidunt tempora, cum ſenſiones, ſi modo uelimus, impedire poſſumus (§ 185 poſ. IV Met.), intelligitur, imaginationem quoque nonnunquam poſſe impediri atque adeo nobis imputari, ſi ei non obſiſtimus.

E. gr. Si quis fabulas romanenſes diligenter lectitauerit, uariosque amores, in iis copioſius deſcriptos, deprehenderit, nonne habet, quod ſibi imputet, cum, mentem imaginibus obſcenis inquietari, huc illuc rapi, et libidinum aeſtu incendi, comperit.

XVI. Ex quo iudicare potes, quando ſomnia nobis recte imputentur. Sunt enim ſomnia imaginationes (§ 192 Met.), quas in poteſtate noſtra tum eſſe, diximus, cum penes nos fuit, ſenſiones impedire. Quod idem de ſomniis dici poteſt.

Qui interdiu ſpurcos libros legunt, imaginibusque oblectantur laſciuis, hi ſibi tribuant, ſi, dum ſomniant, ita ſe ſomniare ſenſerint, ut impuriores maculatioresque expergiſcantur.

XVII. Cum omnes affectus ex confuſis ſenſuum imaginationisque repraeſentationibus oriantur (§ 233 Met.), exiſtimari poteſt, quando et quomodo imputari ea nobis poſſint, quae, affectuum ablati impetu, agimus.

XVIII. Quo diutius quis de actione ſuſcipien-

pienda deliberauit, quoque accuratius omnia eius momenta expendit, eo magis et actio et eius consecutiones ipsi possunt imputari. Magis enim libera est actio, si eam ante ponderamus, quam si impetu et aestu ad eam suscipiendam praecipites ferimur. Quo liberior autem est actio, eo magis imputari potest (§ 58 pos. III).

Si quis, irae aestu incensus, in alterum, cum quo rixatur, multa conuicia coniecerit, peccat ille quidem, sed excusatius, quam is, qui librum, multis refertum dicteriis, contra aduersarios scribit, eum legit relegitque, typis excudendum curat, et publicae luci exponit. Diuturnius enim deliberandi spatium nactus erat, quam is, qui, calore animi inflammatus, et ira, tanquam turbine, abreptus, alterum conuiciis proscindit.

XIX. Si factum, quod alter committit, uel omittit, tibi imputari debet, tum id sic eiusmodi, necesse est, ut a libera tua uoluntate proueniat. Vt enim quid tibi imputetur, opus est, ut eius, quod imputatur, sis causa libera (§ 57).

XX. Hinc fluunt haec consectaria:

α) Ergo si alterum uel praemiis, uel pollicitationibus, uel iussu et admonitionibus ad factum induxeris, tibi imputatur.

β) E. Si non impedias actionem alterius, quam impedire et poteras, et debebas, tibi ea imputatur.

γ) E. Si, quo demum cunque modo hoc

fiat, consenseris in alterius factum, tibi imputatur.

δ) E. Si uel nutu, signo quocunque alio declarraueris, te uelle, certe non nolle actionem alterius, imputanda tibi est.

ε) E. Si, de actione alterius suscipienda rogatus, taces, idue uultu non mutato, cum non tacendo impedire potuisses factum, non nolle te actionem significas, atque adeo tibi imputatur. Vide ea, quae de caussa morali in Ontologia diximus.

Vnico exemplo has propositiones illustrabimus. Nosti, e. g. amicum tuum, Sempronium, patriam uelle prodere. Non impedis scelestum hoc facinus, uerbis potius, aut nutu, aut silentio, non obscure declaras, te non nolle hanc proditionem. Nonne omnia ea, quae ex scelere tanto emergent, mala tibi imputabuntur? Nonne caussa es tot direptionum, tot incendiorum, tot aliarum aerumnarum, quas bellum et intestina dissidia adferre scimus.

§ 59.

Supersunt notiones quaedam, huc pertinentes, quas paucis enodabimus. Fit nonnunquam, ut homines quid agant, quod minime agere debebant, omittantque id, quod agendum ipsis erat, idque non consulto, et dedita opera, sed uel ex ignorantia, uel negligentia, quam uitare poterant, ubi scilicet uiribus, quibus ad satisfaciendum officio instructi sunt, non ita, uti par erat, utuntur. Tum ipsis tribuimus *culpam*.

E. gr. Si medicus, artis salutaris nondum satis peritus, aegroto, quem morbo leuare serio uult, medicamen-

camentum porrexerit, quod non modo morbum non tollit, ſed eum quoque auget, tum medico culpa tribuitur.

§ 60.

Fit porro, ut nonnulli, deſtinato conſilio et ex propoſito, id perſaepe ſuſcipiant, quod omittendum erat, idque omittant, ad quod committendum obligati ſunt, tum ex *dolo agere* dicuntur.

Si quis e gr. alteri equum pluris, quam par eſt, uendiderit ſciens, eundemque laudauerit, ut bonum, ut generoſum, cum ſit morboſus, multisque aliis uitiis infectus, is *doloſe agit.* Vide exemplum doli in CICERONIS Off. L. III c. 16.

§ 61.

I. Culpa ergo et dolus ita differunt, ut in culpa minus recte agatur, et a regula deflectatur, ſed non ex propoſito, uerum uel ex ignorantia, uel negligentia. In dolo autem uoluntas et propoſitum male agendi deprehenditur.

Si quis docentium ueram litteras tradendi rationem ignorat, et ea docet, quae neſciſſe rectius fuerat, ut Engelbrechtus Maximiliani praeceptor, aut non eam, quam debebat, diligentiam operamque formandis ingeniis impendit, atque adeo diſcipulos rudiores perſaepe, quam accepit, dimittit, *culpam contrahere* dicendus eſt docens. Sed ſi, uel ex inuidia, uel alia quacunque de cauſa, ueram et compendiariam diſcendi uiam reticet, et, ſtudio deditaque opera, iuuenum, ſibi concreditorum, animos perdit, in dolo uerſatur.

II. Culpa recte homini imputatur. Cum enim eae actiones, quae ex ignorantia, quam uocant, uincibili, uel ex negligentia, proueniunt imputandae sint (pos. X), culpam recte imputari manifestum est (§ 59).

Medico iure meritoque aegroti mors imputatur, si eam medicamentis, ex ignorantia praepostere adhibitis, accelerauit, certe non impediuit.

III. Multo magis ergo imputari debet dolus. Dolus enim est deliberata actio, et destinato consilio suscepta (§ 60). Actio autem deliberata, et, quae consulto suscipitur, uel in primis imputari meretur (§ 58 pos. XVIII).



PHILO-

PHILOSOPHIAE PRACTICAE

PARS II

Institutiones Iuris Naturae.

Prooemium.

§ 62.

Per *ius naturae* ea indicatur disciplina, qua leges naturales, siue enunciata rationis de rebus expetendis fugiendisque, explicantur, ordineque systematico traduntur (§ 3 pos. IV).

Non est, quod multi simus in tollenda ambiguitate, quae uerbis, *Ius nature*, inesse uidetur. Sunt nonnulli, qui legem ipsam naturae et ius naturae unum idemque existimant. Hinc formulae illae loquendi: *hoc est iuri naturae consentaneum*, *aduersum*, cetera. Item: *Ius naturae est immutabile*, *aeternum*. Plerumque uero, has uoces ita usurpari ab eruditis, uideas, ut ipsam disciplinam siue systema, quo leges in natura impressae, distincte explicantur et demonstrantur, significent. Hoc sensu HEINECCIVS *Ius naturae* definit per complexionem legum, ab ipso Deo immortali generi humano per rectam rationem promulgatarum. Si uero *subiectiue* considaraueris ius naturae, i. e. tanquam scientiam, qua mens huius illiusue hominis instructa est, tum appellatur *iurisprudentia naturalis*, quam idem HEINECCIVS ita definit: est habitus practicus uoluntatem

tatem supremi legislatoris ex recta ratione cognoscendi, applicandique quibusuis speciebus obuenientibus. Vid. Ius natur. et gent. p. m. 10. Cf. KOEHLERVS in Iur. nat. § 753.

§ 63.

At intelligendam plenius iuris naturae indolem, pauca haec enunciata addemus.

I. Quandoquidem ius naturae est scientia legum naturalium (§ 62), in iure naturae leges naturales demonstrari debent (per def. scientiae).

II. Cum demonstratio id, uel maxime, postulet, ut principia praefulciantur, quibus positiones, quae demonstrari debent, superstrui possint (§ 167 Log.), intelligitur, in Iure naturae principia esse constituenda, ex quibus leges naturales, siue enunciata rationis de actionibus committendis omittendisque, deducantur.

III. Lex ergo naturae, siue propositio, quae primum nobis per rationem innotescit, fons est et principium, ex quo ceterae leges robur suum ac ueritatem petunt.

IV. Principium ergo Iuris naturae constituitur haec propositio, quam κατ' ἐξοχὴν legem naturae diximus: *fac ea, quae te statumque tuum reddunt perfectiorem, omitte ea, quae te statumque tuum efficiunt imperfectiorem,* siue quod idem est, *fac ea, quae te reddunt feliciorem, fuge ea, quae te infeliciorem reddunt* (§ 36 pos. VI).

V. Haec

V. Haec propositio ex ipsa natura humana originem suam repetit (§ 34). Hinc factum, ut nonnulli ipsam naturam humanam principium Iuris naturae dixerint.

VI. Quandoquidem haec enunciatio: *fac ea, quae te etc.* per rationem nobis innotescit (§ 36 pos. VIII), non miror, quid sit, quod quidam eruditorum rationem pro principio Iuris naturae habuerint.

VII. Cum supra demonstrauerimus, hoc enunciatum, *fac ea, etc.* esse legem diuinam, et uoluntati supremi Numinis maxime consentaneam (§ 36 pos. XV), uides, ab iis nos non dissentire, qui uoluntatem diuinam fundamentum et fontem legum naturalium, atque adeo principium Iuris naturae putant.

VIII. Haec propositio: *fac ea, quae te, etc.* est uerum et adaequatum Iuris naturae principium. Nititur enim ipsa natura humana, et nulla lex, ex ratione quae demonstrari potest, reperitur, quae non hoc enunciato: *fac ea, etc.* contineatur, nullumque officium uel hominum, uel ciuium ad animum occurret, quod non ex prima hac lege fluat.

IX. Euidens quoque est et perspicuum hoc principium. Quia non eruditi modo, sed quisque etiam, qui sensu gaudet communi, facillimo negotio intelligit, quid haec propositio indicet: fac ea, quae te felicem reddunt.

X. Ex his intelligi poteſt, quid illud ſit tandem, quo Ius naturale a ciuili internoſcatur. Illud nos recta docet ratio (§ 36 poſ. XV), totumque genus humanum obligat (§ 36 poſ. XII), at ius ciuile ex ſcriptione, quae in litteris eſt, cognoſcimus, et interpretamur, nihilque maiores noſtri in legibus ciuilibus ſcribendis aliud propoſitum ſibi habuere, niſi ſalutem atque utilitatem reipublicae, et ciuitatum ſingularum.

XI. Ius naturae explicat traditque leges immutabiles et diuinas (§ 36 poſ. X). Vnde eſt, quod nonnulli iuris naturae ſcientiam uocitent iurisprudentiam diuinam.

Vnicum adhuc monendum reſtat, quod ad logomachias in Iur. Nat. controuerſiis euitandas pertinet. A compluribus eae tantum leges ad Ius naturae referuntur, ad quas obſeruandas ab aliis poſſumus ui quadam externa cogi. Tales leges ſunt e. gr. *Neminem laede, ſuum cuique tribue, damnum illatum reſarcias.* Has leges uocant leges, ſtricte ſic dictas, ſiue *leges neceſſitatis.* Ipſum autem Ius naturae, in quo hae leges explicantur, appellant *Ius cogens,* ſiue Ius naturae externum, quia eius uſus in foro praecipue externo naturali conſpicitur. Idque ius cogens non, niſi officia neceſſitatis, aliis praeſtanda, explicat. De quo uid. KOEHLERVS Iur. Nat. § 751 ſeqq. Paullo latius nos ſumimus leges naturales, quas explicat Ius naturae, iisque omnes agendi normas morales, quas ratio praeſcribit, intelligi uolumus, cum eas, ad quarum cuſtodiam externa ui cogi poſſumus, tum illas, ad quas intrinſeca obligatione reſtringimur, e. gr. *Vt corpus tuum ſanum conſerues, ut animum perficias, ut famae fortunisque tuis conſulas, ut Deum reuerearis in eoque fiduciam colloces.* Ad haec quis te adiget?

CAP. I.

CAP. I.

De Officiis erga Deum.

§ 64.

Officium dicitur omnis actio, ad quam lege obligamur, ſiue, quod idem eſt, quam lex exigit.

§ 65.

Quaſcunque ergo actiones lex naturae ſiue ratio reſpectu Dei, ſuſcipiendas exigit, eae ſunt *officia naturalia erga Deum.*

§ 66.

Age ergo, diſpiciamus, quaenam ſint illae actiones, quas ratio, ſi Deum ſpectaueris, abs te ſuſcipi uult. Viſum eſt, has actiones reſpectu Dei ſuſcipiendas breuibus complecti poſitionibus.

I. Ad perfectiones diuinas manifeſtandas lex naturae ſiue ratio nos obligat. Deus hunc mundum ideo condidit, ut perfectiones ipſius manifeſtentur (§ 307 Metaphyſ.).

Vult ergo Deus, ut perfectiones ſuae pateſiant. Voluntas diuina eſt ipſa lex naturae (§ 36 poſ. XV), E. Lex naturae exigit, ut perfectiones diuinae manifeſtentur.

II. Ad gloriam Dei illuſtrandam obligamur. Cum gloria Dei ſit complexio omnium perfectionum diuinarum (§ 308 Met.), conſequens eſt, ut aut id ſit illuſtrare gloriam Dei, ſi perfectionibus diuinis maior cumulus adiicitur,

citur, aut id ſit illuſtrare gloriam diuinam, ſi perfectiones diuinae magis magisque hominibus manifeſtantur. Prius eſſe non poteſt, quia Deus eſt perfectiſſimus (per. def.), neque adeo ipſius perfectionibus addi quicquam poteſt, nec demi. Relinquitur ergo, ut *illuſtratio gloriae diuinae* manifeſtatione perfectionum diuinarum contineatur. Ad perfectiones uero diuinas manifeſtandas lege naturae ſumus obligati (poſ. I). E. ad illuſtrandam diuini Numinis gloriam lex naturae nos obligat.

III. Cuiusque ergo hominis eſt, per actiones ſuas declarare, ſe habere Deum pro tali Numine, quale, reuera eſt, i. e. pro ente perfectiſſimo, benigniſſimo, ſapientiſſimo, iuſtiſſimo, ſanctiſſimo ect.

IV. Tum demum autem agendo uere declaramus, nos habere Deum pro tali Numine, quale reuera eſt, ſi actiones noſtras ita inſtituimus, ut agendi motiuis utamur attributis diuinis, i. e. ſi ad agendum impellimur perfectionum diuinarum cogitatione, quae cauſa eſt, cur ita agamus nec aliter.

V. Iis actionibus, ad quas homo perfectionum diuinarum contemplatione impellitur, *cultus diuinus* efficitur, et *Deum colere* dicimur, ſi actiones noſtras ita inſtruimus, ut ratio ſufficiens, quae nos ad illas ſuſcipiendas mouet, contineatur in perfectionum diuinarum contemplatione.

VI. Ex his conficitur, lege naturali nos obligari ad Deum colendum. Lex enim naturae nos obligat ad Dei gloriam illuſtrandam (poſ. II), atque adeo ad declarandum per actiones noſtras, nos Deum habere pro tali Numine, quale reuera eſt, i. è. pro ente perfectisſimo (poſ. III). Cum uero tum demum agendo declaremus, nos habere Deum pro ente perfectiſſimo, ſi agendi motiua deſumimus a perfectionibus diuinis (poſ. IV), in hoc autem conſiſtat cultus diuinus (poſ. V), manifeſtum eſt, ratione nos obligari ad colendum Deum.

Permultum intereſt ad diſtinctam officiorum, ad quae Deo praeſtanda obligamur, cognitionem, enodatius explicari, quid ſit *gloriae diuinae illuſtratio*, quid *cultus diuinus.* His enim notionibus, quaſi fulcris, nititur uniuerſa de officiis erga Deum doctrina. Vt nihil ſuperſit obſcuritatis, haec exempla ſubiungam. Cur doctores, qui alios ad diuini Numinis cognitionem informant, dicuntur *gloriam Dei illuſtrare?* Nonne ideo, quia iis, quos docent, perfectiones diuinas admirandaque Dei opificia notiora faciunt? Cum per coelum, terram, ſtellas, totumque huius mundi contextum gloria Dei illuſtrari dicitur? Nonne ideo, quia in toto hoc mundo, tanquam in patentiſſimo theatro, ſiſtitur nobis animisque ſubiicitur diuinae bonitatis, potentiae, benignitatis ſapientiaeque magnitudo et ubertas. Ex his uides, qua ratione *Dei glo-*

ria

ria possit *obscurari.* Qui ea agit, quibus declarat, se Deum non habere pro tali Numine, quale reuera est, is *obscurat gloriam Dei.* E. gr. Cum quis periurium committit, eo ipso declarat, aut se nullum Deum credere, aut eum non habere pro iustissimo et omniscio Numine. Qui in rebus aduersis nimis debilitatur, et auxilium Dei desperat, nae is luculenter significat, se credere, Deum aut non uelle auxilium praestare, aut non posse. Nonne ita declarat, se Deum non habere pro potentissimo et benignissimo Numine? Quod quid aliud est, quam obscurare gloriam Dei?

Cultus diuini definitionem ut intelligas rectius, hoc habeto exemplum. Fac e. gr. peropportunam tibi occasionem offerri inimico tuo nocendi, et aegre faciendi. At non noces, sed ei potius benefacis. Rationes et caussae hic adsint, necesse est, quae te commoueant ad uindictam omittendam, hostique benefaciendum. Si id ideo fit, ut generosi uiri laudem consequaris, aut ut inimicum tibi concilies, aut quia natura placabilis es et timidus, tum nil agis quidem, quod culpandum sit, at nondum uideo cultum Dei. Sed si ideo inimicum non ulcisceris, quia nosti, Deum uelle, ut omnibus hominibus bene sit, quia perpendis, Deum tibi aliisque omnibus, qui ipsi sunt inimicissimi, quotidie innumera largiri bona, tum agis, attributorum diuinorum contemplatione commotus, hisque actibus comprehenditur cultus Dei. Qui, ut

hoc

hoc addam, preces uerboſiores recitant, uel quia ita conſueuerunt, uel ut pii aliis uideantur, uel denique ut eloquentiam uerborumque flumen oſtentent, hi precibus ſuis non colunt Deum. At, qui ideo preces Deo nuncupant, quia Deum, et ob benignitatem infinitam uelle, et ob potentiam ſummam poſſe ipſis auxilium praeſtare, hi uero Deum colere cenſendi ſunt. Non enim precati eſſent, niſi perfectionibus diuinis, bonitate ſcilicet, et potentia, ad precandum impulſi fuiſſent.

Si actiones, quarum cauſa eſt diuinarum perfectionum cognitio, externae ſunt, geſtibusque, uoce, et corporis motibus conſpiciuntur, tum cultus externus hinc exiſtit.

VII. Lege naturae obligati ſumus ad ueram certamque diuini Numinis cognitionem acquirendam. Cum enim ad colendum Deum nos obſtringat lex naturae (poſ. IV), colere autem Deum non poſſimus, niſi ad agendum perfectionum diuinarum cognitione impellamur (poſ. V), euidens eſt, ad cognitionem diuini Numinis acquirendam nos lege naturali obligari. Haec cognitio debet eſſe *uera*, alias enim Deum non pro tali Numine haberemus, quale reuera eſt, quod tamen ad cultum diuinum requiritur (poſ. III). Debet eſſe *certa*. Incerta enim, et cum metu errandi coniuncta cognitio, quam uim habebit ad actiones conformandas, cultumque Dei producendum?

VIII. Deum amore, eoque ſummo, complecti

plecti debemus. Qui Deum eiusque perfe-ctiones recte cognoſcit, eius animus, non poteſt fieri, quin iucundiſſimo uoluptatis ſenſu expleatur (§ 219 Met.). Voluptas haec, ex contemplatione perfectionum oriunda, uocatur amor (§ 238 Met.). Ergo cum uera diſtinctaque diuinarum perfectionum cognitione, indiſſolubili nexu, copulatur amor erga Deum. Cum itaque obligati ſimus ad Deum cognoſcendum (poſ. VII), conſequens eſt, ut eum quoque amore complecti debeamus, eoque ſummo, quia omnes in Deo ſunt perfectiones, quae cogitari tantum poſſunt. Summa ergo ſit, neceſſe eſt, uoluptas, ex ſummarum perfectionum cognitione orta.

IX. Deum debemus reuereri, aut, ſi mauis, timere. Si quem amamus, tum ſolicite cauemus ea omnia, quae ei, quem amamus, diſplicent (§ 239 Met.). Solicitudo haec, qua cauemus, ne quicquam, quod Deo diſplicet, agamus, aut, quod ei probatur, omittamus, dicitur *reuerentia* ſiue *timor Dei*. Ergo cum ad Deum amandum ſimus obligati (poſ. VIII), intelligitur, ad eum quoque reuerendum ſiue timendum nos lege naturae adſtringi.

Amor reuerentiaque ex eo potiſſimum naſcitur: α) Si animus perpendit, Deum benigniſſimum eſſe, humanique generis et cuiusque hominis rationibus egregie conſultum uelle. β) Si ſanctitatis diuinae cognitione imbutus eſt, imperiumque Dei, quo continentur, et gubernantur omnia, rite conſiderauerit. Atque haec reuerentia, ex ſtudio benigniſſimo numini placendi orta, dicitur *metus* Dei *filialis*. Filiorum enim id poſtulat pietas, ut parenti

bus,

bus, quibus uitam fortunamque ſuam in acceptis ferunt, morigerentur, idque non propter poenas et uerbera, ſed quod innumeris beneficiis a parentibus fuerunt affecti. Si quis uero Deum timet, ut ſeruus ſolet domini et exactoris poenas extimeſcere, tum iſte *metus* uocatur *ſeruilis*. Quod quidem timoris genus quamuis cultu diuino prorſus indignum ſit, rei tamen ſecuritatisque publicae intereſt, homines, licentia efferatos praefractosque, metu Deu ſeruili nonnunquam compeſci, et ad officium cogi.

X. Summa in Deo fiducia ponenda eſt. Theologia naturalis nos docuit, Deum ita rebus humanis prouidere, ut et conſeruet omnia, et uelit omnium creaturarum rationibus optime conſultum. Ex quibus omnibus, recte conſideratis expenſisque, non poteſt non oriri ſpes, eaque non lubrico conſtituta fundamento, ſed firma, ſtabilis, et ab omni, quae animum diſtrahat, dubitatione remota, Deum ita omnia adminiſtraturum, ut nihil, quod ad ueri nominis felicitatem acquirendam conſeruandamque pertineat, nobis deeſſe poſſit. Quae ſpes cum dicatur fiducia (§ 252 Met.), conſequens eſt; ut, quia ad Deum eiusque perfectiones et ſapientiſſimam adeo huius mundi adminiſtrationem penitius perſpiciendam ſumus obligati (poſ. VII), debeamus quoque fiduciam in Deo collocare.

Fiduciam autem ponere in Deo nemo poteſt, niſi α) diſtincte certoque cognitum habuerit, Deum *nihil* eorum, quibus uel prematur calamitatibus, uel indigeat auxiliis, *fugere*, β) niſi perſpiciat, *Dei potentiam*, nullis definitam limitibus, et omnibus malis tollendis minuendisque, et omnibus bonis

largiendis parem esse, nisi denique γ) de eo conuictus fuerit, Deum esse *benignissimum*, *et uelle* cuiusque salutem promotam amplificatamque. Vt ita ex his uideas, fontes fiduciae, in Deo collocandae, recte allegari scientiam, sapientiam, potentiam et bonitatem Dei. Qui nouit, quibus indigeam rebus, qui facultate est instructus omnia dirigendi ad salutem meam, qui potest ea, quae salutaria sunt, mihi largiri, qui uult denique rationibus meis prospectum, ab eo nonne auxilium opemque certo sperem? In eo nonne fiduciam, sine dubitatione et metu, collocem?

Duo fere sunt, quae fiduciam, quam ipsa ratio in Deo iubet collocari, nonnunquam in hominis animo, minuere solent. Alterum eius impedimentum oritur ex eo, quod ii saepius, qui integerrime uiuunt, omni calamitatum genere sint circumsessi, nullis, ut putant, bonitatis diuinae documentis exhilarati, cum contra ea pessimus quisque persaepe sit fortunatissimus. Alterum, quod obstat, quo minus homines complures opem cum fiducia a Deo exspectent, illud potissimum est, quod malefactorum conscientia conturbati perterrefactique, se omni auxilio gratiaque diuina indignos sentiant, nihilque sit mali, quod non a iustitia, scelerum uindice, extimescant. In quo quidem, dici non potest, quanta uis insit ad animum debilitandum, fiduciamque imminuendam. Permultum interest ad animos infractos erigendos et fiduciam in iis excitandam, haec duo e medio tolli obstacula, quibus uero remouendis, cum impar sit ratio, philosophia, hac quidem in re, non potest non desiderare religionis Christianae adiumenta.

XI. Quandoquidem fiducia, in Deo ponenda, oritur ex distincta certaque sapientiae prouidentiaeque diuinae et bonitatis cognitione (pos. X), palam est, non posse seiungi a fiducia eum mentis statum,

ſtatum, quo in *uoluntate diuina conquieſcit*, moderateque et patienter, quicquid ipſi acciderit, ferre ſolet. Si enim mens nouit, nihil fieri, niſi quod diuino ſit prouiſum conſilio, ſi expendit, quicquid rerum humanarum agatur, id ſapientiſſime a diuino numine gubernari, et ita adminiſtrari omnia, ut ad ſalutem hominum unice referantur, non poteſt fieri, quin, ex turbido deducta in tranquillitatem, plene in diuina conquieſcat uoluntate, eiusque conſilio et imperio ſe totam permittat. Qui fructus prouidentiae diuinae, accuratius cognitae expenſaeque, eſt dulciſſimus, et ad felicitatem humanam uberrime redundans.

XII. Vides ergo, rationem unumquemque docere, acquieſcendum eſſe in uoluntate diuina. Docet enim, fiduciam eſſe in Deo ponendam (poſ. X), a qua is mentis ſtatus, quo in diuina acquieſcit uoluntate, ſeiungi nequit (poſ. XI).

XIII. Noua hinc exoritur cultus diuini ſpecies, quae continetur *precibus*. Si quis enim nouit, Deum et perſpectas habere calamitates, quibus unusquisque urgeatur, et poſſe eas tollere, et uelle denique, quae nocitura ſint, declinare, adeoque, his quaſi cogitationum ſubnixus fulcris, confidit, Deum omnia ipſi largiturum, quae ſaluti ſuae amplificandae ſint accommodata (poſ. X), abeſſe non poteſt, quin interno quodam deſiderio commoueatur opis diuinae impetrandae.

Hoc desiderium mentis, quo fertur in auxilium diuinum, dicitur *inuocatio Dei interna*. Patet ergo, pari ratione, qua ad fiduciam in Deo collocandam obstringimur, unumquemque etiam teneri ad Deum inuocandum.

Haec interna mentis inuocatio, quae, nexu necessario, ex iis, quae iam attulimus, consequitur, si uerbis, ore prolatis, significatur et exprimitur, tum PRECATIO siue PRECES dicitur. De precum necessitate et utilitate uaria non inutiliter disputantur, quae uero omnia hic adferre, quid attinet? Haec ergo pauca obseruabimus.

a) *Ratione Dei* externa inuocatio siue preces non uideri poterant necessariae, quia Deus, qui mentis humanae recessus latebrasque perscrutatur, et calamitates, quibus affligamur, et opem, qua indigemus, optime intimeque perspicit.

b) Quandoquidem uero, ob arctissimum corporis animique nexum, serium auxilii diuini desiderium internum externa uerba comitantur, maxime si nullum adfuerit impedimentum, quod externorum uerborum usum impediat, fit, ut preces a sensu calamitatum, et serio opis diuinae desiderio non facile seiungantur. Quod uel maxime tum apparet, ubi, in praesentissimum coniecti periculum, serio auxilium desideramus. Nonne, uel inuiti, quanta maxima fieri potest, uociferatione desiderium auxilii diuini declaramus?

c) Si uerbis, ore prolatis, desiderium auxilii diuini significamus, tum alii de nostra, in Deo collacata, fiducia certiores fiunt, uidentque adeo, nos Deum pro tali habere numine, quale reuera est, i. e. pro benignissimo, sapientissimo, potentissimoque. Quo ipso et excitantur ad similem cultum Deo exhibendum, et gloria Dei mirifice illustratur. Illud quoque addo, quod recte addi potest, per preces externas impediri, quo minus sensus et phantasia men-

tem

tem nimium turbent. Dum enim uerba noſtra audimus, iisque attendimus, fit, ut aliarum rerum, ſenſibus obuerſantium, minus nobis ſimus conſcii. Quia ſenſatio fortior pellit et obſcurat debiliorem (§ 185 poſ. III).

d) Quia preces continentur externa deſiderii, intus incluſi, ſignificatione, conſequitur, ut preces illae, quibus aut nulla ſubiecta eſt ſententia, aut quae plane non intelliguntur a precantibus, non pro ueris ſint habendae precibus. Vt adeo pateat, plerumque preces, quas uocant *formularias*, quae nuda uerborum recitatione efficiuntur, eſſe ſuſpectas. Raro enim cum iisdem deſiderii interni ſignificationem copulatam uideas. Aut enim, quae recitantur, certisque adſtricta ſunt formulis, uerba non intelliguntur, aut per conſuetudinem et diuturnum uſum recitantibus tam familiaria euadunt, ut, iis auditis, praeter ſonum, nihil fere cogitent.

e) Si precibus amorem erga Deum, quem beneficiorum, ab ipſo in nos collatorum, contemplatio excitauit, ſiue, quod idem eſt, gratum animum teſtificamur, tum preces dicuntur *gratiarum actio*, quae non magis a certa ueraque diuinae bonitatis cognitione abeſſe poteſt, quam uoluptas animi a ſenſu perfectionum ſeiuncta eſt.

f) Quae hic adferri ſolent de cultu externo, de diebus feſtis, de cerimoniis ſacris, ſunt fere eiusmodi, ut de iis nihil ratio certi ſtatuere poſſit. Quicquid enim uel ad cerimonias ſtabiliendas, uel ad dies feſtos aſſerendos, ex ratione adferri ſolet, id omne probat utilitatem cultus externi, neceſſitatem non demonſtrat.

CAP. II.

DeOfficiis hominis erga ſe ipſum.

§ 66.

Quae ſibi debet homo officia, rectius intelliges, ſi hominem conſideraueris

α) *ratione animi* ſiue *mentis;*

β) *ratione corporis membrorumque*, ex quibus corpus coagmentatum eſt;

γ) *ratione ſtatus externi*, ad quem pertinent *opes, honor, et fortuna.*

§ 67.

Triplici ergo ratione officia hominis erga ſe ipſum diuiduntur. Alia ſunt officia erga *animum*, alia erga *corpus*, alia denique, quae *ratione ſtatus externi* ſunt obſeruanda.

§ 68.

Cum anima multo nobilior ſit corpore, ab iis, quae animae debentur, officiis recte ordimur. Et quia mens humana inſtructa eſt facultate cognoſcendi, et appetendi, ſiue ueterum ſtilo, intellectu, et uoluntate (per princ. pſychol.) duo officiorum genera inde exſurgunt. Alia officia depoſcit intellectus, alia uoluntas.

§ 69.

Prius uero, quam haec officiorum genera explicamus, de officiis hominis erga ſe ipſum praemittenda putabimus enunciata quaedam, intelli-

gendis

gendis iis, quae ſpeciatim uel de mentis cultura, uel de cura corporis ſtudioque honoris, et opum cuſtodia adferenda ſunt, ſubſeruitura.

I. Vnusquisque, qui officia erga ſe ipſum obſeruare uult, id agat, ut ſe perficiat.

II. Atque adeo in eam curam toto pectore incumbat, ut ſe ſuaque bona accuratius noſcat. Niſi enim quis compertum habuerit, quam curam cultumque uel corpus uel anima requirant, quibus mens inſtructa ſit uiribus, quibusue adminiculis corpus mensque humana coli perficique queant, non uideo, quam inire is poſſit rationem officii obſeruandi.

III. Summa cautio prouiſioque adhibenda eſt, ne officia, quae cohaerere debent, diuellamus a ſe inuicem, uel ſoli corpori ſeruiamus, animum negligamus, uel menti colendae intenti ſimus unice, corpus incultum relinquamus, uel honoris opumque ſimus auidi, neglecta interim corporis ſanitate, rationisque perficiendae ſtudio. Dici non poteſt, quantum ex infauſta hac officiorum diſciſſione oriatur damni. Si quis enim, ut hoc utar, corradendis opibus unice operetur, negligatque, quid de ſe quisque ſentiat, nonne is diſſolutus haberi debet? Si quis dies noctesque libris impalleſcit, ut ingenium excolat, eruditionisque copia et uarietate inſtructus, prae aequalibus exſplendeſcat, ualetudinem vero corporis pa-

rum curet, nonne is αὐτόχειρ iure appellandus erit?

IV. Fit perſaepe, ut omnia, ad quae praeſtanda lex naturae nos obſtringit, officia obſeruare nequeamus, ob quandam, quae incidit, pugnam et colliſionem. Tum uero id praeferendum eſt alteri, ad quod magis obligamur, id quod ſupra cap. de obligatione demonſtrauimus.

Ita officia, quae menti debes, in colliſione praeferenda ſunt officiis erga corpus, et officia erga corpus anteponenda ſunt officiis iis, quae ratione opum ſunt obſeruanda.

CAP. III.

De Officiis erga Animum.

§ 70.

His, quae generatim de officiis erga nosmet ipſos monenda uidebantur, praemiſſis, nunc, quae ſint erga *intellectum* ſiue *facultatem cognoſcendi* officia obſeruanda, ſpeciatim indicabimus.

§ 71.

Paucis ergo poſitionibus complecti iuuat ea, quae intellectui debentur.

I. Cum lex naturae iubeat, nos ſtatumque noſtrum reddere perfectiorem (§ 32), conſequens eſt, ut eadem uelit, ut quam poſſumus emendatiſſimam efficiamus uim noſtram intelligendi.

II. Prima

I. Prima ergo haec lex in officiis erga intellectum obſeruandis, ſanciatur; PERFICE FACVLTATEM COGNOSCENDI, QVOQVO MODO POTERIS.

III. De acquirenda ergo rerum uel ueritatum cognitione, eaque diſtinctiſſima, ſolicitus eſto, omnemque ignorantiam pellito ex animo et diligentiſſime fugito.

IV. In primis uero id age, ut animus diſtincta *boni maliue* cognitione imbuatur. Qua enim ſi deſtituta fuerit mens humana, non poteſt non in eligendo bono fugiendoue malo labi et decipi. Confuſis ita et inter ſe commixtis honeſti turpitudinisque notionibus, abeſſe non poteſt, quin a regia felicitatis uerae uia detorqueatur, et pro theſauris, quod aiunt, carbones inueniat et pro Iunone nubem amplectatur.

Infinita eſt earum rerum multitudo, quae ſciri poſſunt. At uires intelligendi, quibus mens humana inſtructa eſt, tam exiguis ſunt definitae limitibus, ut ex tanta rerum, quae cognoſci poſſunt, uarietate et copia uix paucae percipiantur ab hominibus, plurimaeque ueritates, quae cognoſcuntur, confuſe admodum et obſcurius perſpiciantur. Quaeritur ergo, cum lege naturali unusquisque ad ueritatum cognitionem obligetur, omnes autem cognoſci non poſſint, quibus regulis ueritatum cognitio ſit conformanda. Paucis, quae hanc in rem adferri merentur, habeto.

α) Cognitio ueritatum *intenſiua* ſemper eſt *extenſiuae* praeferenda, i. e. cum omnium rerum cognitio noſtris, quae, ſentimus, quam ſint exiguae, uiribus

acquiri non posſit, non tam de eo ſoliciti ſimus, quam *multa* diſcamus, ſed quam *bene*, quam *diſtincte*, quamque *ſolide* ea, quae diſcimus, cognoſcamus. Satius eſt, pauca diſtincte noſſe, quam multa confuſe.

β) Ex magna earum rerum, quae diſci capique poſſunt, uarietate, primo loco, et uel in primis, unicuique eſt id diſcendum, quod eſt maxime neceſſarium. *Neceſſaria* enim ſunt ſemper in ingenii cultura praeferenda *utilibus*. E. gr. Si quis in academia theologiae operam dederit, tum, ſi rationem ſequi uelit, id agat enixius, ut codicem ſacrum, hebraea, graecaque lingua exaratum, intelligat, ut perſpecta habeat religionis chriſtianae praecipua capita, cetera. Haec enim ſunt neceſſaria Theologo. At, ſi idem in academia ſibi explicari iuris ciuilis praecepta patiatur, aut multum temporis tribuat arti ſalutari excolendae, tum in *utilibus* rebus occupatur ille quidem, quae uero *neceſſariae* appellari non poſſunt.

γ) *Vtilia* in diſcendi ordine ſunt praeferenda iis, quae ſunt *iucunda*. Minus e. gr. iuris prudentiae ſtudioſus rationi conuenienter agit, ſi arti ſaltandi, equitandi, uitra poliendi, pingendi denique plus temporis tribuerit, quam uel linguae gallicae, uel hiſtoriae. Iucunda enim praefert utilibus.

Dici uix poteſt, quanti ad ueram mentis ingeniique culturam interſit, regulas has obſeruari rite & applicari. Plurimi, qui in academias, tanquam ad bonarum artium mercatum, commeant, has migrant leges, profectusque ſtudiorum nimium quantum morantur. Vtilia multi, plurimi iucunda, pauci neceſſaria diſcunt.

§ 72.

Quae de modo ac ratione perficiendi intellectus dicenda ſunt, ea infra in Ethica uberius diſputabuntur.

CAP. IV.

CAP. IV.

De officiis erga uoluntatem.

§ 73.

O*fficia erga uoluntatem* dicuntur illae actiones, ad quas homo, respectu uoluntatis, obligatur.

§ 74.

Praecipuae regulae, quae in officiis erga uoluntatem obseruandae sunt, his continentur propositionibus.

I. Voluntas hominis, quoquo modo fieri poterit, est perficienda. Nititur hoc enunciatum generali illo iuris naturae principio: *Fac ea, quae te statumque tuum reddunt perfectiorem* (§ 32).

II. Cum uoluntas humana tum demum perficiatur, si ita dirigitur, et inflectitur, ut nunquam non feratur in id, quod est uerum bonum, consequens est, ut in eo elaborare unusquisque debeat, ut uoluntatem ad uerum bonum appetendum et malum auersandum inclinet.

III. Voluntas ita conformanda est, ut in plurium bonorum delectu illud semper cupiat, et ceteris praeferat, quod optimum est, uel praestantissimum.

IV. Affectus, siue uehementiores animi commotiones sunt, quanta maxima fieri potest diligentia, refrenandae et compescendae,

ſcendae, efficiendumque adeo id, ut ratio imperet, appetitus obtemperet. Affectus ortum ſuum trahunt ex confuſis boni maliue repraeſentationibus (§ 232 Met.). Eos ergo qui duces ſequitur, facile ſpecie recti decipitur, malumque pro bono eligit, ſeque imperfectiorem reddit, quod eſt contra § 32. Patet itaque, affectus eſſe coercendos.

§ 75.

Specialiorem modum uoluntatis emendandae affectuumque refrenandorum, trademus in inſtitutionibus Ethices.

CAP. V.

De officiis erga Corpus.

§ 76.

Per officia erga corpus intelligimus omnes illas actiones, ad quas ſuſcipiendas, reſpectu corporis noſtri, lex naturae nos adſtringit ſiue obligat.

§ 77.

Officia erga corpus percommode his includuntur enunciatis.

I. Vitam tuam tuearis quam potes diligentiſſime, declinesque ea, quae nocitura uideantur. Haec lex tam alte in mente cuiusque hominis, quin etiam in omnium animantium natura impreſſa eſt, ut uitae conſeruandae ſtudium nemi non hominum cum brutis

brutis ſit commune. Adde illud, quod nemo mentem perficere, uoluntatemque emendare poſſit, (ad quod utrumque nos obligat lex naturalis § 32), niſi uita conſeruetur, corporique ſuus conſtet uigor, ſuum robur.

II. Omnia ergo fuge uitae pericula temeraria. Studio deditaque opera addo uocem: *temeraria.* Neque enim id ſemper rationes noſtrae ferunt, ut omnia fugiamus pericula, quibus ſaepius capita noſtra obiiciamus, oportet, uel patriae conſeruandae cauſa, uel ut eum, qui nos uiolento modo aggreditur, propulſemus, uel ob plures alias, easque ſat idoneas, rationes.

III. Ex his conficitur, nihil eſſe rationi adeoque legi naturali tam aduerſum, quam αὐτοχειρίαν, cum quis, ui ſibi illata, occupat fata, non exſpectat.

IV. Curandum eſt, ut ualeas, et inconcuſſa aequabilique ſanitate corporis perfruaris. Lex enim naturae uitam conſeruari iubet (poſ. I), quod fieri non poteſt, niſi cures, ut ualeas. Lex naturae porro praecipit, ut perfectionibus uel corporis uel animi tuendis augendisque ſis intentus (§ 32). Perfectio uero corporis uel maxime continetur commoda ualetudine ſiue ſanitate. Perfectio enim, generatim ſpectata, nonne efficitur conſenſu et harmonia uariorum? Sanitas uero corporis eſt is corporis ſtatus, quo membra ſingula iis functionibus, ad quas diuinitus deſtinata

ſunt,

ſunt, expediendis ſunt accommodatae et inter ſe conſentiunt.

Ex quo intelligas licet, quid ſit *morbus*. Cum in eo ſunt ſtatu membra, ut ad expediendas functiones ſuas inepta ſint, tum is ſtatus dicitur *morbus*. Sanitatis morbique definitionem hoc exemplo illuſtrabimus. Si e. gr. ſtomachus tuus cibos ingeſtos bene concoquit, et in ſuccum et ſanguinem conuertit, tum ſtomachus tuus ſanus eſt. Omnia enim, quae in ſtomacho concurrunt, eo referuntur, et ad id uelut conſpirant, ut concoctio promoueatur. Si podagra quis ita uinctus lectoque affixus fuerit, ut pedem efferre domo aut muſeo non poſſit, pedes in ſtatu ſunt morboſo. Omnia enim in pedibus aduerſantur fini, quem Deus intendit, cum pedes corpori iunxit. Finis enim eſt, ut de loco in locum mouere nos queamus.

V. De eo non modo cogitandum eſt, ut corpus ſit ſanum uegetumque, ſed ut agilitate quoque et decora quadam elegantia gaudeat. Tantum enim, lege naturali admonente, perfectionis nobis acquirere debemus, quantum obtinere poſſumus (§ 32). Iam uero cum agile corpus fuerit elegansque, plus in corpore conſpicitur perfectionis, quam ſi ſanum tantum fuerit et robuſtum. E. praeter ſanitatem, de corporis agilitate et decentia elegantiaque acquirenda cogites, neceſſe eſt.

VI. Quandoquidem totum corpus ſanum conſeruari debet (poſ. IV), conſequens eſt, ut ſingula quoque eius membra integra et illaeſa debeamus tueri.

VII. Cum lex naturalis unumquemque ad uale-

ualetudinem corporis conſeruandam obliget (poſ. IV), eadem quoque obligabit hominem ad ſubſidia et adminicula adhibenda, quibus uigor ſanitasque corporis ſtabiliatur.

VIII. Inter haec corporis ſani conſeruandi remedia primo loco referendi ſunt, CIBVS et POTVS, quibus, tanquam fulturis, ſuſtentatur corporis compages.

IX. Naturae ergo lege obligamur ad tantum cibi potusque capiendum, quantum ad deſideria naturae explenda, et ad corporis uires reficiendas ſatis eſt.

X. Cum uero multa ciborum genera ſint, quorum nonnulla ſanitati corporis non modo non proſunt, ſed eidem etiam officiunt, uiresque labefactant; uidendum eſt, ut eos eligamus cibos potusque, qui ualetudini ſeruiunt, gulae contra irritamenta, quae plerumque dulcedinis ſpecie fallunt, ſolicite uitemus.

XI. In cibo potuque capiendo ratio denique habenda eſt ſtatus noſtri externi, opum ſcilicet et dignitatis, quae prout alia aliaue fuerit, ita alio alioue modo uictus eſt inſtruendus. Ad perfectionem hominis referenda ſunt omnia (§ 32). Perfectio autem hominis requirit conſenſum et harmoniam ſtatus interni externique, praeſentis, praeteriti, ac futuri. Qui conſenſus locum habere nequit, ſi cibus potusque non cuius-

que

que dignitati opibusque conuenienter fuerit instructus. Minus ergo conueniens fuerit, opulentiores, et in excelso uitam agentes, uiros tenui parabilique uictu, quem homines pauperioris humiliorisque sortis capiunt, ita uti, ut famis sitisque sedandae tantum habeant rationem, de decentia uero parum cogitent.

XII. Non modo cibus potusque ad sanitatem fulciendam referendi sunt, sed cum uestimenta quoque, quibus corpus tegitur, et aedes, quas incolimus, ad frigus caloremque nimium et ad ceteras tempestatis iniurias propulsandas et a corporis membris arcendas sint accommodatae, cuiusuis esse, intelligitur, id operam dare, ut uestibus domiciliisque utatur salubribus, commodis, et dignitati opibusque seu fortunae conuenientibus.

XIII. *Somni* praeterea in ualetudine tuenda uel maxime habeas rationem, ut eo nec nimio, nec parco nimis raroque utaris. Quantam enim modicus somni quietisque usus uim habet ad uires corporis instaurandas, tantum languoris detrimentique affertur membris, si plus iusto indulseris somno.

XIV. Quia uictus ad conseruandum corpus ualetudinemque tuendam plurimum adfert adiumenti (pos. XI), consequens est, ut eas quisque actiones suscipere debeat, quibus uictus paratur.

XV. Actio-

XV. Actiones, quibus uictus parari poteſt, dicuntur *labor*.

XVI. Vt ergo ex his lucide appareat, ad laborandum quemque eſſe lege naturae obligatum. Accedit illud, quod laboribus corpus agitetur, et continuo motu indureſcat, et roboretur. Quo motu ſi deſtitutum fuerit corpus, et iners iaceat, fieri non poteſt, quin, ſanguine corrupto collabefactoque robore, tota nutritio uitium capiat, fere, ut aqua, quae, ſi minus mouetur, putreſcit, uermibusque ſcatet.

Tria ſunt, quae his ſubiungenda puto. α) Ex his uides, *otiari* illum, qui actiones prorſus omittit, quibus uictus parari poteſt. β) Quod de uictu potuque monuimus, rationem habendam eſſe ſtatus externi, opum, ac dignitatis, idem ualet de labore, qui ita eſt inſtituendus, ut decentia ſeruetur. γ) Modus in labore eſt adhibendus, ne uires nimia contentione frangamus.

XVII. Cum omnia corporis membra a uiolenta laeſione ſunt defendenda (poſ. VI), tum uel maxime earum corporis partium, quibus ſentimus, ut oculorum, aurium, nariumque conſeruandarum ac perficiendarum debemus eſſe perquam ſtudioſi. Quantum enim anima praeſtat corpori, tantum ſenſuum inſtrumenta, quae admirabilem menti noſtrae praebent uſum, antecellunt ceteris, ex quibus corpus coagmentatum eſt, membris.

XVIII. Quemadmodum uita et ſanitas conſeruari debent, ita omnes morbi, ſi poſ-

 ſunt,

ſunt, caueri propulſarique debent, et, cum corpus adorti ſunt, eorum uis, medicamentorum ſalubrium uſu, atterenda eſt et frangenda. Haec fere ſunt, quae corpori debentur, officia. Quae de temperantia et ſobrietate dici hic debere nonnullis uideri poterant, ea uero explicabimus infra in Ethica.

CAP. VI.

De officiis hominis erga ſe, quoad ſtatum externum.

§ 78.

Ad ſtatum hominis externum referimus α) *Opes* et *facultates*, β) *Honores*, γ) *Fortunam*. Triplicia ergo inde exſurgunt officia, quae homo obſeruare debet. Alia ſpectant ad ipſius facultates, alia ad honores, ad fortunam denique alia. Ab opibus ſiue facultatibus ordiamur.

§ 79.

Omnia ea, quae pertinent ad uictum cultumque corporis, et quibus indigemus ad uitae neceſſitates expediendas, ad commoditates item, et ſuauitates, uocantur *facultates* ſiue *opes*. Vt ergo *opes* nihil aliud ſint, quam apparatus earum rerum, quibus homo indiget ad uitam degendam, ad oblectationem, et decentiam.

§ 80.

Vides ex definitione hac, triplicis generis eſſe opes. Aliae pertinent ad praeſentem uitae neceſſita-

ceſſitatem expediendam uitamque degendam, quae Germanis dicuntur ein Zehr-Pfennig. Aliae ad eum finem comparantur, ut futurae neceſſitati proſpiciatur. Has facultates dicimus einen Noth-Pfennig. Aliae denique ſeruiunt oblectationi, commoditati ac decentiae, quas recte appellaueris einen Ehren-Pfennig.

§ 81.

His notionibus diſtinctius euolutis, perfaciles erunt intellectu poſitiones, ad quarum praeſcriptum in rei familiaris rationibus conſtituendis moderandisque ſuas quisque actiones componat, neceſſe eſt.

I. Ad opes acquirendas acquiſitasque conſeruandas ſumus obligati. Cum enim uitam noſtram conſeruare debeamus (§ 77 poſ. I), de iis quoque rebus, quibus ad uitam ſuſtentandam indigemus, ſoliciti ſimus, oportet. Quae res cum dicantur opes (§ 79), ad opes acquirendas tuendasque ſumus obligati.

II. Cum in omnibus hominum ſtatibus conſenſus, qui ab hominis perfectione ſeiungi non poteſt, ſit quaerendus (§ 32), non modo de iis opibus parandis cogitemus neceſſe eſt, quae ad quotidianum uictum pertinent, ſed commoditati quoque et decentiae conſulendum eſt.

III. Quemadmodum uariae opes, in ſuas deſcriptae claſſes, uarium nobis praeſtant uſum, aliae maiorem, minorem

aliae; ita in iis acquirendis uarie quoque uersari debemus.

IV. Maximam curae partem deposcit praesens necessitas uictusque quotidianus. Prius enim, quod nemo dubitat, de uitae sustentatione, quam de eius commoditate ac decentia cogitandum est.

V. Si tantum tibi acquisiueris opum, quantum ad necessarium uictum, famemque ac sitim quotidianam sedandam opus est, tum futuris uitae necessitatibus prospicias, neque committas adeo, ut, si omnia profuderis, tibi aliquando cum fame confligendum sit.

VI. Denique, si et praesenti et futurae necessitati consulueris, uide, ut commode decenterque uiuere queas.

§ 82.

Si quis ea opum affluentia et copia gaudet, ut plures possideat facultates, quam ad necessitates uitae, cum praesentem, tum futuram, expediendas et decentiam requiruntur, tum ei tribuimus *diuitias siue Opulentiam.* Si uero eiusmodi opum copia adfuerit, quae ad uictum quotidianum, ad futuras uitae necessitates, et decentiam denique obseruandam sufficit, tum *lautitiam* (ein reichliches gutes Auskommen) adesse dicimus. Si denique tantum quis possidet, quantum ad uitam sustentandam uictumque quotidianum parandum sufficit, *sufficientiam* habere dicitur (ein nöthiges Auskommen). At si ne ea quidem

quidem ſuppetunt, quae ad praeſentes uitae neceſſitates poſtulantur, tum adeſt *paupertas* (Armuth).

§ 83.

Vt adeo ex his perſpicias:

I. Non eum eſſe ſtatim *pauperem* appellandum, qui non eſt diues, neque illum inter diuites referendum, qui non pauper eſt.

II. Ex his intelligitur porro, opes non propter ſe, ſed propter neceſſitatem commoditatemque uitae eſſe expetendas. Sunt enim illae res, quibus indigemus ad uitae ſuſtentationem et decentiam neceſſariae.

III. Cum labor ſit praecipuum uictus acquirendi ſubſidium (§ 77 poſ. XV), manifeſtum eſt, ad opes, quippe quibus uictus paratur, acquirendas eſſe opus labore. Cum ergo ad opes acquirendas ſimus obligati (§ 81 poſ. I), ad laborem quoque nos obligatos eſſe, patet.

§ 84.

Status externus complectitur quoque *honorem*. Eſt autem *honor* nihil aliud, quam aliorum de noſtris perfectionibus iudicium.

E. gr. Si Titius opinatur et exiſtimat, Caium eſſe uirum cultae et doctrinae et uirtutis, tum Caius honore afficitur, et Titius, qui de Caii uirtutibus et dexteritate iudicat, honorat Caium.

§ 85.

Ex definitione honoris haec fluunt enunciata.

I. Honor nititur, tanquam fundamento, perfectionibus nostris.

II. Cumque omnes perfectiones, de quibus alii iudicant, uel uerae sint, uel opinatae (§ 227 Met.), patet, omnem honorem uel esse uerum uel putatitium. Ille nititur perfectionibus ueris, hic commentitiis. Ille efficitur iudicio uero ac solido de nostris perfectionibus, hic falso et erroneo.

III. Verus honor a nemine nobis tribui potest, nisi ab eo, qui perspectas habet perfectiones nostras. Qua enim ratione quis de perfectionibus iudicare potest, quas non intelligit?

IV. Pluris ergo faciendus est honos, qui a prudentibus laudatisque uiris nobis decernitur, quam qui tribuitur a rudi inficetaque plebe.

V. Honor non ita est in potestate nostra, ut eum ab aliis inuitis extorquere possimus. Quis enim ita mentibus aliorum imperabit, ut eos, a quibus honorari cupit, possit ad bene honorificeque de se sentiendum cogere?

VI. Quare recte ueteres: honor est honorantis, non honorati.

VII. Quamuis alios ad nos honorandos externa ui compellere nequeamus (pos. V), possumus tamen uirtutem consectari, perfectionesque nostras luculentis declarare speciminibus, aliorumque oculis subiicere.

VIII. Non

VIII. Non quaecunque perfectiones nobis honorem conciliant, ſed eae demum, quae ſunt *noſtrae*, i. e. quae noſtris uiribus, noſtra opera laboribusque partae ſunt.

Ita ſplendor natalium gloriaque maiorum, in ſe ſpectata, non cedit nobis honori, ſed, quam ipſi peperimus nobis uirtute recteque factis nobilitatem, eam demum uere honore dignam eſſe, luculenter patet.

IX. Vt ſciri poſſit, quinam ſint honore digni, ſiue de quorum uirtutibus honorifice exiſtimandum ſit, moris eſt, internum mentis iudicium de aliorum perfectionibus per ſigna quaedam declarare. Quam externam honorum ſignificationem dicere Germani ſolent Ehrenbezeigungen.

Huc pertinent tituli, ſiue uerba illa, quibus declaramus, de altero nos bene honorificentiusque ſentire. Referuntur huc ſalutationes, acclamationes et plauſus, itemque illud, quod uiris, quos honore dignos iudicamus, aſſurgamus, locum cedamus, cetera.

X. Dedecus opponitur honori, quod nihil aliud eſt, quam iudicium aliorum de noſtris imperfectionibus ſeu malefactis.

Si, quae de honore axiomata propoſuimus, recte intellexeris, facile nunc perſpicies, quid nobis ſit dedecori, quidue minus. α) *Nihil nobis dedecus adferre poteſt, niſi eae imperfectiones, quarum auctores ſumus.* E. gr. uitia, ignorantia, quam euitare poteramus, et debebamus, libidines, morbi item et rei familiaris detrimenta ex libidine et prodigalitate orta. β) *Ea ergo, quae noſtra culpa non fuerunt commiſſa, ſed quae euitari non potuerunt, non ſunt*

 nobis

nobis dedecori, e. g. deformitas faciei, humilis obscurusque ortus, paupertas, cetera.

XI. Cum dedecus significamus per externa uerba, facta, uel gestus, tum dicitur *opprobrium* siue *ignominia* (Germanis Beschimpfung).

XII. Ex his omnibus patet, ad honores assequendos, et dedecus euitandum quemque esse obligatum. Cum enim quisque teneatur perfectiones, quoquo modo poterit, consectari, uirtutemque colere, uitia contra, omniaque ea, quae turpia sunt, euitare (§ 32), intelligitur, cuiusque esse, honores sequi et dedecus effugere. Quia honoris fundamentum est uirtus (pos. I), a qua honor non magis seiungi potest, quam a corpore umbra.

His tanquam cancellis, si continetur honoris cupiditas, nihil habet uitii, sed potius commendanda est, et ab ipso Paullo ad Philippens. IV commendatur. Honorem enim consectari nolle, est uirtutem respuere, est bene praeclareque facta fastidire.

§ 86.

Iis, quae de honore et ignominia protulimus, affinia sunt, quae nunc de *laude* dicenda sunt. *Laudare* alterum dicimur, si eius perfectiones enumeramus, et *laus* nihil est aliud, quam enumeratio perfectionum alterius. Sic, si dixeris, Eugenium esse ducem fortem, prudentem, moderatum, felicem, laudas Eugenium, quia enumeras eius uirtutes et perfectiones.

§ 87.

Si uero alterius imperfectiones enarras, tum

alterum

alterum uituperas. *Vituperatio* enim est enumeratio imperfectionum alterius. Si uitia alteri tribuis, quibus non est obnoxius, et imperfectiones eius enumeras, quas non habet, tum *criminari* siue *calumniari* alterum diceris.

E. g. Si ebrietatis uitium tribuis Caio, aut Atheismi crimine, quo uacat, ipsum accusas, calumniaris Caium.

§ 88.

De laude, uituperatione et calumnia sequentes teneto propositiones.

I. Cum alteri eas, quibus reuera gaudet, perfectiones, uel sermonibus uel scriptis tribuimus, tum adesse, scito, *ueram laudem*, cum uero talibus alterum, qualibus non praeditus est, perfectionibus exornatum esse dicimus, *falsa est laus*, nulloque, lubrico certo, nixa fundamento.

II. In iis, qui ad laudandum quidpiam se accingunt, id uel maxime requiritur, ut uirtutes perfectionesque eius rei, in qua collaudanda uersantur, perspectas habeant exploratasque. Qua enim ratione quis alicuius rei uirtutes perfectionesque, quas ignorat prorsus, enumerabit? Qui fieri poterit, ut rerum imperiti, suo quodque pretio aestumare nescii, ea, quae laudant, digne laudent. Hi enim dum, ob inscitiam suam, uel ea, quae adumbratam tantum uirtutis effigiem habent, ipsam, credunt, esse uirtutem, uel perfectiones, in re quapiam obuias, tanti, quanti debebant, aestumare nequeunt, dubi-

tari non poteſt, quin eorum laus uana ſaepius ſit, falſa, et perridicula.

III. Hinc eſt, ut prudentiores laudem, ab imperitis profectam, non adeo magni faciant, rideantque eos, qui, cum ab hominibus, ſed infrunitis, rudibus, rerumque ignaris eximie collaudantur, quantiuis ſibi uidentur pretii.

IV. Iudicari ex his poteſt, quid ſit, quod nemo non omni, qua poteſt, animi contentione connitatur ad laudem acquirendam. Cum enim perfectionis ſenſus pariat in nobis uoluptatem, tunc uero, cum commemorantur perfectiones noſtrae, fieri non poſſit, quin ſentiamus easdem, patet, omnem laudem, qua quippe noſtrae commemorantur perfectiones, nos iucundiſſimo uoluptatis ſenſu explere. Id omne autem, quod gratum nobis eſt, ſuauiusque animum afficit, appetimus (§ 230 Met.).

Mirum ergo non eſt, tanto quemque maiori animi impetu ad laudem ferri, quo plus habet ſuauitatis.

V. His praeſtructis, intelligi nunc poteſt, an ad laudem appetendam ſimus obligati. Si haec uerba hanc uim habent, quod laudem aliis extorquere debeamus, et poſtulare ab aliis, ut nos noſtrasque uirtutes laudent, tum non nego, neminem, niſi qui ipſe omni laude indignus ſit, impotentem eiusmodi immoderatamque laudis cupiditatem poſſe approbare. At, ſi ita laudis ſtudium interpreteris, ut per illud intelligas uirtutis doctrinaeque

naeque

naeque cultum, iam, ſi culpas laudis cupidinem, ipſam uirtutem, a qua uera peti laus ſolet, eiusque ſtudium culpas.

VI. Si calumniae tela, in nos a maleuolis coniecta, ſenſerimus, noſtrum eſt, α) innocentiam noſtram quoquo modo poterimus, declarare, β) calumnias re magis factisque, quam uerbis, refellere. Poſtulat id honoris ſtudium, ad quod naturae legi obligati ſumus. Si enim ad honorem conſectandum dedecusque omne euitandum obligati ſumus (§ 86 poſ. XII), id quoque declinare et impedire debemus, quod aliorum de noſtris uirtutibus opinionem iudiciumque imminuit. Cum uero calumniae, maxime ſi a uiris magnae auctoritatis multaeque fidei profectae fuerint, magnam uim habeant ad aliorum opinionem iudiciumque de noſtris uirtutibus deminuendum, atque adeo honorem tollendum (§ 87), euidens eſt, cuiusque eſſe, calumnias confutare, et earum falſitatem turpitudinemque uel factis, uel uerbis demonſtrare.

Cum calumniae ab hominibus inſimae ſortis, ſceleratis, et in omne nefas proiectis, et quibus iam turpitudinis inuſta eſt nota, ortum ſuum traxerint, tunc ſatius eſt, tacere, quam irritam operam in commentis refutandis inſumere.

§ 89.

Deuenimus iam ad *fortunam*, quam, ſupra diximus, multa improuiſa nec opinata nobis, propter obſcuritatem ignorationemque cauſarum laten-

latentium efficere. Eſt enim *fortuna* concurſus complicatioque cauſarum, quas is, ad quem pertinent, praeuidere non potuit. Haec fortuna dicitur *ſecunda*, quae ſtatum noſtrum perficit, *aduerſa*, quae perfectionibus finibusque noſtris eſt contraria.

§ 90.

I. Quia fortuna non eſt in poteſtate noſtra (§ 89), ineptum eſt, animo nimis angi et deſperare, ſi ea minus ſecunda uſi fuerimus.

II. Porro, quamuis fortuna ſecunda nos perficiat (§ 89), perfectiones tamen ſiue bona fortunae non ſunt noſtra bona, i. e. non noſtris ſtudiis operaeque ſunt tribuenda. Atque adeo, cum ad id, ut honorem quid adferat, requirantur perfectiones noſtrae, i. e. ſtudio noſtro acquiſitae (§ 85 poſ. VIII), intelligitur, fortunae bona, in ſe ſpectata, nihil ad honorem laudemque adferre adiumenti. In rebus ergo proſperis et ad uoluntatem noſtram fluentibus ſuperbiam, faſtidium, arrogantiamque magno opere fugiamus neceſſe eſt.

CAP. VII.

De officiis erga alios generatim.

§ 91.

Eſt cuiusque hominis felicitas tam arcto connexa uinculo cum aliorum incolumitate, ut niſi

nisi iis, qui tecum eadem uita, eodemque spiritu et aëre fruuntur, saluis, non possis te tuumque statum perficere, feliciterque res tuas agere. Atque adeo opus est, ut in dandis recipiundisque beneficiis, quod quisque minus per se ipse potest, id accipiat ab alio uicissimque reddat.

§ 92.

Hinc nascuntur mutua officia, quae homo homini debet, quaeque alter praestabit alteri, si rationem rectricem patiatur, et ad legis naturae praescriptum actiones suas componere cupiat.

§ 93.

De officiis erga alios si recte existimare uelis, sequentes positiones obseruabis.

I. Officia erga alios, generatim considerata, sunt eiusmodi actiones, ad quas suscipiendas, respectu aliorum hominum, lege naturae obligamur.

II. Officia erga alios percommode in tres describuntur classes, fere, ut cuiusque hominis officia erga se ipsum partiti sumus. Alia pertinent ad animum, ad corpus alia, alia denique ad statum externum fortunasque aliorum perficiendas.

III. Quod uero unusquisque alteri officia, ex legis naturalis praescripto, debeat, id uaria ratione probari solet. Primum scilicet lex naturae nos iubet, perfectiones quascunque consectari (§32), atque adeo, cum suas quisque perfectiones promouere non possit,

sit, nisi simul aliis consultum cupiat (§ 91), de aliorum quoque salute et felicitate debemus cogitare. Deinde, si aliorum perfectiones promouemus, in aliis sensum perfectionis siue *uoluptatem* excitabimus (§ 219 Met.) Ex quo exardescat, necesse est, aliorum amor erga nos (§ 238 Met.), cumque semper coniunctum sit cum amore studium promouendi felicitatem eius, quem amamus (§ 239 Met.), consequens est, ut, si aliis officia praestamus, alios incitemus ad nos perficiendos, felicitatemque nostram promouendam. Cum ergo lege naturali obligemur ad adferenda et conquirenda omnia ea, quae ad nostras perfectiones felicitatemque communiendam quocunque modo spectant (§ 32), intelligitur, nos debere aliis officia praestare.

IV. Praecipua ergo, quae ceteras omnes complectitur, regula in officiis erga alios obseruandis haec est: ALIORVM INTERNVM EXTERNVMQVE STATVM PERFICE QVAM POTES DILIGENTISSIME.

Quam quidem propositionem cum temperamento quodam accipi uolo. α) Si in uiribus nostris positum non est, ut alios perficiamus, et opem auxiliumque iis feramus, tum non obligati sumus ad aliorum statum perficiendum. Ad ea enim, quae ex ἀδυνάτων genere sunt, nemo obligatur. β) Si officia erga te ipsum cum officiis erga alios pugnauerint, ita, ut et tua et aliorum perfectio simul obtineri nequeat, tum opus est, ut, quod in collisione officiorum solet, perfectionem maiorem praeferas minori, i. e. ut tuam salutem aliorum felicitate potio-

potiorem ducas. γ) Si, quod alter abs te depoſcit, officium ipſe ſibi praeſtare poteſt, uiribusque inſtructus eſt, ſibi opem auxiliumque parandi, non es obligatus ad alium iuuandum.

V. Alii ſunt amandi. Cum enim alios perficere lege naturali tenearis (§ 91), aliorum quoque perfectionibus oblecteris, neceſſe eſt. Alios enim qua ratione perficies, niſi ſenſu perfectionum ſiue uoluptate, ex aliorum perfectionibus capienda, complearis. Quod cum ſit, amare alios (§ 238 Met.), euidens eſt, alios eſſe amandos.

Amor princeps eſt ad officia mutua praeſtanda, beneuolentiamque coniungendam, quo ſublato, tolletur omne officium, ipſumque communitatis uinculum diſſoluetur. Is ipſe amor, quem aliis debes, exaequare debet amorem tui ipſius, ad quem, tanquam cynoſuram et regulam, exigendus eſt amor erga alios. Cum enim alius, quem amare debes, aeque ſit homo, ac ipſe es, cum eadem, qua tu, ratione corporeque, artificioſe contexto, inſtructus ſit, cum eadem uita ſpirituque contineatur, eadem, qua ipſe frueris, ueſcatur aura, eundem ſpiritum ducat, non uideo, cur non eundem, quem tibi praeſtas, amorem ſibi depoſcere debeat.

VI. Intelligitur ergo ex his, noſtrum eſſe, aliorum animos, quantum ſitum eſt in nobis, uera boni malique cognitione imbuere, eos ad omne officii munus humanitatemque inſtruere, errorum, quibus inuoluuntur, caliginem diſſipare, a

uitio-

uitiorum illecebris abſtractos in uirtutis uiam reducere, denique nihil intermittere, quod uel ad uires intelligentiae rationisque acuendas ac perficiendas, uel ad uoluntatem moresque conformandos pertineat.

VII. Quod ad aliorum corpus attinet, caueas, ne uim cuiquam inferas, aliorumque ſanguine manus polluas. Caueas, ne aliorum ualetudinem labefactes, uiresque et uigorem corporis atteras, uel temere irritando, uel ad uoluptates uenereas ebrietatemque alliciendo, uel membra uulnerando et mutilando, uel aliis quibuscunque modis.

VIII. Famae quoque et honori aliorum ſeruias, idque omne uitabis, quod ad laudes aliorum obterendas imminuendasque ſpectare uideatur.

IX. Denique id cauendum ſedulo eſt, ne alterius rem familiarem opesque minuamus, ſed eas potius cuſtodiamus, augeamus, amplificemus.

X. Quae omnia, hactenus allata, docent, nullius eſſe ſtatum imperfectiorem reddendum, NEMINEMque adeo, quisquis hic, et cuias fuerit, ESSE LAEDENDVM. *Laedere* enim alterum dicimur, ſi alterius ſtatum reddimus imperfectiorem. Malum autem illud, quod ex laeſione ortum eſt, dicitur *damnum*.

XI. Ne-

XI. Nemini ergo damnum eſt inferendum. Cum enim nemo ſit laedendus, quo demum cumque modo illud fiat (poſ. X), nemini quoque inferendum eſt damnum, quod a laeſione ſeiungi non poteſt (per defin.).

XII. Si uero alteri damnum a nobis fuerit illatum, tum illud reſarciendum eſt. Fac enim, te damnum, alteri illatum, non compenſare, tum alterius laeſio manet, nec tolitur (poſ. X): cum uero nemo laedendus ſit (poſ. X), manifeſtum eſt, damnum, illatum alteri, eſſe reſarciendum, ut laeſio ceſſet.

Sunt quaedam cautiones, in damnis ſarciendis neceſſariae, quarum hanc unam producendam puto. Si quis tibi damnum, ex improuiſo illatum, reſtituere debet, quod uel reſarcire non poteſt, uel, ſi reſarciat, infeliciſſimus euadit, et ad incitas redigitur; tum perinique agis, ſi ipſum ad damnum reſarciendum cogas. Tuum potius erat, aut nullam damni reſtitutionem, aut aliquam, non plenam poſcere.

XIII. Ad id obligati ſumus, ut omnibus ſimus amici, nemini inimici. Cum enim ad alios amandos ſimus obligati (poſ. IV), is autem, qui alterum amat, ſit alteri *amicus* (per def.), conſequens eſt, ut debeamus eſſe aliis amici, nemini inimici. *Inimici* enim ſumus aliis, ſi alios odimus.

CAP. VIII.

De officiis erga amicos et inimicos.

§ 94.

Officia erga amicos his includi possunt regulis.

I. Amici sunt amandi. Cum enim omnes homines, quiqui fuerint, amandi sint (§ 93 pos. IV), uel me non monente intelligis, eos uel maxime amore nostro dignos esse, qui nos amant. Iam uero cum amici ii sint, qui nos amant (per def.), manifestum est, amicos prae primis esse amandos.

II. Id caue, ne amicis, si quid in te imprudentes delinquunt, grauiter irascaris, amoremque in odium conuertas. Neque enim, si aegre nobis fecisse uidetur interdum amicus, id consulto deditaque opera fecisse putandus est. Cum enim amicus sit is, qui nos amat, quique adeo felicitate nostra oblectatur (§ 238 Met.), credi non potest, ipsum ea studio suscepturum, quae alterius amici uoluptatem turbent, ipsique aegritudinem contrahant.

Peruerse igitur et perinique ii cum amicis suis agunt, qui eorum dicta factaque scrupulose nimis minutatimque examinant, et omnia ad uiuum resecant. Quo quidem hominum genere ad amicitias colendas nihil est ineptius.

III. Quicquid amici tui uel animum uel corpus

pus uel fortunas honoresque laedere potest, id omne a tuis dictis factisque abesse iubeto. Postulat id cum lex naturae (§ 32), tum specialius amor ille, quem amicus, qui te amat, iure quodam suo postulat.

IV. Neque eum, qui est tibi inimicus, laedito. Inimicus enim nos odit, atque adeo felicitatem nostram uel aperte, uel tecte, et, cuniculis uelut actis, subuertere allaborat (§ 240 Met.). Si ergo inimicum laedis, eiusque statum imperfectiorem reddis, tum odium eius ingrauescit et exacerbatur, maiorique flagrabit cupiditate te infelicem reddendi, et malum malo compensandi. Ita felicitatem tuam ipse destruis, et inimico quasi arma subministras, quibus in te saeuiat. Quod quam sit legi naturae contrarium, luculenter uides.

V. Neque odio sunt prosequendi inimici. Si enim odio inimicos prosequeris, studio et cupiditate concitaberis, inimicorum tuorum felicitatem destruendi, statumque eorum imperfectiorem reddendi (§ 240 Met.). Quo ipso laedis inimicum (§ 93 pos. X), cum uero inimicus laedendus non sit (pos. IV), consequitur, ut nec odisse eum debeamus.

VI. Ignoscendum est inimicis. Cum enim inimicus non sit odio prosequendus (pos. V), patet, omnia ea ex animo delenda esse, quae causa odii uideri poterant, materiemque quasi ei substernunt. Atque adeo iniuriam, qua te inimicus affecit, obliuione sepelias, et consideres eam, ac si non illata esset. Quod cum

fit, *ignoſcimus inimicis.* Ergo patet, inimicis eſſe ignoſcendum, i. e. ipſos eſſe ita conſiderandos, ac ſi nos non laeſiſſent.

VII. Sublata ita e medio iniuria, tanquam cauſa odii, eodem inimicum loco nunc habebis, quo ceteros homines. Atque adeo inimico eadem, quae reliquis hominibus, debebis officia.

VIII. Ergo, cum omnes homines amandi ſint (poſ. V § 93), inimico amorem, quem aliis debes, denegare non potes.

IX. Inimicorum, ſi quando nos uiolenter adoriantur uitamque petant, furor et impetus cohibendus et frangendus eſt, ne nobis damnum inferre queant, ſalutemque noſtram deſtruere. Cum enim quanta maxima quisque poteſt diligentia et ardore, ſuis rationibus proſpicere debeat, ſalutemque et res ſuas in tuto collocare (§ 32), intelligitur, unumquemque eſſe ad id obligatum, ut, ſi, uitae ſuae ab inimico inſidias ſtrui, ſenſerit, ſi, fortunae famaeque ſuae periculum ab hoſte inſtare, uiderit, omnem ineat rationem expediendae ſalutis, iisque adminiculis utatur, quibus uim inimicorum poſſit propulſare, tela retundere, et damna, quae minitabatur hoſtis, auertere.

X. At in cohibendis inimicis repellendisque iniuriis una haec cautio eſt neceſſaria, ne uel nobis uel inimico ipſi, ſi fieri poteſt, detrimento ſimus. Videndum eſt,

ut

ut et noſtra felicitas ſeruetur inconcuſſa, et *inimicus uel leuiſſimo uel nullo damno afficiatur.*

In cohibendo inimico repellendisque iniuriis haec nobis ſuadet recta ratio, ut α) prius conſilio uerbisque experiamur omnia, quam ad duriora periculi propulſandi remedia progrediamur, β) ut, ſi nihil uerba admonitionesque effecerint, uitam noſtram ab inimici impetu uiolento defendamus, quocunque demum modo id fiat.

XI. Hinc exiſtit MODERAMEN INCVLPATAE TVTELAE, quod nihil eſt aliud, quam corporis ac uitae contra uiolentum aggreſſorem defenſio.

XII. Lex ergo naturae praecipit, ut moderamine inculpatae tutelae utaris uimque ui repellas, ſi uita tua in diſcrimen uocata fuerit. Cum enim lex naturae praecipiat, ut, ſalutis uitaeque noſtrae conſeruandae cauſa, hoſtium impetum reprimamus (poſ. IX § 94), intelligitur, per eandem nos obligari ad uim ui repellendam, uitamque contra uiolentum aggreſſorem defendendam, atque adeo iure inculpatae tutelae utendum.

Idem hac ratione oſtendi poteſt. Fac, te, ſi uitam tuam ferro petierit hoſtis, corpusque tuum telo adortus fuerit, fac, inquam, te tibi uitam eripi pati, quam conſeruare defenſione poteras, nonne hac ratione αὐτόχειϱ eris? Nonne, quod tibi diuinitus cuſtodiendum commiſſum erat, nobile depoſitum turpiter negligis? Nonne naturalem illum uitae conſeruandae inſtinctum, quem non ſine ſapientiſſima ratione Deus in mente tua altiſſime impreſſit, tollis prorſus et deprimis?

Recte hanc in rem CICERO: *Est haec non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut, si uita nostra in aliquas insidias, si in uim, si in tela aut latronum, aut inimicorum, incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis.* Pro Milone Cap. IV.

Varie disputatum est de moderamine inculpatae tutelae inter recentiores, quorum alii aliis finibus ius hoc, a natura concessum, circumscribunt. Paucas has cautiones addere iuuat: α) Moderamen inculpatae tutelae locum non habet, nisi in *statu naturali*, ubi nullus est superior, cui te tutandum permittas. β) Locum habet tum, cum uitae tuae uis infertur, γ) cum nec fuga salutem petere possis, nec quis adfuerit, qui te periculo liberet, δ) in moderamine inculpatae tutelae a lenioribus defendendae uitae modis progrederis ad duriora subsidia, i. e. si uulnere infligendo latronis uim propulsare potes, non opus est caede, sed, si nullo modo reprimi potest aggressoris impetus, satius est, latronem interire, quam te.

CAP. IX.

De officiis hominis ratione Dominii siue possessionis.

§ 95.

Cum genere humano nunquam tam bene actum est, ut alii alios sincero semper ueroque amore complectantur, atque adeo alter alterius rationibus, ut suis, prospectum cupiat. Quare fieri non potest, ut multis, uel omnibus, unam eandemque rem ad usus proprios adhibendi facultas

cultas concedatur. Potentiores rapturi forent ad ſe omnia, ignaui, quod diligentiores labore lucrati eſſent, in otio et deſidia conſumturi eſſent, ſummaque omnium rerum foret confuſio, ſumma perturbatio.

§ 96.

Si plures uel omnes rebus, in hoc mundo obuiis, facultatibusque ita uti poſſent, ut neuter ab earum rerum, quibus ad uitae commoditates ſuauitatesque indigemus, uſu excludi poſſet, tum hoc ius multorum uel omnium unam eandemque rem ad uſus proprios adhibendi dicitur *communio.* Sed ſi quis re quapiam ita utitur, ut ab eius poſſeſſione uſuque alii excludantur, tum hoc appellamus *Dominium* ſiue *Poſſeſſionem.* Et is, qui rem aliquam ita poſſidet, ut ab eius uſu alios excludere poſſit, dicitur eius rei *Dominus.*

E. g. Si quis librum magni pretii poſſidet, et ita quidem, ut alter, quicunque fuerit, ab eius uſu excludatur, tum *dominus* eſt libri.

§ 97.

Quae de dominio et communione merentur obſeruari, his complectemur poſitionibus:

I. Noſtra aetate fieri non poteſt, ut communio bonorum locum habeat. Proſcriptus enim eſt ex communitate humana amor candorque, quo ſublato, tollitur ipſa communio (§ 95). Quamuis non negemus, in orbis huius primordiis, cum pauci homines terram incolerent, earumque rerum in hoc uniuerſo

affatim esset, quae ad usus humanos uitaeque opportunitates pertinerent, omnia omnibus potuisse esse communia. Qui status rerum semper futurus fuisset, si quibus primum oriebatur genus humanum, iisdem finibus contentum terminatumque fuisset, nec tam magnis processisset spatiis, et in immensum excreuisset.

II. Communio tamen earum rerum, quarum magna est copia, quaeque opera et studio hominum parari non debent, adhuc locum habet. E. gr. aquae, aëris, solis, et in nonnullis regionibus ferarum auiumque, quarum magna adest abundantia.

III. Priscam ergo illam consuetudinem habendi omnia communia coacti fuerunt homines deserere et dominium introducere, ita, ut suae cuique facultates, tanquam propriae, attribuerentur.

IV. Prima regula, quae in officiis circa dominium obseruanda est, hac continetur propositione: *Suum cuique tribuendum.*

V. Nemo unquam temere in dominio suo turbandus est. Cum enim neminem laedere debeamus (§ 93 pos. X), eos uero, quos in dominio turbamus, uel maxime laedamus, intelligitur, neminem esse in dominio turbandum.

VI. Ex quo manifestum fit, omne furtum esse euitandum. Quia enim per *furtum* aliis, insciis et inuitis, id, quod suum est, auferimus,

rimus, intelligitur, alios per furtum in dominio ſuo turbari. Cum uero nemo in dominio ſuo turbandus ſit (poſ. V), intelligitur, furtum eſſe omni modo euitandum.

VII. A rapinis et latrociniis itidem abſtinendum eſt. Cum enim per latrocinia, quibus alteri, conſcio quidem, ſed tamen inuito, id, quod ſuum eſt, diripimus, alios in dominio nimium quantum turbemus, manifeſtum eſt, a latrociniis eſſe abſtinendum.

VIII. Quod idem ualet de *fraudibus*, quibus aliorum dominia turbamus. *Fraus* enim eſt nihil aliud, quam eiusmodi actio, quae aliis, conſciis quidem, ſed falſis tamen rationibus ad aſſenſum deductis, res ſuas auferimus.

IX. Quemadmodum alii in dominio non ſunt turbandi, ita ſollicitiſſime illud cauendum eſt, ne rebus, quae noſtrae ſunt, male praepoſtereque utamur, ſed legitime iis, officiisque noſtris conuenienter utamur. Vtimur uero legitime dominio tum demum, cum illud, tanquam ſubſidium, adhibemus, noſtram aliorumque ſalutem promouendi et conſtabiliendi. Si uero iis rebus, quas poſſidemus, ita fuerimus uſi, ut eas uel ad noſtrum uel ad aliorum damnum conuertamus, tum dicimur iis abuti.

§ 98.

Sequitur, ut de modis dominia acquirendi in ſtatu naturali pauca adferamus. Praecipui

uero modi hi fere ſunt. α) Res, quae nullius ſunt, aut quae pro abiectis aut derelictis habentur, *occupamus*. β) Res amiſſas, ſi forte fortuna *inuenimus*, tunc efficimus, ut eae noſtrae fiant.

Obſeruandum uero hic eſt, res illas, quas inuenimus, *nullius* eſſe debere, et a domino ſuo pro derelictis haberi. Quare omnium eorum, qui res inueniunt, eſt, de exquirendo legitimo domino ſollicite cogitare, nec eas prius in ſuos conuertere uſus, quam ubi nullus, multo licet labore adhibito, exquiri potuit dominus.

§ 99.

De acquiſitione dominii has teneto propoſitiones:

I. Si, quae alter deſeruit, quaeque nullius ſunt, occupaueris, illud uide, ut, quae occupas, tibi ſint emolumento.

II. Quas tibi acquiſiuiſti facultates, de iis augendis, amplificandisque cogitato, ſed ita, ut ne aliorum damno locupletior fieri ſtudeas.

III. Dominium tuum ita tueri debes, ut iis, qui te in eo, nefario auſu, et uiolento modo turbant, quanta potes maxima animi corporisque contentione, obſiſtas, et ea, quae nocitura uidentur, propulſes.

Quam quidem regulam tam late patere nolumus, ut, iis, qui facultates nobis uel per uim eripiunt, uel imminuunt, ipſam uitam eripi poſſe, exiſtimemus.

§ 100.

Quandoquidem non omnes iisdem opibus inſtructi ſunt, ſed alter iis rebus, quae ad uitae neceſſita-

ceſſitates expediendas, commoditatesque pertinent, abundat, alter contra indiget, intelligitur, ſi generis humani rationibus proſpici debet, ut debet omnino, alterum alteri ſaepius impertiri id, quod ſuum eſt, debere, et communicandis recipiendisque dominiis ſocietatem humanam conſeruandam. Ex quo manifeſtum eſt, opus eſſe inter homines *alienatione*, quae in eo poſita eſt, ut, quae poſſidemus, in alios transferamus, aliisque res, quae noſtrae ſunt, poſſidendi et in uſus ſuos conuertendi, facultatem concedamus.

§ 101.

Duplici uero modo proprietates noſtras in alios transferimus α) *donatione*, β) *permutatione*.

§ 102.

Donamus alteri quid, cum in alterum dominium noſtrum transferimus, gratis, ſine pecunia, ſine opera.

§ 103.

De donatione ſequentia enunciata expendi uolumus.

I. Donum ad ea pertinet, quae alter, cui donatur, nullo iure exigere poteſt. Atque adeo ad donationem nemo perfecte obligatus eſt, ſiue cogi poteſt.

Quod ita tamen intelligi uolo. Si quis affluit rebus, quibus alter ad ſalutem ſuam amplificandam indiget, tum uero omnibus uel perſonarum, uel rerum momentis rite expenſis, rationis hone-

ſtatis-

ſtatisque leges ſibi ſequendas eſſe intelliget, animaduertetque, an et quantum alteri donandum ſit.

II. Si quis plus boni ſe effecturum uidet, cum dona opum indigis largitus fuerit, quam efficere poſſit, ſi opes facultatesque retineat, quibus ipſe frui non poteſt, tum uero ad dona alteri tribuenda obligatus eſt.

III. Quod iis, qui omnibus facultatibus exhauſti ſunt, ad uictum quotidianum uitaeque neceſſitates expediendas conferimus donum, dicitur *eleemoſyna*, ad quam erogandam obligatos nos eſſe, tanto minus dubitare poterimus, quanto diligentius in eo elaborare debemus, ut aliorum, in quibus nihil eſt opis, ſaluti proſpiciamus.

§ 104.

Alter modus transferendi dominium, eſt *permutatio*, quae in eo conſiſtit, ut, quibus egemus uel ad uitam, corpus, ualetudinem fortunasque conſeruandas, res accipiamus ab aliis, et reddamus, quod alter e re ſua futurum putat.

§ 105.

Cum non omnes, qui rebus facultatibusque noſtris indigent, tam nudati ſint opum praeſidiis, ut iis, a quibus dominium accipiunt, reddere nihil queant, facile patet, hos tanto magis ad compenſanda ea, quae acceperunt, obligatos eſſe, quanto pluris omnium intereſt, prouidere, ne quid res familiaris capiat detrimenti.

§ 106.

§ 106.

I. Vt in permutatione dominiorum minus ſit fraudis, rebus certum pretium ſtatuendum eſt, quod eſt menſura arbitraria, ad quam res, quae ab altero in alterum transferendae ſunt, exigi poſſunt.

E. gr. Si libro quodam indigeo, tum, ut neceſſitati meae conſulatur, bibliopola librum illum, quem, ut ſuum, poſſidet, in me, facultate eum in uſus meos conuertendi conceſſa, transferet: Sed quomodo, aut quibus conditionibus, transfert? Nullo iure a bibliopola exigere poſſum, ut mihi libri uſum gratis concedat, detrimentumque rei familiaris patiatur. Ne ergo, qua opum deminutio per me bibliopolae attrahatur, opus eſt, ut ad damnum reſarciendum, aut aliud quidpiam bibliopolae reddam, aut, in quo plus eſt ſecuritatis, minusque fraudulentiae, certam pecuniae ſummam ipſi ſoluam.

II. In permutatione rerum aequalitas et compenſatio iuſta obſeruanda eſt. Secus enim ſi ſit, abeſſe non poteſt, quin alteruter res permutantium damno afficiatur. Quod cum legi naturae aduerſetur (§ 93 poſ. X), euidentiſſimum eſt, aequalitatem et compenſationem iuſtam in permutandis rebus debere habere locum.

III. Quod idem ualet de operis et laboribus, quos pauperes opumque indigi impendunt, ut opulentiorum neceſſitati perfectionibus conſulant.

IV. Laboribus atque operis merces eſt ſtatuenda. MERCES eſt pretium laborum. Demas mercedem, nonne ita indigus laborem

operam-

operamque suam opulentiori gratis commodabit? nonne hac ratione status eius, qui diurno opere uictum quaeritat, imperfectior redditur, cum, quod uitae alendae sufficere poterat, laboris pretium ipsi subtrahitur.

Quod idem hac ratione ostendi potest, a) qui aliis operam suam laboremque commodant, ii uero id ideo faciunt, ut, quantum ad uictum quotidianum acquirendum uitaeque commoditates sufficit, tantum labore lucrentur. b) Si ergo mercedem laboranti subtraxeris, subtrahis ipsi alimenta, et, quae fundamenti loco in officiis circa dominium posita fuit regula, uiolatur: *Suum cuique tribuendum.*

§ 107.

Cum in alios transferimus dominium ita, ut alii determinatam pecuniae summam pro eo, quod accipiunt, reddant, tum dicimur dominium *uendere*, alter uero, qui, soluta pecunia, dominium accipit, dicitur illud *emere.*

Quod ut intelligatur plenius, haec habeto. Genus humanum ubi ab exiguis initiis eo creuit, ut tota terra, quanta quanta est, hominum multitudine nunc redundet: rerum permutatio minus commoda fuit rationibus singulorum necessitatibusque expediendis, cum, quod plurimi ne habent quidem, quae inter se commutent, tum quod res permutandi consuetudo a fraudibus seiuncta esse non potuit. Atque adeo de inuenienda quadam re maiores nostri soliciti fuerunt, quae mensura esset communis pretii omnium rerum. Hanc ad mensuram constituendam elegerunt metalla, aurum potissimum et argentum, et uocarunt *pecuniam*, quam recte dixeris communem mensuram pretii omnium rerum. De pecunia haec pauca obserues. α) Nulla aptior pecuniae constituendae poterat esse materia, quam aurum

aurum et argentum. Quia haec metalla ſunt et rariora, atque adeo maioris pretii et duriſſima, nec facile corrumpi poſſunt. β) Opus eſt notis quibusdam, quibus uera ac ſolida pecunia ab adulterina poſſit internoſci. Particula haec metalli, notis certis inſignita, dicitur *Moneta*.

CAP. X.

De officiis Hominum in ſermonibus, Pactis et contractibus.

§ 108.

Duo ſunt, quae in hoc capite explicanda ſunt. Alterum ſpectat ad officia in *ſermonibus*, alterum pertinebit ad ea, quae in pactis contractibusque nos obſeruare iubet ratio.

§ 109.

Qui aliud loquitur, aliud cogitat, is *falſiloquium* committit. FALSILOQIVM enim eſt ſermo, a mente alienus. Qui ſermo, a mente alienus, ſi uel in noſtrum, uel aliorum damnum directus eſt, dicitur *mendacium*.

§ 110.

Ex his definitionibus ſequentia enunciata deducimus.

I. Falſiloquium cum mendacio non eſt commiſcendum. Ad mendacium enim non modo requiritur, ut ſermo a mente diſcordet, ſed id quoque, ut uel loquenti uel aliis damnum inferat (§ 109), *falſiloquium* autem non ſemper cum damno copulatum eſt.

II. Fieri

II. Fieri nonnunquam poteſt, et fit perſaepe, ut falſiloquium non modo nihil adferat damni, ſed etiam ad perfectionem ſtatus noſtri uel aliorum plurimum ualeat.

III. Atque adeo incidunt tempora, cum falſiloquium et licitum eſt, et ipſa lege naturae praecipitur. Lex enim naturae praecipit, ut cum noſtram, tum aliorum perfectionem promoueamus (§ 32). Quod cum fieri poſſit et fiat perſaepe, per falſiloquiorum uſum (poſ. II) intelligitur, lad falſioquia adhibenda nos interdum lege naturae obligari.

IV. Nunquam uero fieri poteſt, ut mendacium uel ſtatus noſtri uel aliorum perfectiones promoueat, quippe quod ſemper aut cum noſtro aut aliorum damno coniunctum eſt (§ 109), adeoque nunquam mendacium debemus adhibere, ſed ſemper ad illud euitandum ſumus obligati. Nemini enim debemus damnum inferre (§ 93 poſ. X).

V. Ex quibus patet, non ſemper illum rationi legique naturae conuenienter agere, qui uerum ubique dicit. Poteſt enim quis per id, quod uerum dicat, ſe aliosque in funeſtiſſimum detrudere exitium. E. gr. omnes proditores patriae uerum dicunt. Sed nonne patriam, ciuesque omnes ſummis miſeriis inuoluunt?

VI. Quare nonnunquam opus eſt, ut ueritas reticeatur, eorumque, cum quibus res

nobis

nobis eſt, perſaepe refert, nec uerum dici, nec falſum.

Quae omnia rectius intelliguntur, ſi in uita actionibusque tuis nonnunquam eiusmodi caſus inciderint, qui non, niſi ex temporis, loci, perſonae, ceterarumque rerum, huc pertinentium, indole et ratione definiri diiudicarique poſſunt.

VII. Cauendum eſt in omni ſermone, ne, quas alter celari uult, res, uetularum more, effutiamus, neu exiſtimationi alterius criminando obſimus.

VIII. Vt paucis multa complectar: *Ita loquendum eſt, ſemper et ubique, ut aliis nobisque non noceamus, ſed proſimus.*

§ 111.

Cum fidem uerbis ſermonibusque noſtris conciliare, aliosque de ſinceritate noſtra ſtudioque uerum dicendi conuincere uolumus, uti ſolemus dictionibus quibusdam, loquendique formis, quas dicimus *conteſtationes aut aſſeuerationes* (Betheurungen).

E. gr. Ita me DEVS amet! ita ſaluus ſim! ita uiuam! ita feliciter agam, etc.

§ 112.

De Conteſtationibus has obſeruabis regulas:

I. Conteſtationes frequentius et in rebus leuibus non ſunt adhibendae. Quo enim ſunt frequentiores, eo magis uileſcunt, neque adeo, quam habere debebant, uim adferunt, ad fidem auctoritatemque uerbis noſtris conciliandam.

Dudum prudentiores experientia docuit, quanto quisque frequentioribus utatur contestationibus, tanto esse plerumque leuioris animi et ad fallendos alios instructiorem.

II. Quamdiu leuiores asseuerationes ad fidem uerbis nostris conciliandam sufficiunt, tamdiu non opus est grauioribus, quas uir bonus non, nisi summa adactus necessitate, adhibet, ubi scilicet aut famae consulendum est, aut aliorum salus constabilienda.

§ 113.

Eae contestationes, quibus DEVM, tanquam testem ac uindicem, inuocamus, dicere solemus *iuramentum*, siue latinius, *iusiurandum*, quod CICERO per affirmationem religiosam explicat de Off. L. III c. 29.

E. gr. Si dixeris, ita me DEVS adiuuet, ut hoc illudque uidi, feci, uel iussi, cetera.

§ 114.

Ex definitione iurisiurandi patet.

I. Quae cautiones in contestationibus adhibendis necessariae sunt, easdem in iurisiurandi usu esse obseruandas (§ 112).

II. Intelligitur ex his, neminem, nisi qui credat DEVM esse, Sacramentum dicere posse.

III. Ius ergo iurandum in ludibrium uertetur, si illud aut Atheo deferatur, aut hominibus de Epicuri grege, quos, constat, negare, DEVM curare res humanas, uir-

tuti-

tutibusque praemia et uitiis poenas proponere.

IV. Quemadmodum asseuerationibus non nisi extrema coactus necessitate, utitur uir bonus (§ 112): ita iureiurando non uti debet quisquam, nisi necessitate compulsus, tum scilicet, cum uel eius, qui iurat, uel aliorum, uel rei denique publicae intersit, ueritatem ad liquidum perduci et patefieri.

V. Iusiurandum cuiusque religioni attemperandum est. Secus enim si fit, is, qui iurat, nullo metu iustitiae uindicis uel a malo absterrebitur, uel ad uerum dicendum, bonumque faciendum promissumque seruandum concitabitur.

Recte HEINECCIVS: *Ne iurisiurandi quidem nomen meretur adseueratio per res, quarum nulla mentem uincit religio.* Lib. I § 207 Iur. Nat. Idem recte monet, formulas ritusque eorum, qui, ex suae religionis praescripto, iurant, non tendere debere in ignominiam ueri, quem colimus, quique religiosissime perreuerenterque ab omnibus colendus est, Dei.

VI. Nemo se iureiurando ad res turpes legeque prohibitas deuinciat. Ad ea enim omnia fugienda ipse Deus nos obligat. Ad ea ergo facienda se obligare iureiurando, quid scelestius esse potest?

VII. In omni iureiurando cauillationes, et quas uocant, reseruationes mentales uitandae sunt. Cum enim reseruationes mentales, quibus formulae iurisiurandi alio sensu,

quam quem iusiurandum poſtulat, recitantur, eo referantur, ut uis iurisiurandi eludatur; uides, eos, qui reſeruationum mentalium integumento improbitatem ſuam tegere ac uelare cupiunt, in re ſeria ludere, Deoque, qui intimos mentis receſſus latebrasque perſcrutatur, non debitam reuerentiam exhibere, neque adeo ipſum pro tali numine, quale reuera eſt, habere. Quod aduerſatur iis, quae ſupra diximus § 65.

VIII. In primis cauendum eſt, ne periurium committamus. Eſt autem PERIVRIVM iuramentum pro confirmando mendacio praeſtitum. Iam uero, cum mendacium committere non debeamus (§ 110 poſ. IV), multo minus ad id confirmandum iuſtitiam Dei uindicem inuocare debemus. Neque uideo, an quicquam Deo indignius et ad ipſius gloriam obſcurandam accommodatius admitti poſſit, quam ſi proterue, et ſtudio, ipſius iuſtitiam et uindictam nobis expoſcimus.

IX. Si quis iurauit, ſe rem turpem et legi contrariam facturum, is ad iusiurandum ſeruandum non obligabitur. Nemo enim ad id, quod legi aduerſatur, committendum obligatur.

§ 115.

Exſecrationes ſiue *maledictiones* nihil aliud ſunt, quam oratio, qua declaramus, cupere nos, ut alteri male ſit.

§ 116.

Nemo non intelligit, exſecrationes legi natu-

rae et rationi prorſus aduerſari. Cum enim ad id lege naturae obligemur, ut alios amemus, iisque bene cupiamus (§ 93 poſ. IV), patet, omnia illa uerba, omnes ſermones, quibus ſignificamus, nos aliis male cupere, eſſe legi naturae contrarios.

§ 117.

Hactenus de officiis in ſermonibus. Nunc de *pactis* commentabimur. Pactorum uero natura et indoles intelligi non poteſt, niſi, quid ſit *promisſio*, antea diſtinctius explicatum dederimus.

§ 118.

Eſt igitur *promisſio* nihil aliud, quam oratio, qua in aliorum gratiam aliquid uel facturos uel omiſſuros nos eſſe, dicimus.

§ 119.

Ex definitione hac ſequentes conficiuntur propoſitiones.

I. Nihil homo homini promittere debet, niſi quod legi naturali conſentaneum eſt. Fac enim, quempiam promittere quid alteri, quod legi ſit aduerſum, tum uero promiſſor dicit, ſe facturum quid, quod legi eſt aduerſum. Cum uero ad omne id ſimus obligati, quod legi eſt conforme, et ad omne id fugiendum, quod eidem aduerſatur (§ 32), euidens eſt, non promittere quempiam quid alteri debere, quod legi eſt aduerſum.

II. Atque adeo promiſſa, quibus quid polliciti ſumus, legi contrarium, ſunt irrita, nec ſeruanda.

III. Sequitur ergo, ut omnia promissa debeant esse eiusmodi, ut nec cum officiis erga nos, nec cum officiis erga Deum et erga alios pugnent, sed potius cum lege consentiant. Talia cum fuerint, dubitari non potest, promissis esse standum. Obligatus enim es ad id, quod lege praecipitur (§ 32), obligatus ergo etiam es ad promissa seruanda, quibus, te quid facturum, quod legi sit consentaneum, pollicitus es. Neque uideo, si non expleueris promissa, quomodo ab animo alios laedendi immunis pronunciari queas. Multiplici enim modo laeditur alter, cui quid promisisti, nec seruas promissum. Cum uero nemo sit laedendus, promissa quoque seruanda esse, patet.

IV. Ea, quae sunt ἀδύνατα, nec uiribus nostris praestari possunt, promitti non debent, et, si promissa sunt, ad ea seruanda non datur obligatio. Ludibrio habes eum, cui promittis impossibilia. Dicis enim, te facturum ea, quae nec tuis, nec fortasse cuiusquam alius uiribus effici queunt. Quod quid aliud est, quam dicere, te non facturum ea, quae promisisti? Cumque ad ea, quae sunt ex genere eorum, quae fieri non possunt, non detur obligatio (§ 20 pos. VII), intelligitur, ad promissa impossibilia seruanda non dari obligationem.

§ 120.

Ita nunc intelligis, quid sit *pactum*. Pacta sunt promissa mutua de factis sibi praestandis.

§ 121.

Quas ergo de promisſis demonſtrauimus propoſitiones, in doctrina, de pactis quoque ualent.

I. Paciſci nihil debemus, niſi quod legi conforme eſt, et ea pacta ſeruanda ſunt (§ 119 poſ. I).

II. Eorum uero pactorum, quibus illicitas res legique aduerſas promiſimus, nulla uis eſt, nulla obligatio (§ 119 poſ. II). Quod idem ualet, de iis pactis, quibus ea, quae fieri non poſſunt, promiſimus (§ 119 poſ. IV).

III. Pacta perficiuntur mutuo conſenſu. Vtraque enim paciſcentium pars promittit quidpiam, et alter alteri uerbis declarat, ſe in eius gratiam quid praeſtiturum uel omiſſurum (§118), ad quod mutuus conſenſus requiritur.

IV. Hic conſenſus deſinit eſſe conſenſus, ſi uel minis, uel ui, uel dolo alter ad paciſcendum compellitur inducitur que. Is enim, qui metu doloque ad pactum perficiendum commouetur, uerbis quidem externis ſignificat, ſe in alterius gratiam quid praeſtiturum, ſed mente negat. Atque adeo pactum eiusmodi conſenſu mutuo deſtituitur.

V. Pactum ergo, uel metu extortum, uel elicitum dolo, ſeruari non debet. Quia eiusmodi pactum plane non eſt pactum (poſ. I et IV).

VI. Quemadmodum pacta mutuo conſenſu perficiuntur (poſ. III), ſic mutuo con-

sensu quoque solui possunt, si scilicet ex eo, quod dissoluitur pactum, non aliquid prouenit, quod legi naturae est aduersum. Si enim utraque paciscentium pars, ad id, quod pacti sunt, obligati sunt etiam sine pacto, ab officio recedere non possunt, quamuis mutuus consensus adsit ad soluendum pactum.

VII. Pactum de dominio in alios transferendo, dicitur contractus siue conuentio.

VIII. Emtio ergo et uenditio ad contractus pertinent (§ 107).

IX. Cum nemo sit laedendus (§ 93 pos. IX), neminique damnum inferendum (§ 93 pos. X), neque emtor uenditorem, neque uenditor emtorem damno afficere debet.

Quae regula, generalius enunciata, complectitur omnes specialiores, quae in emendo uendendoque obseruari debent.

X. Mutuo consensu, tanquam fundamento, nituntur omnes contractus, qui, si accesserit, mutuus, consensus, tolli dissoluique possunt. Pactum enim mutuo consensu perficitur (pos. III). rescindique potest mutuo consensu (pos. VI).

§ 122.

Si aliis rerum facultatumque nostrarum usum concedimus, idque *gratis*, tum dominium nostrum alteri *mutuum* damus, et is, qui mutuum accipit, dicitur mutuari.

§ 123.

§ 123.

I. Ad alteri res ſuas mutuas dandas nemo cogi poteſt, nemo perfecte obligatur. Nemo enim tenetur detrimentum rei familiaris propriae facere, ut alterius rem familiarem augeat. Perfectiones enim ſtatus noſtri potiores nobis eſſe debent perfectionibus aliorum.

II. Cum uero fieri poſſit, ut alter, ad perfectionem ſtatus ſui ſalutemque amplificandam, rebus iis, quibus affluo, indigeat, tum ſenſus humanitatis amorque, qui aliorum perfectionibus promouendis nunquam non intentus eſt, ſuadent, ut aliis rerum mearum uſum gratis, idque ad tempus concedam.

III. Is, qui mutuum accepit, domino rem commodatam, conſtituto tempore, reddat, eamque integram et illaeſam. Niſi enim reſtituat, dominus, qui rei ſuae uſum alteri conceſſit, damno afficitur, detrimentumque rei familiaris patitur. Nemo uero damno eſt afficiendus (§ 93 poſ. X).

IV. Is, qui rem commodatam accepit, eam nec uendat, nec alteri cuipiam mutuam det, niſi id fiat domino conſentiente. Secus enim ſi fit, dominus rei familiaris detrimento afficitur.

V. Si rerum noſtrarum uſum alteri non gratis, ſed pro certa pecunia, concedimus, locamus res noſtras alteri, et is, qui promittit pecuniam, conducere eas dicitur.

VI. Locatoris et conductoris officia disci aestumarique possunt ex iis, quae de pactis generatim diximus. Summa regularum omnium, hic obseruandarum, haec est: Neque locator conductori, neque conductor locatori damnum inferat, sed alter alterius utilitati consulat.

VII. Si aliis pecuniam mutuam damus, tum appellamur *creditores*, et is, qui pecuniam mutuam accepit, dicitur *debitor*.

VIII. Si alteri pecuniam mutuam des, de eo sollicitus sis, ut certissimus fias, pecuniam commodatam non perditum iri. Obligatus enim es ad opes tuas conseruandas (§ 81 pos. I).

IX. Duo ergo sunt, de quibus tibi prius, quam pecuniam commodaueris alteri, prospicias. Primum num possit is, cui das, reddere, quod debet, siue num sit soluendo, deinde num uelit restituere, i. e. num uir sit bonae fidei.

X. Documentis ergo fidei certioribus opus est, quibus caueat de pecunia is, qui mutuam illam accipit. Alias enim is, qui dedit mutuo, periculo pecuniam amittendi expositus est, detrimentumque rei familiaris patietur.

Cautionum autem, quibus securitati creditoris prospicitur, haec fere sunt genera, quorum alia aliis maiorem ad securitatem praestandam habent uim. α) Huc spectat *obligatio*, qua litteris scriptis profitetur debitor, quantum pecuniae acceperit, et quo tempore cum foenore rem commodatam restituere uelit.

uelit. β) *Pignus*, cum rem quandam mobilem, e. gr. pretiosa, monilia, libros, uestes, uasa argentea, cetera, in securitatem crediti tradit debitor creditori, ut, si nomen non expunctum fuerit, retineat ea creditor, si uero aes alienum dissoluerit debitor, reddat. γ) Cum denique immobili bono, e. gr. agris, pratis, hortis, aedibus, de pecunia cauet debitor, audit *hypotheca*. δ) Si quis alius se soluturum ad diem constitutum pecuniam dixerit, cum debitor non soluat, tum eum dicimus *fideiussorem*, *praedem*, *cautorem*.

XI. Si alteri pecuniam commodat creditor, tum alter, cui commodatur, insigne lucrum facere potest, quod non fecisset, si pecuniam non accepisset mutuam. Eodem uero lucro cum se locupletiorem reddere potuisset creditor, nisi pecuniam alteri mutuam dedisset, patet, iure quodam suo, creditorem ab debitore annuum quendam fructum pecuniae commodatae repetere posse. Qui fructus siue emolumentum pecuniae dicitur *usura*, quam, patet, rectae rationi non repugnare.

Disputatum est inter recentiores et theologos et philosophos, num creditor sibi praemium aliquod pro pecunia commodata, et sorte concessa a debitoribus stipulari possit. Qui adfirmant, has adfirmandi rationes adferunt. α) Si debitor locupletior fit pecunia creditoris, nonne interim creditor fructu et emolumento pecuniae carebit? Nemo uero alterius damno locupletior fieri debet. β) Cur non creditor a debitore mercedem aliquam pro magnitudine periculi exigat? Magnum enim periculum adit is, qui debitori pecuniae suae usum fructumque concedit. Qui usuras damnant, scripturae sacrae testimoniis nituntur Psalm. XV, 5, Luc. VI, 34 seqq.

seqq. Sed hic mordaces immodicasque usuras, a legitimis usuris distinguas. Conf. Deut. XXIII. v. 19. 20.

XII. Vsura semper debet esse eiusmodi, ut nec creditor nec debitor ex eius solutione damnum capiat.

XIII. Pecunia, siue sors, ex qua fructum emolumentumque lucri capit debitor, si ad statutum tempus restituendum est, tantundem, non modo ratione quantitatis, sed etiam qualitatis reddi debet, quantum debitor accepit, nec mora soluendi nectatur. Plurimum enim damni creditor saepe accipit ex mora solutionis.

§ 124.

Ex his manifestum fit, id, quod apud nos ab aliis ad custodiam est *depositum*, sine tergiuersatione iis, qui deposuerunt, si reposcatur, esse reddendum.

Quod alter nobis custodiendum asseruandumque commisit, id ita debemus nobis habere commendatum, ut nec nostra culpa perdatur, nec detrimenti quid capiat. Secus si fit, damnum, nostra culpa rebus depositis illatum, compensari a nobis debet. Sed si damnum rei depositae infertur, quod euitari nec nostra nec cuiusquam diligentia potuerat, tum damnum praestare non tenemur.

❀ (o) ❀

PHILO-

PHILOSOPHIAE PRACTICAE PARS III.

Inſtitutiones Ethicae ſiue Philoſophiae Moralis ſtricte ſic dictae.

Prooemium de Ethica in genere.

§ 125.

Quamuis ſupra iam luculenter oſtendiſſe uideamur, quae ſit differentia iuris naturae et Ethices (§ 1), paullo tamen nunc diſtinctius eas propoſitiones euoluemus, quae ad naturam Ethices explicandam, eandemque a iure naturae internoſcendam pertineant.

§ 126.

I. Ius naturae leges explicat, docetque quid homini ſit faciendum omittendumue (§ 3 poſ. IV). Ethica uero rationem uiamque nobis oſtendit, legibus naturae obſecundandi (§ 3 poſ. IV). Recte ergo non-

nonnulli ius naturae theoriam Ethices uocarunt.

II. Ethicae est, docere, qua ratione mens nostra firmam quandam recte faciendi facilitatem consequatur, habitumque actiones honestas, quarum praecepta dat ius naturae, suscipiendi sibi acquirat.

III. Ethica ergo, uel in primis, in eo occupatur, ut modum uirtutis assequendae demonstret. VIRTVS enim est habitus actiones suas legi naturali conuenienter instituendi.

IV. Ethicae id propositum est, ut inclinet flectatque uoluntatem ad recte faciendum, ita ut quis libenter summaque cum uoluptate honestas actiones suscipiat, turpesque fugiat, quamuis nec praemiis incitetur, nec poena a uitiis reuocetur.

V. Ethica itaque in emendanda tota mente operam insumit, moribusque corrigendis intenta est. Hoc enim est emendare uoluntatem, cum ea a turpitudine ad honestatem, a uitiis ad uirtutem reuocatur. Quod cum fieri non possit, nisi uera ueri boni cognitione imbuatur, euidens est, ethicam quoque in emendando intellectu, ratione, cognitione boni, atque adeo in tota mente occupari.

VI. Munit praeterea sui cultoribus ethica uiam ad ueri nominis felicitatem, quae interna mentis uoluptate et tranquillitate conti-

continetur (per defin.). Cum enim ethica rationem uirtutis conſequendae doceat (poſ. I), uirtus autem ſit medium felicitatis (§ 46), palam eſt, Ethicam quoque felicitati uerae impetrandae inſeruire.

Quo ipſo perſpicitur denuo, quantum a iure naturae differat Ethica. Illud externam quietem urget, in eoque acquieſcit, ut doceat, neminem eſſe laedendum, ſuum cuique tribuendum, cetera. Haec uero efficit, ut homo interna felicitate perfruatur, uirtutisque praemiis exhilaretur.

VII. Hoc denique addendum eſt, in ethica quoque doceri debere, quomodo tollantur e medio uirtutis impedimenta, quae ſalebras ſaepius hominibus, ad felicitatem graſſaturis, ex transuerſo obiiciunt. Quomodo enim Ethica rationem aſſequendae uirtutis docere poteſt, niſi oſtendat, quomodo remoueantur impedimenta uirtutis culturae obſtantia.

VIII. Atque adeo cum uitia ſint maximum uirtutis impedimentum, eamque peſtifero quaſi ueneno enecent, Ethicae eſt, oſtendere, quomodo mentis uitioſitas exuatur, fonsque tot actionum turpium obſtruatur.

CAP. I

CAP. I.

Regulas quasdam generaliores de uirtutis ſtudio eiusque conſequendae adiumentis et ſubſidiis explicans.

§ 127.

Regulas de uirtute colenda ſequentibus concludemus axiomatibus, ex unica fere uirtutis definitione deductis.

I. Qui ueram uirtutis conſequendae rationem inire uult, id agat impenſius, ut recte faciendi facilitatem, actionesque ſuas ad legem naturae componendi habitum acquirat. Eſt enim uirtus habitus actiones ſuas legi naturae conformandi (per def.).

II. Qui ergo uirtutis conſequendae ſtudio ducitur, nae is, oportet, regulas, iure naturae traditas, perſpectas habeat. Alias enim ad earum praeſcriptum actiones dirigere non poteſt.

III. Inprimis de eo uirtutis ſtudioſus ſollicitus eſto, ut eius animus boni maliue cognitione imbutus ſit. Rectum enim qui facere poteris, niſi, quid rectum ſit, cognitum habueris?

IV. Cum uero, quid bonum malumue ſit, ex cuiusque actionis effectis conſequentiisque perſpiciatur, idque, adiutrice ratione,

tione (§ 10), intelligitur, uirtutis consequendae uel praecipuum adiumentum esse rationis culturam, quam quo diligentius perfeceris, hoc ad uirtutem colendam te aptiorem senties.

V. Non requiritur autem solum qualiscunque boni maliue cognitio ad uirtutis studium, sed ea quoque, necesse est, distincta sit et uiua, i. e. eiusmodi, ut uoluntatem flectat, et ad bonum inclinet. Cum enim non in eo posita sit uirtus, ut quis recte faciat, sed ut libenter et cum uoluptate quadam honeste, et legi conuenienter uiuat, et interno quodam studio constantique recte faciendi uoluntate gaudeat (§ 44), consequens est, ut animus non possit uirtutem assequi, nisi ea boni maliue cognitione instructus fuerit, quae est uiua, i. e. quae mentem uoluntatemque, stimulis uelut incitatam, ad bene faciendi propositum alliciat, flectat, et exsuscitet.

VI. Quanti ergo interest ad uirtutem consequendam, in mente nostra uiuam boni malique cognitionem gigni, tanti quoque refert, distributius a nobis explicari, quo modo, quibusue adminiculis uiuam acquiramus faciendorum ac fugiendorum cognitionem.

VII. Primum ergo ad uiuam eius, quod honestum ac turpe est, cognitionem acquirendam permultum ualet illud, ut ad ea, quae ex bonis aut malis actionibus con-

sequuntur, quam possumus diligentissime attendamus, atque ita praestantiam uirtutis opportunitatesque, et funestos uitiorum euentus, uel nobis uel aliis sub oculos subiiciamus.

VIII. Quod, nescio, an utilius commodiusque fieri possit, quam si ad ea, quae experientia nos condocet, acrius contemplanda animum, uirtutis cupidum, conuertamus. Ea enim est mentis humanae natura, ut iis, quae ante oculos sunt constituta, multo uehementius percelli soleamus, quam recte uiuendi praeceptis, maxime si paullo subtiliori dicendi genere proponuntur. Dudum eruditi experientiam uirtutis recteque agendi magistram uocarunt.

IX. Cumque experientia sit uel propria, uel aliena, consequens est, ut uel per propriam uel per alienam experientiam uiuam acquiramus cognitionem.

X. Experientiae propriae adminiculo tum demum cognitionis uiuae reddimur participes, cum ipsi dulcissimum bene factorum fructum, et funestos scelerum libidinumque euentus persentiscimus.

Vnde saepius factum, nouimus, ut ii, qui in omnia uitia sese ingurgitarunt, procedente tempore, resipuerint, cum scilicet tristes poenitendosque uoluptatis ac flagitiorum fructus, labesque et uulnera conscientiae ita senserunt, ut ferre non amplius potuerint. Ex quo ortum prouerbium: *Piscator ictus sapit*, mit Schaden wird man klug. Quae

uero

uero prudentia multis et corporis cruciatibus et animi angoribus tormentisque haud raro redimitur.

XI. Per experientiam alienam uiua cognitio parari ſolet, cum hiſtorias ueteres recentioresque in conſilium adhibemus. Hoc enim, monitore LIVIO, praecipue in hiſtoria et cognitione rerum geſtarum ſalubre eſt, ac frugiferum, ut inde nobis, quod imitemur, capiamus, inde foedum inceptu, foedum exitu, quod uitemus.

Sunt autem multae cautiones, ad quas animum quam poſſumus acerrime intendamus, oportet, ſi per exemplorum uſum mentes uiua boni maliue cognitione imbuere, easque ad uirtutis amorem concitare uoluerimus. Quarum nonnullas, operae fuerit pretium, hic adducere.

α) Si quos habes, quorum mentem proponendis exemplis ad uirtutem incendere cupis, id, uel maxime, tibi negotii datum exiſtimato, ut eorum, quos ad recti bonique ſtudium uis perduci, uires explores, ſoliciteque inquiras, num, quae imitari iubes, exempla ſint eiusmodi, ut imitari poſſit is, qui iubetur. Quemadmodum enim illum, cui poplites neruique ſunt inciſi, fruſtra ad eundum ſaltandumque cohortaris, mille licet exempla per forum et circum tabernas ipſi proponas, licet ipſos proferas Hemerodromos, quos ingens, uno die, ſpatium legimus curſu fuiſſe emenſos: ita nihilo plus agis, quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias, ſi eos, qui debiles ſunt, omnibusque recte agendi uiribus deſtituti, eiusmodi uirorum exempla imitando effingere cupis, quos aut excellens ingenium, aut quoddam uirtutis uigorisque ingeniti robur, aut occulta denique praepotensque diuini Numinis uis et gratia ad ſumma quaeque et praeſtantiſſima armauit.

 β) De-

β) Demonſtrandus eſt modus, quo alterius, quem imitandum proponis, animus ex lubidinum ſcelerumque ſordibus emerſerit, et quo pacto quam expeditiſſime tolli poſſint obſtacula, quae iis, qui mentem ex foediſſima flagitiorum ſeruitute ueram in libertatem aſſertum eunt, ex transuerſo obiiciuntur. Nec reticeri par eſt medicinam, qua alii, quorum exempla proferuntur, interni uim morbi infregerunt, et ex qua ſuum animus uigorem, et ſalubritatem recuperauit. Secus ſi feceris, quid aliud agis, quam ut aegrotum ideo conualeſcere cupias, quia alii plures ante ipſum ex morbo fuerunt recreati? Quid te, putas, effecturum, ſi a ſutore, ſcriniario uel quocunque alio machinarum confectore poſtulaueris, ut ſpeculum cauſticum conficiat, idque ideo, quia TSCHIRNHAVSENIVS tale coagmentauit, poliuit, et ad flammam concipiendam aptum reddidit? Exemplum hoc proponis mechanico uel ſutori tuo, quod ipſum iubes imitari. At rideberis ab ipſo, nonne omnia uerba tua, quibus ad ſimile ſpeculum conſtituendum incitas mechanicum, quibus eiusdem uſum et praeſtantiam praedicas, incaſſum perdentur, et tanquam in pertuſum congerentur dolium? Nonne, dic, quaeſo, inquiet ſutor, quibus artibus TSCHIRNHAVSENIVS ſpeculum eiusmodi confecit?

γ) Permultum praeterea ad uiuam uirtutis cognitionem impetrandam intereſt, ut certo ſciat is, qui a uitiis ad uirtutem reuocandus eſt, *uere* factum eſſe, quod narratur, quodque, tanquam exemplum, imitandi cauſa ob oculos ponitur. Quod ſi enim falſi quid ſubeſſe, comperit is, cuius animus exemplis ad honeſtatem inflecti debet, et ad legem componi, tantum abeſt, ut eiusmodi commentis moueatur, et ad rectum incitetur animus, ut potius ludi ſe et fraude circumueniri, arbitretur.

δ) Denique, quoties uirtutes aliorum excellenterque facta, uel uitia etiam commemoras, et dedecora, toties eam exempla proponendi rationem ineas, ut

bene

bene et male factorum consecutiones effectaque ostendas, et, quae cum quaque actione fuerit connexa uel felicitas, uel poena, eam animis subiicias. Illud quoque commonstrandum est, homini, quem, tanquam exemplum, ob oculos ponis, bonum malumque propter has actiones, non alias contigisse. Fac, Caium, aeris prodigum, suas profundere opes, remque suam epulis, opipare instructis, strenue conficere. Hunc, ut ad frugalitatem se recipiat, cohortaris, et Titii, ad incitas redacti, exemplo doces, profusionis certissimam esse poenam paupertatem. Caius egestatis, qua affligatur Titius et urgetur, caussas alias adfert. Ergo tuum est, demonstrare, non aliunde, quam ex opum profusione, Titii mendicitatem suum trahere ortum. Contra si feceris, ualde uereor, ne exempli allati uis deminuatur.

XII. Proximae historiis sunt fabulae, maxime illae, quae in theatris ludisque scenicis proponuntur. Quibus tantam uim ad igniculos amoris erga uirtutem in spectatorum animis accendendos, uiuamque cognitionem excitandam tribuunt nonnulli, ut in theatris scholam quandam uirtutis aperiri existiment.

XIII. Haec de cognitione uiua, eiusque acquirendae modis. At eadem, quae ad uirtutis studium alendum ualere debet, recti cognitio distincta praeterea sit, oportet, id est eiusmodi, ut uirtutis interiorem praestantiam pulchritudinemque penitius exquirat, atque ita amorem eius in animo exsuscitet. Si enim bonum distincte cognoscimus, tunc eius pulchritudinem praestabilitatemque non ex praesenti uoluptate, ac

taedio aeſtumamus, ſed longe in poſterum proſpicimus, et, quam uberes amplique ſint fructus, ex uirtutis ſtudio, poſt multos demum annos, in nos redundaturi, perſpicimus. Quo ipſo uirtus admirabiles ſui concitat amores, non profecto concitatura, ſi eam, primo aſpectu aſperam, et paullo horridiorem, confuſe, et ſenſibus, qui fallaces ſaepenumero ſunt iudices, contuitus fueris.

Diſtincta haec, quam in uirtutis ſtudio tantopere commendamus, boni maliue cognitio diſpellit, tanquam nebulas, praeconceptas opiniones, quibus infecti complures, non modo non dulcem, et fructuoſam, ſed etiam permoleſtam et ſterilem uirtutis culturam exiſtimant. Haec, quae uirtutis impedimenta maxima ſunt, praeiudicatae opiniones ſequentes fere ſunt.

α) Virtutem illud cumprimis impedit, quod malos et improbos uideamus perſaepe in omnium rerum affluentia uiuere, resque ſuas ex uoto agere, contra bonos, quique uirtutum cultores habeantur, omnibus aerumnis circumſeſſos, fortunaeque iniquioris iactatos procellis, uitam miſeram miſerandamque uiuere. Quod quidem praeiudicium, ſi acceſſerit diſtincta uirtutis cognitio, diſpellitur, propterea, quod qui diſtincte uirtutem felicitatemque intelligunt, eam non ex iis, quae uirtuti adiunctae ſunt, acerbitatibus, ſed ex liquido illo perennique gaudio, quod ex uirtutis amore cooritur, aeſtumare conſueuerunt.

β) Altera praeiudicata opinio, quae uirtutis ſtudio fraudi eſt, in eo conſiſtit, ut multi ſibi perſuadeant, difficile admodum eſſe, quin etiam ἀδύνατον uirtutem ita conſequi, ut nihil admixtum ſit uitii, nihilque corruptelarum. Sed ſit difficile. Num ideo in uirtute colenda uitiisque exſtirpandis nullum laborem inſumemus? Quotusquisque eſt, qui eru-

ditio-

ditionem, omnibus numeris abſolutam, conſequi poſſit? At num ideo eruditioni acquirendae nullum tempus operamque impertiemur?

XIV. Virtus acquiritur diuturno uſu ac exercitatione, neque uno, uel die, uel menſe uitia ex animo radicitus extrahi poſſunt. Cum enim uirtus uitiumque ſit habitus (per def.); habitus uero non, niſi diuturno uſu, et actionibus, crebrius repetitis, acquiri poſſit, (per def. habitus) intelligitur, uirtutem non acquiri poſſe, uno momento, ſed diuturniore exercitatione et uſu, neque uitia tam cito, quam uulpes pyrum comeſt, ex animo poſſe exſtirpari.

XV. Ex quo conficitur, iuuenes, quin etiam pueros, a teneris ſtatim unguiculis, exercitationibus, quibus propius ad uirtutis habitum accedimus, uimque uitiorum imminuimus, ita eſſe aſſuefaciendos, ut ſenſim paullatimque, uirtutis amorem, induant, et uitia eiurent.

XVI. Atque adeo iuueniles animi, quoad eius fieri poteſt, ſunt uera diſtinctaque boni maliue cognitione imbuendi, eradicandaeque ex teneris puerorum mentibus omnes praeiudicatae opiniones, quas de uirtute ac uitio imbibere ſolent.

XVII. Efficiendum eſt, ut in pueris ex continuis bonis actionibus naſcatur conſuetudo recte faciendi, quae procedente tempore uertet in naturam, maxime

ſi occaſionem male faciendi ipſis ſubtraxeris.

XIIX. Quandoquidem pueri, adoleſcentulique, ratione conſilioque non ſatis firmati, bonum malumue ex euentibus aeſtumare et dignoſcere nondum didicerunt, opus eſt, ut praeſentem dolorem, nonnunquam cum ipſorum actionibus malis connectamus, et actionibus eorum bonis ſuauitatem quandam et praemia, tanquam irritamenta, adiungamus. Ducuntur enim iuuenes rerum praeſentium ſpecie, et tantum, quantum ſenſibus mouentur, ad id, quod adeſt, ſe applicant.

Ex quo uides, quid de plagis uerberibusque, quibus puerorum animos a malo abſterrere cupimus, ſit ſentiendum. Nunquam plagae et argumenta lignea cient appetitum boni, neque iis efficietur, ut quis actionem malam auerſetur. Voluntas enim ad appetendum bonum malumque auerſandum non niſi rationibus, quas intellectus proponit, moueri flectique debet. Atque adeo perabſurda eſt eorum opinio, qui uerberibus, uirgisque uoluntatem emendari, uirtutisque amorem inſtillari poſſe putant. At id negari non poteſt, dolorem ex plagis in puerorum animis, qui ſenſibus tantum reguntur, id efficere, ut, quia dolor cum actione mala iterum iterumque fuit connexus, actionem deinde malam omittant, non quia eius interiorem diſtincte uident turpitudinem, ſed quia dolorem ex ea commiſſa oriundum recordantur.

XIX. Ex his omnibus apparet, non poſſe quemquam uirtutem conſequi, niſi diu multumque in uoluntate emendanda occupetur. Cum enim uirtus requirat non

qualem-

qualemcunque externam conuenientiam actionum cum lege naturae, ſed internum ſtudium, ardorem conſtantemque uoluntatem bonum faciendi malumue omittendi (§ 45), conſequens eſt, ut is, qui uirtutem aſſequi cupit, efficere debeat, ut uoluntas appetat uerum bonum, et auerſetur uerum malum. Efficere, ut uoluntas appetat bonum malumue, (loquor autem de uero bono ac uero malo) eſt *emendare uoluntatem*, E. qui uirtuti operam dat, debet in emendanda uoluntate occupari.

XX. Emendatio uero intellectus emendationem uoluntatis praecedere debet. Quod luculenter patet ex natura uoluntatis, quae in eligendo bono, maloque ſemper intellectum conſultorem ſequitur. Qui ergo, quicquid, tanquam bonum, proponit uoluntati, id ea appetit, quicquid, ut malum, repraeſentat, id auerſatur. Si ergo erroribus praeiudicatisque opinionibus intellectus, ſiue facultas cognoſcendi ita impleta fuerit, ut bonum habeat pro malo, et malum pro bono, quid mirum, uoluntatem ſpecie recti decipi. Permultum ergo intereſt ad emendandam uoluntatem, intellectum emendari, ut, errorum nebulis diſiectis, clarius diſtinctiusque boni maliue naturam perſpiciat, nec erret, et in iudicando labatur aut decipiatur.

XXI. Denique ad uoluntatem emendandam uirtutemque conſequendam uel maxime illud requiritur, ut affectibus uim ſubtrahas. Affectus enim omnem diſtinctam

boni cognitionem impediunt, lumenque rationis exſtinguunt (§ 232 Met.). Cum uero ad uirtutem conſequendam rationis cultura et diſtincta cognitio poſtuletur (poſ. XIII), manifeſtum eſt, in conſequenda uirtute opus eſſe, ut affectibus, impetu eorum repreſſo, uim ſubtrahas.

Quod qua ratione fieri queat, id ſpeciatim indicabitur in capite de Moderandis, compeſcendisque affectibus.

XXII. Denique in emendanda uoluntate et uirtutis ſtudio nihil proficies, niſi in eam incubueris curam, ut conſuetudines malas exuas, quibus maxime, ſi uetuſtate adultae fuerint et corroboratae, perſaepe uoluntas ad turpes actiones ſuſcipiendas impellitur et tantum non rapitur.

Conſuetudines, quas recte dicimus habitus agendi, ex determinationibus praeteritis, malas non uno ictu, ut ita dicam, deiicimus, ſed tempore, opera, conatu ſaepius repetito, patientia opus eſt. Vim conſuetudinum infringimus, α) ſi id agimus, ut quotidie uel de numero, uel de uehementia actionum, ex quibus conſuetudo paullatim contracta fuit, quid deminuamus, deque grandi quaſi inclinationum propenſionumque aceruo ſingulis diebus granula aliquot demamus, idque tam diu continuemus, donec, quod demi poſſit, nihil amplius ſuperſit. β) Vt quanta maxima poſſumus ſolicitudine, deuitemus occaſionem eiusmodi actiones ſuſcipiendi, ex quibus, tanquam elementis ſuis, compoſita eſt conſuetudo. γ) Vt ardor quidam in animo excitetur, innoueturque quotidie, ea agendi, quae conſuetudini ſunt contraria δ) Qui ardor, cauendum eſt, ne tepeſcat, ſed lumini quaſi oleum inſtillandum eſt, quo

quo alatur, et conferuetur. ε) Vt uero hic ardor mentis recte agendi exsufcitetur in dies magis, augeaturque, adhibenda funt adiumenta quaedam, in quibus commendari illud, uel inprimis, meretur, ut figna quaedam nobis conftituamus, quae in memoriam nobis redigant propofitum, quod cepimus, bene agendi, unde omnes cerimoniae ortae funt, et nos excutiamus folerter, mentisque latebras exquiramus, ut ita patefcat nobis, quid defit nobis ad recte uiuendum, in quo lapfi fimus, quid denique actum fit, quidque agendum fuerit. Quod quidem confcientiae examen, Pythagorae iam olim aliisque ueteribus philofophis tantopere probatum, non rectius inftituitur, quam uel matutino tempore, quo actiones diurnas aggredimur, uel uefpertino, quo, operis diurnis confectis, feriem continuationemque eorum, quae per diem bene maleque facta funt, perfpicere, et reuocatis a negotiorum ftrepitu cogitationibus ad normam diuinitus praefcriptam, et dicta et facta, fine interpellatoribus exigere poffumus.

XXIII. Quae de uia ac ratione confequendae uirtutis hactenus commentati fumus, ea omnia uiam quoque, ac modum oftendunt, potiundi fummo bono ueraque felicitate. Cum enim uirtus fit medium felicitatis fummique boni (§ 45), fequitur, ut, qua quisque uia ad uirtutem contendit, eadem ad ueram felicitatem fummumque bonum perueniat. Oftenfa ergo et expedita uia ad uirtutem, eo ipfo demonftratum eft, quomodo felicitatis uerae fruitione poffimus exhilarari.

CAP. II.

CAP. II.

De Modo intellectus perficiendi ac emendandi.

§ 128.

Cum, qui ethicam docent, id unicum ſuſceperint negotium, ut rationem uiamque commonſtrent, uirtutis conſequendae (§ 126 poſ. I), uirtutem autem non poſſit quisquam adipiſci, niſi et intellectum emendauerit (§ 127 poſ. XXI), et perturbationes animi in gyrum rectae rationis duxerit (§ 127 poſ. V), conſequens eſt, ut nunc regulas exponamus intellectus emendandi, et rationem commotionum animi refrenandarum demonſtremus.

§ 129.

Cum copioſe ſatis, ſufficienter certe, in Logica de ratione perficienda et intellectu emendando expoſuerimus, nunc nobis licebit eſſe breuioribus. Quare praecipuas dotes, aut, ſi mauis, uirtutes intellectus carptim ſtrictimque adducemus, et quibus quaeque adminiculis perfici poſſit et in maius prouehi ſoleat, commonſtrabimus.

§ 130.

Generatim ergo illud obſeruandum eſt, ut, quas de quaque re animo informamus, notiones efficiamus diſtinctas, neque, niſi interiore rerum, quas animo ſubiicimus, natura proprietatibusque cognitis conquieſcendum nobis putemus.

Quod

Quod quomodo fiat, a nobis dilucidius in Logica fuit expoſitum in Cap. de ideis.

§ 131.

Acumen (Scharfſſinnigkeit) eſt facultas, plura in una re diſcernendi (§ 209 Met.), et is, qui plura, quae in re quapiam occurrunt, diſcernere nouit, dicitur *acutus*.

§ 132.

Modi acumen acquirendi hi fere ſunt.

I. In eo elabores, ut, quicquid cogitas, id diſtincte cogites, i. e. ita, ut notas, quibus quaeque res ab altera internoſcitur, ſigillatim animo ſiſtas, de eoque ſolicitus ſis, ut exquiras, quid res ſit. Vid. Log. p. 19.

II. Pueri, inde a prima infantia, ſunt ita adſuefaciendi, ut ad res obuias acriter attendant.

III. Quod efficies, niſi uerbis, articulate et ordine prolatis, enarrare iuſſi fuerint, quid in quaque re notatu dignum obſeruarint.

IV. Res, ſenſibus uſurpatas, deſcribant pueri, et partes corporum, notas, magnitudinem, compoſitionem, figuram, motum, ita delineent, ut appareat, ipſos imaginem rei uiſae uel auditae animo cogitationibusque depinxiſſe.

V. Quare perutile eſt pueris, diſtincte acuteque cogitandi arti adſuefaciendis, ut, in tempore et quam maturrime, mathe-

ſeos,

ſeos, et in primis Geometriae, ſtudio uacent, diſcantque res, ſub aſpectum ſubiectas, ceruſſa aut minio delineare. Quod magnam uim ad attentionem conſeruandam habere putatur. Quare Plato, niſi Geometriae peritum, neminem ad ſcholas ſuas admitti, uolebat. Repetantur hic ea, quae et in Logica de Ideis diſtinctis, et in Pſychologia de attentionis adminiculis p. 253, copioſe diſputauimus.

VI. In primis uero facultas, id, quod bonum malumque eſt, acutius peruidendi excitatur, et augetur, ſi in noſtris aliorumque actionibus cum ad ea, quae ad agendum animum impulerunt, tum ad minutiſſima quaeque actionum effecta attendimus, et omnibus, quae rem circumſtant, momentis recte ponderatis, ſolicitius exquirimus, quis actionem ſuſcipiat, quid agatur, quo loco aut tempore, quibus item adminiculis, quem denique in finem hoc illudue ſuſcipiatur. Ita paullatim conſueſcunt adoleſcentuli cogitare acute, et rem in partes ſecare, partesque in minutiora uelut elementa ſoluere, quod plurimum adfert adiumenti ad *profunditatem intellectus* (Tieffſinnigkeit) perficiendam. Eſt enim *profunditas* nihil aliud, quam ea intellectus facultas et perfectio, qua notas notarum poſſumus diſtincte allegare. Vid. Log. p. 21.

VII. Ad acumen acquirendum apprime utile illud eſt, ut quis uerba in promptu habeat,

beat, linguamque, qua res et cogitata enunciari debent, percalleat. Cum enim acumini inseruiant ideae distinctae descriptionesque ac definitiones (§ 66 Log.), ideae autem distinctae ac definitiones formari non possint, nisi notas ac proprietates rerum definitione comprehensas, uerbis enunciare queas (§ 37 pos. II Log.), euidens est, uerborum ac linguae ope, acumen acquiri.

§ 133.

Hactenus de acumine. Nunc noua intellectus uirtus et perfectio explicanda est, quam *intelligentiam* dicimus. Est *intelligentia* nihil aliud, quam prima disciplinarum elementa comprehendendi habitus, qui efficitur per id, ut distinctas quarumcunque rerum notiones consequamur. Vid. Log. l. c.

§ 134.

Quemadmodum, ope *intelligentiae*, quid quaeque res sit, perspectum habemus, ita, *scientia* adiutrice, rationes rerum expiscamur, et, cur unumquodque sit, indagamus. Est enim *scientia* nihil aliud, quam habitus asserta sua demonstrandi.

§ 135.

Cum scientia, sine dubio, ad praecipuas utilissimasque intellectus perfectiones pertineat, operae pretium facturi sumus, si uiam modumque aperimus, scientiam assequendi.

§ 136.

Ad scientiam peruenire licet hunc in modum.

I. Cum

I. Cum omnis habitus acquiratur exercitatione (per def.), ſcientiam quoque non poſſe, niſi continuo exercitio, parari, lucide apparet (§ 134).

II. Legito libros, a uiris ſolide doctis, apta connexaque ratione, demonſtratos. Ita ſenſim aſſuefies demonſtrationibus, habitumque propoſitiones ex propoſitionibus nectendi acquires.

III. Demonſtrationes uirorum eruditorum, artificioſe connexas, reſoluas in ſua principia, et, ſyllogiſmorum ope, nexum propoſitionum, ſicubi latet, oſtendas. Quod exercitationis genus, dici non poteſt, quantos adferat fructus.

Innotuerunt mihi uiri iuuenesque, qui WOLFFII ſcripta ita legerunt, ut omnes demonſtrationes, quae nexum celant, ſyllogiſmorum adminiculis reſoluerint in prima ſua elementa, quo factum, ut, ex quo fonte profluxerit cuiusque afferti ueritas, nullo negotio perſpexerint.

IV. Ipſe experiaris uires, et enunciata, quibus nulla demonſtratio adiuncta eſt, tua demonſtratione communias. Quod exercitium commendaui iuuenibus, ſolidioris doctrinae cupidis, in praefatione, philoſophiae recens controuerſae, praemiſſa.

V. Matheſeos ſtudium uiam munit ad demonſtrandi habitum. Quia in Matheſi elegantisſimae deprehenduntur demonſtrationes, quarum contextum qui reſoluerit, nae is laborem,

borem, quem impendit, largiſſimo fructu compenſari deprehendet.

VI. A ſcientia dependet *ſoliditas* (Gründlichkeit), quae ea eſt mentis perfectio, qua ratiocinia ita quis connectere nouit, ut alteram propoſitionem ex altera, omnes autem ex ſuis principiis, deducere facillime poſſit.

Qui ergo ſolide doctus eſt, is α) omnia, quae demonſtrari poſſunt, demonſtrat, β) ab aliis eorum, quae uel affirmant uel negant, demonſtrationem poſtulat, γ) inquirit in principia ſolertiſſime, ex quibus aſſerta demonſtrata ſunt, δ) nexum propoſitionum, quam longus eſt, facile perſpicit, ε) et, quae uerisimilia aliis ſunt, ea ut certo cognoſcat, allaborat ζ) denique in ſcriptis aeque, ac ſermonibus eo refert omnia, ut et ſe et alios de iis, quae docentur, conuincat, lectoribusque et auditoribus, demonſtrationum ui, aſſenſum extorqueat.

§ 137.

Iam deuenimus ad *ſapientiam* et *prudentiam*, quas reginas ceterarum, quibus praeditus eſt intellectus, uirtutum recte dixeris.

§ 138.

Sapientia poſita eſt α) in delectu finium, eorumque nexu cum fine, qui princeps eſt, et ad quem, quicquid uspiam actionum humanarum ſuſcipitur, referendum eſt, β) in excogitatione remediorum, cauſſarumque, quibus, aptis inter ſe et nexis, is, qui quaeritur, finis obtinetur.

§ 139.

Cumque finis, ad quem referenda ſunt omnia uel cogitata, uel dicta, uel facta, ſit perfectio ſta-

tus nostri, ex eaque oriunda felicitas, patet, cur nonnulli cum LEIBNITIO definiant sapientiam per scientiam felicitatis. Quae definitio non discrepat ab illa: *Sapientia* est habitus, finem et media rite inuicem connectendi.

§ 140.

Quae ad sapientiam parandam spectant, his continentur propositionibus.

I. Sapientiam acquirimus, si legi naturae obsequimur. Cum enim sapientia sit scientia felicitatis (§ 139), felicitas autem obtineri non possit, nisi lege naturae custodienda (§ 71), patet, non posse quenquam sapientiam acquirere, nisi legi naturae obsequatur.

II. Sapiens ergo non est, qui contra officium facit. Cum enim is contra officium faciat, qui actiones suscipit, legi naturae contrarias, (per def. officii), sapiens uero actiones suas ad legis naturae praescriptum comparet (§ 140 pos. I), manifestum est, sapientem non esse, qui contra officium faciat.

III. Qui sapientiam acquirere uult, ita actiones suas instruat, ut finium, quos uocant, intermediorum, et finis ultimi aptus sit consensus.

IV. Sapientiam ergo assecuturus, ad omne id, quod agit, acerrime attendat, uideatque, ne quid admittat, quod felicitati eiusque incrementis officere possit.

V. Cum sapiens cum finibus connectendi remedia habitu gaudere debeat (§ 138), eorum

eorum autem, quae fini conſequendo inſeruire uideri poterant, alia aliis maiorem habeant uim ad felicitatem parandam, euidens eſt, ſapientem in eo debere curas uigilandique laborem expromere, ut ea eligat ex pluribus quae optima ſunt, finibusque ſuis conuenientiſſima.

Ex quo factum, ut nonnulli *ſapientiam* definiuerint per habitum eligendi optimum.

VI. Ex quo conſequitur, ut ſapiens eam remedia eligendi ineat rationem, quae *ſimpliciſſima* eſt ac *breuiſſima*, neque adeo opinionum commentis tortuoſis per anfractus circumduci ſe patiatur.

VII. Vt ergo quis uia non labatur, ſed in delectu remediorum ita ſe inſtruat, ut felicitatem quam facillime indipiſcatur, opus eſt, ut aliena exempla in conſilium adhibeat, in eaque, tanquam in ſpeculum, intueatur. Ex his enim, quo quidque conſilio ſit ſuſceptum, quibus adminiculis artibusque res ad optatos peruecta fuerit euentus, perſpiciet, indeque, quod imitetur, capiat.

VIII. Cum plurima, ex transuerſo, obiici poſſint impedimenta, quae optimis nonnunquam conſiliis intercedant, ſapientis eſt, de obſtaculis, quae interuenire queant, cogitare, et, quibus tollantur adminiculis, diſpicere.

IX Haec impedimenta cum ab homine non praeuideri certo poſſint, nec penes

nos ſemper ſit, ut iis obuiam eamus, intelligitur, fieri poſſe, ut remediis, acute excogitatis, non ſemper optatus reſpondeat euentus, qui intercipitur perſaepe a cauſſis, aliunde et extrinſecus accedentibus. Vt adeo magno in errore uerſari putandi ſint, qui ſapientiam ex euentu aeſtumant.

X. Quia ſapientia eſt ſcientia felicitatis (§ 139), ſequitur, ut ſapientiam adiuuent regulae felicitatis aſſequendae. Cum uero regulae felicitatis aſſequendae ſint eaedem cum his, quae rationem uirtutis conſequendae oſtendunt (§ 69), manifeſtum eſt, idem, quod uiam pandit ad uirtutem, munire nobis eam ad ſapientiam.

XI. Recte ergo illi, qui, non poſſe quemquam ſapientiam adipiſci, putant, niſi idem uoluntatem emendet.

§ 141.

A ſapientia ita differt *prudentia*, ut, quae ſapienter excogitata ſunt remedia ad finem conſequendum, iis adhibendis et promte exſequendis operam det prudentia. Quare prudentiam definiunt nonnulli ita: *eſt habitus*, *media ſapienter excogitata, promte exequendi, ut finis, qui quaeritur, obtineatur.*

§ 142.

Ad prudentiam perueniendi, non unica eſt uia. Ex multis has aperiemus.

I. Cum

I. Cum prudentia non tam in mediorum ad finem conſequendum excogitatione, quam in eorum applicatione poſita ſit (§ 141), conſequens eſt, ut prudens ad omnia ea, quae actionem circumſtant, tempus, locum, cetera, animum aduertat, ingeniisque aliorum ac moribus ſeruiat, nec opportunitatem rei bene gerendae dimittat. Fieri enim poteſt, ut ex conditione loci, aut temporis, aut perſonarum multa oboriantur impedimenta, quae finem, acutiſſime licet et ingenioſiſſime excogitatum, intercipiant.

II. Atque adeo ad prudentiam ſiue mediorum applicationem talem, qualis fini ex uoto conſequendo accommodata eſt, non ſufficit, ut quis ſit eruditus, aut ſcientia inſtructus, (eruditiſſimum enim quemque futurorum latent cauſſae), ſed requiritur uſus et experientia, quam recte dixeris prudentiae magiſtram. Quo enim quis magis uſu ſubactus eſt, quo diutius in difficillimis impeditisque negotiis expediendis uerſatus fuerit, hoc melius diſcit, qui huic uel illi rei, quam alius, cito perfici poſſe, opinetur, obſtet aut propter tempus, minus idoneum, aut ob loci rationem. Nouit idem, quibus artibus adminiculisque, quo item loco temporeque, haec illaue res bene et ex ſententia proceſſerit. Si ergo ſimiles in negotio aliquo expediendo ϖεριςάσεις et cauſſae concurrerint, quae olim adfuerunt, eundem ſub-

ſecuturum euentum, auguratur. Vt adeo, caſuum ſimilium exſpectationem ſapientiae plurimum inſeruire, pateat. Quae tamen exſpectatio quantopere nobis imponat interdum, demonſtratum dedi in peculiari diſſertatione *de fallaci caſuum ſimilium exſpectatione.*

III. Cum hiſtoria nos doceat facta, indicetque factorum euentus uel proſperos, uel aduerſos nec reticeat cauſſas aut impedimenta, quibus uel conſilia et coepta promota fuerint, uel inhibita, intelligi poteſt, in hiſtoria rite addiſcenda magnam uim, magnumque momentum poſitum eſſe ad prudentiam parandam.

§ 143.

Ars eſt habitus per mentis aut corporis uires efficiendi ea, quae ſolius naturae beneficio ſine ſtudio noſtro effici nequeunt, e. gr. Ars diſputandi, perorandi, ſaltandi, fidibus canendi.

§ 144.

Ad artem comparandam nihil eſt aptius utiliusque frequentiſſimo exercitio et uſu, quod et experientia nos docet et natura habitus. Vt adeo dudum recte dixerint ueteres: *Vſus facit artificem.*



CAP. III.

CAP. III.

De Regendis moderandisque affectibus.

§ 145.

Quae de domandis affectibus nunc adferemus, non eo pertinere uolumus, ac si omnes animi commotiones prorsus exstirpari radicitusque extrahi uellemus. Neque enim, quamdiu in his corporis compagibus sumus inclusi, id fieri potest, neque, si fieri posset, homini utile foret. Hominem enim ex homine tollit, qui effici debere putat, ut ipsae affectuum fibrae euellantur. Truncum et lapidem mihi nominas, non hominem, si sine sensu, sine sapore, sine gaudio aut tristitia quempiam fuisse aut esse, affirmas.

§ 146.

Cum, iam in Psychologia, nonnulla protulerimus, quae rationem affectuum refrenandorum non obscure indicent, non copiosi nimis hic erimus, sed generales regulas tecum, lector, paucis his succinctisque propositionibus communicasse nobis sufficiat.

1. Praecipuum adiumentum animi commotiones compescendi, siue, quod est idem, sub potestatem rationis redigendi, in eo consistit, ut distinctam tibi boni maliue cognitionem acquiras. Omnes enim affectus oriuntur ex sensuum imaginationisque repraesentationibus (§ 232 Met.), quas si per

 distin-

distinctam cognitionem suppresseris, ipsam affectuum uim franges et eludes.

II. Ex quo fluunt multa consectaria. Omnibus uiribus summaque ope connitere, ut res omnes, non ut tibi apparent, sed, ut in se sunt, cognoscas. Ita fiet, ut animi perturbationes temperentur, et, uti riuuli, exsiccentur, fonte, ex quo prosiliebant, exhausto.

III. Atque adeo permultum ad uim affectuum frangendam facit, si ea, quae animum conturbant, uerbis, ordine prolatis, enarramus aliis. Ita enim, quae confusae antea erant, eae fiunt distinctae notiones, distributiusque euoluuntur. Quod efficit, ut affectuum aestus detepescat, omniaque, quae turbidiori motu animum agitarant, resedisse uideantur.

E. gr. Cum animus nimio dolore et aegritudine conturbatus est, tum dolorem imminui senties, si, quae te angunt, ea uerbis cum aliis communicaueris, distincteque caussas doloris euolueris.

IV. Sensus externi, tanquam affectuum ianuae, quoad eius fieri potest, sunt occludendi, ut ne uel uideant, uel audiant ea, quae affectus ciere possint.

V. Inprimis uero omnem externam fugito occasionem, quae affectus, igne concepto, possit inflammare. Obiecta, ut est in prouerbio, mouent sensus, sensibus uero suscitantur affectus.

VI. Cum in affectuum impetu, tam sui impotens sit saepe homo, ut distincte, quid

agat,

agat, cogitare nequeat, opera danda eſt, ut ii, qui mentem conturbant, affectus per contrarios tollantur, metus per ſpem, triſtitia et aegritudo per laetitiam, inuidia per commiſerationem. Contrarii enim affectus non bene conueniunt, nec in una ſede morantur.

VII. Perpendendum eſt, quae mala oriantur ex affectuum imperio, quibusque miſeriis et mentem et corpus affligat perturbatior cupiditatum impetus.

Quae quidem incommoda ſi ſpeciatim penitiusque perſpicere uis, ea legas, quae in Pſychologia de funeſtiſſimis nonnullorum affectuum conſequentiis diximus.

VIII. In primis id ad affectuum impetum, ſi non comprimendum plane, reprimendum certe, multum ualet, ſi principiis obſtamus, cauemusque adeo, ne ſcintillulae, animo conceptae, in flammam erumpant, quae, latius diſpalata, deinde non queat extingui.

IX. Vt, hoſte debellato, uictor abeas, opus eſt, ut audentior contraeas, obſiſtasque cupiditatum uiribus, quantum poteſt. Victoria ſemel iterumque reportata, facilior procedet labor, qui magna uoluptate ampliſſimoque tranquillitatis internae fructu penſabitur.

Non attinet hic, et longum foret, ſpeciatim ſingulas enumerare regulas, quibus uel gaudium, uel triſtitia, uel inuidia, uel metus, uel ira denique et deſperatio imminui et perdomari queant. Videas ea, quae in Pſychologia de affectibus diximus.

X. Cum affectus radicitus exſtirpari non poſſint, eam, ſi quando iis animus commouetur, ineamus rationem illos moderandi, ut in inſtrumenta uirtutis uoluntatisque emendandae conuertantur.

CAP. IV.

De Temperantia.

§ 147.

Quamuis unica tantum ſit uirtus, ſiue habitus, actiones ſuas ad legem naturae conformandi, pro diuerſitate tamen officiorum, quae praeſtari uult ius naturae, alias aliasue habebis uirtutis formas, quae aliis aliisue nominibus inſigniri ſolent. Hae formae et ſpecies non ſunt noua uirtus, ſed ſurculos iure dixeris, qui a uirtute, tanquam ſtirpe, ducti, ſuccreſcunt. Scilicet cum ius naturae uaria erga animum, corpus, ſtatumque externum nobis iniungat officia, uarios quoque modos oſtendamus oportet, iis officiis obſequendi. Ex quo exiſtit doctrina illa de uirtutibus, quas uocant, moralibus.

§ 148.

Obligati ſumus ad uitam ſeruandam, ualetudinemque curandam, membra item a laeſione defendenda, cibumque et potum, quibus, tanquam fulturis, corpus ſuſtentatur, comparandum recteque adhibendum, etc. (§ 77). Habitus ergo cibi et potus uſum ſanitatis legibus attemperandi,

di, dicitur *temperantia*, cum contra *intemperans* faciat contra officium in cibo et potu capiendo.

§ 149.

Qui edendi bibendique appetitum ad legem naturae conformat, siue, qui temperans est, haec duo cauenda solicite putat.

I. Ne plus uel minus cibi potusque sumat, quam aut corporis ualetudo, aut naturae necessitas requirit. Mensuram autem cibi potusque, qui capiendus est, ex eo aestumabit temperans, si tantum edit bibitque, quantum ad uires reficiendas, non opprimendas, sufficit.

Alii quoque iustam cibi potusque mensuram hanc adferunt: *Tantum edas, ut cultus Dei et officii ratio prompte adhuc possit obiri. Quod his impedimento est, id mensuram excedit.*

II. Ne tales cibos et potus secum sumat, qui gulae sint irritamenta quidem, at corpus lento quasi ueneno enecant, uiresque labefactant.

§ 150.

Plurima sunt, quae nos ad temperantiae studium irritare queant, ex quibus haec nunc adduxisse sufficiat.

I. Nihil aptius est ad uires corporis firmandas, ualetudinemque aequabilem inconcussamque conseruandam temperantia. Nihil contra magis eneruat corpus, effoetumque reddit, quam intemperantia. Cogi-

Cogitemus ergo, quam ſtolidum ſit, et rationi inimicum, breues conſectari uoluptates, quae gulam irritent, et iacturam faciant ſanitatis. Qua deſtructa, quis eſt, qui ad munia rite obeunda aptus ſit?

II. Temperantiae certiſſimus fructus eſt, animus hilarior et tranquillus, quem in iis mirum quantum conturbari uideas, qui largius ſe inuitant, et in perpetuis luſtris helluationibusque uiuunt.

III. Illud quoque praetereundum non eſt, omnes eos, qui frugaliter uiuunt, et ſe ab immodico cibo potuque abſtinent, plus uoluptatis capere ex eſcis, quas parcius ſumunt, et potionibus, quam eos, qui intemperantius uiuunt, quique non niſi cum faſtidio ad coenam dubiam accedunt. Copia enim faſtidium parit.

IV. Denique perpendas uelim, quanta opum deminutio, quanta famae exiſtimationisque iactura, quam horrendae conſcientiae labes ac uulnera, quam deteſtabilis uitiorum ſcelerumque copia ex intemperantia oriatur.

Neque audiendi ii ſunt, qui multos, licet epulis, opipare exquiſiteque apparatis, quotidie exſaturati fuerint, licet tumulenti comiſſantesque raro conuiuiorum crapulam exhalarint, robuſto tamen uegetoque fuiſſe corpore, et ad ſummam uixiſſe ſenectutem, adſerunt. His enim plures opponas, qui mortem ſibi, intemperanter libidinoſeque uiuendo, accelerarunt, quique, cum, ob naturae bonitatem extremae aetatis apicem potuiſſent attingere, fata occuparunt.

parunt. Addo, quod hic recte addi poteſt, non omnes iisdem inſtructos eſſe uiribus, atque adeo ab unius intemperantia, quam ſenectus conſecuta eſt, non uideo, quomodo ualeat conſequentia ad tuam alteriusque uitam intemperantem.

§ 151.

Intemperantiae ſpecies eſt *ebrietas*, quam recte dixeris intemperantiam in eo potu capiendo, quo caput turbatur, homoque ad negotia officiumque obeundum ineptus redditur.

§ 152.

Quae intemperantiae, generatim ſpectatae, adduximus incommoda, eadem cum ebrietate connexa eſſe dubitari nequit. His tamen accedunt alia, quae ebrietati uel ſoli adiuncta eſſe cernimus.

I. Ebrietas hominem de mente quaſi deiicit, eamque dono, quo praeſtabilius generi humano diuinitus nihil dari potuit, ratione priuat, et in brutum conuertit. Quin etiam ipſis brutis perſaepe ebrius fit deterior miſeriorque, cum ſenſibus orbetur.

II. Rationis gubernaculo deſtitutus ebrius, quid eſt tam abſurdum, tam flagitioſum et deteſtabile, ad quod ſuſcipiendum non coeco impetu proruat? Quicquid retineri, diſſimulari et mente premi ipſius et aliorum intereſt, temere inconſiderateque effutit, rimarumque plenus, hac atque illac perfluit, tamque emotae eſt mentis, ut inter ſobrios uinolentus bacchetur, et in propria haud raro ſaeuiat uiſcera.

III. Accedit, quod ebrietate discussa, mens pudore et poenitentia adeo conturbetur, ut uix a desperatione ad spem, a turbidiore statu ad quietem reuocari posse uideatur.

§ 153.

Quantum mali uel animo uel corpori, uel famae fortunisque infert ebrietas, tantum commodi opportunitatemque ex sobrietate sperare licet. Est autem *sobrietas* nihil aliud, quam uirtus, actiones nostras in potu capiendo legi conformiter dirigens. Easdem, quas temperantiam adferre diximus, utilitates in nos diffundit sobrietas.

CAP. V.

De Castitate.

§ 154.

Quemadmodum, temperantia rectrice, ita actiones in edendo et bibendo instruimus, ut legi naturae faciamus satis, ita castitas dirigit appetitum uenereum ita, ut, quae lex naturalis praecipit, obseruemus. *Castitas* est uirtus, appetitum ueneris legi naturae attemperans.

§ 155.

Castitas ergo uult, ut ne libidinibus corporis uires atteramus, et exhausto succo uitali, effoetum corpus tradamus senectuti. Haec enim in officiis erga corpus prima lex est, ut corpus, et, quibus eius sanitas fulcitur, uires conseruemus.

§. 156.

§ 156.

Multa ſunt, quae caſtitatem commendare poſſint unicuique. Ex quibus haec teneto:

I. Voluptatis auidae libidines, temere et effrenate ad potiundum incitatae, omne animi lumen extinguunt, nec, libidine dominante, quicquam agitare mente, aut ratione et cogitatione conſequi potes.

II. Inprimis corpus, libidinis oeſtro inflammatum, horrendum quantum eneruatur, et coeco obſcureque ſerpente igne conſumitur, caſtitatisque contemtum praematura plerumque foediſſimaque morte uindicari uidemus.

III. Quantam turpitudinis notam ſibi famaeque ſuae inurant ii, qui, quo rapit ipſos libido, ſequuntur, uel me non monente intelligitur.

IV. Rei denique familiaris detrimentum opumque iactura a uita, libidinoſius acta, non poteſt ſeiungi. Quae omnia, in unum collecta, ſi rectius expenderis, dubitari non poteſt, caſtitatem, utpote uirium mentis et corporis, opum item et famae conſeruatricem, magni eſſe aeſtumandam, et, repreſſo libidinis impetu, perdiligenter colendam.

§ 157.

Quare tuum eſt:

I. Omnes libidinis illecebras et irritamenta, ut ſcopulos, euitare.

II. Ve-

II. Veneri ſubducas alimenta, cibos, nimis exquiſite affluenterque apparatos, potumque, aeſtui libidinis excitando accommodatum. Sine Cerere enim et Baccho friget Venus.

III. Eorum conſuetudinem et familiaritatem, qui caſtas aures obſcenis conſcelerant ſermonibus, fugito.

IV. Libros, quibus ars amandi traditur, de manibus deponito, et poetas ſpurcos, nequiſſimosque amorum magiſtros, caue, in familiaritatem tuam adſciſcas.

V. Laboribus corpus fatigabis, et continuo motu exerceas, in quo, mea quidem ſententia, praeſentiſſimum efficaciſſimumque remedium aduerſus lubidinem latet.

LIBIDO, quae caſtitati opponitur, et cuius in poſitionibus praemiſſis mentionem feci, nihil eſt aliud, quam impetus animi, quo ad actiones, caſtitati aduerſas, abripitur. Maior libidinis gradus dicitur *ſalacitas* ſiue *laſciuia.*

CAP. VI.

De Diligentia, Liberalitate et Parſimonia.

§ 158.

Hactenus de uirtutibus egimus, in quarum cultura referuntur omnia ad corpus conſeruandum ualetudinemque tuendam. Nam eas explicabimus, quarum ſtudium inſeruit maxime facul-

facultatibus aut opibus uel parandis, uel ſeruandis, uel exaggerandis.

§ 159.

Diligentiam dicimus uirtutem, quae dirigit actiones noſtras in laborando ad legis naturalis praeſcriptum. *Pigritiam* dicimus fugam ſiue etiam intermiſſionem laborum, ad quos, lege naturali, ſumus obligati.

A qua tamen pigritia ſiue otio diſtingui uolumus *laxamentum* ſiue *otium honeſtum et innocuum*, quod eſt, cum liberaliori quadam animi remiſſione nonnunquam quotidianos labores diſpungimus, ut uires, quae perpetuam contentionem ferre non poſſunt, reficiantur.

§ 160.

Αὐτάρκεια (Vergnüglichkeit) eſt earum opum iuſta cupiditas, quae ad uitae neceſſitates expediendas decusque pertinent. Haec cupiditas ſi menſuram, a lege naturae praeſcriptam, excedit, dicitur *auaritia*, quae eſt immoderatior cupiditas plures opes corradendi, quam quae et ad uitae neceſſitates et ad decentiam requiruntur, quaeque, pro conditione noſtra, ne acquiri quidem poſſunt. Si quis de opibus parandis plane non ſolicitus eſt, tum eiusmodi hominem *incuria* (Sorgloſigkeit) laborare dicimus.

§ 161.

Quas hactenus recenſui uirtutes, uel uitia, maxime ad acquirendas opes pertinent. Nunc, quam poſſumus breuiſſime, oſtendemus, quae uir-

tutes aut uitia in dispensandis opibus expendendaque pecunia notari mereantur.

§ 162.

Sunt permulti, qui in expendendis numis modum excedunt, quos dicimus *prodigos*, uitium autem illud, quo modus exceditur in expensis, uocatur *prodigalitas* siue *opum profusio*. Cum uero quis expensa legi naturali conuenienter instruit, *parcus* uocatur, et prudentiam expensa moderandi appellamus *Parsimoniam*. Praeter hos alii sunt, qui minus, quam debebant, aut decentia postulat, expendunt quos *tenaces* dicimus. Ipsa autem *tenacitas* (Kargheit) est uitium minus expendendi, quam aut uitae necessitates, aut decorum requirit, quae si paullo maior fuit et restrictior, nominatur *sordities* (Filzigkeit).

§ 163.

Ex his notionibus, distinctius euolutis, sequentes deducemus positiones.

I. Laboriosi siue diligentis haec fere sunt indicia. Non reformidat ille quidem labores, sed eum tamen in laborando tenet modum, ut ne nimiis, et quibus exantlandis impar sit, laboribus uires corporis frangat. Labores enim instituit legi naturali conuenienter (§ 159). Lex autem naturae praecipit, ut corpus ualetudinemque conseruemus, aut amissam instauremus (§ 77).

II. Atque adeo laboriosus tantum, quantum ad reficiendas uires satis est, sumit sibi

ſibi nonnunquam laxamenti, quod uero, diligenter cauet, ne in otium illiberale degeneret (§ 159).

III. Laborioſus non ſordidos ſubit labores et indecoros, ſed tales, qui dignitati ſuae fortunisque reſpondeant. Poſtulat enim id lex naturae (§ 77 poſ. XVI).

IV. Vere diligens non eſt auarus. Quamuis enim dum laborum moleſtias deuorat, eo actiones ſuas referat, ut opes, ad uictum cultumque neceſſarias, paret (§ 77 poſ. XIV), non tamen pluribus, quam lex naturae et ſana ratio poſtulat, opibus inhiat. Componit enim actiones ſuas ad legem naturae (§ 159). Atque adeo non eſt auarus (§ 160).

Contraria ratione ignaui deſidisque hominis notae ac proprietates facile manifeſtari poterunt.

§ 164.

Ad diligentiam excitandam et ignauiam ſupprimendam haec accommodata dixerim.

I. Viuere, nec tamen, unde uiuas, parare uelle, ſumma eſt ſtultitia.

II. Eſt ita corpus noſtrum factum, ut, niſi continuo agitetur motu, laboribusque exerceatur, putreſcat, et, ſucco corrupto, morbos contrahat, qui deinceps, in uenis uiſceribusque concluſi, aegre expelli poſſunt.

III. Quo magis laboribus litterariis, ſi diſcendi potius labor eſt quam uoluptas,

mentem ſubegeris, eo melius excolitur perficiturque ea, at, labore intermiſſo, torpet animus, ingeniique uires per ſocordiam defluunt.

IV. Illud quoque probe ponderandum eſt, otio ad libidinem multaque alia atrociſſima flagitia ianuam aperiri. Cum enim, qui otioſus eſt, nihil, quod agat, habeat, temporis mora ipſi taedium faſtidiumque parit. Quae temporis taedia ut leniat depellatque, aut ſodalitia quaerit, aut conuiuiis et compotationibus intereſt, aut, ſi ſolus fuerit, mentem cogitationesque ad ea conuertit, quibus ſe poſſe fallere tempus, libidinesque explere putat. Hinc prodigalitas, ſtupra, adulteria, furta, rapinae, concertationes, caedes, nonnunquam naſcuntur: nullum denique ſcelus, nullum malum facinus eſt, ad quod ſuſcipiendum non otium et ſocordia impellat.

§ 165.

Haec de diligentia et otio. Iam ea adducemus axiomata, quae ad illuſtrandas uirtutes et uitia, in opibus acquirendis obſeruari ſolita, pertinent.

I. Qui ſua ſorte contentus eſt, ſiue αὐταρκὴς, neque reſpuit, aut, ut ueterum philoſophus quidam, in mare proiiciendas putat opes, a fortuna oblatas, neque anxie appetit eas, aut, ſi appetit, tantum cupit, quantum ad naturae deſideria explenda ſufficit, et decenti honeſtoque modo acquiri poteſt (§ 153).

II. Ha-

II. Habet hoc αὐτάρκεια, ut homo, mente tranquillata, nullo amittendi opes metu torqueatur.

III. Aut, ſi amiſerit, non, quod facit auarus, de erepto omni ſolatio euerſoque ſpei praeſidio conqueritur, ſed in diuina prouidentia, rerum humanarum domina ac moderatrice, ſibi unice acquieſcendum putabit.

IV. Non aliorum rebus, ut poeta ait, tabeſcit opimis αὐταρκὴς, ſed, quem cuique benignioris ſortis uarietas diſtribuit opum cumulum, eius acceſſione ſe neque miſeriorem, neque deceſſione meliorem fortunatioremque fieri exiſtimat.

V. Multo aliter ſe res habet cum auaro, qui, ut eſt inſatiabili opum accumulandarum cupiditate inflammatus, ita, α) quicquid agit, cogitat, moliturque, eo refert, ut corradat facultates, idque non in ſuum aliorumque uſum, ſed ut poſſideat, β) nunquam eſt animo quieto et tranquillo, ſed aut habendi auiditate aut metu amittendi torquetur, γ) querulus eſt, inuidus, anxius de futuris, meticuloſus, decori cultusque externi negligens, cetera.

VI. Frugalis homo et parcus nec profundit opes, nec ſe ad earum cuſtodiam ita reſtringi patitur, ut exiſtimationem laedi, quam numum inſumi, malit.

VII. Auaritiam deteſtabilem efficiunt, ut

 multa,

multa, ita illud maxime, quod auarus inuisus sit omnibus bonis ridiculusque, nec sibi, nec aliis, nisi mortuus, prosit.

VIII. Cum prodigus plus expendat, quam aut necessitas uitae, aut decentia requirit, dubitati non potest, nulla re certius paupertatem reique familiaris detrimentum attrahi, quam opibus decoquendis.

Quod unum, quamuis plura adhuc alia incommoda consequantur opum profusionem, sufficere poterat ad prodigalitatis turpitudinem damnumque demonstrandum.

§ 166.

Liberalitas est uirtus actiones nostras dirigens in largiendis donis, et erogandis eleemosynis. Quae si paullo maior fuerit, dicitur *magnificentia.*

§ 167.

I. Liberalis et beneficus ideo sibi diuitias concessas putat, ut hominibus indigentibus de re familiari impertiatur. Adeoque non potest, qui liberalis est, idem esse auarus.

II. Quamuis liberalis non sit restrictus et sordidus, non tamen inconsulte largiendo patrimonia effundit, ut, fonte benignitatis exhausto, ipse tandem egeat eo, quod est ad uitam necessarium. Ita uides, liberalitatem inter et profusionem opum maximam esse distantiam.

III. Ad

III. Ad liberalitatem nemo perfecte obligatus est. Quia ad dona conferenda et erogandas eleemosynas nemo perfecte obligatur, siue cogitur.

Hic ergo, quid amor honestasque suadeat, dispicias, α) num prosis aliis, tibi non fraudi sis, β) num, de quibus bene promereri studes, ex eorum numero sint, qui beneficentia digni possint iudicari, i. e. qui ipsi sibi rationibusque suis non queant consulere. Instar omnium regularum, in moderanda recteque instruenda liberalitate, potest esse sententia CICERONIS, qui, *nec ita*, inquit, *claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut pateat omnibus: modus adhibeatur, isque referatur ad facultates*. De Officiis Lib. II cap. 15.

CAP. VII.
De Modestia.

§ 168.

Iubet lex naturae, ut famae honorique seruiamus, neque adeo negligamus, quid de nobis quisque sentiat. Cumque, quo nititur honor, fulcrum uirtus sit (§ 85 pos. I), eadem, qua ad uirtutem uia panditur, ratione peruenimus ad honorem.

§ 169.

Virtus ea, quae in laudis honorisque studio, cogitata actionesque nostras ad naturae legem attemperat, dicitur *modestia*, (Ehr-Liebe), et is, qui ita laudem honoremque consectatur, ut rationem ducem sequatur, nec a norma discedat, is

is dicitur *modestus* (Ehrliebend). Cum uero quis honores, quos non capit, aut eos, quos consequi nequit, appetit, is dicitur *ambitiosus*. Est enim *ambitio* (Ehr-Geitz) uitium eos honores appetendi, quos nec meretur, qui appetit, neque consequi potest. Cum uero quis tam humili est abiectoque animo, ut famam infamiamque iuxta aestumet, neque de honore, aut potius honoris genitrice, uirtute cogitet, is uocabulo, barbaro illo quidem, sed ad rem exprimendam perquam apto, *inambitiosus*, (niederträchtig) appellatur.

§ 170.

Modestiae modestorumque characteres hi fere sunt.

I. Modesti in eo omnes ingenii animique neruos contendunt, ut uirtutum ornamentis enitescant, et, quibus ornati sunt, dotes luculentis speciminibus conspiciendas aliis praebeant, et, sicubi opus fuerit, in lucem proferant.

II. Modesti, ad uirtutes bonaeque mentis decus connisi, aliorum de sua uirtute iudicium et opinionem non tam expetunt, quam exspectant, denegataque laude facile carent.

III. Modestus nec plus sibi tribuit, nec minus, quam decet, sed tanti se aestumat, quanti se esse uere, perspicit. Quod qui facit, ille est *submissus*, uel ut alii malunt, *humilis* (demüthig). Qui uero plus sibi tribuit,

tribuit, quam decet, is dicitur *arrogans* (hochmûthig).

IV. Ex his, quae ſint ambitioſorum ambitionisque notae, intelligi poteſt. Ambitioſus, omnibus licet uirtutibus nudatus, iuſto tamen impatientius id auet unice & deſiderat, ut alii bene de ipſo ſentiant.

V. Ambitioſi, nimia gloriae cupiditate accenſi, extorquere quaſi ab aliis honorem, et ad bene de ſe ſentiendum eos propemodum cogere uelle uidentur.

VI. Ambitioſi gloriae umbram, et non tam uirtutem, quam uirtutis inſignia, quae etiam ſine uirtute flagitioſisſimus quisque conſequi poteſt, conſectantur; e. gr. titulos, primum locum, cetera.

VII. Vt in aliorum animis bonam de uirtutibus ſuis excitent opinionem, ipſi ſolent ſe ſuasque collaudare uirtutes, et plerumque falſa de ſe praedicare. In quo quantum inſit deformitatis, oſtendi in diſſertatione de laude propria.

VIII. Qui ambitioſum ad ſanam redigere mentem cupit, is ipſi oſtendat, in quo uerum decus poſitum ſit, et quam uana, uel potius nulla, ſit ea gloria, quae uel in opum affluentia, uel in maiorum nobilitate, uel denique in ſpecioſo phaleratoque titulorum apparatu quaeritur.

IX. Qui abiecto eſt animo, ideo difficulter emendatur, quia nullo ſenſu honeſti

ducitur, et, pudore omni protrito, hominum de se iudicia honorifica malaque iuxta aestumat.

X. ARROGANS, quem, caue, cum ambitioso confundas, cum sibi tribuat plus, quam decet, peropus est, ut, si ipsum emendare, elatioresque ipsius spiritus reprimere uelis, ostendas, α) quam parum, aut prorsus nihil habeat eorum, quibus superbire possit. β) Atque adeo arrogans ad cognitionem sui ducendus est, iubeaturque mentis suae latebras excutere, ut uideat, quam sit sibi curta supellex. γ) In primis uero ad cristas deponendas, uanamque sui persuasionem exuendam magnam habere uim putatur illud, si quis se cum aliis, qui sunt meliores praestantioresque, comparare iussus fuerit. δ) Denique, cum arrogantis hoc uitium fere proprium sit, ut alios contemnat, seque multo inferiores putet, ostendendum ipsi est, quam periculosum sit, inuidiaeque plenum, se praeferre aliis, et, qui tribui dignis debet, honorem iis denegare.

CAP. VIII.

De Virtutibus in fortuna aduersa et secunda.

§ 171.

Fortunae aduersae casus cum complurium animos ita persaepe conturbent, ut, fracti debilita-

litatique, ad cetera munia ſua obeunda minus habeant uirium, peropus eſt, ut, qua ratione aduerſus turbidioris fortunae impetum pectus muniri poſſit, in morum philoſophia doceatur.

§ 172.

Habitus actiones ſuas in fortuna aduerſa legi naturali conuenienter inſtituendi, dicitur *patientia*, quae, uel maxime, eo conſpicitur, ſi animus, in aerumnarum concuſſu, tranquillus fuerit & erectus.

§ 173.

Ad animum in rebus aduerſis tranquillandum, cum multa alia, tum, quae nunc dicemus, non exiguam habere uim uidentur.

I. Perpendas, fortunam, quae inciderit, aduerſam ad ea pertinere, quae nec noſtra prudentia, nec uiribus poſſint immutari. Fruſtra ergo eſt omnis lamentatio aegritudoque omnis, qua, tantum abeſt, ut, quod tibi opinaris accidiſſe, malum tollatur et leniatur, ut potius augeatur, et tu ipſe in ulcere tuo tanquam unguis exiſtas.

II. Animus diſtincta et uiua prouidentiae diuinae cognitione imbuatur. Eſt enim prouidentia diuina, ut omnium rerum humanarum, ita fortunae uel ſecundae uel aduerſae moderatrix et domina. Cuius conſiliis ſi quis ſuo ſe dolore intercedere poſſe exiſtimet, nae is, nauiter ſe delirare, haud obſcure declarat.

III. Prae-

III. Praeterea id ad mentem in rebus aduersis tranquillandam plurimum ualet, si quis, cogitationibus a praesenti calamitatum acerbitate ad earum consecutiones commodaque conuersis, longe in posterum prospicit, expenditque, ut cum amarissimo quoque medicamento corporis connexa sit salubritas, ita ex aduersitatibus iucundissimos in mentem corpusque redundare fructus.

IV. Neque scio, num quid ad animum contra turbidioris fortunae procellas praemuniendum sit accommodatius, quam si dudum ante, quam in nos impetum fecerit aduersitas, cogitauerimus, quibus fortunae telis proposita sit uita nostra, quamque uaria commutabilisque sit secundae, qua fruimur, fortunae ratio.

Pertinent huc ea, quae ex TERENTIO in Metaphysica p. 295 adduximus. Addo his ea, quae hanc in rem praeclare pronunciat CICERO. *Omnes*, inquit, *cum secundae res sunt maximae, tum maxime meditari secum oportet, quo pacto aduersam aerumnam ferant.* 3 Tuscul.

§ 174.

Quemadmodum patientia ad animum tranquillandum in rebus aduersis plurimum adfert adiumenti, ita fortitudo dirigit actiones nostras legi naturali conuenienter in periculis adeundis. Est enim *fortitudo* uirtus, metum in periculis legi naturae attemperandi.

CICERO ita definit fortitudinem: *Eſt ſcientia perferendarum rerum, uel affectio animi, in patiendo et perferendo ſummae legi parens ſine timore.* 4 Tuſcul.

§ 175.

Quae de fortitudinis natura et adminiculis adferri merentur, enunciata haec fere ſunt.

I. Qui uere fortis eſt, nec temere audet, nec inconſulte timet. Illud enim aduerſatur legi naturae, quae uitam noſtram quam diutiſſime conſeruari iubet, et, ſine ratione periculis eam obiici, uetat. Hoc itidem legi naturae eſt contrarium. Lege enim naturae ſancitum eſt, ut nos uitamque noſtram, et, quicquid bonorum diuinitus eſt nobis conceſſum, aduerſus uiolentum hoſtium impetum tueamur. Quod cum ſaepius ſine praeſentisſimo uitae periculo fieri non poſſit, manifeſtum eſt, nec timidum, nec tergiuerſantem te pericula, quae, neceſſitate cogente et pro cauſſa honeſta, ſubeunda ſunt, adire debere.

II. Si quis, nulla cogente neceſſitate, nec pro cauſſa honeſta uitam periculo obiicit, tum dicitur *audax*. Vitium illud, quo quis ſine cogente neceſſitate et ſine ratione idonea caput periculis exponit, dicitur *audacia* uel *temeritas*.

III. Quamquam ei, qui natura meticuloſus eſt, uix addes animum, quantumcunque ipſi inuitamentorum propoſueris, quae mentem ad pericula deſpicienda mouere queant;

queant; multum tamen ad timorem imminuendum haec ualebunt, si, α) periculum tantum non esse, dixeris, quantum sibi animo fingat is, qui metuit, β) si, plurimum ex hoste deuicto in ipsum redundaturum esse emolumenti laudisque et gloriae, demonstraueris, γ) si denique ipsius animo subieceris, quantum debeat rei publicae, a cuius salute singulorum incolumitas seiungi non possit.

IV. Ad audaciam temeritatemque comprimendam pertinent cum alia plurima, tum uel maxime illud, quod inter αὐτόχειρας iure referendus sit is, qui temere pericula adit, quodque plus turpitudinis, quam gloriae, ex eo nascatur, si quis sua culpa suoque uitio calamitates aut mortem non necessariam sibi attraxerit, et quae sunt alia plura huiusmodi.

§ 176.

Quemadmodum in rebus asperis cauere debemus, ne simus animo nimis fracto et prostrato, ita, cum prospero fortunae flatu utimur, uidendum est, ne efferamur fastidio et contumacia, animumque adeo ab insolentia retrahamus. Virtus, dirigens in fortuna secunda actiones legi naturali conuenienter, dicitur *moderatio animi*.

§ 177.

Moderatioris animi adiumenta haec sunt.

I. Co-

I. Cogita, fortunam prosperam, uno momento, conuerti posse in aduersam, quam, donec eris felix, continuo, aut certo futuram, aut iam praesentem, animo tuo subiicias. Metuit rebus, monitore HORATIO, secundis alteram sortem bene praeparatum pectus. Lib. II Od. 10.

II. Nemo tam attrahit sibi aliorum inuidiam odiaque, quam ii, qui antea commodis fuerunt moribus, postea uero imperio, potestate, prosperisque rebus immutantur.

III. Illud quoque, quam potes diligentissime, animo tecum uoluas, te, si reflauerit fortuna, sique lapsu grauiore ex alto decideris, omnium expositum iri ludibrio, neque futurum quemquam, qui, ob pristinam insolentiam, uices tuas miseretur.

CAP. IX.

De uirtutibus erga alios.

§ 178.

Quem in officiis erga alios praestandis utramque facere paginam, diximus, amorem, quemadmodum unicuique hominum praecipit lex naturae, ita eius excitandi alendique et conseruandi rationem nunc distinctius tradamus necesse est.

§ 179.

§ 179.

Ad igniculos uero amoris erga alios exſuſcitandos nutriendosque plurima ſunt accommodata, ex quibus haec adduxiſſe, nobis ſuffecerit.

I. Dubitari non poteſt, quin, quo ardentius alios amaueris, hoc facilius uehementiusque aliorum animas ad bene tibi faciendum tuamque felicitatem amplificandam ſis concitaturus. Vt enim quemque tenerrime amamus, ita, niſi ſit ſine ſenſu, ſine ſapore, ad redamandum mouetur efficacisſime. Quo fit, ut, aliis amandis, nos reddamus feliciores.

II. Perquam utile eſt ad amorem erga alios excitandum, ſi, inde ab ineuntis aetatis primordiis, ita conſuefiamus, ut, quae in aliis laudabilia ſunt, egregia, et pulchra, ea, quam poſſumus acerrime, et attentis oculis contemplemur, neque eos audiamus temere, qui, quid carpant in aliis et uituperent, diligenter circumſpiciunt.

III. Amoris erga alios quaedam quaſi inuitamenta continet peruulgata illa, omniumque trita ſermonibus, regula: *Quod tibi uis fieri, idem alteri feceris, quod contra tibi non uis fieri, idem ne feceris alteri.* Fingas, te a nemine amari. Fac, te ita omnibus eſſe exoſum, ut quisque, qui eadem tecum communitate continetur, aut calumniando tuas obterat laudes, aut fortunis inſidietur,

dietur, aut, cuniculis uelut actis, salutem tuam subuertat. Haec omnia num grata tibi erunt? Non putarim. Quid ergo? Eundem, quem hae criminationes, laesionesque in mente tua producent, sensum in aliorum animis, si laeseris eos, excitari putato.

§ 180.

In officiis erga inimicos occurrit uirtus, quam *Placabilitatem* siue *Mansuetudinem* dicimus.

§ 181.

Mansuetudinis uis maxime cernitur in ira moderanda, iniuriisque perferendis. Est enim *mansuetudo* uirtus, per quam actiones nostrae legi naturali attemperantur circa iniurias, ab aliis nobis illatas.

§ 182.

Hominis mansueti haec fere indicia sunt.

I. Homo mansuetus et placabilis nemini uult nocere et aegre facere, ne lacessitus quidem.

II. Mansuetus ita ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet, et exorabilis istis etiam est, qui dare ueniam, nisi sibi, nesciat.

III. Qui mansuetus est, non malum malo compensandi lubidine effertur, i. e. non ulciscitur iniurias. Est enim VLTIO siue VINDICTA, nihil aliud, quam cupiditas malum malo compensandi.

IV. Qui mansuetus est, generoso animo est erga inimicos. GENEROSVS ANIMVS

in eo conſiſtit, ſi quis, etiamſi poſſet, non ulciſcitur iniurias, ſibi illatas.

§ 183.

Cum alia multa ad placabilitatem manſuetudinemque commouere animum poſſunt, tum haec plurimum ad hanc uirtutem colendam adferunt adiumenti.

I. Perpendas, humilis eſſe paruique animi, leuiſſimis quibusque iniuriarum punctiunculis commoueri.

Praeclarum eſt illud SENECAE. *Magni*, inquit, *animi eſt proprium, placidum eſſe tranquillumque, et iniurias atque offenſiones ſuperne deſpicere. Muliebre eſt, furere in ira, ferarum uero, nec generoſarum quidem, praemordere et urgere proiectas.*

II. Si qui ſunt, quos, putas, iniurios in te eſſe, conſidera tecum, in quo uerus honor conſiſtat, in quo turpitudo. Omnes criminationes iniuriaeque, quantae demum cunque illae ſint, nullam uim habent ad honorem uerum imminuendum, propterea, quod honor fulcitur uirtute, quae demi non poteſt.

III. Si iniurias concoquere non potes, easque ulciſci allaboras, quid efficis aliud, quam, ut et animum tuum turbatiorem reddas, et inimicum irrites, quem, ſatius erat, cedendo uincere.

IV. Denique cum omnes, quas non mereris, iniuriae inter aduerſae fortunae caſus recte referantur, intelligis, idem, quod ad aduerſam fortunam patienter tolerandam conducere diximus, moderatam iniuriarum perpeſſionem efficere.

§ 184.

§ 184.

Sunt praeterea quaedam uirtutes, quae cum officiis erga alios in ſermocinando et promittendo ſunt arcto uinculo connexae, *ueracitas* ſcilicet et *taciturnitas*.

§ 185.

Veracitatem dicimus uirtutem, quae dirigit ſermonem legi naturali conuenienter, ſiue cum in ſermone adeſt conuenientia oris et mentis.

§ 186.

Quamquam incidunt tempora, cum falſum dicere non licitum modo, ſed etiam neceſſe eſt, id, quod ſupra oſtendimus, uiri tamen boni eſt, non fallere alios mentiendo, neque temere aliud in lingua promtum, aliud in pectore clauſum habere. Cauſſae hae ſunt:

I. Quisquis aſſuetus eſt mendaciis, aliosque, orationis uanitate adhibita, ſemel iterumque in fraudem induxit, nae is, cum mendacium diligenter inſpectum, perlucet, efficiet, ut nemo ipſi habeat fidem. Fide uero amiſſa, quam utilitatem praeſtabis ſocietati?

Recte CICERO: *ubi quis ſemel peierarit (nihil autem intereſt inter periurum et mendacem), nam qui mentitur, peierare conſueuit, ei credi poſtea, etiamſi per plures Deos iuret, non conuenit*, Pro C. Rab. Poſthum.

II. Qui fingendo ementiendoque fucum facit aliis, is turpitudinis notam ſibi ipſe inurit, recteque ab aliis habetur ueterator, cuius conuictum conſuetudinemque, ut quis-

que est bonae mentis uirtutisque amantissimus, ita solicitissime uitat.

III. Neque fieri potest, quin ii, qui tum demum, cum, consutis dolis, mendaciisque confictis, deludunt alios, lepidi sibi argutulique uidentur, in omnia proni ruant flagitia, quae mentiendi artificio tegi callide uelarique posse arbitrantur. Atque ita proponunt sibi impunitatem, quae peccandi maxima est illecebra.

§ 187.

Veracitati adiungimus *taciturnitatem*, quae est uirtus dirigens actiones nostras in silentio, legi naturali officiisque conuenienter.

§ 188.

Quae quidem uirtus, dici non potest, quam necessaria sit in societate colenda, quamque admirabiles sui concitet amores.

I. Nihil tam attrahit et allicit aliorum beneuolentiam, quam taciturnitas; at, qui, rimarum pleni, hac atque illac perfluunt, effutiuntque ea temere, quae sibi commissa sunt, ii omnium animos abs se abalienant, pluribusque persaepe inconsulta garrulitate sua sunt exitio.

Scite HORATIVS:

- - *Commissa tacere,*
Qui nequit; hic niger est, hunc tu Romane caueto.
Sat. 4, L. 1.

II. Huc accedit, quod is, qui, quicquid in buccam uenit, garrit, haud raro se turpiter

det,

det, cum effutiat ea, quae turpitudini ipsi sunt, quaeque reticeri et sua et rei non nunquam publicae, intererat. A taciturnitate *morositas* est distinguenda, quae consistit in obstinato silentio, cum nonnulli id, quod cum aliis communicare poterant et debebant, ita premunt mente, ut in congressionibus familiaribus, quae sermonibus, ultro citroque habitis aluntur, obmutuisse uideantur.

Dicacitas et *Obscenitas* in sermonibus cum aliis magnopere noceat, illa quidem, famam innocentium arrodendo, haec uero libidines incendendo: manifestum est, dicacitatem aeque ac obscenitatem esse, tanquam uitia teterrima, euitanda. Accedit, quod, qui dicaces nimium sunt, plerumque funestissima sibi arcessant fata, id, quod in dissertatione: de Satyricis infelicibus, uberius demonstratum dedi.

FINIS ETHICAE.



INSTITVTIONES POLITICAE.

Prolegomena.

§ 1.

Philosophia, quam uocant, actiua tres complectitur disciplinas, id quod supra iam monuimus. § 17 Log. Leges, ad quas qui uitam componunt, *iuste* agere dicuntur, explicat *ius naturae*. Rationem modumque *honeste* uirtutique conuenienter uiuendi docet *Ethica*. At, quomodo prudenter decenterque suas quisque actiones, cum si solus fuerit, et secum quid egerit, tum si cum aliis rem habuerit, instituere debeat, id uero non rectius, quam in *politica*, tradi posse, putauerim.

§ 2.

Politicam, ergo eam uoco disciplinam, quae regulas prudentiae exponit.

Non me fugit, significationem uocis *Politica* tam late patere, ut alii aliam ei sententiam subiici uelint. Sunt, qui per *politicam* intelligunt astutiam simulandi dissimulandique, et nescio quam, artem alios fallendi. Hinc fit, ut eum uulgo *Politici* nomine insigniri audias, qui, utor KIRCHNERI uerbis, de Legat. L. I c. IV *ad omnium nutus frontem componit, quod in Comicis spectaculis Gnathonum esse uidemus, omnibus arridet, gestibus peregrinis crurumque flexionibus scite uti, seria salesque tempori accommodare, principum gratiam uenari, hominum fauores aucupari,* *qui*

qui cum omnibus ludere, bibere, naſo quemuis ſuſpendere, dicteria iacere, et in communis uitae ſcena, quamuis, ut dicunt, perſonam apte, h. e. ſimulate agere nouit. Alii, ratione ſtirpis, unde ducta eſt uox *politicae*, habita, paullo arctioris limitibus id uocabulum definiunt. Eam nimirum prudentiam, quae in iis, qui ad clauum reipublicae ſedent, uel in ratione adminiſtrandae reipublicae conſpicitur, dicunt *politicam*. Cuius duas conſtituunt partes. Alteram eſſe, aiunt, *priuatam*, quae ad rem principis familiarem, negotiaque domeſtica prudenter moderanda refertur. *Publica* uero ipſis dicitur, quae in regulis prudentiae, ad ciuitatem regendam ſalutemque imperii ſtabiliendam pertinentibus, explicandis uerſatur. Haec κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur *politica*. Ea prudentia, qua ciues, in ſuis quisque negotiis, reque maxime familiari, ad ſtatus ſui conſeruationem incolumitatemque diriguntur conformanturque, appellari ſolet *oeconomica*. Vid. CANZ. in *Diſciplinis moralibus* p. 1158.

§ 3.

Cum, quicquid huius eſt ſcriptionis, eo pertinere uelimus, ut iuuentutis, cultioribus litteris in ſchola ad humanitatem erudiendae, commodis inſeruiat; non tam id agendum nobis nunc putamus, ut prudentiam principum in regenda familia moderandisque reipublicae rationibus copioſius exponamus, quam in eo uerſabimur, ut, quas quisque prudentiae regulas, in uita priuata, negotiisque ſuſcipiendis, ſectari debeat, tradamus.

§ 4.

Atque ita intelligitur, nos uocem *Politicae* paullo latius extendere, quamcunque prudentiam agendi, ſiue ſit publica ea, et ad imperium pertineat, ſiue ſit priuata, hoc nomine intelligi poſſe, opinati.

§ 5.

Cum iuuenibus, litterarum, futuraeque adeo felicitatis ſtudioſis, nihil plus adferat commendationis, quam *decori* ſtudium; nonnulla de *Decoro* adiiciemus, et, quid uel in externo cultu, uel in ſermone, uel in geſtibus, offendat alios, quidue placeat, et politicorum ſit, exponemus.

§ 6.

Ex his nullo negotio intelligis, peropus eſſe, ut primum *prudentiae*, quae *politicae* uelut anima eſt, eamque totam conſtituit, notionem diſtinctius euoluamus, rationemque et modum *prudenter uiuendi* oſtendamus.

CAP. I.

De prudentia generatim conſiderata regulisque prudentiae.

§ 7.

Quamquam omnes actiones, quas philoſophia actiua praeſcribit, eo referri debent, ut ueri nominis felicitas acquiratur, acquiſitaque conſeruetur, alias tamen alio modo ad felicitatem nobis uiam munire, comperimus.

§ 8.

Diuerſi ſcilicet ſunt generis actiones. Aliud eſt *iuſte* agere, aliud *honeſte*, aliud denique, *prudenter* agendi rationem inſtruere. *Iuſte* agit is, qui, ex praecepto Iuris prudentiae naturalis, actiones

nes ad leges componit, quamuis nondum uoluntatem emendauerit. *Honeste* is agere dicendus est, qui non modo externas actiones legi conuenienter instituit, uerum quoque, duce uirtute, lubens et sponte id, quod honestum est, felicitatique consentaneum, suscipit, quamuis nec lege nec ui externa ad ita agendum adigatur.

Si Caius neminem laedit, si damnum, quo adfecit alterum, reparat, tum *iuste* agit. Lege enim cogitur. At, si quis pauperibus, solo amore ductus, multa largitur beneficia, si quis inimico, a quo uehementissime laesus fuerat, in rebus aduersis salutem opemque fert, eumque ex praesentissimo periculo seruat, tum *honeste* agit.

§ 9.

Ecquis uero *prudenter* agit? Quae quaestio solui non potest, nisi, quae sit *prudentiae* natura, forma, et indoles, intelligatur.

§ 10.

Prudentiam, diximus, nihil aliud esse, quam facultatem, adiumenta, quae sapienter excogitata sunt, promte et ita exsequendi, ut status nostri conseruatio felicitasque externa obtineatur (§ 141 Ethic.).

§ 11.

Qua definitione haec continentur enunciata.

I. Quae prudentia exsequitur, ea, sapientiae ope, iam antea decreta sunt, siue, ut CANZIVS loquitur, sapientia delineat, exsequitur prudentia. In discipl. moral. p. 223.

II. Vt ita pateat, sapientiam et prudentiam commune habere uinculum, et arcta quadam cognatione inter se contineri.

III. Prudentiam ergo sine sapientia locum habere non posse, quis non uidet?

IV. Cum sapientia sit scientia felicitatis (§ 139 Eth.) prudentia sine sapientia esse nequeat (n. 3) apparet, prudentiam, nisi ad felicitatem acquirendam conseruandamque referatur, esse nullam.

V. Quoniam felicitas, nisi uirtute adiutrice, parari non potest (§ 44 Ph. pract.), consequens est, ut prudentia uirtutis quasi fulturis nitatur, legibusque honestatis, pietatis, iustitiaeque dirigatur.

VI. Si quando ergo fit, fieri autem persaepe solet, ut uel finis, qui quaeritur, sit illicitus regulisque honesti et iusti contrarius, uel, quae ad finem bonum laudabilemque comparantur excogitanturque, remedia uitii quid habeant, et turpia sint, tum id *astutiam* rectius dixeris, quam prudentiam.

Insigne exemplum astutiae habes in argentario illo Syracusano apud CIC. L. III c. 14 de offic. qui ad finem suum consequendum, ut scilicet iuuenem locupletem, et cupidum argento emungeret, tam apta adhibuerat remedia, ut nihil ad utilitatem, quam consectabatur, adipiscendam accommodatius esse posset.

§ 12.

Quia prudentia in eo uersatur, ut ad finem obtinendum adiumenta adhibeantur apta (§ 10), finis uero, et, quae eidem obtinendo idonea sunt,

reme-

remedia nexu quodam inter ſe deuinciantur (§ 130 Met.), ſequitur, ut prudentia ſine facultate nexum rerum perſpiciendi eſſe non poſſit. Facultas uero nexum rerum ueritatumque perſpiciendi dicitur *ratio* (§ 212 Met.). Ergo, a recta ratione prudentiam ſeiungi non poſſe, intelligitur.

§ 13.

Ex pluribus remediis, quae ad finem praeſtitum obtinendum pertinent, alterum altero melius eſt et aptius, uiaque expeditiori ad id, quod cupimus, ducit. Prudentiae ergo eſt, non modo haec remedia noſſe acurate, et inter ſe comparare, ſed illud quoque, quod optimum aptiſſimumque eſt, eligere et exſequi. Quod cum ſine deliberatione conſilioque fieri nequeat, apparet, deliberationem conſiliumque velut prudentiae eſſe animam, unicumque fundamentum.

§ 14.

Deliberatio uero uel maxime id poſtulat, a) ut perſpicias, quanti momenti ſit bonum, quod quaeritur, b) ut impedimenta, quae praeter opinionem incidere poſſunt, omneque conſilium eludunt, ſolicite perueſtigentur, deque iis tollendis cogitetur, c) ut omnia fortuita et externae περιστάσεις expendantur, ratione et temporis, loci, rei ipſius, hominumque habita, a quibus difficultates et obſtacula oriri poſſunt. Qua quidem in re plurimum nos iuuat experientia et propria, et aliena, ſiue hiſtoria, quam recte prudentiae magiſtram dixeris.

§ 15.

§ 15.

Cum prudentiae finis felicitas sit (§ 11 n. 4), non internam quidem felicitatem, in mentis tranquillitate et liquida uoluptate positam, uirtutisque studio parandam, excludi hic prorsus uolumus, at id tamen, uel inprimis, negotii sibi dat prudentia, ut externae felicitati consulat, commodisque hominum, ueluti opibus augendis, honori amplificando, fortunaeque uel parandae uel stabiliendae seruiat.

§ 16.

Prudenter ergo actiones suas instituit is, 1) qui eo refert actiones suas, ut status sui conseruationem felicitatemque externam promoueat, 2) qui non modo de idoneis aptisque ad fines consequendos adiumentis est solicitus, sed ea quoque dextre et tam scienter applicat, ut, quem animo destinauit, finis facillime obtineatur, 3) qui impedimenta, si quando ex transuerso obiici senserit, remouet, ne quid supersit, quod consilium eludat, felicitatique, quam animo consectatur, intercedat, 4) qui denique ita omnes, quae rem quampiam comitantur, περιστάσεις peruestigat et explicatas habet, ut, quid hoc illoue tempore, hoc illoue loco, suscipiendum sit, quidue maxime commodis suis seruiat, perspiciat.

§ 17.

Dubium non est, quin prudens, ita agendo, normam quandam, legesque sequatur, quibus cogitationes suas, consilia, actionesque conformet, et dirigat. Quas quidem regulas, quamuis, ob infinitam fere περιστάσεων, quae incidunt, uarie-

tatem complicationemque, difficile admodum ſit, ita tradere, ut quaeque ſingulorum facta ad eas, tamquam ad certam normam, inſtitui debeant; perutile tamen erit, praecipuas praeceptiones, ad quas, qui prudenter agere uolunt, ſe fere componunt, iuuentuti familiares reddere, easque ex iis, quae actionem quamque circumſtant, quaeque fortuita ſunt, eruere.

§ 18.

Prudentiae regulas nominamus, quae non, ut leges naturae, ſunt immutabiles, neque iuſtum et honeſtum ita praecipiunt, ut ad eas perfecte quis obligari poſſit, ſed ex rei uel ſuſceptae, uel ſuſcipiendae natura et determinationibus aliam aliamue ſubire poſſunt mutationem modumque, in hoc illoue caſu indiuiduo commodis ſuis ſeruiendi definiunt.

§ 19.

Quemadmodum ergo leges *iuſti*, quas tradit iurisprudentia naturalis, et leges *honeſti*, quas ſancit Ethica, facienda iubent, et omittenda vetant; ita regulae prudentiae, quae tantum actiones licitas dirigunt, ſuadent, uel diſſuadent, ut commodo tuo conſulas, et, quod ſtatui tuo externo nociturum uidetur, declines.

Cum prudentia ſine uirtute, ſine pietate et iuſtitia nulla ſit (§ 11 n. 5), conſequens eſt, ut regulae prudentiae legibus naturae honeſtatisque non debeant eſſe contrariae. Vtile enim, quod ſuadent, non debet honeſtum iuſtumque tollere neque uera eſt utilitas, quae cum turpitudine coniuncta eſt, id quod CICERO Lib. III de off. uberius diſputauit.

§ 20

§ 20.

In his prudentiae regulis tradendis eum commentandi ordinem ſeruabimus, ut, quemadmodum in iuris prudentia naturali docuimus, quid ſit iuſtum cum in officiis erga nos ipſos, tum in iis, quae erga alios obſeruanda ſunt, denique quid in dominio ſermonibusque lex naturae exigat, ita nunc explicemus, quid in his omnibus prudentia requirat, ſeriem capitum iuris naturae, tanquam filum, ſecuturi.

CAP. II.

De regulis prudentiae circa officia erga nos, ſpeciatim erga animum.

§ 21.

Quae lex naturae aduerſus nos obſeruare iubet, officia pertinent aut ad animum, aut ad corpus, aut ad ſtatum externum. Regulae ergo prudentiae itidem uel ratione animi, uel corporis, uel ſtatus externi, poterunt conſiderari.

§ 22.

Cum animus humanus uel cognoſcendi, uel appetendi facultate, ſiue, ut cum ueteribus loquar, uel intellectu, uel uoluntate ſit inſtructus; praemittamus, neceſſe eſt, regulas prudentiae in intellectu colendo obſeruandas. Quae ceteraeque omnes facilius intelligi poterunt, ſi praeſtruatur, fun-

fundamenti loco, praecipua generaliorque prudentiae regula, cui reliquae, quae ſpecialius, quid faciendum omittendumque ſit, indicant, ſubiectae ſunt.

§ 23.

Generalem hanc prudenter uiuendi normam hoc enunciato contineri, putauerim. *Fac ea, quae circumſpectis negotii ſuſcipiendi ſingulis momentis, rationibusque ſubductis, probabilius cognoſcis commodis tuis inſeruitura, optabilemque promittunt exitum, et intermitte ea, in quibus locus, tempus, ſpatium, occaſio, et aliae res circumſtantes, ſpem negotium feliciter perficiendi, minuunt et tollunt.*

LEHMANNVS, philoſophus quondam Ienenſis, et praeceptor noſter, poſt fata uenerandus, hanc generalem formulam, ſine qua prudenter agendi rationem conſtare non poſſe, putat, conſtituit: *Quodcunque res circumſtantes externae ac fortuitae cuiusdam rei aut negotii ſuadent uel diſſuadent, illud agendum erit aut intermittendum.* Conf. eius Inſtitutiones prudent. natural. p. 11.

§ 24.

Praefulta ita generaliori regula, ad quam qui actiones ſuas attemperant, *prudentes* uocantur, nunc ſpeciatim conſiderare iuuat, quibus prudentiae regulis ingenii cultura dirigi poſſit, et ad uſum uitae conformari.

§ 25.

In intellectus emendatione, ad quam naturae lege adſtringimur, haec prudentiae regula prima fere eſt et praeſtantiſſima: *Quicquid ad diſtinctam ueri bonique cognitionem adfert adiumentum, id con-*

consectare et agas. Quicquid contra eandem impedit, id fuge et tollas e medio.

§ 26.

Prudentis ergo est, non tam de eo cogitare, ut nimis multa sciat, quae nescisse saepius rectius fuerat, quam ut, quae scit, solide, distincte, penitusque perspecta habeat. Quod philosophi ita enuntiant, *cognitio intensiua est praeferenda extensiuae*, siue, praestat, pauca, sed solide, nosse, quam multa confuse et ita, ut eorum superficiem primoribus tantum labris degustasse uidearis.

§ 27.

Cum infinita eorum, quae disci cognoscique possunt, sit multitudo et uarietas, mens autem suis, exiguis sane, limitibus definita, nec capiat, nec capere possit omnia, prudentiae est, ea seligere, quae sunt fini cuiusque accommodatissima (§ 11 n. 6).

§ 28.

Necessaria ergo, i. e. ea, sine quibus finis obtineri nequit, sunt praeferenda utilibus, utilia iucundis, fere, ut prudentes mercatores, ad mercatum profecti, non quiduis, quod usui esse poterat, emunt, sed quod necesse est.

Illustraui haec uberius in I. N. § 71.

§ 29.

Ad solidam distinctamque ueri bonique cognitionem, qua intellectus emendatio continetur, plurimum ualet illud, ut ordine omnia cognoscan-

ſcantur, et in diſcendo a facilioribus ſemper progrediamur ad ea, quae pluſculum habent difficultatis.

§ 30.

Prudens ergo in ingenii cultura intelligendique ui perficienda, quanto poteſt maximo ſtudio, εὐταξίας leges ſeruat, nec, quae ultimo reponenda erant loco, praemittit, nec, quae praefulcienda fuerant fundamenta, iacit tum demum, cum compages iam exſtructa fuerit.

Quanta uis ſit ordinis cum in omni uitae ratione, tum uel maxime in ingenii bonarumque artium cultura, feſtiua narratiuncula declarauit MELANCHTHON. *Fuit apud nos, inquit, morio quispiam, qui in heri culinam ex more ligna ferebat. Is ſolitus eſt, ex infima ſtrue ea reuellere, quae moueri ſine magno negotio non poterant; interrogatusque, cur id faceret, reſpondit, ſe difficillimam laboris partem primum confecturum, ſumma illa facilius moueri; nec uidit, quantum referret, ſingula ordine tollere. Huius mihi perſimiles uidentur, qui, faſtiditis his artibus, ad ſublimia prouolant. Nam et augetur diſcendi labor, et incommodius omnia tractantur, quum nondum ſint perpoliti primis rudimentis.* In ſelectarum declamationum ſuarum Tom. I p. 421.

§ 31.

Hoc clarius diſtinctiusque rem quamque cognoſces, quo crebrius id, quod didiciſſe tua intereſt, animo fueris contemplatus, quoque magis repetitionem tibi habueris commendatam, et ea, quae legiſti et audiuiſti, ueluti cibum remanſum, reguſtaueris. Prudentiae ergo eſt, iterum iterumque lecta audiraque repetendo, rerum perceptarum imagines inſtaurare.

§ 32.

Caue, ne accedas, inuita Minerua, ad culturam ingenii. Satius est, opera manuaria uictum quaeritare, quam Musarum, quas iratas habes, sacris initiari, atque ita barbarorum gregem augere, et dedecorare litterarum nomen, dedecorare scholas, magistrorumque auctoritatem.

§ 33.

Prudentiae ergo est, prius, quam ad studia, quorum adiumenta intellectus emendatio desiderat, te contuleris, ingenii uires diligentius explorare, aut alios, qui de ingeniis existimare possunt, in consilium adhibere, eosque, tamquam utilissimos consultores, sequi.

Quemadmodum non cuilibet agro quodlibet semen temere committis, si frugum exspectas ubertatem, sed cuiusque fundi naturam feracitatemque prius, quam sementem feceris, diligentius exquiris, ita plurimi refert, explorari, quae omni bonarum genere artium censeri debent, ingenia, ut aliis subueniatur consilio, alia uero, quae sibi conuenientissima sunt, studiis operentur, alia denique mature a litterarum cultu ad opificia se conferant, quae plus lacertorum, quam sapientiae, plus roboris, quam ingenii deposcunt.

§ 34.

Cum uariae sint mentis humanae facultates, neutram non excolendam perficiendamque esse suadet prudentia. Neque enim illorum mos probandus est, qui, uinculo, quo animi uires inter se deuinciuntur, soluto, uel soli memoriae acuendae intenti sunt unice, iudicandi autem uim incultam desertamque relinquunt, uel iudicium limant,

mant, memoriae autem ingeniique aciem hebescere patiuntur.

§ 35.

Quia uero omnes animi dotes, ob nimiam diuersitatem, non pari studio simul perpoliri possunt, iis, uel inprimis, perficiendis plurimum studii operaeque impendendum est, in quibus tribuendis naturam maxime fautricem experti sumus.

§ 36.

Vides ergo, cur, si prudentiae uocem audias, iuuenibus adolescentulisque ea studia sint commendanda, quae plus memoriae aut phantasiae, quam iudicii, deposcant. In iuuenum enim memoria, tanquam in molli cera, rerum omnium simulacra, nullo negotio fingi possunt et insculpi.

Praeclare, ut multa QVINCTILIANVS. *Pueri statim quam plurima ediscant, et quaecunque aetas operam iuuandae studio memoriae dabit, deuoret initio taedium illud et scripta et lecta saepius reuoluendi, et quasi eundem cibum remandendi.*

§ 37.

Prudentiae ergo est, linguarum studia, historias, Geographiam, poësin, aetate iuuenili, diligentius tractare, philosophiam, et, quae iudicii acrimoniam poscunt, aetati paullo profectiori reseruare.

§ 38.

Prudens in intellectu emendando non inanes consectatur subtilitates, quae ad ostentationem in-

genii aliquid, ad uitae uſum felicitatemque nihil adferunt adiumenti.

Nouit enim, non ſcholae, ſed uitae eſſe diſcendum.

§ 39.

Prudenter diſcendi rationem inſtruis, ſi id ſtudiorum genus delegeris, ad quod naturali te impetu inſtinctuque ferri ſentis.

§ 40.

Inter adiumenta praecipua cognitionis parandae referri ſolent: *auditio*, *lectio*, *meditatio*.

§ 41.

Male rationibus ſuis conſulunt, qui, ſine inſtitutione, ſuopte ingenio, eruditos ſe euaſuros eſſe opinati, ad praeceptores mortuos potius, quam uiuos, ſe conferunt, domique totos dies libris impalleſcunt, audiendi opportunitate temere dimiſſa. Ἀυτοδίδακτοι uocari uolunt. Quo quidem hominum genere, neſcio, an quid ordinis in ſtudiis colendis tam neceſſarii, leges magis peruertat.

Recte PLINIVS: *Legendi ſemper occaſio eſt, audiendi non ſemper. Praeterea multo magis, ut uulgo dicitur, uiua uox afficit. Nam licet acriora ſint, quae legas, altius tamen in animo ſedent, quae pronunciatio, uultus, habitus, geſtus etiam dicentis adfigit.* Lib. II Ep. 3. Cum quo conſentit QVINCTILIANVS, qui, *licet ſatis*, inquit, *exemplorum ad imitandum ex lectione ſuppeditet*, tamen *uiua illa, ut dicitur, uox alit plenius, praecipueque eius praeceptoris, quem diſcipuli et amant, et uerentur.* Lib. II Inſtit. Or. Cap. 2.

§ 42.

§ 42.

Plurimum autem refert, teſte PLINIO, a quo potiſſimum accipias bonas artes. In deligendis ergo, quos audias, praeceptoribus, prudenter ages, ſi ab eorum ore pependeris, qui rem, quam docent, exquiſite planeque intelligunt, qui, docendi dote inſtructi, perſpicue animi ſenſa expromunt, qui omnia, quae tradunt, acri magnoque iudicio ab origine, cauſſisque primis, repetunt diſcernuntque, qui denique, recitationes ſuas non tam ad oſtentationem ingenii, quam ad uitae uſum referunt.

Talis ſit is, qui nos docet, qualem PLINIVS exemplo Iulii Genitoris nobis proponit. *Nihil*, inquit, *ex hoc uiro, filius tuus audiet, niſi profuturum, nihil diſcet, quod neſciſſe rectius fuerit.* Lib. III Ep. 3.

§ 43.

Caue, eum praeceptorem eſſe optimum exiſtimes, et fideliſſimum, cuius ſcholae auditorum frequentia florent, quique tibi ab aliis maxime commendatur.

Fit enim perſaepe, ut plurimi, maxime in Academiis, antecedentium gregem ſecuti, uia, qua itur, eant, non qua eundum erat.

§ 44.

Caue, ne nimia collegiorum, quae uocant, multitudine, mentem diſtrahas. Plerumque, qui multa breui tempore diſcenda putant, nihil, rerum cognoſcendarum uarietate et copia obruti, diſcunt.

Eleganter BÜLFINGERVS: *Sex, octo, decem, horas continuas adire Magiſtros uariae docentes, eo quidem*

 fine,

fine, ut biennii, uel triennii ſpatio curſum abſoluas academicum, hoc idem eſt, ac ſi tria per diem prandia tresque coenas ſumere pueri inſtituerent, ut paucioribus ſcilicet adoleſcant. Quo ſi finem aſſequi liceret, credo, principum filios ſexto iam anno, et fortaſſis citius maiorennes fore. Vid. eius Oratio de praecipuis quibusdam diſcendi regulis ex comparatione corporis et animi erutis. p. m. 25.

§ 45.

Non modo ſolertes peritosque bonarum artium Magiſtros, augendae perficiendaeque cognitionis tuae cauſſa, continenter audire decet, uerum quoque, ſi eos adeundi copia tibi dabitur, cum iis familiarius uerſare, pluresque horas interrogando, colloquendo, commentandoque conſumes.

Nunquam rectius feliciusque diſcitur, quam ſi praeceptor in amicum tranſeat.

§ 46.

Ad lectionem quod attinet, has fere regulas prudentiae tibi commendauerim.

I. Prius, quam ad legendos libros te accinxeris, ſolicite disquiras, quinam ex pluribus, qui proſtant, ſint in quoque diſciplinarum genere, optimi, et quinam ex optimis ſint rationibus tuis, inſtitutoque conuenientisſimi.

II. Lectionem confuſam et uagam fuge, de quo ſcite commentatur SENECA in Epiſtola II.

III. Orationis, ſi quando alias, in librorum lectione rationem habeto. Atque adeo ab

ab iis ordiaris, qui ceteris intelligendis ſubſeruiunt.

IV. Eos, quos antiquitas tulit, libros diligentius legas, quam illos, qui noſtris temporibus ſunt procuſi.

V. In legendo, ne nimium fidas interpretationibus aliorum, ſed qua quisque ſcriptor mentem ſuam explicauit, lingua librum euolue.

VI. Praepropera feſtinatio, cum ſemper alias, tum uel maxime in libris legendis nocet. Attentionis enim incidit neruos, et clarae diſtinctaeque rerum cognitioni mirum quantum officit.

Nonnunquam tamen commendatur lectio, quam uocant, *curſoria*, quae cum *ſtataria* non inutiliter permutatur. Vid. GESNERI Praefationem LIVIO praefixam.

VII. Si quos ſcopulos initio tibi in legendo obiectos ſenſeris, caue, librum de manibus deponas, eumque obſcuritatis incuſes. Diligentiam ſi intenderis, ſenſum, quem ſaepius in profundo abſtruſit Auctoris acumen, erues.

VIII. Quos moribus nocituros noſti, libros ne in manus ſumito, iisque ſubſtitue tales, qui te meliorem doctioremque dimittunt.

IX. Quaecunque legeris, repetendo, meditando, excerpendo in ſuccum et ſanguinem conuertas. Quo pertinent illa PLINII: Non multa, ſed multum. Lib. VII Epiſt. 9.

CAP. III.
De Regulis Prudentiae circa uoluntatem.

§ 47.

Quae de uoluntate emendanda diximus, Cap. IV. Iur. Nat. eo pertinent, ut intelligatur, ad quidnam, ratione uoluntatis, obligati ſimus. Cum uero uoluntatis emendatio prudentiae regulis adiuuari queat, oſtendemus, quid περιστάσεις, hic concurrentes, tanquam utile ſuadeant, quidue, tanquam minus utile diſuadeant.

§ 48.

Prudens quemadmodum in eo cupide elaborat, ut uel uirtutes uel naeuos, qui ipſi adhaerent, penitius inſpiciat; ita uel maxime de eo ſolicitus eſt, ut *paſſionem*, quam uocant, *dominantem*, qua identidem inquietari, ſolicitari et conturbari ſolet, non modo perſpectam habeat, ſed eam quoque redigat in ordinem, ne ſuam utilitatem ipſe impediat, aliisque ſe exoſum reddat.

§ 49.

Ecquid uero illud eſt, quod uocamus *Paſſionem dominantem?* paucis expediri poteſt quaeſtio, ſi peruulgatum illud: *Sua quemque trahit uoluptas:* recte intellexeris. Quamuis enim omnes homines nunc his, nunc aliis cupiditatibus, quaſi turbine, abripiantur, nemoque ſit, qui non uim impetumque ſingulorum affectuum, diuerſis tempori-

poribus, ſentiat; alius tamen peculiari quadam et quaſi propria cupiditate, uel ob aetatem, uel ob corporis, alio alioue ſanguine repleti, conſtitutionem, uel ob educationis uitium, uel ob plurimas alias cauſſas maxime trahitur, et uel inuitus, in transuerſum rapitur.

MAYERVS in diſſertatione de *Affectu dominante* eum ita definit: Eſt motus uoluntatis ſiue appetentis, ſiue fugientis, ex iteratione crebriori ortus, huic uel illi ſubiecto non tantum peculiaris, ſed etiam frequentius erumpens in eodem et in reliquos affectus, totumque adeo in hominem dominium exercens, cum ſanguinis ſpirituumque animalium commotione extraordinaria et hominis quandoque ipſius exitio coniunctus. § 4.

§ 50.

Ita uideas, nonnullos ita *uoluptate* capi et irretitos teneri, ut nihil, niſi quod iucundum eſt, et ad ſenſus ſuauiter affluit, cogitent, appetantque. Alii *ambitione* et internis gloriae ſtimulis ita concitantur, ut non, niſi ad magna et excelſa, cogitationes ſuas conuertant, ſummam felicitatem in laude amplitudineque dignitatum poſitam, arbitrati. Alii denique, accumulandis exaggerandisque opibus unice intenti, omnia quaeſtui habent, aliorum incommodis commoda ſua aucturi. Illos uocamus *uoluptuoſos*, iſtos ambitioſos ſiue *cholericos*, hos *auaros* ſiue *melancholicos*.

Idque ipſum eſt, quod Iacobus docet Cap. I. uerſ. 14. Ἕκαςος, inquit, πειράζεται ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας ἐξελκόμενος καὶ δελεαζόμενος.

§ 51.

Quas ſigillatim uel uoluptuoſo, uel ambitioſo, uel melancholico prudentiae regulas commendandas putemus, deinceps dicemus, ſi prius, quid in affectibus moderandis generatim ſuadeat prudentia, explicatum dederimus.

§ 52.

Cum prudentia uirtute nitatur, nec ſine ſtudio iuſti honeſtique eſſe poſſit (§ 11 n. 5), conſequens eſt, ut, quo quisque prudentior eſt, tanto emendatiorem uoluntatem reddat, et in uirtute longius progrediatur.

§ 53.

Quod cum fieri non poſſit, niſi cupiditatibus, quae cum uirtute habent nullum commercium, frena iniiciantur, id agit prudens, ut libidines refrenet, iram coërceat, ceteras animi labes repellat.

§ 54.

Cum uero uitioſae propenſiones, uno momento, radicitus extrahi non poſſint, ὁρμὴν et uim earum retinet, cauetque, ne hoſtis, qui intus inſidias ſtruit, foras prorumpat, et uerbis, geſtibus, motuque corporis turbulento et indecoro ſe conſpiciendum praebeat.

§ 55.

Inprimis prudentiae ratio exigit, ut primis, qui repente animum adoriuntur, motibus obſiſtas, ſcintillulisque alimenta ſubducas, ne in ignem erumpant.

§ 56.

§ 56.

Cauet prudens, ne quid in ipso affectuum aestu suscipiat. Actionem potius tamdiu differt, donec exaestuans sanguis, qui mentem de statu suo deiicit, consiliumque impedit, deferbuerit.

§ 57.

Prudens omnes adfectus in instrumenta uirtutis conuertit, et si quando cupiditatum impetui minus par est, non hastam abiicit, sed, redintegratis ad pugnandum uiribus, nouum init certamen, donec, obtrito hoste, uictor abierit.

§ 58.

In primis *affectum dominantem*, qui animo maxime insidias struit, celat prudens alios, eumque dissimulando tegit, ne, impotens sui, uel ludibrio aliorum se exponat, uel contemnatur ab iis, cum quibus uiuit et uersatur, uel inimicis arma subministret, ad salutem suam, non modo tecte et cuniculis uelut actis, uerum quoque aperte subuertendam.

§ 59.

Hac cautione uel maxime opus est, si ad *uoluptatem* te senseris paullo propensiorem. Quod ut magis intelligi possit, age uideamus, quae sit *uoluptuosi* imago et forma, quae eius uirtutes, aut uirtutum potius simulacra, quae uitia, qui naeui et maculae, et ex his regulas prudentiae nonnullas concinnemus.

§ 60.

§ 60.

Quae putantur uirtutes *uoluptuosi* siue *sanguinei*, hae fere sunt: a) humanitate comitateque plenus est; b) ad officia aliis praestanda paratissimus, omnibus obuius et expositus; c) placabilis et ad ignoscendum aliis promptus; d) ad misericordiam procliuis; e) miti et tractabili ingenio; f) facilis et benignus; g) sine dolis, sine suspicione; h) aperti pectoris; i) facetus et dulcis festiuique sermonis; k) aliis placendi studiosus.

§ 61.

Vitia uero et corruptelae *uoluptuosorum*, si quaeras, his continentur. Voluptuosus est a) meticulosus; b) laboris fugitans; c) otio deditus, mollis, delicatulus, et uenustulus; d) prodigus aeris; e) in omni uitae genere uarius; f) cupidus et amata relinquere pernix g) fortunae futurae negligens; h) multa primo impetu proponit, nihil exsequitur; i) garrulus et rimarum plenus, hac atque illac perfluit; k) assentator, et ad omnium nutum conuertitur; l) est desultoriae leuitatis; m) ad aes alienum contrahendum procliuis; n) in promissis seruandis fallax et inconstans; o) perfidus, cetera.

Characteres uoluptuosae semproniae SALLVSTIVS eleganter expressit: *Haec mulier*, inquit, *docta psallere, saltare elegantius, quam necesse est probae: multa alia, quae instrumenta luxuriae, sed ei cariora semper omnia, quam decus atque pudicitia fuit; pecuniae, an famae minus parceret haud facile decerneres: Lubido sic accensa, ut saepius peteret uiros, quam peteretur. Saepe ante hac fidem prodiderat, creditum abiurauerat, luxuria atque inopia praeceps abierat. Verum*

rum ingenium eius haud absurdum; posse uersus facere, iocum mouere, sermone uti uel modesto, uel molli, uel procaci prorsus multae facetiae multus lepos inerat. Bell. Cat. c. XXV.

§ 62.

Cauendum ergo est, si te ad haec propensum senseris, ne

I. Ingenio abutaris, uel ad Satyras in alios conficiendas, uel ad facetias iocosque illiberales. Quod et exitio fuit compluribus, et contemtum parit.

II. Impetum amoris erga alios retineas, ne amicos tibi pares, quorum te poeniteat. Judicandum primum, deinde amandum.

III. Cauendum, ne nimia et effusa liberalitate opes tuas exhaurias, tuoque incommodo aliorum commodum augeas.

IV. Nimiam familiaritatem fuge. Quod maxime ualet tum, si rem habueris cum hominibus, te inferioribus. Parit enim contemtum nimia familiaritas.

V. Caue, ne omnia, quae in pectore clausa sunt, in lingua promta habeas. Nihil enim magis nocet, quam scire alios, quae reticeri tua intererat.

VI. Neruus prudentiae sit, non temere credere.

VII. Quae tui sunt officii, ne differas in crastinum.

VIII. Quae proposuisti, et animo destinasti, ea exsequi suadet prudentia, at ita, ut festinationem praeproperam facessere iubeas.

IX. Pro-

IX. Prodigalitatem, et aes alienum uita. Gula reprimenda eſt. Vid. Plin. Ep. 6 Lib. II.
X. Ordinis rationem habeto in omnibus.
XI. Caue, ne promiſſis ſis diues, et fidem fallas,
XII. Vel ſpeciem mali fugito.
XIII. Munia, quae ἀκρίβειαν in pecunia adminiſtranda et ratione accepti expenſique poſcunt, quoquo modo poteris, declina.
XIV. Inimicis ne tuam imbecillitatem naeuosque prodito.
XV. Ne te ita infra dignitatem tuam abiicias, ut famam infamiamque iuxta aeſtumare uidearis.

§ 63.

Ad *ambitioſum* quod attinet, is uero pluribus uirtutibus, aut, ſi mauis, uirtutum ſimulacris ſpectatus eſt, quam uel ſanguineus, uel melancholicus.

§ 64.

Eſt ambitioſus a) tenax propoſiti, et conſtans; b) taciturnitatis amans; c) arte ſimulandi et diſſimulandi inſtructus; d) in negotiis expediundis aſſiduus et indefeſſus; e) rem quamque ſuis ex cauſſis repetendi, et iudicio acri omnia ſuis momentis ponderandi dote praeditus; f) in periculis intrepidus; g) generoſo animo; h) uirtutis aemulus; i) decori ſtudioſus; k) cautus et circumſpectus.

§ 65.

Vitia *ambitioſi* haec fere ſunt: a) faciles capit iras, uel in rebus nullius momenti; b) ad iniurias inferen-

ferendas, quam ferendas, paratior eſt; c) impetu agit, audax, minax, in ignoſcendo aliis durus; d) inuidus; e) pugnax, et monitoribus aſper; f) ſuſpicioſus; g) contradicendi pruritu correptus; h) iactabundus, durus, et crudelis; i) iuſti, quam aequi amantior, reliqua.

§ 66.

Quae quidem omnia cum eiusmodi ſint, ut facile plurimum adferant detrimenti, niſi animus regulis prudentiae conformetur, harum nonnullas prout quaeque ad animum occurrit, addemus.

§ 67.

Caueat, qui ſe gloriae ſtimulis nimis concitari ſentit, ne

I. In rebus, quae nullum decus conciliant, leuibus gloriolam laudemque quaerat, aut ſplendore gloriaque maiorum ſuperbiat.

II. Caueat, ne titulomania correptus, inania uerba, aut πρωτοκλισίας conſectetur, iisque negatis aegre careat, doloremque, inde conceptum, aliis prodat.

III. Prudentis eſt, neque alios in os laudare, neque pati, ut ipſe coram lauderis ab aliis.

IV. Neque decet, ſe ipſum laudare, aut alios ſubornare, uel inſtruere, qui nos lau-

laudent, aut quocunque alio modo ex aliis exquirere, quid de noſtris uirtutibus exiſtiment.

V. In rebus uilibus ira et ſtomacho exardeſcere, minus prudenter eſt uiuere.

VI. Caue, ne uel plura, uel grauiora ſuſcipias negotia, quam humeri ferant, et fuge, ceu peſtem, τὴν πολυπραγμοσύνην.

VII. Contradicendi pruritum reprimas, maxime, ſi cum iis, qui te ſunt ſuperiores, uerba commutaueris, neque ſententiis paradoxis nimium delectare.

VIII. Numquam, te alios contemnere, uel uerbis, uel geſtu, uel factis, declara. Id enim plus tibi, quam credas, nocet.

IX. Alios, qui te ſunt uel potentiores, uel ditiores, caue, ne praepoſtera aemulatione, uel aequare, uel ſuperare audeas, epulis, opipare ſumptuoſiusque inſtitutis, aut ueſtibus, et uaſis pretioſis. Ranae, bouem imitantis, miſereque ruptae, fata experieris.

X. Pertinacia, moroſumque et obſtinatum ſilentium, quo, in congreſſione familiari nonnulli moleſti fiunt amicis, fuge.

ge. Ingeniis ſeruiendum, & cum quali uerſaris, talis, ſi per uirtutem licet, eſto.

XI. In ſermone, caue, ne, quod ambitioſorum eſt fere proprium, obſcuritatem affectes, ut aenigmata loqui uidearis, aut ea, quae ſunt omnium ſermonibus trita et peruulgata, tamquam myſteria tegas, et tecum premas.

§ 68.

Melancholicis ſiue auaris haec tribuuntur, quae poſſint uideri habere ſpeciem virtutum. a) Sunt frugales; b) laborioſi; c) ordinis et munditiei in re familiari perquam ſtudioſi; d) non creduli, et illud: *fide, ſed cui uide*, diligenter obſeruant; e) in conſiliis non praecipites, ſed cunctabundi; f) ſeueri; g) ſui rerumque ſuarum conſeruandarum ſtudioſiſſimi.

§ 69.

At plura, quae culpes in auaro rideasque, oculis tuis ſubiicientur. Sunt inuidi, obſcuri, ad fallendum inſtructi, *immites*, *quaeſtui omnia habent*, *perfidi*, *ſuperſtitioſi* μεμψίμοιροι, et ad omnia alia vitia, ſi utilitatem pollicentur, facile perpellendi.

§ 70.

Caueat Melancholicus, ne 1) cupiditatem habendi, aut metum amittendi, quo intus torquetur, aliis prodat. Ita enim ſe aliorum riſui contemtuique exponet.

2) Ne mentiendo fucum facere aliis audeat. Mendacium enim cum perlucet, fit, ut credat ipsi nemo, et, tamquam putridum membrum, a republica resecari debere, existimetur.

3) Ne, ob mercedulam, ad aliorum uoluntatem nutumque sermones conuertat.

4) Ne nimia morositate et μισανθρωπίᾳ se reddat nomine hominis indignum.

5) Caveat, ne decori regulas, vel in uestitu, uel in aliis, ad rem familiarem pertinentibus, migret.

CAP. IV.

De Prudentia in conuersatione.

§ 71.

Si cum aliis uersamur, aut ii, quibuscum uiuimus, sunt nobis amici, aut inimici, aut nec amici, nec inimici. Quas, putemus, prudentiae regulas in quauis cum aliis uiuendi ratione obseruandas, paucis docebimus.

§ 72.

Latius patet societas inter homines, qui nec amici sunt, nec inimici, interior est illa, quae amicos inter et familiares intercedit.

§ 73.

Alios, cum quibus tibi uiuendum est, si caute et prudenter agere uelis, ita considera, tamquam homines, qui tibi possint nocere.

Hinc

Hinc illud: *quilibet praesumitur malus*, at, quod probe notandum, in iudicio *cautelae*. *Quilibet vero etiam praesumitur bonus*, in iudicio amoris

§ 74.

Hoc si obseruaueris, tam circumspecte cum hominibus, tibi ignotis, versabere, ut neque te turpiter des praecipiti de rebus quibusque iudicandi libidine, neque arcana pectoris prodas, neque improuida aliis fidendi facilitate tibi ipse noceas.

§ 75.

Haec praecipua in omni cum aliis uiuendi ratione et communitate lex sanciatur, ut, si rationibus tuis recte prospectum velis, aliis bene de te sentiendi nullo non tempore occasionem subministres, declaresque et vultu, et verbis, et factis, te bonam mentem amare.

Aut enim haec, aut nulla est via, ad aliorum animos attrahendos allectandosque.

§ 76.

Iis, qui te sunt dignitate superiores, reuerentiam, quo demum cunque modo poteris, exhibe, sed ita, ut nec seruili modo te infra dignitatem tuam abiicias, nec in adulationis suspicionem incidas.

§ 77.

Quicquid ergo uenerationi, quam superioribus debes, contrarium est, id solicite vitato.

§ 78.

Erga pares ita te geras, ut neque affectatam submissionem, abiectumque animum ostendas, neque te super eos efferas.

§ 79.

Erga eos, qui te ſunt inferiores, comis eſto et affabilis, at familiaritatem caueto.

§ 80.

De abſentibus honorifice, & circumſpecte iudica, aut, ſi id minus licet per rationes nonnullas, quae incidere poſſunt, certe non male.

Aurea haec eſt regula, quae, diligenttus ſeruata, ſemper prodeſt, neglecta pluribus nocuit. Scite HORATIVS L. I. Sat. v. 81.

- - Abſentem qui rodit amicum,
Qui non defendit, alio culpante - - -
Hic niger eſt etc.

§ 81.

Omnia fuge, quae te poſſunt in contemtum adducere.

§ 82.

Nemini, quisquis, aut cuias fuerit, moleſtiam crees, cauetoque, ne quid uel dictis, uel factis tuis, uel geſtibus etiam, inſit, quo alterius animus poſſit offendi.

§ 83.

Obſequio, quantum per regulas honeſtatis fieri poteſt, ne deſis aliis. Parit enim obſequium amicos.

§ 84.

Omnia admirari, quae uides, eſt indicium ignorantiae, cuius uel ſpeciem euitare, prudentis eſt.

§ 85.

In amicis colendis amandisque ſis ſincerus, conſtans, promptiorque ad bene merendum, quam

quam ad repoſcendum, ne amicitiam quaeſtui habere videaris.

§ 86.

Verecundia, tamquam maximum amicitiae ornamentum, non ex ea proſcribenda eſt.

§ 87.

Si quid amicus in nos delinquit, aut delinquere videtur, id ſtudio aut odio feciſſe non eſt putandus, neque omnia ad viuum ſunt reſecanda.

§ 88.

Si quando fit, ut fieri ſolet, ut amicus a virtute in uitia degeneret, correctio adhibenda eſt, aut, ſi minus haec fuerit fructuoſa, amicitia diſſuenda magis, quam diſſoluenda.

§ 89.

Ad circumſpectionem in amicitia multum id valet, ut ne nimium arcana noſtra iis credamus, ſed amemus, tamquam oſuri.

§ 90.

Amico reconciliato ne facile fidas.

§ 91.

Congreſſus amicorum nimis frequentes, et nimis familiares faſtidio ſunt.

§ 92.

In rebus aduerſis amicum ne deſeras, neque, ſi quando uel dignitatis opumque tibi facta fuerit acceſſio, ita immutator, ut ſpernas veteres amicitias, nouisque indulgeas.

§ 93.

Si quando usu venerit, ut ex amico fias inimicus, caue, ea detegas et reueles, quae olim tuus tibi amicus, sub amicitiae fide commisit.

§ 94.

Aliorum animos ne abs te abaliena, et neminem, licet tenuissimae sortis, tibi redde inimicum.

§ 95.

Si tibi infesti sunt alii, eorum animos ne irrita, aut exacerba, sed comitate, humanitate, &, si res ita tulerit, bene faciendo aduersariis obuiam ito.

§ 96.

Inimicum ne contemnas, et, si fieri potest, te nescire, fingas, alium, cum quo res habueris, esse tibi inimicum.

§ 97.

Impetu ne agas, sed, quoad eius fieri potest, de iure tuo remittas. Cedendo victor abibis, secundum prouerbium: der Klügste giebt nach.

§ 98.

Inimici absentis virtutes aliis lauda, de iis honorifice sentias, et, quoties incidit occasio, uitia aut naeuos aduersarii excusa.

§ 99.

Inimicorum consiliis optime intercedes, si aut destinata tua, eos quam diligentissime celaueris, aut eorum conatibus potentiores opposueris amicos, aut ipsis, vel non animaduertentibus, arma, contra te directa, de manu extorseris.

§ 100.

§ 100,

Si, oblata occasione, inimico opem auxiliumque ferre poteris, ferto. Est enim id generosi animi, multumque tibi existimationis adfert.

§ 101.

Si ab aduersariis tuis, falso crimine, famae tuae detrahi senseris, rectius tacendo iniuriam concoques, quam conuicia conuiciis opponendo.

CAP. V.

De Prudentia in Sermone.

§ 102.

Si in congressione familiari conuictuque quotidiano sermocinamur, peropus est, ut prudentiam ducem secuti, sermones accommodemus personis, loco, ac tempori.

§ 103.

Id operam da, ut omnes eos, quibus cum sermones consocias, vereri videaris et diligere.

§ 104.

Pudor ergo subrusticus, et timiditas nimia ex collocutionibus proscribi debet, at e contrario procacitatem impudentiamque proterue loquentium nemo probat, decoram παῤῥησίαν omnes laudant.

§ 105.

De rebus, ex quibus periculi quid oriri poterat, subtimide loquere, aut ita, ut in utramque partem sermo tuus intelligi existimarique posſit.

§ 106.

De te ipſo, niſi ſumma coactus necesſitate, ne loquere, itemque, de rebus, quas alter, cum quo confabulationem inſtituiſti, non intelligit, ſermocinari intermitte.

Abſonum foret, de eſſentiarum aeternitate, ſi cum ſexu elegantiori una fueris, ſubtiles demonſtrationes metaphyſicas proferre, aut cum belli duce, litterarum ignaro, de elegantiis latinae linguae confabulari.

§ 107.

Caue, ne tam garrulus ſis, & in loquendo immodicus, ut alios omnes a ſermone excludas, tamquam in poſſesſionem tuam veneris. Vltro citroque ſermones ſunt habendi, et in ſermone communi vicisſitudine nonnunquam utendum.

§ 108.

Alios, cum quibus loqueris, ne interloquendo turbes, ſed alterum, ut vis ipſe audiri, patienter audias, donec telam orationis pertexuerit.

§ 109.

Querelos itemque maledicos ſermones fugito. Querimoniae enim, ut ait LIVIVS, ne tum quidem gratae fuerunt, cum ſunt neceſſariae.

§ 110.

§ 110.

Verum in ſermone proferas, ſed prudenter, i. e. ut uerum, ſi quando intempeſtiue nec in tempore locoque profertur, nihil tibi adferat damni.

§ 111.

Verum interdum reticeri aut occultari debet, quoties nimirum plus obeſt, quam prodeſt.

§ 112.

At ideo mendacio non patrocinandum eſt. Mendacium enim ſemper eſt, manetque turpe, illicitum, deteſtandumque.

§ 113.

A ſermone in familiari congreſſione ſeiuncti ſint motus animi nimii, ne aut ira exardeſcat, aut ignauia, aut tale quid appareat.

Recte CICERO. Quando nonnunquam obiurgationes incidunt neceſſariae, in quibus utendum eſt fortaſſe, et vocis contentione maiore, et verborum grauitate acriore, id agendum, ut ne ea facere videamur *irati:* ſed ut ad urendum et ſecandum, ſic ad hoc genus caſtigandi raro et inuiti veniemus, nec umquam, niſi neceſſario, ſi nulla reperiatur alia medicina. Sed tamen ira procul abſit, cum qua nihil recte fieri, nihil conſiderate poteſt. - - - - Rectum eſt, etiam in illis contentionibus, quae cum inimiciſſimis fiunt, etiam ſi nobis indigna audiamus, tamen grauitatem retinere, iracundiam repellere. Lib. I. Off. c. 38.

§ 114.

Prudenter cum aliis uicturus, ita, ut prudentioribus placeat, abstinet se ab omnibus exsecrationibus, et iurisiurandi formulis plebi hominibusque sortis infimae propriis.

§ 115.

Dicendi genere uti tumido, insolenti, impolito, indecorum est, et regulis prudentiae contrarium.

CAP. VI.

De Decoro in Conuersatione.

§ 116.

Decorum obseruamus, si actiones nostras, gestus, incessum, motus, vestes, cetera, ita ad morem ciuilem, politiorisque multitudinis opinionem conformamus, ut placeamus.

§ 117.

Quemadmodum, quae de cuiusque rei pulchritudine ferunt homines, iudicia alia aliaue esse solent, ut, quod apud hunc populum elegans honestumque habetur, apud alium turpe et indecorum existimari soleat; ita etiam decorum mirum quantum solet immutari.

§ 118.

Infinitae sunt fere decori regulae, quae cum usu experientiaque, atque item imitatione eius, quod in aliis laudari uidemus, rectius discantur, quam

quam multis praeceptis; paucas tantummodo, quas iuuentuti perutiles opinamur, tradere uiſum eſt.

§ 119.

Nihil in ſtatu, inceſſu, ſesſione, accubitione, vultu, oculis, manuum motibus, occurrat, quod aliis uel riſum, uel faſtidium, uel bilem moueat. Nihil appareat, quod uel effeminatum ſit, & molle, uel ruſticum, et durum.

§ 120.

Quod ad inceſſum attinet, is, caueas, ne ſit affectatus. Omnis enim affectatio eſt odioſa.

Perbene CICERO: Cauendum eſt, inquit, ne aut tarditatibus utamur in greſſu mollioribus, ut pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur: aut in feſtinationibus ſuſcipias nimias celeritates; quae cum ſint, anhelitus mouentur, uultus mutantur, ora torquentur, ex quibus magna ſignificatio fit, non eſſe conſtantiam. L. I, de Off. c. 36.

§ 121.

In ueſtitu non adhibendus eſt ornatus, uiro minus dignus, neque munditia odioſa et exquiſita nimis probanda eſt, ſufficit, ſi ea fugiat agreſtem et inhumanam negligentiam.

§ 122.

In ueſtitu praeterea mediocritas optima eſt, neque ueſtium formas, nuper inuentas, prudens primus imitatur, nec tam moroſus eſt, ut, qua omnes, aut plurimi, aut politiores certe, ueſtium forma utuntur, eandem reiiciat, minusque adhibeat.

§ 123.

Vultus ſit talis, qualis hominem ingenuum decet. Non ſit triſtis, ut ſemper fleas, non ſit procax, ut ſemper rideas, ſed in ſeriis ſit ſerius, in iocoſis hilaris.

§ 124.

Caueas omnes motus hiſtrionicos, geſticulationes manuum ineptas, et menſae accumbens, quicquid nauſeam creat, id fugito.

§ 125.

Plures easque ſpecialiores regulas decori ſi velimus attingere, tum omnia actionum humanarum genera, omnesque motuum ſpecies percurramus neceſſe eſt, quod nimis longum foret, et ab inſtituto noſtro alienum. Quae adduximus prudentiae ſcita, et decori normas, eiusmodi ſunt, ut ad iuueniles animos, rite conformandos, ſufficiant. Plura, qui ſpecialioraque de decoro, in ſingulis actionibus obſeruanda, noſſe cupit, legat Eraſmum de ciuilitate morum.



Index

Index praecipuarum rerum.

Numerus indicat paginam.

A.

Cere-

Cultus


E.


F.


Impo-

Necessa-


Ratio




Biblioteka Jagiellońska
stdr0029626








S. Henrici Imperat. Conf. 15 Julii.


Flos est Virginitas, Flos Martyrium

S. Greg: in Ezech:

Afflictio corporis.


O. P. *Infirmis.*





STICAE
ACCOMMODATA
ET
PLVRIBVS SENTENTIIS EXEMPLISQVE EX VETERVM SCRIPTORVM ROMANORVM MONIMENTIS ILLVSTRATA.
EDITIO NOVA, AVCTIOR ET EMENDATIOR.

Biblioth. Eremitar. Camaldulen. Vigrensis.




orbem quasi redit demonstratio.

E. gr. Qui ex eo, quod animus humanus *cogitet*, probant, ipsum esse ens *simplex*, et ab omni concretione segregatum, hanc autem propositionem, *Anima humana est ens simplex*, ex eo probant, quia *cogitat*, circulum committunt. Vid. *philosophia nostra recens controuersa p. 333.*

VII. Denique obserues, uelim, omnia ea, quae legitime demonstrata sunt, esse certo uera. Nituntur enim propositiones, legitime demonstratae, eiusmodi fulcris, quae conuelli non possunt, experientiis scilicet, definitionibus, axiomatibus. Ex his ergo si, nexu legitimo, deducuntur, non possunt non esse tam certae, quam sunt ipsa principia, quibus superstruuntur.

CAP. IV.




terita significata est, signum uocatur *rememoratiuum.*

§ 138.


Signum necessarium est, inter quod et rem significatam nexus est necessarius. *Signum* uero *arbitrarium* est, quod cum re significata non necessario nexu cohaeret, aut quod ab arbitrio humano dependet.

E. gr. Fumus est signum necessarium ignis. Vestis obsoleta et sordida, capillus et barba promissa erant apud Romanos signa arbitraria ignominiae acceptae, quod docet LIVIVS L. XXVII c. 34, ubi Marium Liuium in urbem reductum ait, sed *ueste obsoleta, capilloque et barba promissa, qui praetulerit in uultu habituque me-*



ætute c. XXIII. Idem CICERO, uel potius Atticus apud CICERONEM, ita de PLATONIS libro de animarum immortalitate iudicat: *Nescio, quomodo, dum lego, assentior: cum posui librum, et mecum ipse de immortalitate animarum cogitare coepi, assensio omnis illa elabitur.* Quaest. Tuscul. L. I. Vid. GROTIVS de ueritat. relig. Christianae L. I § 22.


Animae immortalitatem, ex mente Epicureorum, copiosius impugnat LVCRETIVS de rerum natura L. III v. 418 seqq. Sunt autem argumenta, quibus utitur, admodum infirma et leuia, quibus FIRMIANVS respondet L. VII c. 12. Rectius de immortalitate animae iudicat SALLVSTIVS, qui, *corporis et*



decorata exagitari. Bell. Iugurth. c. 72.

§ 52.


Qui diuturno peccandi usu et exercitatione ita nduruit, ut ad id, quod agit, non amplius ad- uerrat animum, nec disquirat adeo, num factum, quod committit, turpe sit, an honestum, sed se- quatur, quo effrenata ipsum cupiditas rapit, eius *conscientia* dicitur *dormire*, ut ita *somnus conscien- tiae* nihil aliud sit, quam is mentis humanae sta- tus, ubi de eo ne quidem cogitat, utrum actio-





tatem. Caius egestatis, qua amictatur Titius et urgetur, causas alias adfert. Ergo tuum est, demonstrare, non aliunde, quam ex opum profusione, Titii mendicitatem suum trahere ortum. Contra si feceris, ualde uereor, ne exempli allati uis deminuatur.

XII. Proximae historiis sunt fabulae, maxime illae, quae in theatris ludisque scenicis proponuntur. Quibus tantam uim ad igniculos amoris erga uirtutem in spectatorum animis accendendos, uiuamque cognitionem excitandam tribuunt nonnulli, ut in theatris scholam quandam uirtutis aperiri existiment.


XIII. Haec de cognitione uiua, eiusque acquirendae modis. At eadem, quae ad uirtutis studium alendum ualere debet, recti cognitio distincta praeterea sit, oportet,







Bien. H. III 6



DE COGNITIONE ET AMORE SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI

LIBER QUADRI-PARTITUS,

Ad Illuminandum & Inflammandum Fidelium Corda accommodatissimus;

Tam Ecclesiasticis & Religiosis, quàm Laicis, Deum syncero corde quærentibus; vel viam ad Deum alios docer[...]

maximè utilis & [...]

Primò gallicè co[...]

R. P. JOANNE BAPTIST[...]

Societatis JESU [...]dei

BALTHASARO [...]

Archidecanatûs Ratisbon[...]

germanicum translatus, [...]

Nunc in Epitomen latin[...]

Eremitarum Camaldulensium [...]

R. P. THEODORO T[...]

Imperialis, Liberæ & Exemptæ Abba[...]

Werdinensis, Ord. S. Benedicti Profe[...]

Sacerdote, ibidémque Priore.

Cum gemino Indice; uno capitum, altero rerum & ver[...]

COLONIÆ AGRIPPINÆ.

Apud FRANCISCUM METTERNICH, Unter gülden Waagen/ Anno M.D.CC.XVI.

Montis Argen.

Reverendissimo & Illustrissimo
Domino D.

COELESTINO

S. R. I. LIBERARUM ET
EXEMPTARUM ECCLESIARUM
WERDINENSIS ET HELMSTADIENSIS

ABBATI

DIGNISSIMO,
Nec non
Sacræ Congregationis Burs
S. BENEDI
Per Germania
PRÆSIDI PRINCI
Domino suo Prælato Gratioso,

DUM præsens Opusculum ad sacratas manus Tuas ex devotissimo affectu, eâ, qua par est, reverentiâ depono REVERENDISSIME ET ILLUSTRISSIME PRÆSUL, mereor certè à Te mihi reponi, quod

 olim

olim à Sanctiſſimo Legiſlatore noſtro BENEDICTO audire debuit Regis Totilæ Spatharius, dum alieno amictus ornatu, ſplendore nitebat non ſuo: *Pone Fili, pone, hoc quod portas, non eſt tuum.* Fateor lubens ILLUSTRISSIME DOMINE, ità eſt, juſtè mereor hanc exprobrationem; meum enim non eſt quod apporto; dudum ab alio me perfectiore ante me abſolutũ fuit, quod ſub mutato n[illegible] ſchemate nomini Tuo [illegible]ro & reverenter in[illegible] toto Opere meum, ni[illegible]quid, jota ſcilicet & apex, [illegible]ico & characteres, quos jam [illegible]s in Gallicum & Teutonicum [illegible] diſpoſitos, ità labore meo nunc [illegible]geſſi & tranſpoſui, ut in aliũ diſtincti ordinem compendioſiùs latinè reddant, quod alio eóq; diverſo jam pridem idiomate fuſiùs expreſſerant: & hic labor, non alterius, ſed Meus eſt; qui licèt non artificioſus (cùm ei par ſit, qui literas didicit) quantuſcunque interim ſit, Tuum eſſe volui

fri-

frigidum hoc MEUM. Causam paucis accipe.

Solet Patrifamilias gaudio & solatio esse, si post longam è domo absentiam ad propria reduci, offerre quid possint relicti ad ministeria domestici, quo testentur se in absentia Domini non torpuisse otio, sed pro accepti Talenti quantitate labore suo lucratos fuisse vel quinque, vel duo, vel unum. Annis abhinc tribus peregre profectus fuisti ILLUSTRISSIME PRÆSUL, & abiîsti in Regionem aliam ; non, ut cum Nobili Evangelico Regnum acciperes, sed ut Tuum reciperes, quod Te invito occupabat vis major; abiîsti ad tempus corpore, non animo ; opposuisti enim Te æmulorum Tuorum violentiæ, non armis, sed linguâ & calamo, quibus in Magnatum Aulis & Dicasteriis perorâsti, & invictâ constantiâ stetisti facundus pro Domo Cicero; tam felici, faventibus Superis, successu, ut ad nos redieris Evangelico illo Nobili & Regno poten-

tior & gloriâ major: rediît ille Regno, quod quæsiverat, accepto, Tu rediisti Regno & accepto & recepto: rediîsti recepto; dum post biennalem occupationem fortiter & suaviter ex Ludgeriano Tuo Territorio cesserunt, qui præviè coegerant Te, ut locum dares Potentiori, restituentes Tibi & locum & gentem, & cum iis reliqua, quæ non alterius, sed pleno jure Tua fuerant: rediisti accepto; dum in hac Tua plùs quàm biennali absentia, Reverendissimi Patres S. Congregationis Bursfeldensis Ord. S. Benedicti Abbates in Capitulo Annali pro disciplinæ religiosæ augmento, Coloniæ anno 1714. in Domino congregati, post obitum Reverendissimi & Celsissimi S. R. I. Principis & Abbatis Corbejensis Florentii, ejusdem S. Congregationis, dum viveret, Præsidis principalis, Te in ipso exilii Tui loco in Defuncti dignitatem & Præsidium, virtutibus Tuis ità exigentibus unanimi voce per canonicam electionem substituerunt, se suásque

Ab-

Abbatias in Hierarchicis, Tuæ Directioni ſubjicientes, unicéque deſiderantes, ut ſuper eos regnes, non in armorum terrore, ſed in ſpiritu, cui S. Pater BENEDICTUS ſervivit, Spiritu Sapientiæ, Conſilii, Pietatis, & Timoris Domini.

Dum igitur poſt longam in Regione alienâ exactam temporis moram accepto & recepto Regno, gloriâ & honoribus auctus ad nos rediîſti: decuit omnino, ut cum ſervis illis Evangelicis de apportando lucro ſollicitus, circumſpicerem quid expediti à me operis redeunti Domino exhiberem: grande quid ſupra vires meas eſt; nôſti enim ILLUSTRISSIME PRÆSES ex religioſo Tyrocinio meo, in quo ſub directione Tuâ, perfecti Magiſtri imperfectus fui diſcipulus, nôſti, inquam, quàm ſit mihi curta ſupellex, quódque ab exiguo talento meo majus lucrum, quàm eſt impenſus præſenti opellæ labor, exſpectari non poſſit. Hunc igitur poſt reditum tuum mille votis deſideratum, gratioſo

dignare nutu, eúmque accipe, si non ùt diligentiæ tesseram, saltem ùt bonam notam temporis, inter multa, quæ ipse scis, disturbia nonomnino otiosè transacti

Vive ILLUSTRISSIME PRÆSUL, & ità in multos annos vale, ut quamdiu vivis, adversũ te nihil prævaleat, quod in Regimine Tuo pacìficam quietem, in diebus tuis quietam pacem, in corporis sanitate stabilem prosperitatem, inter omnes vitæ hujus varietates prosperam stabilitatem possit turbare. Ità ex tota mente, ex totis viribus precatur. werdenæ Anno 1716. Hac vigesimâ sextâ Martii Sancto Ludgero Episcopo, Patrono & Fundatori nostro sacra

REVERENDISSIMÆ ET ILLUSTRISSIMÆ GRATIÆ TUÆ

Filius obsequentissimus
F. Theodorus Thier.

FA-

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

FACULTAS

Reverendissimi & Illustrissimi Domini Abbatis Werdinensis & Helmstadiensis, Sacræ Congregationis Bursfeldensis Ord. S. Benedicti per Germaniam Præsidis Principalis.

NOs COELESTINUS *Dei gratiâ Imperialium, Liberarum & Exemptarum Ecclesiarum Werdinensis & Helmstadiensis Abbas, præsentium tenore facultatem damus Reverendo ac Religioso in Christo nobis Dilecto Patri* Theodoro Thier *Abbatiæ nostræ Werdinensis Priori, typis evulgandi* Librum quadripartitum de cognitione & amore Salvatoris nostri JESU CHRISTI, *quem à R.P. Joanne Baptistâ Saint-Jure S.J. gallicè primò conscriptum, & à R. D. Balthasaro Theodorico Erhard Archi-Decanatûs Ratisbonensis Camerario in germanicum translatum, idem Pater in Epitomen latinè contraxit; postquam Virorum doctorum judicio dignus habitus est, qui lucem aspiciat. In cujus rei fidem hasce subscripsimus & sigillo nostro communiri fecimus. In Abbatia nostra Werdinensi die decima quarta Martii 1716.*

COELESTINUS Abbas Werdinensis, & Helmstadiensis.

Approbatio.

OMne tulit punctum, qui miscuit utile dulci. Id assecutus esse videtur *Adm. Reverendus ac Religiosissimus Pater & Dominus* Theodorus Thier, *liberæ, Imperialis & exemptæ Abbatiæ S. Ludgeri in Werdena, &c. Prior*, qui librum de agnitione amoris Domini & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, olim ab *A. R. P. Joanne Baptista Saint-Jure Soc. Jesu Sacerdote* binis justæ molis voluminibus conscriptum, & in teutonicum exindè translatum ab *A. R. & doctissimo D. Balthasaro Theodorico Erhard S. Theol. Baccal. &c.* resectis gallicismi parergis, mollitisque germanismi tœdiis, sic latio donavit, ut integrum libri succum exhibendo, nilque utilitatis omittendo, solum brevitatis dulcorem adjecerit, non minorem per hoc laudem promeritus, quam si librum scripsisset primus. Spiritum in hoc S. P. ac Patriarchæ sui Benedicti imitatus, quo Regulæ *cap. 20. alias 10.* orationem, idem est de lectione spirituali, jubet esse *brevem*; Quia ut commentatur smaragdus, sive rabanus: proprio vitiatæ naturæ pondere à spiritualibus abstrahimur, & ad ima seu terrena deprimimur, prolixius vel orationi, vel lectioni spirituali vacando; nisi liber sit ejusmodi, ut materiarum varietate, & gratâ brevitate continuò animum vellicet, erigat, & attentum reddat. Quod cum sine ullo fidei & morum offendiculo præstet hic Religiosissimus interpres, gratulamur illi, & quod authorem præclarum loqui fecerit idiomate, quo decet proferre sacra; & quod suo labore nostrum legendi fastidium compensando redemerit. Sic sentio Coloniæ hac 27. Jan. die S. Chrysostomo sacrâ, Anno 1716.

F. Nicolaus Girken Augustinianus, SS. Theol. Doctor & Professor ordinarius ac publicus, Examinator synodalis, mp.

Ap-

Approbatio.

LIBER *quadripartitus* de Cognitione & amore Salvatoris nostri Jesu Christi, *idiomate gallico primùm conscriptus, deinde in linguam Germanicam translatus, nunc autem à Reverendo Admodum in Christo Patre Theodoro Thier, Imperialis, liberæ, & exemptæ Abbatiæ Werdinensis, Ord. S. Ben. professo Sacerdote, ibidemque Priore, in Epitomen latinè contractus (quem non absque singulari complacentia attentè legi) Ideam Christianæ perfectionis graphicè pingit; & quomodo omnes ferè virtutes, ordinis supernaturalis, ab amore Christi (ut arboris rami à radice) prodeunt, clarè demonstrat, magnam insuper pro adipiscendis & conservandis hujusmodi virtutibus, & vitiis oppositis exstirpandis suppeditat piarum & utilissimarum Instructionum copiam; quarum frequens & attenta Lectio, pias mentes, ad amorem Christi inflammare, & assidua earundem exercitatio discreta, ad celsitudinem Christianæ perfectionis perducere valet, hinc prælo & frequenti fidelium, maximè utriusque Cleri, Sæcularis & Regularis lectione dignissimus est. Ita sentio. Datum Werdenæ, die 10. Decemb. 1715.*

F. Joannes Tovvnson Anglo-Benedictinus, SS. Theologiæ Doctor, & Prot. Apostol. mp.

Ap-

Approbatio.

LIBRUM quadripartitum, *de Cognitione & amore JESU Christi Salvatoris nostri*, primò gallicè ab A.R. Patre Joanne Baptistâ Saint-Jure, S. J. conscriptum; deinde ab A. R. Domino Balthasaro Theodorico Erhard, Archi-Decanatûs Ratisbonensis Camerario germanicè translatum, & modò ab Adm. R. Patre Theodoro Thier, Imperialis, Lib. & Exemptæ Abbatiæ Werdinensis Priore latinitati compendiosè datum, attentè legi, in quo non solùm nihil contra Fidem & bonos mores reperi, verùm cum speciali gustu adverti, eundem cuilibet hominum pro sua conditione, nominatim Concionatoribus futurum perutilem, & continuam sui lectionem singulariter à Viris asceticis justissimè mereri. Ipsa namque materia & pulchra ejus deductio nemini non in veritate placebunt, & jam gaudium, jam spirituale solatium, mox affectum virtutum, mox amorem Dei accommodè instillabunt, quod sine adulatione scriptum agnoscet, qui vel minimam materiam sine passione legendo, absolvet. Ita sentio Werdenæ 25. Novembris 1715.

F. Dominicus Cranepoel
Ordinis Prædicatorum,
SS. Theologiæ Magister.

Cen-

Cenſura.

LIBRUM quadripartitum de Cognitione & amore Salvatoris noſtri JESU Chriſti ad illuminandum & inflammandum Fidelium Corda accommodatiſſimum, ab A. R. P. Theodoro Thier, Imperialis, liberæ & exemptæ Abbatiæ Werdinenſis Ord. S. Benedicti Profeſſo Sacerdote, ibidemque Priore, in Epitomen latinè contractum, utpote nullatenus contra mores ac fidem orthodoxam offendentem, prælo Chriſti Fidelibus communicandum cenſeo, hâc 20. Martij 1716.

Jo. Georg. Molitoris, SS. Theol. Doctor, Profeſſor ordin. ac publ. ejuſdemque Facultatis Decan. Perilluſtris S. Gereonis Canon. Capit. per Civitatem ac Archidiœceſin Colonienſem Librorum Cenſor.

Hic Liber ex Bibliotheca Eremi Varsaviensis.

AD

AD LECTOREM.

QUàm ſolida ſpiritualis vitæ dogmata in ſuo quadripartito Libro *de Cognitione & amore Salvatoris Noſtri JESU CHRISTI* tradat A. R.P. Joannes Baptiſta Saint-Jure S. J. noverunt hi, qui nonnihil ſtudioſiùs excellens opus evolverunt. Vix ulla eſt virtus, de qua non adeò doctè & piè Vir egregius in hoc opere diſſerat, ut plus ultra deſiderare non poſſint, qui virtutem & per illam Deum in veritate quærunt, & utrumq; invenire ſyncerè appetunt. Duo interim in eo occurrunt, quæ multorum judicio obſtare poſſe videbantur, quo minùs his in partibus plurium manibus verſaretur. *Primum*, quòd Idioma Gallicum, in quo conſcriptus eſt, à pleriſque ignoretur; Germanicum verò, in quod (licèt eleganter & nitidè) translatus, non æquè omnes afficiat, maximè eos, qui latino aſſueti, quoſcunque legunt libros, in latino legunt: quos inter præcipui Religioſi ſunt, quibus hac opellâ meâ potiſſimum ſervire deſidero. *Secundùm*, quòd prolixitas, & fuſior materiarum explicatio faciant opus eò excreſcere, ut duo, imò tres ex illo Tomi in compacturâ confici poſſint, ex quo fit, quòd multorum manibus ſubtrahatur, vel quòd ob pretium non comparent, vel quòd ex capitum & ſectionum fuſiore hîc & nunc deductione, neſcio quid hauriant tædii, ſîcque ante finem, quod legunt, finiant, quia paucis multa diſcere affectant. Utrique huic incommodo obviatum eſt per præſens compendium; an feliciter, experimentum, mi Lector, cape, & ſanctæ Authoris intentioni obſecunda; quæ alia ſinè dubio non fuit, quàm ut per juge virtutum exercitium, quod facili methodo in hac Epitome doceberis, cognoſcas & ames Deum vivum & verum, & quem pro Redemptione noſtrâ in Mundum miſit, JESUM Chriſtum Dominum noſtrum. Vale.

IN-



INDEX
LIBRORUM, CAPITUM & Sectionum in hoc quadripartito libro contentorum.

LIBER PRIMUS
Complectitur motiva & rationes ad Cognitionem Christi, ejusdémque Amorem impellentes.



LIBER SECUNDUS de Actuali Amoris Exercitio.

LIBRI III. PARS I.

LIBRI III. PARS II.

DE COGNITIONE ET AMORE CHRISTI.

LIBER PRIMUS

Complectitur motiva & rationes ad cognitionem Christi, ejusdémque amorem impellentes.

CAPUT PRIMUM.

De miserandâ hominum ignorantiâ, & cœcitate circa ea, à quibus dependet æterna salus.

NOtant tàm Philosophi quàm Medici, primam, existentis in materno utero infantis, post acceptam vitam, occupationem esse, altùm dormire. Sancti Patres admirabilem hunc somnum considerantes, ejùsque moralem causam investigantes, sentiunt, Deum ideo ordinâsse, ut vita Filiorum Adæ à somno ordiretur, ut indicaret animam unà cum potentiis in æternarum & cœlestium rerum cognitione indormiîsse; non aliter quàm infantis in utero oculi & sensus in rerum externarum agnitione cœcutiunt. Ità heu dolor! est; vivit, sed lumen Cœli non videt cœcus homo; non videt, in quod oporteret irretortum oculum fige-

LIB. I. CAP. I.

figere: non attendit ad gravissimum æternæ salutis negotium; nec ad media ad eam consequendam necessaria: imò ea ipsa, quæ à liberalissimâ Dei benignitate hunc in finem adjumenta accepit, in futiles fines detorquet. Margaritâ, & dono planè Divino, homo donatus est; *Ratione*: quâ, velut imagine vultûs sui Deus eundem signavit: *Ratio* est, per quam homo à brutis distinguitur, & quâ nobilitatus, gradu excellentissimo illis supereminet: *Ratio* est, quæ, quidquid humano commercio deservire potest, non ingeniosè minùs, quàm utiliter subministrat. Hæc est, quæ belluas & immanes feras cicurat; bovi jugum, equo frenum injicit. Hæc est, quæ docuit per liquidas vastissimi maris undas ab Ortu ad Occasum per usum navium sicco pede iter conficere: *Ratio* est, quæ Cœlorum altitudinem, latitudinem, longitudinem & profunditatem penetrat; Solis & Lunæ eclipses, Terræ motus, eorumque causas declarat, &c. Huic nihilominus instructissimæ Creaturæ, tot bonis, tot scientiis ditatæ *Rationi*, præcipuum deest; *Lumen, Lumen*; in iis enim cœca est, à quibus pendet æterna salus. Scientiarum portentum erat Salomon 2. reg. 3. & lynceo oculo penetrabat, quidquid in naturalibus vel occultum vel abstrusum, at cœcus erat in negotio salutis: flexit, ô pudor! genua, ligno & lapidi; idola adoravit, & quidem in senectute, in qua homo dudum desipuisse creditur. Quis post Salomonem ingenii acumine major fuit Aristotele? de quo Averroes apud Pererium lib. 50. de princip. cap.

Ex effectibus Rationis humanæ patet, quàm excellens Dei donum illa sit.

Humano intellectui plurimis donis instructo, unum deest, & quodnam illud.

cap. 1. *Aristotelis intellectus, fuit finis humani intellectûs.* Sed & ipse cœcus fuit; litavit uxori Sacrificia, quam sciebat fuisse ancillam, quam viderat mortem miserè oppetere.

LIB. I. CAP. I.

Cœcitatis spiritualis duplex assignatur causa.

Miserandæ hujus cœcitatis duplex est causa. Prima; peccatum Originale; quod nobilissimas animæ Potentias, Intellectum & Voluntatem fatali ictu sauciavit; Intellectum crassâ ignorantiâ, ut non intelligat, quæ ad salutem spectant: Voluntatem rebellione, ut recalcitret, mediisque uti recuset, quibus salutem operari & posset & deberet. Putabat Proto-parens noster Adam maximam se omnium rerum scientiam ex esu vetiti pomi adepturum; sed deceptus, similis jumento factus est, & belluinam quodammodo naturam in posteros hæreditariè transmisit. Nascimur ùt bruta, sinè ullâ intellectûs operatione, & dies vitæ consumimus, cum exiguâ, imò magnâ ex parte, sinè omni agnitione nostri summi & veri Boni.

Secunda hujus cœcitatis causa, sunt peccata actualia, & inordinatæ animi affectiones, quæ debiles animæ vires magis enervant, & læsos ex peccato originali mentis oculos additis tenebris plùs faciunt caligare; ità ut cœcus homo, quæ sibi salutaria sunt, nec videat, nec desideret; occupatus inutilibus negotiis, iisque tantùm inhians, quæ nocere possunt.

Omnis ferme homo internus vani-

Si quis divinitùs cogitationes, & cordium secreta, omnium hominum, amplissimam quandam urbem incolentium, cognosceret, & clarè perspiceret, quid quis-

LIB. I. CAP. I. SECT. I.

que amaret, sequeretur, detestaretur; si videret omnia, quæ clam, quæ palàm fiunt; Deum immortalem! quàm abjectos cerneret fines, quos sibi præfigit miseranda hominum dementia. Hunc cerneret projectum in carnis voluptates; alium aucupantem avidissimè dignitates; tertium grandia molientem ædificia; alium alia, quæ homine indigna sunt, animo volventem, & onerantem se superfluis curis, litibus, negotiationibus, & infinitis ejusmodi vanis & inanibus occupatiunculis. Vix unum vel alium videbit, qui animo volvat: *Quid faciendo vitam æternam possidebo.* Ità miseri aberramus à scopo, & bono solido relicto, sequimur quisquilias, & umbratiles fumos. Optimè dixit Psalmista David ps. 13. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

tati; paucissimi saluti animæ.

SECTIO I.

Vera hominis Sapientia consistit in eo, ut omni studio animæ suæ salutem quærat.

LIcet homo vix ulli rei, minori studio intendat, quàm saluti animæ; certum tamen est, veram sapientiam, veramque prudentiam in eo solo sitam, si quis, omnibus posthabitis, sollicitè quærat, ut animam suam salvam faciat. Maximus Theologus, subtilissimus Philosophus, facundissimus Rhetor, dici possunt, & verè sunt balbutientes pueri & hebetes trunci, si negligant quæ animæ sunt. Quis enim sapiens & prudens dici debet? certè is, qui æquum de

Quis verè sapiens dicendus sit.

re judicium ferre, eamque ex valore novit æſtimare; quod revera neſcit ille, qui neglectâ animæ ſuæ curâ, intentus eſt perituris; quocunque tandem ſpecioſo titulo pallientur.

Si quis ſe ſuoſque in iis, quæ mundi ſunt, honoribus, divitiis, &c. ſciat extollere; hunc prædicat Mundus virum prudentem, diſcretum, optimis qualitatibus præditum. At quantùm erratur, quid proderunt divitiæ, quid honores, ſi è faſtigio dignitatum non poſt multos annos deturbetur in abyſſum tormentorum? in negotiis extraneis, & ad rem nil facientibus dici poteſt fuiſſe providus & circumſpectus; ſed in propriis graviſſimi momenti negotiis, quæ ante omnia maximè agenda incumbebant, turpiter hallucinatus eſt; ſimilis homini, qui poſteaquam variâ ſcientiâ, & politicarum rerum multâ experientiâ, animum excoluit; in fine ſe in flumen deliberatè præcipitat. Quid prodeſt huic miſero tantæ fuiſſe in rebus agendis dexteritati? certè ars artium fuiſſet, cuſtodire pedem, & cautè incedere: quod cùm neglexerit; quid proſunt cætera? Salomon, hominum ſapientiſſimus celebratur; ſi autem, quæ multorum opinio eſt, inter damnatos ſit, ſtultorum maximus haberi poteſt, meritoque eidem quis exprobret: Vera locutus es, dum in tuis dixiſti Proverbiis: *Stultiſſimus ſum virorum.*

Scire igitur operari ſalutem, & in praxin hanc Sanctorum ſcientiam redigere, hæc vera & ſolida Sapientia eſt. *Ecce timor Domini ipſa eſt Sapientia, & recedere à malo, Intelli-*

LIB. I.
CAP. I.
SECT. II.

telligentia; ut loquitur S. Job. cap. 28. 28. Consentit Propheta David, dicens ps. 110. 10. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Quem locum Genebrardus sic explicat: *Intellectus sanus & integer, sanum Judicium & syncerum inest his, qui se exercent in Timore Domini, & mandatis ejus exequendis.* Certè simplex vetula, quæ solùm novit amare Deum, plùs scientiæ & sapientiæ possidet, quàm profundus Theologiæ Doctor, qui sinè praxi, de virtutibus, & Spiritûs Sancti donis mira scit discurrere, argumentari, & concludere. Optimè in hanc rem loquitur S. August. Confession, lib. 4. *Quid Domine Deus mihi proderat ingenium per omnes Doctrinas liberales agile, & tot nodosissimi libri; sinè ullo humani Magisterij adminiculo enodati, cùm deformiter, & sacrilegâ turpitudine in doctrina pietatis errarem? aut quid tantùm oberat parvulis tuis longè tardius ingenium, cùm à Te longiùs non recederent; ut in nido Ecclesiæ tuæ tuti plumescerent, & alas caritatis alimento sanæ fidei nutrirent?*

Eremi Varsaviensis ex Bibl.

SECTIO II.

Non aliâ de causâ creati & nati sumus, quàm ut saluti animæ nostræ intendamus.

CLaudit Rex Salomon librum suum, Ecclesiastes dictum, his verbis: *Finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.* Vel, ut ex Syro vertit S. Hieronymus: *Ad hoc natus est omnis homo.* Quem locum considerantes

siderans S. Bernard. concludit: *Ergo, Si hoc est omnis homo, absque hoc nihil omnis homo.* Pontifices, Cæsares, Reges, Principes, in mundum nati sunt, non ut Pontifices, Cæsares, &c. essent; sicut nec Doctus natus est, ut esset doctus; Dives, ut dives; sed omnes docti & indocti, divites & pauperes creati & nati sunt, ut curam gerant animæ suæ, eamque salvam faciant. Et hoc est quod propriè in Sacrâ Scripturâ voçatur Negotium. Sic Daniel, ut legitur Daniel: 2. 17. *ingressus est domum; Ananiæque & Misaeli, & Azariæ sociis suis indicavit negotium;* æternæ scilicet salutis; ut explicat Richard. à S. Victore. Ita & S. Paulus monet suos Thessalonicenses, 1. cap. 4. 11. *Rogamus vos Fratres, ut abundetis magis, & operam detis, ut quieti sitis, & ut vestrum Negotium agatis*, q. d. Deponite curam temporalium, & in quiete mentis negotio salutis vestræ vacate, quod negotium negotiorum est.

Intendere saluti animæ negotium negotiorum est.

Honoribus, divitiis, voluptatibus sæculi conservandis & augendis studere, Negotium æquè minùs appellari potest, quàm ædificatio domuncularum, equitatio in arundine; quibus occupare, & fatigare se solet puerilis ætas: esto sæculi splendor & fastus, puerorum crepundia Majestate excedere videatur; nomine tamen Negotii æquè minùs digna sunt, quàm ludicra illa occupatio puerorum.

Occupatio quæ non versatur circa salutem animæ, puerilis est.

Inclamat nobis Salvator noster Matt. 16. 26. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Quæ verba considerans. S. Eucherius monebat

LIB. I. CAP. I. SECT. II.

nebat nepotem suum Valerianum, Epistolâ ad eundem datâ: *Primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant, summasque sibi sollicitudinis partes, salus, quæ summa est, vendicet.* Væ nobis, si hanc curam, hanc sollicitudinem negligamus. Si quem è famulis suis certi negotii expediendi causâ, Dominus emittat, famulus interim mandati oblitus, in plateis Histrioni & scurrarum fabulis intentus commissa negligat, meritò plagis redux vapulat. Sic & Dominus Deus justâ vindictâ temeritatem nostram castigabit, si, quos in hunc mundum ad infiniti momenti negotium tractandum introduxit, ludicris mundi rebus fascinati, negotio tanto operam non dederimus. Unica hæc erat Prophetæ Regii cura, quam testatur psal. 118. 109. *Anima mea in manibus meis semper.* Quæ verba S. Bernard. serm. 3. in Vigil. Nativit. Domini, ità explicat: *Dicendo cum Sancto: Anima mea in manibus meis semper; eligamus potiùs ardere, quàm cedere, & sicut, quod in manibus nostris tenemus, non facilè obliviscimur, sic nunquam obliviscamur negotium animarum nostrarum, & illa cura principaliter vigeat in cordibus nostris. Quæso te,* monebat idem S. Bernard. Cosmophilum, *si tam sollicitus es, si nec minima negligas, si tam prudenter servas paleas tuas, etiam hordeum tuum servare memento; imò verò non exponas thesaurum tuum, qui sic incubas sterquilinio tuo.* Palea tua, & fimus tuus, sunt tuæ divitiæ, tui honores, tuæ voluptates, & omne id, quod mundus dare potest: frumentum tuum, est anima tua; hanc unicè

Cui similis sit, qui salutem animæ non quærat.

cu-

cura. Res certè indignissima est, in promovendo negotio salutis dormire; & ècontra noctu diuque in acquirendo vel augendo fœtido rerum mundanarum fimo vigilare.

SECTIO III.

In quo consistat Perfectio, & vitæ sanctitas.

MUltos reperire est tàm inter Religiosos quàm Sæculares, qui magno in Perfectionem desiderio feruntur, pleni optimâ voluntate; sed quia nesciunt tangere punctum, hærent inter ignorantes, irritus cadit omnis eorum labor, quadratque in eos illud Moysis ad populum Israeliticum, Deuteron. 28. *Sementem multam jacies in terram, & modicum congregabis, vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex eâ quidpiam.* Multi seminant sementem Orationis, Eleemosynæ, Jejunii, &c. Semen ex se bonum; sed fructus non facit, quia non seminatur ut oportet.

Perfectio non consistit in exterioribus bonis operibus.

Plurimùm ergo interest scire in quo propriè vera essentia virtutis, perfectionis, & meritorum consistat. Certum est primò, illam non consistere in paupertate, vel corporis afflictatione; cæteroquin inter summos Sanctos collocandi forent multi ex Ethnicis, divitiarum osoribus, & extremam paupertatem sectantibus; canonizandi essent captivi in carceribus; milites in castris, afflicti in Xenodochiis, qui omnis generis molestiis obruuntur, de verâ tamen perfectione, vel nihil, vel parum ordinariè ha-

LIB. I. CAP. I. SECT. III.

bentes. Nec consistit secundò, in operibus, quæ aliàs, si bene peragantur, meritoria sunt, v. g. in distributione bonorum inter pauperes, in orationibus, in Psalmodiâ, in celebratione Missarum, &c. Multi enim tàm ex sæcularibus quàm Religiosis, iis studunt; à sanctitate tamen & verâ Perfectione longè distant.

Consistit perfectio in actibus internis.

Et quinam hi.

Consistit ergò vitæ Sanctitas & Perfectio in actibus animæ internis Fidei, Spei, Religionis, Adorationis, Dei glorificationis, Benedictionis, Humiliationis, Resignationis, &c. Maximè in actibus perfectæ Caritatis: deindè, ut ea, quæ facimus opera, sivè ex se bona, sivè indifferentia, sivè corporalia, sivè spiritualia; sanctâ & purâ Deum intentione dirigamus, & interiori devotione animemus. Doctrinam hanc veritati omnino consonam esse, testatur Spiritus Sanctus ps. 44. describens enim hoc loco Propheta David mysticam Animæ cum Christo desponsationem, & admirabiles tàm sponsi quàm sponsæ virtutes deprædicans, ait versu 14. *Omnis gloria Filia Regis ab intus*, vel, ut vertunt, SS. Augustinus & Hieronym. *Intrinsecus*, q. d. Omnis pulchritudo, splendor, & nobilitas animæ Christi sponsæ consistit intus, in operatione animæ, & si quid splendoris habent opera externa, v. g. paupertas, dolor, eleemosyna, oratio, &c. id haurire debent ab intus, & ab intrinseco manare, sicut à sole radii. Similiter S. Thomas 1. 2. q. 20. a. 4. probat, opera externa indifferentia, nec præmio nec pœna digna esse, nisi in quantum accipiunt

Solum illud quod ab intrà est, facit opus meritorium.

piunt bonitatem vel malitiam ab interna voluntate. Res patebit in exemplo: duo in gratiâ constituti, quorum unus fatuus, dant Eleemosynam in circumstantiis externis æqualem; sensatus Eleemosynæ mercedem recipiet in æternitate, fatuus non ita. Quæ causa tam dissimilis fructûs in Eleemosynâ secundùm exteriores circumstantias æquali? non alia, quàm quod homo sensatus dans eleemosynam, in secreto cordis hanc eleemosynæ largitionem per intentionem ad Deum direxerit; quod fatuus ob defectum rationis non potuit.

Quidnam sit quod unum in cœlo majori gloriâ, quàm alterum cumulet.

Quod in cœlo unus alium gloriâ superet, causa est, quod hic intenso, alius remisso ab intus procedente virtutis actu hoc vel illud boni operis exercitium peregerit: nec datur major gloria, propter opus deforis præstantius; sed ob intentiorem affectum quo opus perficitur. Unde fieri potest, ut quis opere minimo v. g. stando, ambulando, nendo, majorem acquirat gloriam, quàm alius largas Eleemosynas dando, multum jejunando, diu vigilando, corpus ad sanguinem castigando. Et hoc est, quod Beatissimam Virginem Dei genitricem ita sublimavit in gloriâ; opera enim minima maximis & generosissimis virtutum actibus, purissimaque intentione perfecit. Ex quo proposita veritas clarissimè elucet, essentiam scilicet Perfectionis, & perfectionem operum nostrorum consistere in intentione actuum, *ab intus*; hoc est, à fervore spiritûs & puritate intentionis procedentium, quodque opus eò perfectius, &

Quare B. Virgo præ cæteris in gloriâ sublimior sit.

LIB. I. CAP. I. SECT. III.

Deo gratius sit quò excellentiores & generosiores virtutum actus illud comitantur.

Quid sit adorare Deum in Spiritu & veritate.

Quidquid ergo agimus exteriùs, succum & vitam hauriat *ab intus*, ab anima, à corde, à Spiritu. *Spiritus est Deus*, dicebat Christus Joannis 4. 24. Mulieri Samaritanæ, *& eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Brevis lectio, sed grandia Mysteria. *In spiritu*; hoc est, ut explicat glossa, *in intimo templo cordis*; in cujus altari supremo illi Cœli & Terræ Domino offerri oportet purissimam hostiam, ex frequentatis generosissimarum virtutum actibus fragrantem. *In veritate*: hoc est, operari oportet syncerè, sine fuco, sine dolo; omnia opera externa cum interiori devotione & spiritûs fervore ita peragendo, ut in verbis, actionibus, moribus latens in corde ardor & mentis devotio appareat, animetque exteriores actiones purissima ad Deum directa intentio. Indecens est, primam & essentialem Veritatem falsâ devotionis specie velle adorare, vel potiùs illudere. Inanes & fucatos hos ritus Dominus respuit mandans per Isaiam c. 1. 13. *Ne offeratis sacrificium frustra*, vel, ut Cajetanus vertit, *Sacrificium falsitatis sive mendacii*: quod tamen offerunt ii, qui integris operum exteriorum, ut ita dicam, plaustris, sine sale & succo interioris devotionis, Deum onerant, tàm Deo quàm homini mentientes; habent enim ea, quæ faciunt opera, solam speciem boni, re ipsâ carent. Utinam non amplius, etiam inter Religiosos horum esset numerus, qui exterioribus omnis gene-

Exiguam in cœlis mercedem

ris

ris in speciem bonis negotiis, & actionibus continuò occupati quidem sunt, mercedem tamen post vitam non recipient, quia deest operibus anima, fervor, spiritus & interior mentis devotio; occupati fuerunt in cortice, nucleum negligentes. Objici similibus optimè potest illud Aggæi c. 1. 5. *Seminastis multum intulistis parum; comedistis, & non estis satiati: bibistis & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Inveniuntur sœpenumero in Monasterio viginti, triginta, quinquaginta Religiosi, in exteriori actionum Hierarchicarum perfectione æquales; sed magna inter illos, quoad interiora, disparitas: ex quo fit, eos, qui neglectâ interioris devotionis curâ hærent in exteriori operum cortice, à solidis virtutibus & perfectione longè abesse; eos econtra in gratiâ, meritis, & vitæ sanctitate plurimùm procedere, qui nucleum curantes arida externarum actionum ossa, vivâ interiorum actuum medullâ saginant, confortant & vivificant.

LIB. I. CAP. I. SECT. III. *recipient, qui exterioribus tantùm, interioribus neglectis occupati fuerunt.*

Persuadere ergo sibi quilibet certò potest, quod, nisi primas det Spiritui, & internis ferventis animi actibus, frustra in exterioribus laboraturus sit; nihil in viâ perfectionis progredietur; esto sub gravissimo operum exteriorum pondere ad sanguinem usque sudet. Sequamur S. Pauli admonitionem olim Galatis datam cap. 5. 19. *Dico autem, Spiritu ambulate.* Si perfecti, si sancti esse volumus in abscondito cordis nostri, in spirituales transformemur; & mo-

Nunquam in vitâ spirituali proficiet qui solis operibus exterioribus in speciem bonis occcupatur.

do

do perfectissimo in eliciendis heroicarum virtutum actibus nos exerceamus. Quomodo hoc fieri possit sequenti libro docebitur, præsertim qua ratione virtutum Reginæ, Caritati in Redemptorem nostrum, opera danda sit. Initium fiet à motivis ad hanc Caritatem impellentibus: sit ergo.

CAPUT II.

Maximo studio adnitendum, ut Redemptorem nostrum rectè cognoscamus, quia cognitio illa est magnæ excellentiæ, magnæ delectabilitatis, & utilitatis.

Defectus cognitionis Dei, causa est, quòd Deus non ametur.

QUòd Deus, infinita illa Bonitas, & omnium perfectionum abyssus, tam frigidè ametur; unica causa est, quia non cognoscitur, quis & quantus sit; quod ita esse, vel ex hoc perspicuum redditur, quòd vilis quædam creatura per exiguæ pulchritudinis umbram, quæ in ea conspicitur; per momentaneam voluptatem, quæ ex eâ percipi potest, in amorem sui mortalium corda rapere possit. Deus autem infinitè pulchrior, infinitè delectabilior, creaturæ adeò abjectæ postponitur, & non amatur, nisi obiter, perfunctorie, & frigidè. Cujus miseriæ & cœcitatis alia causa esse nequit, quàm defectus cognitionis; voluntas enim amare non potest, nisi quod ab intellectu amore dignum eidem proponitur; quod intellectus facere nequit, nisi priùs Deum cognoscat. Qui

ergo amoris igne in Deum accendi cupit, totus in eo sit, necesse est, ut ipsum cognoscat; ad quod cognitionis studium maximè animabitur, si attentâ mente, singulares hujus studii & cognitionis utilitates & excellentias consideret; hæc cognitio est.

Cognoscere Christum est scientia excellentissima. Et quare.

Primò inter omnes scientias, quibus in hac mortali vitâ excellere homo potest, excellentissima; Objectum enim illius est præstantissimum & nobilissimum, ipse scilicet Christus Dominus Redemptor noster, in quo simul & Humanitas & Divinitas; ideòque, quidquid perfectionis vel in Deo vel in homine quæri potest, idipsum invenire possumus in Redemptore nostro. *Quid quaris,* ait S. Bernard. *quod in illo non invenias? si ægrotus es, Medicus est: si exulas, dux est: si desolatus es, Rex est: si impugnaris, pugil est: si sitis, potus est: si alges, vestimentum est: si tristaris, gaudium est: si obtenebraris, lux est; si Orphanus es, Pater est; sponsus est, Amicus est, Frater est, summus, optimus, misericordissimus, fortissimus, pulcherrimus, sapientissimus est, omnia sine fine gubernans. Quid autem laboro? omnia qua velle potes, & debes, est Dominus Jesus Christus; desidera hunc, require hunc, quia hac est illa una pretiosa Margarita, pro quâ emenda, etiam vendenda sunt omnia, qua tua sunt, quâ habitâ nullius tempestatis procellam timebis.*

Cùm ergo ita se res habeat, clarissimum est, quòd Christus Dominus objectum excellentissimum sit, in quo contemplando & cognoscendo humanus intellectus meritò, toto conatu desudet. Hæc cognitio præstantissima illa scientia est, de quâ & in

quâ

LIB. I. CAP. II. *In cognitione Christi tantùm gloriandum est.*

quâ solùm gloriandum. *Non glorietur sapiens,* monet Deus per Prophetam Jeremiam, c. 9. *In sapientiâ suâ, & non glorietur fortis in fortitudine sua; & non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur scire, & nosse me.* Et quidni homo in hoc glorietur? cùm nullius rei scientiâ, quæcunque tandem illa sit, felix, perfectus, & sanctus esse posśit, nisi hac solâ cognitione & amore Christi. Quare in hæc verba prorumpit S. Augustinus libro 5. confess. c. 4. *Infelix homo qui sciat illa omnia, Te autem nescit: beatus homo, qui Te scit, etiamsi illa nesciat: qui verò Te, & illa novit, non propter illa beatior; sed propter te solum beatus est, si cognoscens Te, sicut Deum glorificet.*

Cognoscere Christum est scientia jucundissima. Et quare.

Secundò, Nosse Christum plùs gaudii & delectationis affert, quàm cognitio omnium aliarum scientiarum. Quò pulchrius objectum habet oculus, eò majorem haurit delectationem ex objecto viso; ita & intellectus noster non potest non gaudere, summamque percipere lætitiam ex cognitione Christi, in quo omnium pulchritudinum abyssus. Rusticus, vili stabulo & sordibus assuetus, obstupescit; si splendorem augustissimi palatii contingat oculis lustrare; præ admiratione seipsum vix capit: ita & intellectus admiratione defixus, ineffabili mentis dulcedine colliquescet, si in cognitionem venerit sui Salvatoris. Expertus id est, sub initium suæ conversionis S. August. exclamans lib. 9. confess. cap. 6. *Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili; considerare altitudinem consilii super salutem hu-*

mani generis. Requiritur quidem ad abundantem dulcedinis hujus gustum percipiendum singularis Fides, & speciale cœlestis sapientiæ lumen, quod omnibus non datur; non negabitur tamen quærenti gutta; quæ guttula, licèt minima sit, dulcior est, quàm aliæ omnes ex profanis scientiis promanantes dulcedines esse possint: Minima enim cognitio, secundùm Aristotel. lib. 1. de part. anim. c. 5. de objecto excellenti, v. g. de Cœlo, melior est, & plùs tribuit intellectui delectationis, quàm magna scientia de minoris momenti, v. g. pulvisculi.

Cognoscere Christum est scientia utilissima. Quare, & quibus.

Tertiò. Illa cognitio est utilissima. *Hæc est vita æterna,* ait salvator Joan. 17. *ut cognoscant Te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Est utilissima Peccatoribus; hi enim, dum in memoriam revocant quæ & quanta pro iis in vitâ & morte sustinuerit Christus, Deus & Homo; per cognitionem tanti amoris moventur ad peccatorum dolorem, detestationem, & vitæ emendationem. Est utilissima in studio perfectionis incipientibus, quos excitat ad amplectendam in- & externorum sensuum mortificationem, ad acquirendas solidas virtutes, vi quarum inordinatas passiones doment, & vitia radicitus evellant. Est utilissima proficientibus, qui in hac cognitione inveniunt perfectissima virtutum exempla, quæ imitentur. Est utilissima perfectis, quibus maximum lumen, & tenerrimos affectus, quibus se Deo uniant, abundantissimè subministrat.

SECTIO UNICA.

Quales cognitio Christi Domini debeat habere conditiones.

Cognitio Christi debet esse affectuosa & actuosa.

PRima conditio est, ut hæc cognitio sit affectuosa & actuosa, quæ voluntatem ad bonorum operum exercitium & amorem Christi actualem inclinet & moveat; solùm speculativam esse, quæ nullum pium motum voluntati imprimat, non convenit: debet esse similis cognitioni Beatorum; quorum intellectum cognitio de Deo non tantùm illuminat; sed & voluntatem ad amorem, laudem, & Divinæ Majestatis glorificationem vehementissimè impellit. Ita secundùm proportionem, nostra de Christo cognitio debet esse continua, cum vehementissimo amore conjuncta consideratio, sinè oblivione, sinè negligentiâ, sinè defectibus. Cognitio sinè amore, vas vacuum est. *Si habuero omnem Prophetiam*, ait Apostolus 1. Cor. 13. *& noverim Mysteria omnia, & omnem scientiam, Caritatem autem non habuero, nihil sum.* Conceptus sublimes, & speculationes ad cœlum non evehent; sed Caritas & virtutes; non multa scientia, sed bona conscientia.

Debet esse attenta.

Secunda conditio. Cognitio hæc debet esse attenta, seria, & penetrativa, cum enim pleraque de Christo mysteria secundùm exteriorem apparentiã videantur esse sinè succo & infœcunda; hinc, si quis ea superficietenus tantùm delibaret, latentem in iis dulcedinem non gustabit. Finis cognitio-

nis

nis hujus est,ut ad imitationem nos inflammet, exprimatque in nobis ad vivum Christi mores & vitam; ad quod requiritur viva, pressa,constans & continua ad Divinam hujus imaginis speciem reflexio; non secus ac Pictor volens originale quoddam accuratè exprimere, ad omnes lineas, ductus, adumbrationes, animo ita collecto reflectit, ut oculos, cogitationes, mentem omnem huic speculationi immersisse videatur.

LIB. I. CAP. II. SECT. UN.

Tertia conditio. Cognitio Christi debet esse ordinata & discreta, non obruenda mysteriorum ruminandorum multitudine memoria. Verum quidem est, quod dicit S. August. lib. 10. de Trinit. cap. 2. *Rem prorsus ignotam amare omnino nullus potest*: necessarium tamen non est, ut magnæ Caritati, magna cognitio præmittatur. Grande incendium excitari potest parva scintilla; sic & vehementem in cordibus nostri Dei amorem exigua de ejusdem perfectionibus cognitio. Qui vel unum è vitâ Jesu mysterium solidè ruminat, ad amorem moveri se sentiet. *Paucis opus est ad bonam mentem.* inquit Seneca Epist. 106. Ad quid labor iste, quo plures se fatigant, ut magis & magis in agnitionem Christi veniant, semper aliquid novi reperiant, nova & nova motiva ad amandum excogitent; si nunquam actuali amori se applicent? sunt hi similes illis, qui continuò occupati in colligendis lignis, ignem tamen nunquam excitant. Unum, quod amori in corde tuo excitando aptissimum judicas mysterium eligi; huic im-

Et ordinata.

Exigua cognitio Dei magnum excitare potest Dei amorem.

Exploditur labor quem quis impendit tantùm,ut Deum cognoscat,non amet.

LIB. I. CAP. III.

immorare; hoc penetrare stude: unicum illud rite perpensum multos ciebit in animo motus, & plùs boni efficiet, quàm magnus plurimarum meditationum obiter tantùm ad mentem revocatarum numerus. Pro majori commoditate per aliquot subsequentia capita adducentur motiva, ad Christum Dominum ex toto corde amandum impellentia; ex iis elige, quod gustui tuo maximè accommodatum. Unde sit

CAPUT III.

Christus Dominus amore dignus est ob infinitam suæ Divinitatis perfectionem.

Quid potissimùm impediat Dei cognitionem.

QUia divinitas in Christo est quid merè spirituale; nos autem carne circumdati, hinc eandem perfectè in hac mortali vitâ cognoscere nequimus. Per rubrum vitrum, quidquid videmus, rubrum est; esto distincti ab alio coloris sit: ita & animo nostro evenit, cùm enim nihil, nisi per sensus externos & corporeos, intelligere possit, omnia ei videntur corporea; & quia hanc ob causam perfectiones Dei, ut reverâ in se sunt, cognoscere non possumus; sic mirum non est, animum nostrum adeò frigidè, ad ea, quæ supra nos sunt, moveri. Cùm interim ad præsentis materiæ exigentiam, de Divinitate, nonnihil loqui oporteat, balbutiendo paucissima delibabimus.

Descriptio Dei.

S. Thomas Aquinas lib. 1. contra gentes cap. 28. ait. *Deus est universaliter Ens perfectum, cui non deest alicujus generis nobilitas.* Al-

Alcinoes cap. 9. *Deus est seipso perfectus, semper perfectus, omni ex parte perfectus.* Si ita perfectus, mirum non est, exclamare Davidem ps. 144. 4. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis. Magnus est,* ait Baruch. cap. 3. 25. *& non habet finem, Excelsus & immensus.* Si immensus est, ergo est ipsa Magnitudo, ipsa Sublimitas, ipsa Bonitas, Pulchritudo, & Sanctitas essentialis. Hæc omnia Deus est; quia est *Ipsum Esse*, quo nomine sæpe in scriptis suis Deum appellant S. Dionys. & S. Thomas; quale enim est Esse rei, tales & sunt Perfectiones, quas res habet; cùm ergo sit Deus *Ipsum Esse*, seu ipsa Essentia ab omni alio independens; sic sequitur, solum Deum esse summè Perfectum, & ipsam Perfectionem. Quare olim dicebat Moysi Exod. 3. 14. *Ego sum, qui sum.* Quo nomine, ut notant S. Greg. Nazianz. Orat. 2. in Pasch. & S. August. lib. de verâ Religione cap. 49. indicare Deus voluit, quod sit Ens necessarium, & quod ab æterno necessariò Esse debeat. Eodem sensu loquitur S. Job. cap. 23. 13. *Ipse solus est.* Quale hoc Paradoxon? nunquid & Angeli *sunt*, & homines *sunt*, & Cœli & terra *sunt*? utique *sunt*, quemadmodum oculis cernimus & Sacra Scriptura testatur Sap. 1. 14. *Creavit, ut essent omnia.* Quomodo ergo Job ait: *Ipse solus Est?* Respondet S. Gregor. Moral. 16. cap. 16. *Aliud est esse, aliud principaliter Esse; aliud mutabiliter, aliud immutabiliter Esse: sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minimè subsistunt, & nisi Gubernantis manu teneantur,*

LIB. I. CAP. III.

Explicatur illud S. Scriptura.

Ego sum, qui sum.

LIB. I. CAP. III.

esse nequaquam possunt. Quæ omnia ulteriùs declarat S. Thomas 1. parte q. 25. art. 1. ubi ait, Deum esse ex omni parte perfectum, quia est *Actus purus*. Hoc est, omne quod Deus est, est perfectè, actualiter, & reipsa, ita ut nihil sit, quod ei possit advenire; & ita est ipsa actualis & essentialis Perfectio. Nulla creatura, quantumcunque perfecta, est, nec esse potest Actus purus; omnes siquidem creaturæ sunt, & aliquid habent, non tamen habent omnia; nulla est, cui non aliquid desit, imò plus desit, quàm de facto habeat.

Ex Dei visione, qua Beati fruuntur, colligitur Dei perfectio.

Et ut ex effectibus Dei Perfectiones meliùs agnoscamus, fateri cogimur, modo prorsus admirabili & ineffabili Deum perfectum esse; ex nuda enim Dei visione in Cœlis maxima felicitas in Beatos manat, omnis erga res omnes affectus in iis extinguitur, profundissimoque voluptatum mari immerguntur. Et cum in omnem æternitatem ab hac Visione, ne ad momentum quidem vacent, concipiantque ex continuâ ejus visione nullam nauseam, nullum per longam retro æternitatem tædium; sed semper in profundissima quadã ectasi, & amore, plùs ultrà semper habeant, quod mirentur, & quod avidissimo ore potent ex hoc imẽnso torrente voluptatis; hinc non potest non aliter esse, quàm, quod id, quod in Deo Beati vident, debeat esse stupendum quid, & abyssus omnium delectabilium.

Deus seipso beatus est, ex quo

Ut de re profundius loquamur. Edic amabo, quàm admirabile, sublime, & immensum esse non debeat Ens illud, quod

Deum

ejus perfectio colligitur.

Deum dicimus, cùm & ipse sui ipsius visione beatus sit? Considerandum hic, quòd, quia ipsæ infinitæ capacitatis est, illud quoque, quod ipsum beat, debeat esse necessariò infinitum: Præterea hæc ipsius infinita capacitas ab æterno hac sui visione satiata & expleta fuit. Ex quibus omnibus sequitur, quòd Deus necessariò debeat esse infinitè perfectus. Rem hanc ulterius præclarè explicat S. August. Meditat. c. 29. *O summe optime, pulcherrime, & fortissime, invisibilis, omnia videns; im̃utabilis omnia mutans; semper agens, semper quietus. Magnus es sinè quantitate, & ideo immensus; bonus es sinè qualitate, & ideo verè & summè bonus, & nemo bonus, nisi Tu solus: Cujus voluntas est opus; cujus velle, posse est: qui omnia de nihilo creâsti; quæ solâ tuâ voluntate fecisti: qui omnem creaturam tuam absque indigentiâ aliquâ possides, & sine labore gubernas, & absque tædio regis: & nihil est, quod perturbet ordinem imperii Tui, vel in summis vel in imis, qui verè es, quod es, & non mutaris,* Credo Te, ait idem alio loco, meditat. cap. 12. *in Personis trinum, & in substantia unum, verum Deum, unius simplicis, incorporeæ, incircumscriptæ naturæ, nihil Te superius, majusve aliquid habentem, sed per omnem modum sine deformitate perfectum, sine infirmitate fortem, sine situ ubique præsentem, sine extensione omnia implentem, sine contradictione ubique occurrentem; sine motu omnia transcendentem; in magnitudine Infinitum, in virtute Omnipotentem, in Bonitate summum, in sapientia inæstimabilem, in Consiliis terribilem, in Judiciis Justum, in cogitationibus Secretissimum, in verbis Veracem, in operibus Sanctum.*

Descriptio Dei ex S. Augustin.

SECTIO UNICA.

Modus Deum inveniendi facilis, & quomodo inventus honorandus sit.

Deum intrà se quilibet habet, ubi facillimè invenitur.

QUi desiderat Divinæ Majestatis, quam in umbra paulò ante consideravimus, magis expressam effigiem; non est quod per Creaturas, eorumque officinas diu multumque vagetur, ut eam inveniat: in se ipso habet, quem quærit; quærat, ut oportet, & inveniet. Ingrediatur se ipsum, oculos mentis aperiat, & videbit Maximam illam & Infinitam Majestatem in omni gloria, cordis sui habitaculum occupantem. Hic subsistat, & divinâ adjutus gratiâ firmissimè credat.

Actus fidei circa Deũ nobis intimè præsentem eliciendi.

Primò, quòd Deus omnes perfectiones possibiles, sinè ullâ exceptione verè & realiter possideat; quòd sit bonus; imò Bonitas ipsa; quod sit pulcher, imò pulchritudo ipsa, &c.

Secundò, quòd Creaturæ, quidquid sunt, quidquid habent, omne à Deo acceperint, in numero, pondere, & mensurâ; tamdiù habituræ suas quantulascunque perfectiones, quamdiù Deo placuerit, & ne momento quidem temporis diutiùs: quòdque ex se ipsis, minùs atomo habeant, sintque purum nihilum.

Tertiò, quòd Deus omnes omnium creaturarum perfectiones possideat modo eminentissimo; ita ut omnes earum perfectiones, respectu divinarum minùs, quàm guttula aquæ respectu vasti maris reputandæ.

Imò

Imò omnis creata pulchritudo respectu pulchritudinis Dei, est deformitas; sapientia, fatuitas; divitiæ, paupertas.

Ex his ita consideratis generosi virtutum actus, & ardua proposita formanda.

Virtutum actus quibus Deus nobis intimè præsens honorandus.

Primò, excitanda est vera Fides, firmissimeque credendum ita esse; animusque per sæpius iteratos ejusmodi actus, in tanti momenti veritate roborandus; per quod sexcentis donis, & gratiis anima ditabitur.

Secundò, excitanda actualis admiratio, laudatio, benedictio, glorificatio, adoratio; quod fieri potest tam verbis, quàm silentio: *Verbis*; Si toto pectore in laudes hujus Majestatis erumpamus, cum Seraphim & Cherubim succlamantes: Sanctus, Sanctus, Sanctus; eique offerentes, non solùm laudé, qua honoratur à Sanctis, sed & eam, quâ se ipsam laudât; quæ laus ejus gloriæ proportionata, ejusdemque cum ipsa dignitatis est. *Silentio*; Si interdum in præsentia Sanctissimæ, Altissimæ, & Infinitæ hujus Majestatis, inclinato capite, demissisque oculis cum summa humilitate & reverentiâ, quasi siderati & stupentes stemus nihil proferentes, solùm tantam Majestatem admirantes.

Servire Deo maxima felicitas.

Tertiò, generosa resolutio semel pro semper capienda, soli Deo, labore indefesso serviendi; recognoscenda felicitas, quæ datur nobis à servitiis esse tanto Domino; hæcque felicitas majoris æstimanda, quàm totius mundi gubernatio; cum revera major dignitas sit, esse servum hujus Monarchæ, quàm Dominum totius Universi. Si enim majus sit, esse servum Regis quàm

LIB. I. CAP. III. SECT. UN.

Rustici; quia dignitas servi desumitur à dignitate Domini; certè Dei esse servum majus est, quàm mundi esse Dominum; quia respectu Dei, Reges mundi vix ut atomi æstimandi.

Dei excellentia movet ad ipsũ maximi æstimandum.

Quartò, magna de Deo existimatio concipienda; econtra, quæ mundi sunt, contemnenda: quia enim Deus omnia, & omnia extra Deum, merum nihil, omnisq; creaturarum pulchritudo, potentia, sapientia, &c. in comparatione Divinæ Majestatis nihili æstimanda; jure meritissimo causam habemus, summam de eo existimationem concipiendi, & elevatâ ad eum mente exclamandi cum Davide psal. 88. *Domine Deus virtutum quis similis Tibi?* Post hæc, omnia nostra desideria in eum dirigenda, &in ipso solo, nostra salus, voluptas, satietas, gaudium, & exultatio quærenda. *Cur per multa vagaris homuncio?* quærit S. Ansel. cap. 25. Prosologii. *Quærendo bona animæ & corporis tui? ama unum Bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit: desidera simplex Bonum, quod est omne bonum, & satis est.*

In solo Deo quiescendum.

Divinæ perfectiones movere hominem debent ad Dei amorem.

Quartò & præcipuè, ex cognitione Divinarum perfectionum excitandus est amor in Christum super omnia; cùm enim, ut verus Deus, æterna, altissima, & infinitè perfecta essentia sit, infinito amore dignus est; quia verò miseri nos homunciones limitatæ virtutis sumus, nec infinitè amare possumus; amemus saltem, quantùm possumus. S. Augustin. hac Divinarum perfectionum amore succensus exclamat lib. 1. soliloqu. cap. 31. *Exaudi, exaudi, exaudi me*

Deus

Deus meus, Dominus meus, Rex meus, Pater meus, Causa mea, lux mea, vita mea; exaudi, exaudi, exaudi me, more illo paucis notissimo. Ita Te solum amo, Te solum sequor, Te solum quæro; Et aperi oculos meos, expelle à me insaniam, ut recognoscam Te. Recipe ergo fugitivum tuum, Domine clementissime Pater. Jam Jam satis pœnas dederim; satis inimicis tuis, quos sub pedibus habes, servierim; satis fuerim fallaciarum ludibrium. Accipe me ab istis fugientem famulum tuum. Tantùm oro excellentissimam Clementiam tuam, ut me penitus ad Te convertas, nihilque mihi repugnare facias tendenti ad Te; Jubeasq; me purum, magnanimum, justum, prudentemq; esse, perfectumq; amatorem, perceptoremq; Justitiæ tuæ.

CAPUT IV.

Motivum secundum ad amorem Christi nos excitans, sunt beneficia in nos collata, & quantæ illa sint efficaciæ.

Enumerantur duplicis generis dona, quæ homo à Deo accepit.

TAnta beneficiorum, quæ in hominem Deus effudit; multitudo & magnitudo est; ut faciliùs arenam in littore maris, quàm illa, numeraveris. Sunt dona naturæ: Creatio; per quam Deus Esse nobis tribuit, & quidem in gradu valde excellenti: Intellectus cum libero arbitrio, sustentatio, vestimenta, hospitium, divitiæ, honores, Cœlum, Sol, Luna, Elementa, animalia, fructus, & omne id, quod in hoc mundo conspicitur. Secundò, sunt dona gratiæ: Incarnatio, Passio, Mors, Sacramenta, Sacra scrip-

LIB. I. CAP. IV.

ſcriptura, libri ſpirituales, exhortationes, gratia ſanctificans, &c. verbo, tanta beneficiorum à Chriſto acceptorum copia eſt, ut homo jure optimo dici poſſit, merum quoddam ex Dei beneficiis coagulum, Vertat ſe dextrorſum, ſiniſtrorſum, ſurſum, deorſum; aſpiciat corpus & animam; aſpiciat quidquid in cœlo, & in terra, omnia hæc beneficia ſunt, quæ à liberaliſſimo Deo, plenâ & velut prodigâ manu in hominem profunduntur.

Magnitudo beneficiorum Dei ex quatuor colligitur circumſtantiis.

Ut immenſam eorundem magnitudinem nonnihil penetremus, quadruplex in iis infinitas conſideranda eſt. *Primò* infinitas Chriſti dantis, quæ in omnibus beneficiis attendi debet; dignitas ſiquidem benefactoris, & pretium & majeſtatem beneficiis tribuit, v. g. pomum à Ruſtico datum non magni æſtimatur; datum à Barone majoris; à Rege maximi: ex quo ſequitur, beneficia à Deo utpote infinitæ majeſtatis, in nos collata, licèt minima, maximi facienda, maximoque in pretio habenda eſſe. *Secundò*, conſideranda eſt infinitas noſtræ vilitatis, quæ non ſecus ac dignitas dantis, auget donorum pretium: ſic Ruſticus acceptum à Rege pomum magni æſtimare debet, non ſolùm ob dignitatem dantis, ſed & ob abjectam ſuæ perſonæ conditionem; neque enim Comes datum à Rege pomum magni faciet. *Tertiò*, attendenda eſt infinitas in beneficiis ipſis; nam reipsâ Incarnatio, Redemptio, Sacramentum Euchariſtiæ, ſunt infiniti valoris, cùm Chriſtus infiniti pretii theſaurus in iis revera contineatur.

Quar-

Quartò, & maximè perpendenda eſt infinitas amoris, quo beneficia conferuntur, qui certè amor omnium beneficiorum, beneficium præſtantiſſimum eſt; nam, ut ait Seneca libro 1. de benef. cap.6. *Non quid fiat; aut quid detur, refert; ſed quâ mente: quia beneficium non in eo, quod fit aut datur, conſiſtit; ſed in ipſo dantis animo.* Ex quo ſequitur, magnum beneficium, datum ex minore affectu, eſſe minoris æſtimandum, quàm exiguum, datum ex magno affectu & amore: Unde pro certo tenendum, bolum panis & hauſtum frigidæ in ſuſtentationem vitæ à Deo nobis donatum, majoris æſtimandum, majoreſque pro eo Deo gratias agendas; quàm ſi ab Angelo centum nobis mundi donarentur; quia amor, quo Deus dat nobis fruſtulum panis, eſt infinitus; amor Angeli, quo dantur mundi, finitus. Si ergo tantum beneficium hauſtus frigidæ, quæ & quanta non erunt beneficia Incarnatio, Redemptio? &c.

Vis beneficiorum.

Beneficia corda animoſque regunt & vinciunt; ſi benefacere poſſim, jam potens ſum; & in mea obſequia trahere poſſum eum, cui ex me benefit. Feræ, Leones, Tygrides, Dracones per beneficia placantur, ut plures teſtantur hiſtoriæ; quamdiu ergo induratum erit cor noſtrum ad beneficia innumera à Chriſto in nos collata?

Indignum eſt plus reflectere ad beneficia ab homine quàm quæ à Deo collata ſunt.

Si quis hominum milleſimam beneficiorum partem tibi præſtitiſſet, quæ Chriſtus; certè cohibere amorem nullatenus poſſes. Maximo tibi gaudio eſſet, illius recordari, de eo loqui; illum videre, cum illo conver-
ſari,

sari, Quare ergo chalybe durior es in Christum? quare plus tangeris beneficiis, quæ ab homine, quàm quæ à Christo conferuntur? fortassis ideo, quia dantur tibi à Personâ infinitè digniore, quàm homo est? fortassis ideo, quia pretii sunt infinitè majoris, quàm omnia omnium hominum dona esse possunt? sed ex his directè contrarium sequitur. Et si hominem amas, qui tibi benefacit, cur non Deum? à quo & ipsa eadem dona & bona sunt, quæ tibi tuus amicus impertit; Deus enim hoc tuo amico, ut suo instrumento, ad tibi benefaciendum, utitur.

Enumeratio beneficiorũ, quæ movere hominem debent ad Deo serviendum.

Ama ergo Christum, summum Benefactorem tuum; resarci quod tam turpiter neglexisti; cordi sume maximam tuam obligationem, nec vinci te patere gratitudine, ab irrationali pecore. Ille est à quo corpus accepisti; ille est, qui dedit animam, & corpori univit; Ipsius est Sol, qui te illuminat; Ipsius est ignis, qui te calefacit; Ipsius est terra, quæ te sustentat; Ipsius est aqua, quæ te lavat; Ipsius est cibus, quo vesceris; Ipsius sunt vestes, quibus tegeris & ornaris; Ipsius est domus, quam incolis; Ipsius sunt omnes creaturæ, quæ tibi serviunt. Si Christianus es, non Ethnicus; si Catholicus es, non Hæreticus; si Religiosus es, non sæcularis; si pericula evasisti, tentationes superâsti, bonas inspirationes habuisti, opus meritorium exercuisti; omnia hæc, omnia à liberali Dei manu provenerunt. Ideo naturam humanam assumpsit, ideo vitam consumpsit in sexcen-

tis

tis miseriis, ideo in abyssum tormentorum se dimisit, ideo ignominiosissimè crucifigi, & mori voluit: & præter hæc omnia, tibi parat æterna cœli gaudia. Edic amabo; nonne hæc sufficientia sunt ad cor movendum, & ad amorem excitandum? quis non amabit adeò amantem, adeò benefacientem? ne differas ergo ad momentum amore perfectissimo amare talem ac tantum Benefactorem. Coge in obsequium, coge in amoré, quidquid habes, & quidquid potes.

CAPUT V.

Tertium motivum ad amorem Christi excitans, est, quia homo factus est, eum potissimum in finem, ut à nobis amaretur.

Quibus modis Deus conatus sit hominem in sui amorem allicere.

CErtissimum est, Deum Opt. Max. omni tempore cupivisse cor hominis, & in illius se amorem insinuare. *Præbe fili mi, cor tuum mihi*, ait Proverb. 23. Ad hoc ut hominem induceret, dedit ei cor, quod æque minùs sinè amore, quàm sinè pulsu & motu vivere potest; Præcepit ut se Creatorem & universorum Dominum amaret; promisit id facienti æterna Cœli gaudia; negligenti æterna inferni tormenta. Et quia similitudo, ut docent Philosophi, est mater amoris, signavit eum lumine vultûs sui, creavitq; hominem ad imaginem suam Genes. 27. Creavit eum non per alium, sed per se ipsum; quod credebat, non posse non esse grande ad amorem incitamentum. Si enim imago Regis capax amoris esset, quem

quem amaret nisi Regem? Et si Rex propriâ manu hanc imaginem efformâsset, strictiùs ad Regem amandum obligata esset; meritoq;, si ad alterius amorem invitaretur, responderet, si loqui daretur: Absit amare alium, quàm Regem, meum Originale; tum, quia me suî imaginem facere dignatus est, & quidem propriâ manu; tum quia Rex est, & nemo in regno amore dignior ipso est. Durissimus tamen homo ab ipsiusmet Dei manu formatus ad amorem non movebatur.

Videns igitur Deus se repudiato, hominum corda futilibus rebus affixa, & amorem dividere inter abjectissimas creaturas; aliis excogitandis mediis intentus fuit, ut vel amoris scintillam ad se derivaret; ususque est medio, quo efficacius nec sua infinita Sapientia excogitare, nec Omnipotentia majus facere potuit. *Descendit de Cœlis & incarnatus est. Maximè Christus advenit*, ait S. Aug. Cap. 4. de Catechiz. rudib. *ut cognosceret homo, quantum eum diligat Deus, & ideo cognosceret, ut in ejus amorem, à quo prior dilectus est, inardesceret.* Deus invisibilis, qui purus spiritus est, impedimento esse amori poterat; cùm intellectus humanus, nec capere, nec cognoscere plenè possit, nisi quod corporeis & externis sensibus percipitur; nec voluntas amare, nisi quod ab intellectu amore dignum proponitur. Impedimentum hoc Christus sustulit; volens namque humanæ consulere infirmitati, talem substantiam assumpsit, quæ oculis videri, manibus palpari, & ab humano

Incarnatio Dei fortissimum ad amorem incitamentum.

mano

LIB. I. CAP. V.

mano corde, suæ conformiter conditioni, modo sensibili amari potest. Et ut hac divina inventio, amorisque illicium efficacius foret, non assumpsit naturam quamcunque, sed humanam. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, ait Joannes Cap. 1. Potuisset assumere corpus nobilius v. g. Solem; seque cum illo circumvolvens, radiis suæ gratiæ mundum illustrare & opus redemptionis in splendoribus perficere: noluit tamen; sed præ magnitudine amoris servile corpus nostrum induit, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. *Demonstravit carnalibus corporeisque sensibus, deditis*, ait S. Augustin. de vera Religione Cap. 10. *quàm excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, quòd non solùm visibiliter: (nam & id poterat in aliquò ætherio corpore ad nostrorum aspectum tolerantiam temperato:) sed etiam hominibus in vero homine apparuit.* Non ergo solùm Deus hominem creavit ad similitudinem suam; sed etiam se ad similitudinem hominis effinxit; ut duplici hac similitudine homo inductus, ad amorem vehementiùs traheretur. *Ut familiariùs diligeretur ab homine Deus, in similitudinem hominis Deus apparuit*, ut ait S. August. Manual. c. 26.

Quod medio adeò stupendo, incarnatione scilicet, Divina majestas usa sit, ut in suî amorem nos pelliceret, satis esse debet ad cor chalybe durius frangendum, & in teneros affectus emolliendum. Egregius vitæ spiritualis Magister Avila Ep. 9. dicit; hoc Divinæ majestatis desiderium, quo amari à no-

Effatum Magistri

LIB. I. CAP. V. *Avilæ de Dei in nos amore.*

nobis cupit, tam esse vehemens, ut, si passibilis esset, præ magnitudine desiderii moreretur, vel ad minùs graviter ex eo decumberet. Quid dici potest admirabilius? & tamen plena & plana hæc est veritas.

Ex similitudine monstratur, quod ad Deum amandum nos vehementissimè movere possit incarnatio Verbi.

Si quis ex ultimis terræ partibus, Chinâ vel Japoniâ, non obstantibus frigore, æstu, siti, fame aliisque sexcentis periculis, ad has Europæ partes veniret, ut te inter amicos suos habere posset; eumque in finem, Patrem, Matrem, Cognatos & amicos deseruisset; præterea flexis genibus, extensis manibus, suspiriis & lachrymis idipsum à te peteret; essesne adeò durus, ut reciproco eum amore non dignareris, & amicorum tuorum numero excluderes? Si Romanorum Imperator ad tugurium tuum descenderet, rem à te peteret, quam eidem posses cum tuâ voluptate, utilitate, & sine ullo tuo detrimento exhibere; peteretque hanc rem multis precibus, imò promitteret plurimos thesauros, si extraderes; econtra Cæsareâ authoritate minaretur carceres, tormenta, mortem, si negares: essesne adeò fatuus, ut negares? si nulla spes lucri, nullus timor damni id tibi persuaderet; certè Personæ dignitas, ineffabilis illius cupiditas, severumque mandatum movere te deberent, ut ipsi omnia tibi possibilia deferres; imò cor ipsum visceribus evulsum præsentares.

Dominus gloriæ, infinitæ Majestatis Rex se exinanivit, omnia deseruit, propter te egenus factus, mortale corpus induit, innumera sustinuit tædia, dolores, angores, &c. Imò in genua quodammodo ante te procidit orans,

rans, ut in tuam se familiaritatem admittas. Et eris tantæ feritatis, & Majestatem hanc post tot preces repellas, & in tui cordis habitaculo locū neges? A mundo condito inter tot hominum milliones unus fuit, qui proposuit, & publicè edixit, quod neminem amare vellet, nec à quoquam amari cuperet. Fuit hic humani generis probrum, Thimon Atheniensis; de quo illud: *Nec amat, nec amatur.* Hic interim si resciret Deum verum & vivum suî causâ hominem factum, tot & tam indigna passum, seque ab eo adeò candidè & syncerè amari; credo sanè, feritatem omnem exueret, & tenero affectu, ita amantem, redamaret. Unde meritò dicit S. Paul. 1. Cor. 16. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* Quæ verba explicans S. Chrysost. dicit; nullam, post factam Filii Dei incarnationem, superesse excusationem, Deum non amandi.

LIB. I. CAP. VI.

CAPUT VI.

Quartum motivum ad Christi amorem est passio ipsius & mors.

Non creatio, sed redemptio hominis Deo labore stetit.

Ex doloroso Redemptionis opere, quod pro nobis subiit æterni Patris Filius, evidentissimè patet, quantùm nos Deus amet. Quod nos creaverit, facili negotio, verbo unico constitit; quod redemerit, acerbissimâ passione & ignominiosâ morte. *Sex diebus,* ait S. Bern. serm. 11. in Cant. *condidit omnia, & te inter omnia, at verò per totos triginta annos operatus est salutem tuam in medio terræ, & quantùm*

LIB. I. CAP. VI.

tùm laboravit sustinens; semetipsum exinanivit usque ad carnem, ad mortem, ad crucem; quis dignè penset, quantæ fuerit humilitatis, mansuetudinis, dignationis, Dominum Majestatis carne indui, mulctari morte, turpari cruce? Et multùm fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret; commoneretque gratiarum actionis difficultas Redemptionis, quem minùs esse devotum, fecerat conditionis facultas.

Et ob hanc causam voluit, ut sibi, in cruce adhuc pendenti, lanceâ latus aperiretur, ut ostenderet per vulnus exterius, quanto interiùs amoris vulnere fuerit sauciatus. Voluit, ut hoc vulnus omnium vulnerum esset ultimum, & infligeretur post mortem, ut ostenderet in vulnere Caritatis omnia Redemptionis Mysteria terminari. Ut autem manibus quodammodo palpemus tàm amorem illius in nos, quàm nostram in ipsum reciproci amoris obligationem; ad quasdam Sacratissimæ illius passionis circumstantias accuratiùs reflectendum. Quarum prima

Enumerantur Dominicæ passionis circumstantiæ, quarum prima quod patiens sit infinitæ dignitatis.

Quòd is, qui passus est, Persona sit infinitæ dignitatis. Mendicus, si pro alio moriatur, meretur amorem: & ingratissimus foret, qui hoc amoris beneficium amando non recognosceret. Moritur pro nobis ex amore, non mendicus sed Rex regum, Deus & Homo, Persona, in qua omnia, quæ sunt, infiniti sunt valoris.

Secunda, quod sint abjectæ creaturæ, pro quibus

Secunda. Quòd ii, pro quibus tam indigna passus est, sint homines, abjecti terræ vermiculi, infensissimi hostes, à quibus nihil boni sperare, nihil mali metuere poterat. Fuerunt parentes qui mortui sunt pro filiis, fuerunt ami-

amici, qui mortui sunt pro amicis; sed, quòd pro inimico quis mortuus fuerit, inauditum est, solus, qui id fecit, fuit Dei Filius: per quod, ùt ait Apostol. Paul. Rom. 5. 8. *Commendat Caritatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.* Imo eodem tempore, quo horrendum scelestissimæ crudelitatis actum ingratus homo, eum crucifigendo, exercebat, dignatur Crucifixores vocare suos amicos; dicit enim per os David. Psal. 37. *Amici mei & proximi mei appropinquaverunt adversum me, & steterunt.*

LIB. I. CAP. VI. *Christus patitur.*

Tertia. Quòd fuerint pœnæ & dolores innumeri. Ità ut S. Thom. 3. p. q. 46. art. 5. 6. & 7. dicat dolores Christi superâsse omnia tormenta, quæ omnes homines simul in hac vitâ sustinere possunt. *Primò* ratione extensionis, quia extenderunt se ad corpus, ad animam, ad sensus, ad omnes animæ potentias. Passus fuit in bonis; detractis enim vestibus, nudus flagellatus & crucifixus fuit; passus est in honore, contumeliis oneratus; passus est in Sapientiâ, ùt stultus irrisus; passus in Omnipotentiâ, veneficus habitus; passus in Discipulis, ab uno eorum proditus, ab altero negatus, ab aliis desertus; passus fuit ab hominibus omnis generis; omnis conditionis, à Rege, Præside, Judice, Aulicis, Pontificibus, Scribis, Judæis, Gentibus, Maribus, fœminis; imò & tristissima ejusdem Mater, dolores auxit; dum eandem vidit sub cruce præ doloribus, & compassivâ erga se Filium suum animi teneritudine quodammodo exsanguem, & extremè desolatam; passus fuit

Tertia, pœnarum acerbitas quæ ex circumstantiis deducitur.

LIB. I. CAP. VI.

in corpore, quod meliùs tu cogitatione, quàm ego calamo, assequi poteris; passus fuit in animâ, à peccatis generis humani, quæ vivacissimè eidem, ùt maxima Patris sui cœlestis injuria, & maximum hominis, quem intensissimè amabat, malum, fuere proposita; passus est in intellectu, dum prævidit, paucos admodum hac suâ passione, ex merâ Caritate assumptâ, bene usuros; passus in memoriâ, dum recordaretur gravissimæ injuriæ, qua afficiebatur; passus in voluntate, per subtractionem omnis solatii; per ineffabilem tristitiam, ariditatem, tædia, angustias, quæ omnia tanta fuerunt, ut interfecissent, nisi supernaturaliter fuisset confortatus. *Secundò*, fuerunt hæc tormenta gravissima ratione durationis, nam inceperunt à primo conceptionis suæ momento, & sinè interruptione durârunt in mortem usque. Quamprimum enim sanctissima ejus anima creata fuit, & corpori & Deitati unita, prædita fuit infinitâ sapientiâ & scientiâ; vi quorum clarissimè agnoscebat, & quodammodo præsentiebat omnes & singulos dolores, quibus per vitæ suæ decursum, usque ad extremum halitum, affligendus esset.

Quarta, quod cum gaudio Christus passus fuerit.

Quarta. Quòd omnes dolores sustinuerit cum gaudio, quod colligi ex eo satìs potest; quòd, *Primò*, tormenta omnia & mortem ipsam sponte elegerit, *Proposito gaudio*, ait Apostol. ad Hebræos 12. *sustinuit crucem*; quod idem est, ac si diceret, ut explicant S. Chrysost. Theophilactus & passim omnes latini Patres; quod, quamvis Filius Dei in cœlesti gloriâ omnibus pœnis liberatus maneret

Quod gaudium

po-

potuisset, maluerit tamen Homo propter nos fieri & crucifigi: imò putat Rupertus de S. Victore, quòd Cœlestis Pater Filio jam jam incarnando optionem dederit, an mundum redimere vellet per delicias & honores, vel per contemptum & contumelias, præelegerit tamen repudiatis voluptatibus vitam asperam, & mortem adeò acerbam. *Secundò*, etiamsi elegisset pati pro homine, non erat opus tanto sanguinis profluvio, vel unicâ guttâ redimere potuisset universos; sed amori gutta non sufficiebat, qui cogebat ut omnem effunderet, hocq; modo testaretur, quàm tenerè amaret, quos tanto pretio redimebat. *Tertiò*, desiderio desiderabat acerbissima tormenta. *Baptismo*, ait Luc. 12. *habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec fiat*, q. d, quantùm desidero, quantum anhelo ad spinas, ad verbera, ad irrisiones, ad clavos, ad crucem. Sciebat Judam fore suum proditorem, unde tarditatis eundem quodammodo arguens ei dicebat, Joañis 13. *Quod facis, fac citò*, q. d. Majus habeo desiderium, ut vendar, quàm tu, ut vendas: hocque patiendi desiderium ut ampliùs testaretur, sœpius de suâ passione fuit locutus; Matth. 16. repellit Petrum qui passionem dissuadebat, vocando eum Satanam. Lucæ 9. in medio Transfigurationis splendore in Monte Thabor fiebat sermo de passione: *dicebant* siquidem *excessum, quem completurus erat in Jerusalem*. *Quartò*, cùm jam non ampliùs in nudo desiderio passio sisteret, sed ad rem ipsam aggrediendum esset, gaudium manifestavit, dum adeò lætanter Hierosolymam peteret, in qua passurus

LIB. I. CAP. VI. *ex variis circumstantiis probatur.*

LIB. I. CAP. VI. SECT. I.

ſurus erat; dum adeò ſuaviter coram diſcipulis ſuis de eâ jam jam ſecuturâ, in ultimâ cœnâ loqueretur, quam cœnam hymno dicto terminavit, ut gaudium ſuum de Paſſione & morte imminente, ſuavi cantu manifeſtaret; ùt vult Barradius in Joannis 14.

SECTIO I.

Quàm vehementer ad amorem Chriſti excitare nos debeat, Sacra ejus Paſſio.

QUia Paſſio Chriſti, ut modò vidimus, tanti ponderis tantæque præſtantiæ eſt, tam ex dignitate patientis, & vilitate hominis, quàm ex tormentorum acerbitate & promptiſſimâ Chriſti voluntate, quâ pro nobis mortem ſubiit; ſummopere obligamur ad amorem amori reddendum. Sola Paſſio, ejuſque attenta ruminatio abunde ſufficit ad amoris ignem magnum & altùm in cordibus noſtris accendendum. Suaviſſimus Redemptor noſter videns, quòd in excitatione internorum affectuũ, exterioribus ſenſibus uti debeamus; *tantam*, ùt ait S. Bern. ſerm. de dilig. Deo, *eis dulcedinem in carne exhibuit, ut duriſſimi cordis ſit, quiſquis eum toto affectu non diligat.* Poſtquam homo ex ſtatu innocentiæ tam fœdè lapſus creaturam Deo ſuo antepoſuiſſet, ad meliorem frugem reducere hominem Deus Opt. Max. laborabat, & quodammodo ipſe ſecum rationes inibat, conſultans, an vi, an timore; an minis, an promiſſis ad meliora reducendus eſſet; ſed nullo horum medio hominis cor expugnari, & ad amorem

Fortiori medio Deus hominem ad reciprocum amorem allicere non po-

rem excitari posse prævidebat. Factus igitur Homo est, & plurima ex amore in hominem toto vitæ suæ tempore passus, in eo totus fuit, ut hoc saltem modo & medio rebellem hominem in suî traheret amorem. Hæc omnia optimè proponit S. Bernardus loc. cit. Deum inducens quasi deliberantem, quo tandem modo hominem ad se pertrahat. *Si invitum coegero, asinum habeo non hominem; quoniam quidem non libens venit nec spontaneus, ut possit dicere: Voluntariè sacrificabo tibi. Terrebo eum, si fortè convertatur & vivat: & comminatus est acerbiora, quæ excogitari possunt; tenebras æternas, vermes immortales, ignem inextinguibilem.* Sed homo iisdem non terrebatur. Sciebat Deus hominem ex natura sua bonorum cupidum, & longæ vitæ maximè amantem. *Promisit vitam æternam, promisit, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Sed nec hoc modo quidquam Dei bonitas profecit. *Unum restat adhuc: inest homini non solùm timor & cupiditas, sed & amor, nec quidquam in eo vehementiùs ad trahendum. Venit itaque in carne, & tam amabilem se exhibuit, ut illam nobis impenderet caritatem, quâ majorem nemo habet, ut animam suam daret pro nobis. Quisquis sanè nec ob hoc converti voluerit, nonne meritò audiet: Quid debui facere vineæ meæ & non feci?*

LIB. I. CAP. VI. SECT. I.

tuit, quàm sacrâ suâ passione.

Et si de re, ùt dignum est, loqui velimus, quid ultrà à Deo exigere possumus, quo amorem suum in nos evidentiùs testetur? ad quid eum adigemus, postquam omnem pro nobis sanguinem effudit. Si quid sanguine suo melius & carius habuisset, dedisset utiq;

LIB. I. CAP. VI. SECT. II.

nobis. Unde jam jam expiraturus in cruce dixit Joann. 19. *Consummatum est*. q. d. consummatum est, non tantùm, quod per Prophetas & figuras de me prænunciatum est; sed etiam consummata sunt omnia media, quæ amor excogitare potuit, ut hominem redimam, & in amorem meî pelliciam.

Durissimum cor frangere potest passionis Christi memoria.

Si ergo in amore hucusque vel tepidi vel frigidi fuimus, excitemur jam tandem ad amorem, acerbissimâ passione & morte, quam subîit æternus Deus pro salute nostrâ. Nihil durum adeò, quod non artificioso invento emolliatur; ipsum metallum igne liquefit. Imò & media sunt, quibus durissimus adamas mollefiat. Sit ergo, quòd cor nostrum, ùt adamas obriguerit, mollefiat fuso sanguine unigeniti Filii Dei. *Si amare pigeat, saltem nunc redamare non pigeat*: ùt monet S. Aug. de Catechiz. rudib. c. 4. Si ex duritia cordis nostri, in amore primi non fuerimus; ad minùs jam, dum ipse fecit amoris initium, amorem amori reddamus. Amor non solvitur, nisi amore. Amemus igitur, & redamemus; amplectamur, quantùm possumus, vulneratum nostrum.

SECTIO II.

Proponitur consideratio, deducta ex hactenus dictis, ut ex ejus attentâ ruminatione ad amorem Christi inflammemur.

REX quidam potentissimus, ditissimus, formosissimus; in quem Deus & Natura

LIB. I.
CAP. VI.
SECT. II.

ra contulit, quidquid ad perfectiſſimum & feliciſſimum Principem facere poteſt; volens regni & thori ſociam eligere, ſpretis Regni ſui puellis à nobilitate generis & formæ elegantiâ perilluſtribus, eligit quandam pauperis ruſtici filiam, gibboſam, tetricam, rugoſam, & planè deformem. Quid quæſo de mirabili hoc connubio, de hoc Rege, & Reginâ mundus cogitabit?

Qui neſcirent, Regem ſingulari pollere prudentiâ, putarent eundem fatuum & emotæ mentis hominem: ſi verò perſpectum haberent, neminem ſapientiâ Regi in Regno parem, eúmque animo planè deliberato hoc matrimonium inire; obſtupeſcerent ad tam inſolitum amoris exceſſum, talémque in abjectam Ruſticam affectum. Deinde omnes hanc Sponſam tam mirabiliter electam, feliciſſimam prædicarent, innumeríſque titulis Regi ad quælibet obſequia obligatiſſimam judicarent.

Rex hic eſt Chriſtus JESUS æternus Deus, æterníq; Patris Filius; hic ſibi in Sponſam adſciſcit hominis Animam, ignobilem, pauperem, deformem creaturam, in qua nihil, quod amore dignum; multum verò, quod nauſeam & averſionem creare poſſit. Quod autem in hoc connubio omnem exſuperat captum, eſt, quòd, cùm Supremus hic Cœli & Terræ Dominus in Sponſam accipere non poſſet hoc fœdum monſtrum, niſi per tormenta, crucem & mortem; ſpreverit ſupplicia, ſpreverit crucem, ſpreverit mortem; quam, (Cœli ſtupeſcite!) crudeliſſimam cum gaudiô ſubiit gloriæ Dominus, ut

ſibi

LIB. I. CAP. VI. SECT. II.

ſibi copularet hanc deformem Creaturam. Admirationem auget, quòd connubium hoc iniêrit non intuitu divitiarum; erat enim Sponſa,non tantùm deformis,ſed & tota inops, nec voluptas fuit quæ induxit, quæ enim delectationes ſperandæ ab hac ſqualli-dâ Mædusâ; erat Sponſus ſe ipſo beatus, &, ùt omnium gaudiorum incomprehenſibili abyſſo, nulla poterat delectatio aliunde advenire. Solus igitur fuit amor, ſola bonitas, ſola miſericordia, quæ hanc deſponſationem perſuaſit: poſt quam continuò ſponſam ſuam, participem fecit ſuæ ſapientiæ, pulchritudinis, potentiæ, &c. factáque eſt ſupra modum dives, nobilis, pulchra, &c.

Hic attentè reflectendum ad cogitationes, affectiones,& amoris actus; quibus per univerſam vitam, Regem & Sponſum ſuum, aſſumpta ad thalamum pauperrima Sponſa, de qua ante, proſequeretur: ſimiléſq; in animo noſtro ergaChriſtum affectus excitandi.

Primò. Hæc Sponſa in Regis, Domini ſui oculis,quàm modeſtiſſimè ſe haberet; quidquid reverentiæ poſſet,promptiſſimè exhiberet, verbíſque eum alloqueretur, ſummam humilitatem, ſubjectionem, & circumſpectionem ſpirantibus.

Secundò. Amaret amore integerrimo, tenerrimo & fideliſſimo; nec cum ullo mortalium, hunc amorem divideret; quem enim præter Sponſum ſuum, adeò mirabiliter amantem, amaret?

Tertiò. Si quo morbo Rex Sponſus affligeretur, tenerrimè infirmo compateretur, diu noctúque lecto aſſideret, maximâ ſoler-

tiâ

tiâ invigilaret, & lachrymis difflueret: maximè, si sciret, eam infirmitatem sponte à Domino suo susceptam, ut eam adhuc faceret feliciorem. Ex his collige, quantùm debeas Christo pro te patienti.

Quartò. Si Rex peregrè proficisceretur, solus ille occuparet omnem Sponsæ memoriam & linguam; de nullo cogitaret, de nullo loqueretur, nisi de illo, ardentissimóque desiderio reditum expectaret.

Quintò. Omnes sensus & potentias impenderet, in inveniendis novis & novis mediis, quibus eidem placeret, & ipsâ morte pejus fugeret omne illud, quod Sponso displicere posset, & si, casu aliquo offenderet, præ animi dolore contabesceret.

Sextò. Si occasio, pro illo patiendi, ad manum esset, utrâque manu hanc prensaret, & amplexaretur; felicémque se æstimaret, si effusione sanguinis amorem testari posset.

Septimò. Se totam Regis voluntati & beneplacito committeret, & quæcunque sinè ullâ contradictione promptissimè exequeretur.

Hi omnes affectus attentè ruminandi sunt, & in Christum animæ nostræ Sponsum, modo, quo fieri potest, perfectissimo dirigendi: Inter illum enim & nos, plures, majorísque momenti causæ intercedunt, quæ à nobis illos infinitè pluribus titulis exigunt, quàm prædictus Rex à Sponsâ suâ, quam è tugurio rustico ad regium palatium & thalamum assumpsit.

CAPUT VII.

Quintum motivum ad amorem Christi, est beneficium Creationis & Redemptionis.

Titulo creationis toti ad Deum spectamus.

EX toto corde & ex totâ animâ Deum amare tenemur ob creationem, non solùm, quia per hanc, ut beneficium singulare, ex abysso nihileitatis nos eduxit; sed etiam, quia hoc titulo, quanti, quanti sumus, ipsius sumus. Multis titulis aliquid dicitur possideri, v, g. titulo cessionis, permutationis, donationis, emptionis, &c. Sed nullus titulus liquidior, & magis legitimus est, quàm si quis sibi ipsi aliquid paret. Sic statua à statuario elaborata ad neminem meliori titulo pertinet, quàm ad statuarium, qui dedit ipsi esse, esto nec materia nec forma substantialis statuæ ab artifice proveniat; sed tantùm exterior figura & quædam accidentia: cùm econtra Deus in creatione rerum, & materiam & formam, & accidentia tribuat. *Deus*, dicit S. August. I. Confess. cap. 6. *usque ad ipsum rerum fundum, id est, ultimum atque extremum essentiæ gradum suâ vi & virtute pertingit.* Dei ergo toti sumus, quia nos creavit, & creare per conservationem pergit; Dei sumus modo longè excellentiori quàm aliæ creaturæ, ob modum creationis excellentiorem; formavit enim nos ad similitudinem suam. Optimè ergo dicit S. Laurent. Justinian. lib. de obed. cap. 5. *Clamat innata ratio, ut quisquis se illi subjiciat, à quo habet, ut sit.* Et S. Ber-

Bernard. Tract. de diligendo Deo. *Inexcusabilis est omnis, etiam infidelis, si non diligit Dominum Deum suum, toto corde, totâ animâ, totâ virtute suâ. Clamat nempe intus ei innata, & non ignotâ ratione justitia, quia ex toto se, illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat.*

Nec solùm Dei sumus titulo Creationis, sed etiam Redemptionis, *Non estis vestri, empti enim estis pretio magno*, ait S. Paulus 1. Cor. 6. 20. Ut hunc titulum penetremus, ponderanda est natura & proprietas emptionis, si quis rem quampiam emat, & pretio justo solvat, rei emptæ Dominus efficitur; si emat pretio rei valorem dupliciter excedente, dupliciter rei emptor fit Dominus, & dupliciter ipsius est; si emat pretio centies excedente, centies ipsius est: Cùm ergo Christus nos emerit pretio infinitè digno, laboribus, doloribus, sanguine, passione, morte; quæ omnia infinitè pretiosiora sunt quàm nos; hinc sequitur nos totos quantos infinities Dei esse. Unde meritò S. Bern. Tract. de dilig. Deo ait: *Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro refecto, & refecto hoc modo? in primo opere me mihi dedit; in secundo se, & ubi se dedit me mihi reddidit: datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo tribuam pro se? nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum.* Et iterum serm. 20. in Cant. *Valde mihi amandus est, per quem sum, vivo, & sapio: dignus planè est morte, qui Tibi Domine Jesu recusat vivere.*

Infinito pretio nos Deus sibi comparavit; unde & infinities ipsius sumus.

Hi duo tituli, legitimæ scilicet possessionis & proprietatis, quibus per Creationem & Redemptionem, toti Dei sumus, magni ro-

LIB. I. CAP. VIII.

roboris & energiæ ſunt, maximè conjunctim ſumpti, ad inſtigandum nos, ut corporis animæque vires amori conſecremus.

Revocabat hos duos titulos in mentem S. Epipodius, iiſque ſe animabat inter ſupplicia, quibus in perſecutione Antonini Veri afficiebatur. *Chriſtum*, ajebat, *cum Patre & Spiritu Sancto Deum eſſe confiteor, dignúmque eſt, ut illi animam meam refundam, qui mihi & Creator eſt & Redemptor.* Ita Suri. in actis 22. April.

CAPUT VIII.

Sextum motivum ad amorem Chriſti, eſt expreſſum de diligendo Deo mandatum.

SI abjectiſſimis nobis homuncionibus Deus Opt. Max. ſe diligendi dediſſet licentiam, & ſimul facultatem per amorem hunc comparandi inæſtimabiles theſauros; certè idipſum maxima gratia foret, omne noſtrum meritum excedens. Liquet hoc ex communi hominum agendi modo; moris enim non eſt inter Viros Principes, ut dicant ſubditis (quamvis ejuſdem ſint naturæ ſubditus & Princeps] licentiam do vobis, ut me ametis; ſed: Præcipio vobis, ut in omni ſubjectione & timore mihi ſerviatis. Vel, ſi confidentiùs loqui velint, contingit hæc gratia ſolùm amiciſſimis, & in ſecreto.

Amor Dei in nos colligitur ex mandato,

Quantò Deus melior mundi Principibus! non ſolùm concedit licentiam, ſed & expreſsè jubet, ut ſe amemus, & quidem mandato omnium maximo. Dat nobis hoc mandatum Deu-

Deuter. 6. 5. Matthæi 22. 37. Marc. 12. 30. Luc. 10. 27. his verbis : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tuâ.* vocátque hoc mandatum apud S. Matt. loc. cit. *primum & maximum.* Si servabimus, salvabimur ; si negligamus, damnabimur. Si præcepisset nobis Deus, ut amaremus lapidem, vel rem quampiam abjectam & vilem, decuisset ipsi ùt supremo Domino obtemperare : cùm verò adeò strictè & severè præcipiat, ut se amemus, qui Bonitas, Pulchritudo, & Beatitudo infinita est, hócque modo nos illi uniamus ; idipsum infallibile sui in nos amoris est argumentum ; & hæc gratia validiùs nos Deo obligat, quàm creatus intellectus capere possit. Quare meritò in hæc erumpit suspiria S. August. lib. 1. Confes. cap. 5. *Quid mihi es ? quid Tibi sum ipse, ut amari Te jubeas à me ? & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias ? parvane ipsa est, si non amem Te ?* Certè, si Deus prohibuisset nobis, ne se amaremus; omnem sanguinem ad ultimam usque guttam oporteret effundere, ut nobis ea gratia, & amandi licentia obtingeret, cùm amor res sit adeò sublimis, gloriosa, & utilis. Quia igitur non solùm licentiam, sed & mandatum Dominus dedit ; huic mandato ad literam, ùt nobis intimatum est, obtemperemus : hoc est, amemus eum, *ex toto corde* ; & promptâ voluntate ; *ex totâ mente* ; ex totâ parte superiore, ubi residet intellectus ; *ex totâ animâ* ; ex totâ parte inferiore, ubi passiones & appetitus locum habent ; *ex totis viribus*, quæ vigent in exterioribus corporis mem-

LIB. I. CAP. VIII. *quo nobis jussit, ut se diligamus. Cui mandato parendum. Et quare.*

Quo modo Deus diligendus sit.

LIB. I. CAP. IX.

membris: itá ut Voluntas cum ſuis affectionibus; Intellectus cum ſuis cogitationibus & ſcientiis; Appetitus cum omnibus motibus; corpus cum omnibus membris, amori Divino conſecrentur, eoque occupentur; ſintque omnes & ſingulæ naturæ & eſſentiæ noſtræ partes, amoris Divini ſedes; in quibus ſummâ cum authoritate & poteſtate, Regina Caritas reſideat & dominetur. Itá ut aures nihil audiant, lingua nihil loquatur, manus nihil attingant; cæteraque corporis membra & animæ potentiæ nil operentur, niſi juxta dictamen & imperium dominantis Amoris.

CAPUT IX.

Septimum motivum ad amorem Chriſti, deſumitur ex veſano hominum amore, quo unus alterum ſæpe amat: ex quo deducitur Chriſtum præ omnibus amandum.

Amor in creaturas, ſæpe etiam fœdas, manuducere debet ad amorem Dei.

TAm ex ſacris Literis, quàm profanis hiſtoriis liquet, quòd amor, quo unus homo alium interdum proſecutus eſt, fuerit omnino admirabilis, & ſupra omnem modum vehemens. Quàm non intensè amavit Jacob Rachelem? Geneſ. 19. Quàm inſano amore in Thamar ſororem ſuam ferebatur Regius Princeps Amnon? 2. Reg. 13. Similia multa adduci poſſent fatui amoris exempla; ſed de his melius eſt, ſilere quàm loqui. Sœpe eouſque carnaliter amans deſipit, ut ſpretis conſanguineorum imò parentum lachry-

chrymis perſonam amet fœdam,& nulla virtute inſignem, nec curet, quod ab omnibus irrideatur, vel etiam exhæredetur; imò totius mundi favorem reſpuet, dummodo perſonæ adeò fœdæ reciprocum amorem obtinere poſſit. Si ergo homo adeò intensè amet ſordes, quomodo continere ſe poterit, ut non amet Chriſtum pulchritudinem ipſam & Bonum infinitum? Differentia inter amorem Chriſti & amorem creaturarum tanta eſt, ut hominem ſanæ mentis acriter ſtimulare poſſit, ut poſito amore creaturarum, ambabus ulnis Dei amorem amplectatur. Unam alterámve differentiam adducemus, ex quibus modo dicta clariùs patebunt.

In amore creaturarum mera inquietudo.

Differentia prima eſt, quòd in amore creaturarum, nil niſi tædia, moleſtiæ, difficultates, amaritudines, dolus; quæ omnia proveniunt tam ex naturâ rei, quàm ex ſingulari & juſto Dei Judicio. Cum enim homo creatus non ſit, ad amandum bonum aliquod creatum, ſed increatum; hinc juſtiſſimâ Dei diſpoſitione ordinatum eſt, ut requiem in ejus amore non inveniat, ad quod amandum creatus non eſt; *Vadam poſt amatores meos*, dicit apud Proph. Oſeam. cap. 2. 5. cor amore creaturarum occupatum. Sed fruſtra; audi enim quod Deus regerit: *Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos, & non inveniet: & dicet: Vadam & revertar ad virum meum priorem; quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc.* Fit interdum ut quis guttulam mellis ex amore creaturarum extremis labris prægustet, ſed mox integro mari fellis amaricatur, hancque momenta-

LIB. I. CAP. IX.

neam dulcedinem integrum agmen tristitiæ, Zelotypiæ, tædii & angoris consequitur. E-contra in amore Christi omnia reperiuntur contraria. Gusta, & fateberis.

Amor creaturarum molestiis plenus est.

Secunda differentia; Quòd amans ob amatam creaturam, plurimas, non rarò subeat molestias, de quibus amato nihil constat. Tu habitas hic, amatus alibi, & fortè in loco à te valde dissito: tuos amoris affectus non advertit, suspiria non audit, gressus non numerat, sollicitudines non pensat; & quia hæc omnia amatum latent, nec gaudium inde sentit, nec amoris in se tui securus reddi potest; quod ipsum tamen amanti magno solet esse dolori. His omnibus liber est, qui Christum amat, videt enim & numerat ille omnes cordis gemitus, omnes cogitationes, omnes gressus; nec potest non eorum recordari & iisdem se oblectare: quod debet amanti, magno ad amandum esse stimulo.

Amor creaturarum fallax est.

Tertia. Quòd is, quem tu amas, non adeò purè te fortassis redamet, licet tibi blandissimo vultu, suavissimis verbis & gestibus suum in te amorem testetur; certus interim esse non potes, quòd te syncerè & ex corde amet. Nam, ùt ait Proph. Jerem. cap. 17. 9. *Pravum est cor hominis & inscrutabile.* Et quomodo scies, an non omnia, quæ tibi exhibet amoris indicia, in proprium suum commodum velit detorquere? Esto tandem, quòd certus sis, te ab amato redamari; dubius adhuc esse potes, an amore adeò puro, adeò tenero amet te, ùt tu ipsum. Non ità res se habet in amore Christi, certissimi enim de illius amore sumus, quòdque nos infinitè in-

ten-

tensius amet, quàm amare possimus nos ipsos.

Quarta. Amorem creaturarum maximè amaricat separatio & absentia; quantumcunque alter alterum in mundo amat, cohabitare semper non possunt, nec alter alteri semper potest adesse, cùm innumera occurrant obstacula, quæ vetant, quò minùs alter alterius consortio semper frui possit; nec, quamdiu mundus stetit, amantium par fuit, quod per præsentiam non interruptam cohabitare sibi potuit. Et tandem mors amoris nexum violenter cum maximo amantium mœrore disrumpit. Fatendum igitur est, amicitiæ pestem esse separationem & absentiam, nam per hanc amor incipit languere; & tandem omnino deficit, ùt docet quotidiana experientia. Hac amoris peste caret amor Christi; quia enim Deus ubique præsens est, ubique nobis adest; imò ipse in nobis & nos in ipso, ità quidem ut ab illo, nullo possimus modo separari.

LIB. I. CAP. IX. SECT. UN. *Amor creaturarum inconstans est.*

SECTIO UNICA.

Unde oriatur, quòd validiùs creaturas, quàm Deum amemus. Item responsio ad objectionem quæ moveri posset.

Regius Propheta David considerans, quàm ardenter homo hominem, & quàm frigidè econtra Deum amet, rei indignitate motus exclamat ps. 72. *Quid mihi est in cælo? & à Te quid volui super terram?* Quibus verbis se ipsum arguit, quòd tam serò Deum ama-

LIB. I. CAP. IX. SECT. UN.

amare inceperit, q. d. Quàm fatuè ad creaturarum amorem olim abstractus & illectus fui: modò autem re probè cognitâ resolvi spretis creaturis solum Deum amare. Quòd antehac adeò cœcus fuerim, causa fuit, quia nihil pulchriùs creaturis menti occurrebat: postquam verò Dei pulchritudinem, & bonitatem, quámque honestum, suave, & utile sit, Deum amare, cognovi, amorem in creaturas deposui & abominatus sum, solúmque eò collimo, ut amem ex toto corde meo solum Deum meum.

Quare homo res creatas magni faciat.

Puer in tenebris natus & educatus, amat tenebras, illas æstimat, & sibi in iis complacet; at viso Sole, Lunâ, Stellis; tenebras damnat, quódque eas antè æstimaverit, causam dicit, quia de luce nihil constitit; sic & homo terrenis immersus, de Deo nunquam cogitans, mundi hujus bona in magno habet pretio, cùm tamen omnia vanitas, omnia afflictio spiritûs; Quæ mali hujus causa? Non intelligit quæ sursum sunt, lucem putat tenebras, & tenebras lucem. Itâ damnabat erroneum suum de mundi felicitate judicium Propheta David, quo antea, ex ignorantiâ melioris, sibi ipsi fucum fecerat; candidè asserens, se, amando creaturas, jumento similem fuisse. *Ut jumentum factus sum apud te*, ps. 73. hoc est, ùt explicat S. August. *quasi pecus factus est, amando terrena.*

S. Thomas Aquinas, Opusc. 61. c. 13. dicit, animam nostram positam esse inter duo, quæ inter se infinitè differunt; hoc est, creatorem & creaturam, allegátque in hanc rem verba S. Augustini memoratu dignissima.

ma. *Anima mea inter Deum & creaturas posita, conversione ad Deum illuminatur, melioratur & perficitur; conversione ad creaturas obtenebratur, deterioratur, corrumpitur.* Si ergo ad amorem suî cor hominis trahere possit mundus fallax, & fallacia mundi bona; quam indigna res est, quòd in amore Dei, summi & veri Boni nostri adeo torpeamus, & instar adamantis induruerimus! *Filii hominum usquequo gravi corde, ùt quid diligitis vanitatem & quaeritis mendacium?* ps. 4. sit tandem finis injuriæ, quam Christo irrogamus, illum creaturis & mendaciis postponendo. Amemus saltem æternam Veritatem adeò intensè, ùt amavimus mendacium.

LIB. I. CAP. IX. SECT. UN.

At dicis: Mirum nemini videri debet, quòd creaturas amem: sensibus eas percipio, & exteriori splendore mentem ad se trahunt. Ut ùt videatur hæc objectio magni roboris; debilis nihilominus est, nec excusationi servire poterit. Annon puer ex utero matris cœcus & surdus natus, tenebitur amare parentes, licèt eos non videat? utique; quia enim cœcitas & surditas naturam non ademit, manet in eo naturalis instinctus & inclinatio illos amandi, à quibus vitam accepit. S. August. lib. 5. hom. 38. hanc objectionem dudum solvit. *Dicturus es mihi: Deum non video, quomodo sum amaturus quem non video? Ecce amas amicum, quid in illo amas? senex homo est, quid amas in sene? incurvum corpus, album caput, rugas in fronte, contractam maxillam. Responsurus es mihi: Homo fidelis est: ergo fidem amas? si fidem amas; quibus oculis videtur fides, ipsis oculis videtur Deus.* Ut res hæc clariùs elucide-

Quorundam objectio quare difficile iis sit, Deum amare: ejusque solutio.

LIB. I. CAP. IX. SECT. UN.

tur: Ponamus inter longè dissitos Indos virum magni animi & perillustris Familiæ audivisse casu nautas ex his partibus ibi confluentes de te verba facere, & virum hunc ex discursu illo singulari in te affectu ferri; utque affectum hunc testetur, sœpius in statum tuum, dispositionem, & vitam inquirere, annuè optima quæque ex his remotis terris ad necessitatem, utilitatem, imò voluptatem tuam huc destinare. Edic, nunquid illum amabis? essetne homo sub sole, qui non amaret hunc benefactorem? Et tamen nemo dicet, amorem hunc nasci ex eo, quòd alter alterum videat. Cur ergo non amabimus Deum, licèt non videamus, qui omni momento novis & novis beneficiis non cessat nos cumulare.

Potissima causa ob quam in amore Dei langueamus.

Causa igitur nostri in amando Deo teporis, non est, quòd eum non videamus, sed quòd incitamenta & causas, quæ ad amorem ejus inflammare nos possunt, non ruminemus, & internas de amore inspirationes negligamus. Accedit, quòd res exigui meriti foret, si Deum, non nisi mediante visione amaremus; nam perfectiones ejus adeò excellentes, pulchritudo adeò exquisita est, ut clarè visus, non possit non amari amore perfectissimo. Vera laus & perfectio vitæ nostræ in eo consistit, ut ipsum absentem, nostrísque oculis absconditum amemus, & in spiritu nos cum illo uniamus.

CA-

CAPUT X.

Octavum ad amorem solius Dei motivum est, mundi & bonorum illius vanitas, quæ non satiant, nec cor quietant.

Quænam bona mundus præstet suis amatoribus.

UT cor, animúmque nostrum à creaturis ad solius Dei amorem transferamus; Juvabit, earum vanitatem, & merum nihilum attentiùs examinare. Quid ergò est, quod suis amatoribus mundus rependit? quam dat mercedem sibi servientibus? Nihil aliud quàm, vel opes, vel dignitates, vel voluptates. Et quid hæc? Sunt *primò* inane somnium: *Turbati sunt omnes insipientes corde*, ait Proph. David. ps. 75. 6. *dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Item psal. 72. 20. *Velut somnium surgentium Domine, in civitate tuâ imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Omnes istæ felicitates*, ait S. August. *quæ videntur sæculi, somnia sunt dormientium.* Causam addit. *Quomodo qui videt thesauros in somnis, dormiens dives est; sed evigilabit, & pauper erit: sic omnia ista vana hujus sæculi, de quibus homines gaudent, in somno gaudent: evigilabunt, & invenient, somnia illa fuisse & transiisse; sicut dicit scriptura: velut somnium surgentium.* Secundò. Bona mundi, sunt mera umbra. *Quid nobis profuit superbia*, lamentantur damnati, Sap. 5. *aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt illa omnia tanquam umbra.* Vocantur umbra; quia sicut umbra, non est res ipsa, cujus umbra est, sed solùm rudis rei delineatio; sic mundi

Vanitas bonorum terrenorum, quæ sunt mera somnia.

Sunt umbra.

LIB. I. CAP. X.

bona, non sunt vera bona, sed rudis bonorum figura. *In imagine*, ait David. psal. 38. *pertransit homo*, vel, ùt alii vertunt, *in umbrâ*; & his umbris delectatur cœcus homo, qui vera bona non cognoscit. *Tertiò*. Mundi bona, sunt vilia & abjecta, quod vel ex hoc colligere licèt, quòd plurimam eorum partem possideant Dei inimici & peccatores. Nunquid meritò quis credet Regem nihili æstimare illud, quod dat suis inimicis? Certè Deus bonorum mundi vilitatem clariùs demonstrare non posset, quàm quòd ea, in maximâ copiâ, elargiatur suis inimicis, Hæreticis, Turcis, Judæis, qui nomen ejus continuò blasphemant, utique non daturus, si quid grande sub iis lateret, posséntque verè & solidè beatum reddere possessorem. Ex hoc capite bonorum sæculi vanitatem & vilitatem agnovit Ethnicus Seneca, Lib. de Providentiâ, scribens: *Nullo modo magìs potest Deus concupita traducere, quàm si illos ad turpissimos defert, ab optimis abigit.* *Quartò*. Mundi bona non satiant, nec hominis cor quietant. *Quidquid hic nobis providerimus ad refectionem, illic rursus invenimus defectionem* ait S. August. in psal. 84. Ratio in promptu est, quia bona hujus mundi sunt materialia & corporalia; anima verò purus Spiritus & imago Dei, quæ nullo alio bono felix & beata esse potest, quàm fruitione sui Conditoris, ad cujus imaginem formata est. Deinde hæc bona sunt transitoria, anima nostra æterna & immortalis; sunt intra certos terminos constricta & facilè finem habent, anima verò bonorum infinitorum capax, æquè minùs, ut ait

Sunt abjecta & vilia;
Et quare.

Bona mundi non satiant;
Et quare.

S.Ger-

S. Gerhardus, satiari potest bonis hujus sæculi, quàm corpus vento.

LIB. I. CAP. X. Vanitas bonorum temporalium testimonio Salomonis probatur.

Rex Salomon, ùt ipse cap. 1. Eccles. fatetur, non prohibuit cor suum quin omni voluptate frueretur; quidquid desiderare poterant oculi, non negavit eis; sed satiatus non fuit. *Vanitas vanitatum*, ait loc. cit. *dixit Ecclesiastes; vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Hebraicum verbum, quo Salomon utitur ad mundanarum rerum vanitatem declarandã, maximæ est emphasis, ùt notat Pineda hîc, habétque multiplicem sensum; significat enim rem, quæ citiùs evanescit, quàm manus vertatur; rem inanem, rem excavatam, rem tantùm apparenter pulchram, rem per quam nunquam consequemur, quod assequi cupimus; item, guttam mellis plurimo felle mistam. Huic Sapientissimo Regi in hoc puncto optimè credi potest; abundavit enim divitiis, voluptatibus, honoribus, ùt nemo ante illum, vel post illum abundabit; & tamen in omnibus nec requiem nec satietatem invenit: desierunt omnia, in tædia, in angores & tribulationes. Et esto bona hæc satiarent, vel ex hoc tamen capite parvi facienda, quòd tam citò fugiant. *Quamvis humana gaudia*, ait S. August. de catechizand. rud. cap. 17. *gaudia non sint, gaudia tamen qualiacunque sint, & quantumlibet delectent, aufert omnia ista una febricula & remanet inanis & saucia conscientia.* Præclarum est, quod in hanc rem Paulino scribit Seneca de brevitate vitæ cap. 16. *Ipsa voluptates eorum trepidæ, & variis terroribus inquietæ sunt, subitque cùm maximè exultantes sollicita cogitatio: Hæc quamdiù? ab hoc effectu Reges*

LIB. I. CAP. XI.

ges suam flevere potentiam, nec illos magnitudo fortunæ suæ declaravit; sed futurus aliquando finis exterruit. Duo ista vocabula: *Hæc quamdiu*; mundanorum cor horrendum in modum lancinant, omnémque dulcedinem felle miscent.

Bona terrena possessorem depravant, & hinc vel maximè contemnenda.

Denique bona hæc terrena non merentur nomen Bonorum; si enim bona essent, bonum deberent reddere possessorem, sed fit ordinariè contrarium; faciunt enim hominem superbum, arrogantem, avarum, luxuriosum, crudelem: rara enim est avis in terris, inter honores humilitas, inter voluptates & delicias animæ puritas. Audi ergo S. Bernard. Epist. 103. & fatuum rerum mundanarum splendorem contemne. *Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine ea sequi, quæ & assequi miserum est. Beatus qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant: annon ea satiùs cum honore spernis, quàm cum dolore perdis? annon ea prudentiùs Christi cedis amori, quàm morti?*

CAPUT XI.

Nonum ad amorem motivum, est ipsa Amoris excellentia.

Variæ viæ, quibus itur ad Deum.

SIcut multis, iísque diversis viis, itur ad unam eandémque civitatem, sic & multis variísque viis itur ad Deum: itur ad eum viâ Fidei; qua ivit Abraham: itur via Obedientiæ; qua ivit Isaac: itur viâ Patientiæ, qua ivit S. Job. Viâ Fortitudinis; qua iverunt tot millia Martyrum. Viâ Orationis & Mortificationis; qua iverunt Anachoritæ; Viâ Casti-

tatis; qua Virgines. Sed nulla via securior, quàm via Amoris. Hæc est illa via, quam suis monstravit Corinthiis S.Paul. I.Cor. 12. 28. quámque vocat *excellentiorem*, dicens: Adhuc *excellentiorem vobis viam demonstro.* Cassianus ex Græco reddit: *Excellentiorem supra modum viam:* Viam scilicet Amoris, quâ directiùs, ùt ait S. Thom. in loc. cit. itur ad Deum. Unde optimè ait Idiota Contempl. cap. 17. *Vera dilectio benignissime Domine Jesu Christe, qui es merces amoris, est via rectissime veniendi ad Te, nec opus est aliquâ aliâ virtute, sed solùm amore & dilectione; via rectissima absque devio; via brevis absque tædio; via plana absq; tumulo; via secura absque periculo; via jucunda cum bono socio; scilicet cum Te, Domine Amantissimo Duce.* Ad hanc veritatem magìs elucidandam, adducentur quædam amoris excellentiæ, quarum

LIB. I. CAP. XI. *Via Amoris, securissima.*

Prima est; Quòd Caritas omnium virtutum præstantissima & perfectissima sit; Nulla enim virtus, etiam inter Theologicas, ita Deum attingit ùt Caritas. *Nunc autem,* ait S. Paul. I. Cor. 13. 13. *manent Fides, Spes, Caritas tria hæc, major autem horum est Caritas.* Rationem dat S. Thom. 2. 2. q. 23. art. 6. *Fides & spes attingunt quidem Deum, secundùm quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni, sed Caritas attingit ipsum, ùt in ipso sistat, non ùt ex eo nobis aliquid proveniat.* Jure itaque optimo Caritas vocatur Regina Virtutum, non solùm quia excellentior est aliis virtutibus; sed etiam, quia aliæ virtutes velut pedissequæ eandem sequuntur, ei inservientes; tantámque in alias virtutes dominium

Prima Caritatis excellentia quod sit virtus præcipua.

LIB. I. CAP. XI.

minium exercet, ut actus illis proprios ex motivo & impulsu suo, hoc est, ex amore Dei & ad illius gloriam, exercere debeant. Hoc imperium se ad totum hominem, ad intellectum, ad voluntatem, ad in- & externas potentias, & ad omnes corporis sensus, extendit, & ità in hoc, parvo licèt, præstantissimo tamen regno absolutè Regina Caritas juxta divinæ voluntatis, ùt supremæ legis exigentiam & beneplacitum, dominatur.

Secunda, quod sit virtutum forma.

Secunda excellentia est, quòd Caritas aliarum virtutum forma & anima sit, ùt docet S. Thom. 2. 2. quæst. 23. art. ult. unde sinè Caritate nulla virtus, vel animata, vel informata dici potest. Sicut enim anima per præsentiam suam dat corpori vitam, vigorémque naturalem, ut operationes suas exerceat; oculis, ut videant; auribus, ut audiant, &c. ità etiam habet se Caritas respectu aliarum virtutum, à quâ habent vitam, pulchritudinem, robur, meritum, &c. Rem optimè declarat S. Paul. 1. cor. 13. *Etiamsi linguis hominum loquar & Angelorum*, &c. *Si Caritatem non habuero nihil sum.* Hunc locum S. August. considerans, ait de verbis Domini secundùm Joannem: *Ecce venitur ad passionem, ecce venitur ad sanguinis effusionem, venitur ad corporum incensionem; & tamen nihil prodest, quia Caritas deest: adde Caritatem, prosunt omnia; detrahe Caritatem, nihil prosunt cætera. Quale bonum est Caritas ista Fratres? quid pretiosius? quid luminosius? quid firmius? quid utilius? quid securius?*

Tertia, quod in eâ sita sit no-

Tertia: quòd omnis nostra perfectio in Caritate consistat. *Caritas*, ait S. Aug. lib. de Nat. & Grat. c. 42. *est verissima, plenissima, perfectissi-*

fectissimaque justitia; *Caritas inchoata, inchoata justitia est*; *Caritas provecta, provecta justitia est*; *Caritas magna, magna justitia est. Caritas perfecta*; *perfecta justitia est.* Idem docet S. Bernard. sermon. 27. in Cant. *Qualitas cujuscunque animæ æstimatur de mensurâ Caritatis quam habet, ut, verbi gratiâ, quæ multùm habet Caritatis, magna sit*; *quæ parum, parva*; *quæ verò nihil, nihil*; *dicente Paulo: si Caritatem non habuero, nihil sum.* Manet ergo ex mente Doctorum certissimum, perfectionem magìs in Caritate, quàm in ullâ aliâ virtute, consistere, imò magìs in Caritate, quàm in ipsa gratiâ sanctificante; cujus officium non est, animam ad supernaturalium virtutum actus impellere, sed tantùm eos ornare, & pulchritudinem supernaturalem impertire. Sola Caritas est, quæ hominem aptum & capacem reddit, ad exercendum talia opera, quibuscum se Deo uniat. Unde à S. Paul. Coloss. 3. 24. vocatur; *Vinculum perfectionis.*

...stra perfectio.

Differentia inter Caritatem & gratiam sanctificantem.

Quarta; Caritas in suis operationibus plùs voluptatis habet, quàm aliæ virtutes. *Unumquodque, in quantùm amatur, efficitur delectabile, eò quod amor est quadam unio & connaturalitas amantis ad amatum*, ùt ait S. Thom. 1. 2. q. 31. art. 6. sicut lapis suam habet gravitatem, ut feratur deorsum, & ignis levitatem, ut sursum; sic se habet amor in homine: quemadmodum enim unumquodque elementum ad locum à naturâ sibi destinatum tendit facilè, &, ità loquendo, cum voluptate; ità & amans cum gaudio, gustu, & delectatione, ut in centrum suum fertur in amatum; sperat enim se ibidem cupito bono &

Quarta Caritatis excellentia, quòd voluptate amantem afficiat.

LIB. I. CAP. XI.

quiete fruiturum, & licèt amanti, ut amato potiatur, nonnihil laboris & molestiæ subeundum, (cùm revera aliter esse non possit; nam, ùt quidam ex antiquis ait: *Militiæ species amor est*) amor tamen omnia dulcorat. *Verus amor*, ait S. August. de perfect. *non sentit amaritudinem sed dulcedinem. Perfecta Caritas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam levem, non solùm non premente onere ponderum, verùm etiam sublevante vice pennarum.* Consentit S. Bern. serm. 85. in Cant. *Ubi amor est, labor non est. Fateor non sustinui pondus diei & æstûs, sed jugum suave & onus leve, pro beneplacito Patris familias porto; onus meum vix unius horæ, & si plùs, præ amore non sentio.*

Quinta, quòd præ reliquis virtutibus amor fortis sit.

Quinta excellentia est, quòd amor majoris sit fortitudinis, majorumque virium quàm aliæ virtutes; unde comparatur igni, qui inter omnia elementa, vivacissimas, & vehementissimas exercet operationes. *Nihil est tam durum atque ferreum*, ait S. August. *quod non amoris igne vincatur.* Potentissimum adeò Deum amor superavit. *Triumphat de Deo amor*, ùt bene advertit S. Bern. serm. 64. in Cant. imò tanti roboris amor est, ut vires addat debilibus, timidos reddat audaces & generosos. Videre idipsum adeò est, in infirmis animalibus rationi carentibus. Quid debilius gallinâ? hæc tamen, si exclusis ovis pullos suos videat, & maternus amor eam occupet; strictos enses non metuit, & in armatum gigantem involabit. Si hæc possit amor naturalis, quid poterit supernaturalis? stupenda sunt quæ fecerunt Martyres, aliique innumeri Sancti hoc amoris igne succensi.

Sex-

Sexta. Quòd ipse Deus voluerit nomine *Caritatis* appellari. *Deus Caritas est*, Joann. c. 1. In quem locum S. August. sic commentatur Tract. 7. in Epist. 1. Joann. *Quid ampliùs dici potuit Fratres? si nihil de laude dilectionis diceretur per omnes istas paginas hujus Epistolæ, si nihil omnino per cæteras paginas Scripturarum, & hoc solùm unum audiremus de voce Spiritûs Dei, quia Deus dilectio est; nihil ampliùs quærere debemus.* Et alio in loco Tract. 9. in Ep. 1. Joan. *Nescio utrum magnificentiùs nobis Caritas commendari possit, quàm ut diceretur: Deus Caritas est. Brevis laus & magna laus; brevis in sermone, & magna in intellectu: quàm citò dicitur: Deus dilectio est: & hoc breve est; si numeres, unum est; si appendas, quantum est!*

LIB. I. CAP. XI. *Sexta, quia Caritas nomen Dei est.*

Si ergo tantis amor prærogativis gaudeat, præ aliis virtutibus; sequamur Apostolum ad Ephes. 5. monentem: *Ambulate in dilectione.* Hac viâ certo certiùs ducemur ad Deum. *In Deum tendimus*, ex mente S. August. Epis. 52. ad Maced. *non ambulando, sed amando, quem tanto habebimus præsentiorem, quantò eundem amorem, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem, ad eum ergo, qui ubique præsens est, non pedibus ire licet, sed moribus; mores autem nostri, non ex eo, quod quisque novit, sed ex eo, quod quisque diligit, dijudicari solent: nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores.*

Amoris excellentiæ ad amandum impellere nos debent.

Si ex amoris igne ferveamus, omnia nostra peccata omnesque imperfectiones eo absumentur, animamque purissimam efficient; non secus ac agrum tribulis & rubis purgat accensus rogus. Duplici modo Zizania & vepres ex agris tolluntur; uno, si ad-

Ut ignis ex agris tollit Zizania, sic amor tollit ex cordi-

LIB. I. CAP. XI.

bus peccata & vitia.

hibitis ligonibus evellantur; altero, si igne absumantur. Primus modus difficilis est, & laboriosus; alter facilis & securus; nam ignis secundo vento impulsus non tantùm brevi tempore agrum purgat, sed & per relictos cineres fœcundat. Pari modo ager animæ nostræ pravis habitibus, peccatis & defectibus purgari potest, vel securi & ligone mortificationis; vel igne Amoris. Modus primus tardus & laboriosus, alius facilis & agilis, consumens omnia, quæ animam deturpant, & sine longâ morâ ad perfectionem deducens. Animarum Sanctificationes, quæ mediante amoris igne contigerunt, perfectissimæ semper fuerunt. Quod insinuat Propheta Isaias c. 10. 17. dicens. *Erit Lumen Israel in igne & sanctus ejus in flamma, & succendetur & devorabitur spina ejus & vepres in die unâ.* Corripiamur hoc Sancto igne, ut sanctificemur; ignis hic nihil consumet, nisi quod divinæ Majestatis oculis ingratum est. Excusationem, si non amemus, non habemus. Si non possimus Eleemosynas dare; prolixas orationes fundere, graves mortificationes subire: Amemus. Amare quilibet potest, esto sit pauper, debilis, delicatulus, &c. Optimè hac de re disserit Idiota Contemplat. c. 22. *Quarè benignissime Domine Jesu Christe, scio quod tunc facile est diligere Te, quòd ex hoc corpus non affligitur, pes non pungitur, caput non dolet, venter non læditur, lingua non vexatur, crumena non evacuatur; quia dilectio propriè consistit in anima; & inde sequitur, quod, qui amat, non laborat.*

Nemo excusare se potest, quòd amare non possit.

Motiva, quæ hucusque adduximus, sedu-

lò

lò & seriò ruminata ad amorem facilè excitabunt; &, si amaverimus, erit gratia Dei nobiscum; erit, ùt promittit nobis S. Paul. in Epist. ad Ephes. 6. *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in corruptione, Amen.*

LIB. II. CAP. I.

LIBER SECUNDUS De actuali Amoris exercitio.

CAPUT PRIMUM. *Instructio pro sequenti Tractatu.*

UT rectè intelligantur, & debitè practicentur ea, quæ per decursum hujus, & sequentium librorum tractabuntur, necessariò sciendum est.

In quo consistat perfectio nostra.

Primò. Perfectionem nostram consistere in unione cum Deo, non solùm hic in terris in statu gratiæ, sed etiam in Cœlis, in statu gloriæ. *Qui elongant se à Te, peribunt*, dicit Psalmista David Ps. 72. S. August. rem hanc elucidat serm. 17. de verb. Apost. cap. 7. his verbis: *Dicebat Epicurus, mihi, frui carne bonum est: dicebat Stoicus, mihi frui meâ mente bonum est: dicebat Apostolus, mihi autem adhærere Deo bonum est.* Et quidni adhærere Deo bonum esset? qui enim adhæret Domino, unus spiritus est; spiritus bonus, spiritus sapiens, nobilis, purus, &c. qui adhærentem infinitarum perfectionum ad mensuram unionis participem facit. Hæc unio explicari meliùs non

Unio cum

 potest,

LIB. II. CAP. I.

Deo, in qua perfectio nostra consistit, per similitudinem explicatur.

potest, quàm per similitudinem amplexûs: ut aliquem amplectamur seu brachiis stringamus, tria requiruntur: primò, præsentia ejus, quem amplectimur; secundò brachia; tertiò motus & extensio brachiorum ad amplexandum; esto enim persona præsens sit, & duo habeantur brachia; amplexus tamen ex his duobus non fiet, sed & brachia movenda, extendenda, & in amplexum aptanda. Hæc tria reperiuntur etiam in unione cum Deo. Primò, Dei præsentia, quæ ubique est; Secundò, duo brachia; quæ sunt duæ animæ potentiæ, Intellectus & Voluntas: sed per hæc necdum habetur unio cum Deo; quæ ut fiat, duo hæc brachia, Intellectus & Voluntas, movenda, elevanda, & in amplexum extendenda, quod fit mediantibus actibus Fidei, Spei, Charitatis, aliarumque virtutum, per quas anima se in altum elibrat, Deum amplexatur & illi se conjungit. Ubi notandum, in hac unione in memoriam revocari posse, vel omnes simul, vel aliquas seorsim Dei perfectiones. Alio enim modo quis Deum amplexatur, si eidem se uniat ùt summo Bono; alio modo, si se uniat ùt summæ Sapientiæ, Potentiæ, Misericordiæ, &c.

In actuali virtutum exercitio perfectio sita est.

Secundò. Sciendum est, Perfectionem non esse sitam in virtutibus, sed in actuali virtutum exercitio; quia Potentiæ finalem suam perfectionem non habent à virtutibus, quas possident, sed ab illarum exercitio & praxi: siquidem ipsa virtutum natura eò collimat, ut in praxin redigantur. Certumque est, hominem non dici statim virtuosum ex eo, quod ipsius animæ potentiis de virtutibus

pro-

provisum sit, & possit sanctè vivere; sed si actu virtutes exerceat, & actu sanctè vivat. Sic olim in ludis olympicis non accipiebant bravium fortissimi & celerrimi, sed qui actu fortissimè cum aliis dimicaverant, & actu celerrimè currendo alios prævenerant. Virtutes potentiis animæ inhærentes sunt similes gladio in vaginâ recondito; ad quid hic gladius, si occasione ità exigenre non stringatur?

Actiones minimæ quomodo maximâ perfectione peragendæ.

Tertiò. Quòd non obiter actus virtutum exercendi, sed modo optimo & perfectissimo v. g. Deus adeò intensè amandus, ùt amant in amore succensi Seraphini. Per actiones minimas v.g. ictus oculorum, gressus pedum, talis Deo exhibendus honor, qualem exhibebunt in omnem æternitatem omnes Angeli, homines, & aliæ omnes creaturæ; imò qualẽ exhibituri essent, si infinitè plures mundi crearentur. Desideria concipienda, v. g. si facultas esset, pascendi omnes pauperes, omnem injuriam ferendi, omnes peccatores convertendi, &c. Ardens proinde desiderium tempore matutino excitandum, se exercendi per diem in profundissimâ humilitate, summâ obedientiâ, patientiâ, modestiâ, recollectione, &c. Utebatur hoc modo S. Franciscus Seraph. de quo scribit S. Bonaventura: *Proponebat Christo Duce se facturum ingentia.*

CAPUT II.

De Amore complacentiæ, & variis Amoris speciebus.

Varia Amoris species.

AMare, secundùm Aristotelem, cui omnes consentiunt, nihil aliud est, quàm

LIB. II. CAP. II.

ſinè proprio commodo, alicui bene velle. Cùm ergo hoc variis modis fieri poſſit, ſic & dantur diverſæ Amoris ſpecies. Si amans in amato boni aliquid videat, gaudet; & in amati bono, ùt ſuo, ſibi complacet; eſt *Amor Complacentiæ*. Si Amans amato non ſolùm ea bona, quæ actu habet, favet; ſed & deſiderat, ut iis, quæ necdum poſſidet, potiatur; eſt *Amor Benevolentiæ*. Si præterea amans ad amatum aſpirat, unicéque optat, ſe cum dilecto unire; eſt *Amor Aſpirans*. Si Amans amatum omnibus bonis anteponit, & mavult omnium bonorum jacturam facere, quàm dilectum offendere; eſt *Amor Appretiativus*, *ſeu Præferentiæ*. Si autem contingat, quòd vel minimam dilecto inferat injuriam, ſummè dolet, currit ad eum gemens & lacrymans, humiliter remiſſionem petens, ſerióque proponens nunquam ſe repetiturum id, quo offendit; eſt *Amor Doloroſus* ſeu Contritio. De omnibus his ſeparatim agetur, eorúmque actus afferentur.

Amor Complacentiæ in quo conſiſtat.

Quoad Amorem Complacentiæ ſciendum eſt, actuale illius exercitium conſiſtere in eo, ut gaudeamus & complaceamus nobis in infinitis Dei perfectionibus, & omnibus iis, quæ poſſidet; non ſecus ac ſi nos ipſi iiſdem bonis frueremur; imò intenſiùs gaudendum, quòd ipſe, quàm quòd nos ea poſſideamus. Hæc eſt vera ſynceri amoris nota, quando amans bono proprio ſe privat, & dat amato: erítque eò majus gaudium de amati bonis, quò major eſt dilectio. Elici actus Amoris Complacentiæ poſſunt hoc vel ſimili modo.

Pri-

Actus amoris Complacentiæ.

Primò. *Toto corde & animo, tantâ perfectione, quantâ ab omnibus creaturis fieri potest, excito infinitæ Amoris Complacentiæ actus erga Te ô Deus meus, Deus gloriæ & majestatis, Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Sancta & Individua Trinitas, propter omne id, quod Tu es, quod Tu habes, quod Tu possides.*

Secundò. *Gaudeo mi Deus ex toto corde meo, quòd ego nihil sim, ut Tu sis omnia: Quod ego sim deformitas; ut Tu sis Pulchritudo: Ego ignorantia; Tu Sapientia: ego tenebræ; Tu Lux: ego paupertas; Tu Opulentia. Plùs dico & magno animo profero: Sicut exulto, quòd ex amore Tuî sim adeò miser & miserabilis; sic ex toto corde Te rogo, & obtestor, ut Essentiam tuam meo nihilo unias, & me in Te, & per Te magnum efficias; meam deformitatem ornet tua Pulchritudo; Tua Lux meas tenebras; Tua Fortitudo meam solidet debilitatem; Tua Beatitudo meæ succurrat miseriæ.*

Quid circa actus amoris observandum.

Dum similes amoris actus eliciuntur, tria veniunt notanda. *Primò*, quòd actus hi Deo offerendi sint in unione omnium Amoris actuum, quos unquam Angeli, Beatissima Virgo, imò Christus ipse elicuerunt, vel elicient in omnem æternitatem. *Secundò*, petendum, ut nostri actus Amoris, quos elicimus, habeant eandem perfectionem, qui vel unquam perfectissimè eliciti sunt, eliciuntur, & unquam elicientur. *Tertiò*, ad hoc, ut defectus nostrorum amoris actuum suppleatur, Deo offerendus infinitus actus Amoris Complacentiæ, quo sibi ipsi ab æterno in bonis suis complacuit, & ob ea benedicendus & glorificandus est.

LIB. II.
CAP. III.

CAPUT III.

De Amore Benevolentiæ.

Amor Benevolentiæ in quo consistat.

SIcut ignis nunquam dicit: sufficit; sic nec Amor. Unde licèt amans animitus gaudeat de bonis, quæ actu possidet amatus; nihilominus per Amorem Benevolentiæ plura & majora desiderat, & omni studio eò connititur, ut plura excogitet, quæ ad gloriam amati promovendam, facere possunt. Hic notandum, nos Dei perfectionibus, Bonitati, Sapientiæ, Misericordiæ, Potentiæ, &c. nihil nostrâ industriâ addere posse; nec possumus hac in parte plùs facere, quàm ut nos paratos eidem exhibeamus, ut, si has perfectiones (quod tamen impossibile est] non possideret, essentque in nostrâ potestate; illas lubenti animo ex amore in eum abdicaremus illíque reconsignaremus. Sicut & ille se nobis totum per assumptam Humanitatem & Sacramentum Eucharistiæ donat & communicat. Secundò notandum, quòd amans, quædam bona Humanitati Christi apprecari, imò & tribuere possit, quæ necdum habet, v. g. Internum merè accidentale, nullo modo tamen Personæ essentiale, gaudium: deinde potest amans anima, Christo tam quoad Divinam, quàm Humanam naturam apprecari, & aliquo modo communicare, omne id, quod creaturæ sunt, hábent, & possunt, v. g. Eorum reverentias, adorationes, pios animi motus, &c.

Actus amoris Benevolentiæ.

Actus Amoris Benevolentiæ elici possunt hoc vel simili modo. Primò, O *Deus Rex gloria!*

ria! quomodo ego dignè laudarem & glorificarem Te? Nec ego, nec ullus hominum id potest : & hoc ipsum summo mihi gaudio est, quòd supra meas, & omnium creaturarum vires sit, Te dignè laudare, & prædicare. Tu solus id potes, & scis, quomodo congruat Divinæ tuæ Majestati. Eja ergo Domine, lauda, glorifica Te ipsum & prædica magnalia Tua. Omnis spiritus laudet Dominum.

Secundò. *Domine Deus meus, qui in thesauro infinitæ Tuæ Sapientiæ, innumera, eáque efficacia media habes, me omnésque homines, quò vis, ducendi; deduc ergo me, si voluntas Tua sit, ad talem viam & vitam; in qua providentia tua agnoscit, quòd maximè Te laudaturus & prædicaturus sim; sive idipsum fiat in honore vel ignominia, in solatio vel mærore, in divitiis vel paupertate. Duc me in hac viâ constanter, nec ab ea deviare me permittas, sive grata sive ingrata hæc via sit homini & parti inferiori: dummodo non declinem à viâ tuâ; esto vitam & omnia amittam; sufficiet mihi, quòd Te hoc modo laudare & glorificare possim.*

Quid sub actibus hujusmodi observandum.

Inter hos similésque amoris actus gratulari centies millies Divinæ Majestati possumus, de tot tantísque perfectionibus, unam alterámve earum considerando, & post cujusque considerationem dicere : *Iste Deus meus, & glorificabo eum.* Et quia amans agnoscit suum in hoc puncto nihilum & tenuem potentiam; hinc ad Dei laudes depromendas convocat omnes creaturas; dicens cum tribus pueris : *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.* Et cum Davide: *Laudate Dominum de cœlis*, &c. *Laudate Dominum omnes gentes*, &c. Cùm igitur

LIB. II. CAP. III. SECT. I.

tur proprius Amoris benevolentiæ finis ſit Deum glorificare: hinc per unam alterámve ſectionem de Dei glorificatione agetur.

SECTIO I.

De gloriâ Dei, & in quo ea conſiſtat.

Definitio gloriæ Dei.

GLORIA definitur ex S. Auguſtino à S. Thoma 1. 2. q. 2. a. 3. quòd ſit *Clara cum laude notitia.* Ex qua definitione ſequitur, quòd gloria Dei nihil aliud ſit, quàm Dei cognitio adjunctam habens ejuſdem laudem & æſtimationem. Hoc poſito ſequitur, quòd Filius Dei ſit ſumma & præcipua Dei gloria; cùm enim Filius ab æterno à Patre gignatur, propriè ſolus ille, ſubſtantialis eſt cognitio, verbum, & conceptus Patris. Unde à S. Paulo ad Hebr. 13. vocatur *Splendor gloriæ.* Alii Dei gloriæ limites extendunt, dicentes, quòd gloria Dei complectatur non ſolùm cognitionem, quam de ſe ipſo Deus habet, ſed etiam amorem, quo ſe ipſum amat; ſimiliter etiam gaudium, quo fruitur; ſiquidem hæ omnes operationes ad intrà, à Dei cognitione, ut radicali principio procedunt, ſúntque ea ipſa encomia, quæ ſibi ipſi tribuit. Et quia operationes Dei & Deus ipſe, una & indivíſa res ſunt; ſic ſequitur gloriam Dei eſſe ipſum Deum, dum ſe ipſum cognoſcit, ſe ipſum amat, & de ſe ipſô infinito modo gaudet.

Filius in Divinis eſt propriè gloria Dei.

Etiam amor, quo ſe Deus amat, dici poteſt gloria Dei.

Gloria exhibetur Deo à Sanctis in Cœlo.

Quod externam Dei gloriam concernit, maxima illa eſt, quam eidem exhibent Sancti in Cœlis; cùm enim Eſſentiam Dei de facie ad faciem intueantur, perfectiſſimam habent

bent de Deo cognitionem, pura quam creatura habere potest; ex hoc capite Sancti Deum incomparabiliter æstimant, laudant, amant, &c. & hæc causa est, cur locus Beatorum, regnum gloriæ appelletur.

LIB. I. CAP. III. SECT. II.

Exhibetur etiam Deo gloria in terris, ab iis, qui eum agnoscunt, laudant, eique serviunt; quia verò hæc cognitio obscuritate Fidei obtenebrata est; hinc hominum laus est dissona quædam cacophonia, illorum amor, tepida inconstantia; cæteræque eorum virtutes, mera infirmitas. Quare, strictè loquendo, dici non potest, quòd hic sit regnum gloriæ; unde ait psalmista ps. 32. *Misericordia Domini plena est terra, & super Cœlos gloriâ ejus.* Manet interim, quòd obligatissimi simus in vitâ pro modulo nostro Deum Deorum in Sion laudare, amare, & prædicare. Hac maximâ obligatione nostrâ suppositâ, afferentur quidam modi, quibus possumus Deum in terris glorificare.

Etiam à Justis in terrâ; sed valde imperfectè; Et quare.

SECTIO II.

Duo modi Deum glorificandi; abstinere ab omni eo, quod Deo displicet; & mortificationi studere.

MOdos omnes assignare, quibus laudari & glorificari Deus à nobis potest, opus esset maximi laboris; & adducendæ essent omnes omnium virtutum species & actus: hoc labore seposito, aliquot modos, quibus gloria Dei à nobis promoveri maximè potest, assignabimus; quorum

Primus est; si quis omnibus se peccatis tam

Deum

LIB. II. CAP. III. SECT. II.

summopere glorificat, qui à peccatis transit ad virtutes.

tam mortalibus quàm venialibus, vitiis, pravis habitibus, inordinatis affectibus emundans, ad Deum se toto studio convertat. Hoc ut clariùs intelligatur, sciendum est, adeò sublime & excellens opus esse à peccatis ad virtutes transire, ut nullum sit, in quo divitias suæ Sapientiæ Deus magìs ostendat, quàm in hac cordis humani mutatione. Imò est opus excellentius & majus, quàm totius Universi creatio. *Qui cum timore & tremore*, ait S. August. Tract. 73. in Joannem, *suam ipse salutem operatur, prorsus majus esse dixerim, quàm est Cœlum & Terra, & quæcunque cernuntur in Cœlo & in Terrâ.* Ratio, *Prima*, est quia Deus in creatione, solùm creaturæ tribuit esse naturale; sed in justificatione gratiam supernaturalem, cujus gradus minimus toto universo est præstantior. *Secunda*; quia gratia & peccatum magìs contraria sunt, quàm essentia & nihil. Homo etiam peccator à Deo longiùs separatus est, quàm essentia à nihilo. Adhæc peccatorem Deus severè castigat, eúmque detestatur; nihilum verò nec castigat nec odit. *Tertia*; quia major potentia requiritur ad peccatorem convertendum, quàm ad mille mundos creandos. Ad unicum *Fiat*, stetit Universus; sed majori potentiâ opus ad peccatorem à viâ suâ reducendum; ob multa, quæ intercurrunt, impedimenta: quorum primum est liberum hominis arbitrium, quod ordinariè avidissimè amplexatur, quod sibi nocet; repellit econtra salutis media, immissásque à Deo inspirationes rejicit. Secundum impedimentum, Dæmon est; qui valdè potens, quíque ex sum-

Quàm difficilis sit perfecta conversio peccatoris, & unde illa difficultas oriatur.

summo in Deum ejúsque imaginem odio, omni modo conatur animam secum trahere in perditionem. Tertium, Dei Justitia; quæ ad tuendum jus suum Misericordiæ conatur resistere, & ità in conversione peccatoris, Deus ipse secum quodammodo luctari debet, quod impedimentum certè grande est. Ex his concludi manifestè potest, quòd conversio peccatoris, opus sit laboriosius, ideóque Deo gloriosius quàm creatio totius mundi. Hoc ipsum acri nobis debet esse stimulo ad accelerandam conversionem nostram, & veterem hominem deponendum. Ad quod movere quidem sufficienter nos potest propria animæ salus; primariò tamen per conversionem nostram intendere debemus promotionem Divinæ gloriæ, quæ plùs, quàm salus propria apud nos valere debet.

LIB. II. CAP. III. SECT. II.

Quàm gloriosa Deo sit nostra conversio, & quid in eâ spectare debeamus.

Secundus, Deum in terris glorificandi modus est, abnegatio suî; certi namque esse possumus, quòd, quotiescunque in re etiam minimâ nos mortificamus; v. g. injuriolam quandam patienter sufferimus; iracundiæ motus compescimus; subortam vanæ gloriæ titillationem contemnimus; sensualitati in hoc vel illo, licèt minimo, resistimus, &c. quòd, inquam, toties Salvatorem nostrum elegantissimo diademate coronemus. Et hæc diademata in ejus capite vidit S. Joannes in Apocal. c. 19. ubi insinuat quòd Christum viderit equo candido insidentem. *Et vestitus erat veste aspersâ sanguine, & in capite ejus diademata multa*; scilicet victoriæ, quas justi de se & de suæ salutis hostibus reportârunt. Nec tantùm Redemptorem nostrum hoc mo-

Deum glorificamus per mortificationem, etiam minimam.

LIB. II. CAP. III. SECT. I.

Mortificatio Deũ lætificat.

modo coronamus; sed suprà quàm dici potest, lætificamus. Postquam Joannis cap. 15. Salvator noster Discipulis suis mandâsset, ut legem suam observarent, addit: *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit. Quod est gaudium Christi in nobis?* quærit S. August. in Joannem Tract. 83. *nisi quòd dignatur gaudere de nobis.* Quæ hæc est gratia! quàm felix sors! posse Deum lætificare, posse facere, ut Dei gloria major sit. Certè, qui scit, quid sit amare, sciet modos innumeros in hoc puncto invenire; omnia sufferet, omnia faciet, ut dilectum faciat gaudere. Et cur hoc Deo non præstabimus; nunquid enim æquissimum est, ut eum lætificemus, postquam ex amore nostri tam indigna passus est? nunquid dignissimum est, ut loco spineæ coronæ hæc ei diademata imponamus?

Deum glorificat resolutus ad molesta & aspera animus, & quid ad hanc resolutionem nos movere possit.

Ut hoc medium Deum glorificandi, excellentius sit, parvi facienda sunt, quæ sivè corpori sivè animæ grata sunt; v. g. singulares illustrationes, internæ consolationes; rejiciendæ recreationes cælestibus non concordantes. Debemus deinde nos totos Deo offerre ad omnia dura & aspera, ad ipsas adeò inferni pœnas, sine culpâ tamen, cum gratiâ Dei perferendas: hoc solùm fine, ut voluntati Dei satisfaciamus, eique placeamus: Horret quidem prima fronte natura ad tam insolita & terribilia se resolvere; si interim debitè perpendatur Dei in nos amor, infinita ejusdem excellentia, inæstimabilia nõbis collata beneficia, nostra ad ejus honorem promovendum obligatio; natura se subjiciet, séque ejusmodi extraordinariis

prom-

promptè submittet: & si eoúsque anima ascenderit, maximo Deum honore afficit; & incomparabiliter majore, quàm omnes alii homines, qui tam ardua pro Deo subire reluctantur, laude & gloriâ eum coronabit.

SECTIO III.

Tres alii modi Deum glorificandi, sunt, operari ex purâ intentione; voluntatem propriam Dei Voluntati conformare; & SS. Missæ Sacrificium offerre.

Bona intentio est operum anima.

INtentio operibus præmissa, eorum est anima; tribuítque vitam supernaturalem. *Affectus tuus*, ait S. Ambr. lib. 1. off. cap. 30. *operi tuo nomen imponit.* Per affectum hoc loco S. Bonav. intelligit rectam intentionem. *In cunctis operibus*, suadet S. Laurent. Justin. de regimin. Prælat. cap. 22. *quicunque salutem exoptas, intentionis suæ componat obtutum, & ad illum, quem divina lex mandat, dirigat finem, ut non casso labore desudet. Parum prodest ardua tractare negotia, cum Principibus & Regibus familiariter conversari, sanctitatis & scientiæ celebre nomen acquirere, & obliquâ intentione hoc agere.* Rei hujus veritatem ipsi adeò Ethnici agnoverunt. *Non in facto*, ait Senec. Epist. 95. *laus est, sed in eo, quemadmodum fiat: amico ægro aliquis assidet, probamus; at hoc si hæreditatis causâ fiat; vultur est, cadaver exspectat; eadem & turpia sunt & honesta; refert, quare aut quomodo fiant.* Si ergo honorem Dei per opera nostra promovere cupimus, oportet iis præmitta-

Per bonam intentionem Deum glorificamus.

LIB. II. CAP. III. SECT. III.

mus sublimem intentionem, v. g. ut per ea, Deo gratificemur, ejus gloriam promoveamus, gaudium eidem offeramus, &c. Eritque intentio eò purior, quò minùs admistum habet de amore proprio; hoc modo, sicut omni momento aliquid facimus, sic omni momento Deum glorificabimus.

Quæ intentio sit purissima.

Modus primus faciendi bonam intentionem.

Potest etiam Deus mediante intentione glorificari, si opera nostra ad eum finem dirigamus, quem sibi ipsi Deus in operibus suis præfixit. Regula accuratior, ad quam opera nostra dirigantur, dari non potest. Intentio hæc fieri potest, hoc vel simili modo: Vado hoc vel illud, facturus Domine Deus meus, in eum finem, quem ipse tibi præfixisti; non solùm in cooperatione præsentis operis à me jam ponendi; sed etiam, quem præfixisti tibi in creatione & conservatione Universi, nec ab hoc fine in minimo deflectam. Etiam intentio fieri potest in unione laudis & glorificationis, quam exhibent Deo Beati in cœlis, justi in terrâ & in purgatorio, unà cum omnibus creaturis, imò quam Deus sibi ipsi exhibet, & in omnem æternitatem exhibiturus est.

Secundus.

Denique modus formandæ intentionis potest esse per modum pacti, quod cum Deo anima init. Pro quo sciendum, quòd, sicut duo homines pacisci invicem possunt, quod, quoties alter alterum aspecturus, vel quoties manum contra illum extensurus est, toties, omnia quæ habet in bonis corporis & fortunæ velit eidem, hoc posito signo offerre; sic & possit homo cum Deo suo pactum inire, quod, posito hoc vel illo signo velit eidem se

Tertius.

&

LIB. II. CAP. III. SECT. III.

& sua omnia immolare & consecrare. Forma similis pacti potest esse hæc: Domine Deus meus quotiescunque hanc v. g. imaginem aspexero, erit idipsum signum infallibile contestationis meæ, quòd te verè amem, quòd omnino judicem felicitatem meam in hac quidem vitâ in eo consistere, ut de Te cogitem, & Tibi serviam; in alterâ autem Te facie ad faciem videam. Pro hac gratia à Te obtinendâ quoties imaginem hanc aspexero, Tibi humiliter supplico. Vel fieri potest pactum hoc modo: Domine Deus meus, quoties hoc verbum: *O Amor meus*; vel: *O Deus meus*, expressero, idem erit ac si dicerem: Testor quòd Tu solus sis verus Deus, Creator & conservator omnium, in quem credo, in quo spero, coram quo usque ad abyssum me humilio. Confiteor, quod bona omnia, quæ possideo, à Te procedant, quòd Tu sis amor meus, meæ divitiæ, mea gloria, mea vita, mea felicitas & omnia. Uti etiam quis potest hoc modo: Quoties per continuam respirationem, aerem (in quo, ùt & in aliis creaturis Deus verè præsens est) ad me attraxero, significabit, quòd unicè desiderem, mediante aere, Te ad me attrahere, & me Tecum intimè, unà cum omnibus tuis perfectionibus unire, & quidem modo perfectissimo, qui esse potest; ut per hanc unionem purificer, sanctificer, roborer & accendar, fiamque dignum ad tuam gloriam promovendam instrumentum. Plura ejusmodi pacta suggeret cuique devotio quæ potissimum ineunda & renovanda tempore Communionis, eritque utilissimum ea indies tempore matutino, & in-

Quando, & quomodo facta bona in-

LIB. II. CAP. III. SECT. III.

tentio renovanda.

interdiu aliquoties renovare; quod fieri poterit facillimè; dum scilicet imaginem Christi aspicit, vel manum pectori admovet, vel aliud quodpiam signum edit, dicatque: Dnê Deus tu scis, quid per hoc signum dicere velim.

Deus glorificatur per conformitatem voluntatis nostræ cum voluntate ejusdem.

Tertius modus Deum glorificandi est, si voluntatem nostram, Voluntati Divinæ, ùt regulæ & amussi in omnibus conformemus; cùm enim Deus nihil aliud quærere nec velle possit, quàm suam gloriam, hæc siquidem ultimatus suæ Voluntatis finis est, hinc manifestè sequitur, nullum certius medium esse, in omnibus modo excellentissimo Deum glorificandi, quàm quòd velimus, quod vult ille, nosque ipsi plenè resignemus quoad salutem nostram, tam temporalem quàm æternam. De hac conformitate suo loco inferiùs fusiùs dicetur.

Etiam per S. Missæ Sacrificiũ.

Quartus modus, est oblatio incruenti Missæ Sacrificii. Certum est apud omnes Catholicos, Sacrosanctum hoc Sacrificium, rem esse Deo adeò gratam, ut nulla gratior esse possit; ex quo sequitur Deo exhiberi summum honorem, quoties Missæ Sacrificium peragitur. Quàm ergò felix Sacerdos est!

Felicitas Sacerdotum.

quo gaudio spiritûs necesse est eum perfundi, si recogitet, medium sibi esse certissimum, & in suâ positum voluntate, toties, quoties voluerit Deo Op. Max. talem exhibere honorem, qualem omnes creaturæ simul per omnem æternitatem exhibere non possunt: si recogitet, quòd, quoties manibus sacram Hostiam elevat, tractat, dividit, toties Patrem cœlestem unigenitus ejus Filius laudet,

mor-

mortem suam, quam ex ejus mandato subiit, præsentet; aperiatque opulentissimum meritorum suorum thesaurum, quem vivis & defunctis realiter applicat, ut culpâ & pœnâ liberos gratiâ suâ ditet. Quomodo ergo sacerdos totus non ignescet, maximamque ad tremendum hoc Sacrificium adferet præparationem, ut exemplo Christi Deum in hoc Sanctissimo opere glorificet, conformando intentionem suam intentioni Christi? Laicos quod concernit, quomodo non decebit omnem adhibere operam, ut omnia Missæ Sacrificia, quæ indies per totam Ecclesiam celebrantur, pari devotione & fervore, Deo suo offerant?

CAPUT IV.

De Amore Aspirante.

Differentia inter amorem Benevolentiæ & Amorem aspirantem.

AMor hic cum amore Benevolentiæ una eadémque res est, cum hoc tamen discrimine, quòd, ùt patet ex nominis etymo, magnum in amante excitet ergà amatum desiderium, facítque, ut inenarrabili gemitu, lachrymis & precibus amans sollicitet, ut amatus in amantis corde, amoris ignem magìs & magìs accendat.

Quinam affectus in Deum sint optimi.

Sciendum pro hoc est, quod hæc desideria, & hi gemitus debeant esse affectuosi, pleni amore, fiduciâ, reverentiâ; sintque optimæ in hoc exercitio preces, quas sua cuique pietas & devotio dictat. Si verò cordis ariditas pietatis sensum nonnihil imminuat & suffocet; usurpari poterunt modi sequentes.

LIB. II. CAP. IV. *Aliquot Actus Amoris aspirantis.*

Primò. O Amor Amorum! unica mea spes, unicus affectuum meorum finis, unicum bonum ad quod aspiro. *Secundò.* O anima animæ meæ, ô Vita vitæ meæ, utinam dignus essem pretiosissimam amoris tui Margaritam possidere. *Tertiò.* O Domine Deus meus, scis, quod nihil aliud desiderem, quàm amare Te, scis quod paratus sim relinquere omnia, quæ sunt in Cœlo & in terra, dummodo mea forent. Et si amorem hunc in ultimis terræ partibus invenire possem; hoc momento itineri me accingerem. *Quartò.* Scis etiam Domine Deus meus, quòd paratissimus sim omnibus bonis privari, omnibus malis repleri, & de manu tuâ assumere, quidquid tibi gratum, licet mihi molestum, dummodo in corde meo accendas amorem nominis Tui. *Quintò.* Tu ô Deus meus es, qui verbis adeò expressis mandâsti, ut ex toto corde, totâ animâ, totâ virtute amem Te; non possum autem adeò justum & suave mandatum mihi relictus exequi; sed Tu dare debes ô Amor meus; da ergo ô lumen cordis mei, quod jubes, & jube quod vis. *Sextò.* O *Amor* (verba sunt S. August. Conf. lib. 10. c. 2.) *Caritas Deus meus, accende me; inveniam Te, desiderium cordis mei; teneam Te amor animæ meæ; amplectar Te sponse cœlestis. Exultatio mea summa, intus & extra possideam Te; Beatitudo sempiterna, possideam Te in medio cordis mei, vita beata, dulcedo summa animæ meæ.* *Septimò.* Adjuro Te Domine Deus meus, per omne, quod in Te amore dignum est; per infinitum amorem; quo Te ipsum amas; per amorem, quo amas Beatissimam Matrem tuam, omnesque cœlites; per justissimum

ſimum tuum deſiderium, quod habes, ut ab omnibus creaturis ſuper omnia diligaris; denique per omne id, quod te ad compaſſionem movere poteſt. Da, da ut amem Te; da ut perfectè amem Te, da ut amem ſolum Te, ut Tu ſis mihi omnia, & omnia propter Te, nihil.

LIB. II. CAP. IV. SECT. I.

Quid circa actus Amoris Aſpirantis obſervandum.

Qui in his & ſimilibus Amoris Aſpirantis actibus ſe vult perficere, procedendum eſt hoc modo; *Primò* recogitandum, quòd Deus infinito amore dignus; excitandum ardentiſſimum deſiderium amandi adeò intensè, ſicut Cherubim & Seraphim amant, amarunt, vel amabunt in omnem æternitatem, imò amandi intenſiùs, ſi ea poſſet gratiâ obtingere. *Secundò*; ſi agnoverit, quòd euſque ſuò amore aſcendere non poſſit; benedicat & laudet Deum, ei gratias agens, quòd ſe ipſum amet amore tali, quali dignus eſt; cum deſiderio, ſupplendi ſuum & creaturarum omnium defectum, per hunc, quo ſe ipſum amat, infinitum amorem. *Tertiò.* Amorem ſuum imperfectum unire debet perfectiſſimo illi amori, quo unigenitus Dei Filius Sanctiſſimam ſuam Humanitatem, Cœleſtem Patrem, & Spiritum Sanctum amat: & hic amor, amori Chriſti ità unitus æterno Patri offerendus, quod juſtiſſimo titulo fieri poteſt, quia omnia, quæ in Chriſto ſunt, ad nos propriè ſpectant.

SECTIO I.

Quàm utiles ſint Amoris Aſpirantis actus, ſivè preces jaculatoriæ.

Facillimũ aſſequendi

VIRI ſpirituales & aſceticæ vitæ Magiſtri, unanimi voce & ſenſu judicant vi-

LIB. II. CAP. IV. SECT. I.

perfectionem medium, sunt preces jaculatoria.

viam compendiosissimam, modúmque facillimum ad Deum perveniendi, esse preces jaculatorias, & ferventia ad Deum desideria. Multa quidem assequendi perfectionem media ad manum sunt, nullum tamen facilius & utilius censetur, quàm illud Dionysii (initio pharetræ) *Ut per flammigeras affectiones anima ad Deum se continuò levet, ad ipsum aspiret, eidem loquatur, ipsum attingere, eique inhærere gestiat; hoc exercitium studium est sapientiæ, quod non multitudine librorum, nec disputationũ argutiâ discitur; sed extensione affectûs in Deum, qua excitatur juge desiderium vehementiùs amandi Deum, perfectiúsq; ipsi placendi.* Hoc exercitium idem Dionysius vocat Theologiam magnorum mysteriorum. *Utpote quæ Divinâ irradiatione in animam humanã infunditur, & affectione magìs, quàm cognitione frequentatur.* Suam hac de re sententiam in suis nobis scriptis reliquit Blosius institution. spir. c. 5. in hunc modum: *Assidua aspirationum sive orationum jaculatoriarum & ferventium desideriorum ad Deum emissio, veræ mortificationi & abnegationi conjuncta, certissimum est compendium, quo citò, faciléque pervenitur ad perfectionem, & mysticæ Theologiæ Sapientiam, unionémque Divinam. Nam hujusmodi aspirationes efficaciter penetrant, & superant omnia media, quæ sunt inter Deum & animam.* Ejusdem cum Blosio opinionis est S. Bernard. *Sicut Fides,* ait in epist. 18. ad Petrum Card. *ducit ad plenam cognitionem; sic desiderium ad perfectam dilectionem. Et sicut dicitur: Nisi credideritis, non intelligetis; sic dici æquè non absurdè potest: si non desideraveritis, non perfectè amabitis.* Alio in le-

Quod ex variis Authoribus probatur.

loco serm. 31. in Cant. idem S. Doctor existimat, evidens venientis Dei in animam signum esse, si desiderio ardenti æstuet eum possidendi. Quod S. David ab experientiâ propriâ confirmat psalm. 99. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Oportet namque*, ait S. Bern. L. c. *ut sancti desiderii ardor præveniat faciem ejus ad omnem animam, ad quam est ipse venturus, & sic præparet locum Domino. Et tunc scit anima, quoniam juxtà est Dominus, cùm senserit se illo igne succensam, & dixerit cum Propheta: De excelso misit ignem in ossibus meis.* Additque idem S. Bern. similem aspirantem animam summè placere Angelo Custodi, qui non solùm hæc desideria fovet, sed magìs magísque accendit his vel similibus inspirationibus: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit.*

Quàm utile sit assuescere precibus jaculatoriis.

Utilitas hujus exercitii ex eo elucet, quòd anima in vigore conservetur, semper disposita ad virtutum actus, quoscunque tandem delectabiliter exercendos, ad gloriam suam in æternitate de momento in momentum augendam, ad se fortissimè armandum contra quoslibet hostium insultus; qui tentabunt quidem ejusmodi animam expugnare, sed eventu irrito; re enim infectâ discedent, similes muscis, qui bullienti ollæ quidem circumvolant, sed non appropinquant, ne comburantur.

SECTIO II.

Huic exercitio sæpe incumbendum, nec ab eo facilè ob impedimenta occurrentia desistendum.

Preces jaculatoriæ ad vitam animæ conservandam sunt necessariæ.

QUia, ùt modò dictum, maxima precum jaculatoriarum seu aspirationum utilitas est, die ac nocte, intrà & extra ædes, in omni loco, ubi,ubi, in Cœlum evibrandæ sunt. Sicut enim spirationes sive halitus ad conservationem vitæ naturalis necessarii sunt; sic & hæ aspirationes ad conservationem vitæ spiritualis; sicut corpus semper spirat, sic & anima ad Deum continuò aspirare debet. *Ignis*, mandat Deus Levit. 6. *in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna manè, per singulos dies. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Quis autem hic ignis? quod altare? *Altare Dei est cor nostrum*, ait S. Greg. lib. 15. moral. c. 7. *in quo jubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Dominum Caritatis flammam indesinenter accendere.* Conari ergo debet anima pia, sanctum ignem per crebras aspirationes fovere inter omnia opera, seu bona seu indifferentia ad Deum suum suspirando. Magna quidem est animi nostri inconstantia, magna intellectûs in cogitationibus, & voluntatis in desideriis evagatio, ut videri posset res hæc impossibilis vel ad minùs valde difficilis. Sed difficultas hæc vincetur, ex mente Dionysii Carthusiani. *Primò*, per gratiam Dei, quâ cum omnia possumus. *Secundò*, per consuetudinem, quæ altera natura est, ùt in ma-

Videtur difficilis esse usus precum jaculatoriarum. Et quare.

Difficultas hæc

malo, sic & in bono; tollítque inadvertenter unam difficultatem post alteram, fitque suave, quod in principio videbatur impossibile. *Tertiò*, per amorem, qui facit, ut amans amato se uniat, & ejusdem oblivisci non possit. *Qui verè Deum amat*, ait Dionys. Carthusian. serm. 4. fer. 3. post pascha. *sentiet sibi non solùm possibile, sed etiam facile ac dulce esse, mentem ad Deum elevare: & ità sivè eat ad mensam, sivè ad laborem, sivè ad lectum, memor erit Domini Dei sui; sivè hominem alloquatur, aut humanæ intersit collationi: frequenter tamen mente loquetur cum Deo per orationes internas, & laudes secretas.* Habet sub initium suas difficultates & molestias utilissimum hoc exercitium, sed generose iis obviandum. Quæ ars, etiam inter mechanicas discitur absque labore & molestiâ? perrumpere stude, & laboris fructum percipies; difficultates evanescent, mera succedent solatia; mutabitur in te cor, animus, phantasiâ, quæ tanta facilitate se jam solo Deo occupabunt, quantâ paulò antè creaturis.

LIB. II. CAP. V. *triplici medio superatur.*

CAPUT V.
De Amore Appretiativo, seu Præferentia.

THeologi amorem dividunt in Appretiativum, & Intensivum seu Affectuosum: Amor Appretiativus, est amor, quo ex duobus, quæ amore digna proponuntur, unum plus amamus quàm aliud, parati ob id plura pati, quàm aliud. Amor Intensivus, est

Amor appretiativus, & intensivus quid.

LIB. II. CAP. V.

quidam internus affectus, qui sæpè eò ascendit, ut se, ex voluntate, quæ hujus amoris sedes & subjectum est, in hominem inferiorem diffundat magnámque animi teneritudinem, & sensualem dulcedinem excitet. Talis amor est, quo plerumque parentes feruntur in filios.

Amor appretiativus præstat amore intensivo, quod probatur exemplis.

Hæ duæ Amoris species magni faciendæ sunt; pluris tamen Amor Appretiativus, qui solus, verus & substantialis Amor habendus est, utpote, pro perfectè & propriè amare dicimur, etiamsi nihil interioris dulcedinis sentiatur. Res hæc patet in exemplo. Filii in juvenili ætate plùs interdum amant societates & consortia, quibus cum recreatione intersunt, quàm parentes; ità interim affecti, ut si unum, ex duobus istis amittendum esset, eligerent potiùs jacturam societatis, quàm parentum. Sic & parentes amant ordinariè affectuosiùs proles quatuor vel quinque annorum; quia ii per ridiculas gesticulationes parentibus blandiuntur, quàm filium triginta annorum, optimorum licèt talentorum; si interim unus è duobus tollendus, eligent tolli parvulum relicto seniore.

Deceret quidem, ut Deum amore intensiori & magís affectuoso amaremus, quàm ullam aliam creaturam, dum omnia quæ habemus, omnia quæ possumus, ad amandũ eum nos obligant: Præterea omnes ejus perfectiones adeò excellentes & amore dignæ sunt, ut quælibet earum omnino sufficiens sit, ad amoris ignem in cordibus nostris magnum & altum accendendum; nihilominus tanta ejus est bonitas, tantáque est in fragilitatem

tatem nostram compassio, ut secundùm omnium Theologorum doctrinam ad hanc nos non obliget, contentus, ut amemus eum super omnia, simúsque parati, potiùs omnia mala perpeti, totumque mundum amittere, quàm illum offendere. Et hic est amor quem exigit, hoc tributum est, quod à corde nostro sibi exposcit, quódque nobis per maximum Legis suæ mandatum imposuit; hic amor fuit, qui tot Martyrum millia cœlo transmisit, quos cum S. Paulo nec tribulatio nec angustia, nec fames, nec nuditas, &c. à Christo separare potuerunt.

LIB. II. CAP. V. *Deus amorem affectivum non exigit, contentus amore nostro appretiativo.*

Pro actuali hujus amoris exercitio duo notanda sunt. *Primò.* Perfectiones Divinæ sæpius attentè ruminandæ; de iis per Amorem Complacentiæ gaudendo; per Amorem Benevolentiæ easdem Deo animitus optando; cum desiderio ut totus mundus eum laudet & prædicet; denique per Amorem Præferentiæ Deum propter infinitas suas perfectiones rebus omnibus anteponendo, & cum Davide dicendo ps. 88. *Domine Deus virtutum quis similis Tibi.* Omnis creata pulchritudo, deformitas est; omnis sapientia, stultitia, &c. *Secundò.* Quoties adest periculum peccandi; occasio nos mortificandi; hoc vel illud opus bonum difficile exercendi, omnes animæ vires in amorem cogendæ, & coram Deo vivente & vidente protestandùm, hoc vel simili modo: Domine Deus meus, ut coram cœlo, & toto universo, Hominibus, Angelis & dæmonibus testatum faciam, quòd amore incomparabiliter majore amem Te, quàm me; quòd majori curæ mihi sit

Quædam circa actus Amoris appretiativi notandæ.

Salubris protestatio in periculis peccandi, vel occasionibus exercendi bonum opus.

LIB. II. CAP. VI.

sit honor tuus quàm meus, tua voluntas, quàm mea; hoc peccatum, esto levissimum, vitabo. hoc opus bonum exerçebo, quod omitterem, si Tu non esses, exequar interim illud cum gaudio; esto foret multò difficilius, ipsáque adeò vitâ mihi constaret. Hæc protestatio, si seria sit & ex corde procedat, magnum addit robur & acres stimulos, ut heroicis nos operibus dedamus. Imitabimur in hoc Christum dominum Redemptorem nostrum, qui, postquam in monte Oliveti ex una parte omnes plagas, contumelias, spinas, clavos ante oculos mentis posuisset; ex alterâ voluntatem Patris, & amorem quo eum diligebat; in hæc prorupit verba Joannis 14. v. *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: Surgite, eamus hinc.*

CAPUT VI.
De Amore Doloroso.

Quidnam sit, quod hominem justum maximè affligat.

Quod amanti animæ vitam hanc amaram & molestam reddit; inter cœtera minimum non est, quòd Dominum Deum singulis diebus sæpius offendat, & per bonorum operum neglectum fidem eidem ex parte frangat; licèt enim contrarium firmissimè iteratis vicibus proposuerit, fit tamen ex innatâ fragilitate, & corruptæ naturæ impulsu, quod interdum declinet, Deumque aliquatenus seponens perfecto amori non satisfaciat; *Septies enim in die cadit justus*, ex mente Salomonis Prov. 20. Cùm igitur verus

xus amor efficiat, quod amans anima Deum supra modum æstimet, totoque conatu satagat ei placere ; sic sequitur, quod commissa vel minima errata plangat, remissionem eorum humiliter petat, summè desiderans eidem reuniri, & in priorem gratiam recipi.

LIB. II. CAP. VI.

Cùm res hæc magni sit momenti, non solùm in gratiam Perfectorum, sed & Imperfectorum & in viâ purgativâ constitutorum, fusiùs de illâ tractabitur, diceturque. *Primò*, quid sit Contritio, & per quid perfecta ab imperfectâ distinguatur. *Secundò*, de motivis ad contritionem perfectam nos impellentibus: *Tertiò*, de actuali ejus exercitio.

Contritio perfecta quid.

Vera igitur Contritio, est actus perfectus, & actuale veri amoris exercitium, vi cujus peccator præteritas culpas odit, rejicit, & detestatur, ùt grave Deo illatum malum, injuriam, & offensam, quæ Sanctissimæ illius voluntati & amicitiæ è diametro adversatur: includit hæc contritio firmum propositum non peccandi de cœtero ; ex quo patet contritionem consistere in his duobus, detestatione scilicet peccatorum præteritorum, & firmo proposito ea vitandi in futurum.

Triplex ex contritione sequi potest dolor.

Satis autem perfectæ Contritioni non est, odisse & peccata detestari; sed & infert magnum de admissis dolorem, quod contingere potest tripliciter. *Primò*, si tantùm in superiore hominis parte & voluntate tristitia & tædium de Deo offenso oriatur. *Secundò*, si dolor ex voluntate se diffundat in partem inferiorem causando ibidem dolorem sensibilem. *Tertiò*, si accedant ad hunc dolorem

ge-

LIB. II. CAP. VI.

gemitus, suspiria, lacrymæ. Hic dolor posterior oritur ex secundo, secundus ex primo, primus originaliter ex odio & detestatione peccati, in quo odio propriè essentia Contritionis & veræ pœnitentiæ consistit; ex quo sequitur eò esse majorem de admisso peccato dolorem, quò majus est odium, quo in peccatum fertur. Nihilominus, regulariter loquendo, fieri potest, quòd aliquis verum habeat contra peccata odium, nec tamen ullum ex tribus assignatis sentiat dolorem, ùt fit in beatis, quibus peccata displicent absque omni tristitia, cujus beati in cœlis susceptivi non sunt. In hac autem vitâ sine dolore contritio esse non potest, unde Tridentinum detestationi dolorē vult conjungi.

Sine quo contritio in hac vitâ esse non potest.

Contritio quomodo peccata tollat.

Dolor hic, quo peccata delentur, duplex est: unus est Contritionis, alter Attritionis, quia verò ille perfectus, iste imperfectus est; hinc primus ex suâ naturâ iratum Deum placat, animámque à peccatis emundat; vel immediatè ex propria virtute, cùm directè peccato adversetur; vel saltem juxta communem Theologorum sententiam tanquam ultima dispositio ad receptionem gratiæ sanctificantis, cum conditione tamen & obligatione peccata confitendi, si occasio sit.

Ex quo oriatur diversitas doloris in Contritione & Attritione.

Attritio ex propria virtute idipsum non potest, sed necessariò simul requiritur Confessio. Quod tanquam Fidei articulum definit Concil. Trident sess. 14. c. 4. Doloris hujus diversitas oritur ex diverso amore, qui amor, cùm duplex sit, etiam duplex est dolor. Unus amor, est Amor Amicitiæ & Benevolentiæ, qui excitat ad amandum amicum

micum propter ipsum tantùm, seposito omni proprio commodo; & hic amor dici potest verus, syncerus & perfectus. Alius amor est proprii commodi, dum amicum amo ob meam utilitatem & commodum, optans amico hoc vel illud bonum, non ùt ipsi, sed ùt mihi bonum est. Ex hoc igitur duplici amore oritur & duplex dolor; ex amore primo, dolor, vi cujus doleo de peccato admisso tantùm, quia est læsivum illius infinitæ bonitatis, omni proprio commodo seposito; ex amore secundo oritur dolor secundus, qui imperfectus est, vi cujus quidem doleo, quòd contra Deum peccaverim, sed non tam quod ipsi, quàm quòd mihi malum intulerim, v. g. pœnas inferni.

Quàm intensus debeat esse dolor de peccatis.

Quæri hic posset, quàm intensus debeat esse actus Contritionis sive dolor? ad quod respondetur: si dolorem hunc ex infinita Dei bonitate, & summâ nostrâ erga Deum obligatione metiri velimus, nunquam satìs intensus erit; nec peccatum adeò parvum est, cui condignè deplorando, tota æternitas non sit nimis brevis: nihilominus, sicut amor quo Deum amo super omnia amabilia, sufficiens est ad satisfaciendum præcepto Divino de amore; sic & dolor, ad delendum peccatum sufficiens est, si illud detestemur super omnia detestabilia, & plùs de eo doleamus, quàm de quocunque alio malo, quod nobis evenire posset. Opus interim non erit, ut dolor hic lacrymas extorqueat, nec opus, ut multo nos tempore in eo detineamus; docent enim omnes Theologi minimum veræ Contritionis actum sufficientem

LIB. II. CAP. VI.

Quamdiu dolor de peccatis durare debeat.

esse ad animam ab omni peccato emundandam, esto, vel unico tantùm momento durâsset. *Nec quantitas criminis* ait S. Cyprian. sermon. de Cœna Dom. *nec brevitas temporis, nec hora extremitas, nec vita enormitas, si vera fuerit Contritio, à veniâ excludit.* Optima hac de re extat glossa Hebræa lib. victoria contra Hebræos Cap. 10. vid. præfat. libri de locis Fidei. *Ait Deus Sanctus & Benedictus Israelitis: Filii mei aperite mihi aperturam unam pœnitentiæ, quantum est foramen acûs; & Ego aperiam vobis aperturas misericordiæ, per quas poterunt intrare currus atque quadrigæ.* Si aliquis, quicunq; tandem sit, remissionem peccatorum suorum quantumcunque gravium à Deo humiliter petat, & vel unicum ad eum ex vera Contritione suspirium transmittat, eodem momento jam gratiâ donatus est, & in Dei amicorum numerum assumptus. Cōmisso peccato adulterii, his paucis verbis: *Peccavi Domino*, ad Patrem misericordiarum David confugiebat, & statim per Prophetam Natham eidem insinuavit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.*

Intensio doloris ex lacrymis colligi non potest.

Quod lacrymas concernit, necessariæ eædem non sunt, nec intensio doloris colligi ex iis potest, cùm sœpe proveniant magìs ex teneritudine complexionis, quàm impulsu gratiarum. Qui durioris naturæ sunt, lacrymulam difficillimè stillat, cùmècontra mulieres, utpote tenerioris & humidioris naturæ, fontes lacrymarum ob levem etiam causam ex oculis facilè proliciant. Si interim lacrymæ ex contrito corde procedant, certum est, Deo easdem acceptissimas esse, ut

ùt patet in Davide, Petro, Magdalenâ, & aliis innumeris. *Sinè aliquo intervallo*, ait S. Ambros. serm. 46. in psal. 50. *conjunguntur & lacrymæ peccatoris, & misericordia Salvatoris.* Et S. Leo Papa de lacrymis Petri ità loquitur? *Felices sunt Apostole tuæ lacrymæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis.* De his lacrymis canit psalmista ps. 55. *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Hebræus habet: *Posuisti lacrymas meas in laguncula tuâ, ùt aquam odoriferam.* vel, ùt alii vertunt: *In thesauris tuis.* q. d. ità tibi placent lacrymæ peccatorum, ut eas inter thesauros tuos reponas, ùt pretiosissimas margaritas. O felices lacrymæ, quæ tantæ virtutis & pretii sunt apud Altissimum, ut si quilibet damnatorum vel unicam funderet lacrymulam ex verâ cordis contritione, omnia peccata dilueret, totúmque extingueret infernum.

LIB. II. CAP. VI. SECT. I.

Encomia lacrymarum ex Contritione fusarum.

De motivis, quæ peccatorem exstimulare possunt ad summum de peccatis dolorem, firmissimúmque ea deinceps vitandi propositum, agetur in sequentibus. sit ergo

---

SECTIO I.

De motivis ad perfectum dolorem, tenentibus se ex parte Dei.

PRæcipua & maxima causa, ob quam peccatum extremè vitandum & detestandum, est, quia est summa injuria Domino infinitæ Majestatis & bonitatis illata; peccatum ausu temerario infinitum illud Ens invadit, illi se opponit, totóque conatu satagit, ut Deum annihilet. Omnibus Dei attributis summam infert injuriam: injuriam

Malitia peccati mortalis describitur.

LIB. II. CAP. VI. SECT. I.

infert Bonitati & Pulchritudini ; dum ità Deum tractat, quasi non amore, sed extremo odio dignus esset: injuriam infert Sapientiæ ; dum optimum, quo totum gubernat mundum, regiminis ordinem confundit, & creaturas violenter & temerariè in alium usum, quàm eum, ad quem à Deo creatæ sunt, cum maxima confusione detorquet: injuriam infert Liberalitati; dum beneficiis ad offensam per maximam ingratitudinem abutitur: injuriam infert Omnipotentiæ ; dum eadem Instrumenta, de quibus homini ad soli Deo serviendum provisum erat, in Deum convertit, eúmque illis oppugnat : injuriam infert Immensitati ; dum intolerabili audaciâ in ipsius Dei faciem malitiosè nequitiam suam exercet. Per peccatum offenditur Deus, ùt Causa prima omnium creaturarum ; peccatum enim, quantum in se est, eò hominem seducit, ut habeat se, quasi à se solo, non à Deo dependeat: offenditur Deus, ùt ultimus hominis Finis ; peccator enim seposito hoc Fine suo ad vanas & futiles creaturas se convertit : offenditur per peccatum Deus, ùt supremus Legislator; dum peccator Dei mandata pedibus proterit: offenditur ùt supremus Judex; dum ejusdem pœnas & intentata peccantibus supplicia, promissáque bonis præmia ridet & nihili facit : offenditur ùt amantissimus Pater ; dum peccator velut degener filius reverentiam & obedientiam eidem subtrahit, eúmque maximè contristat, &c. Peccatum est, quod Deo gloriam, quam tamen adeò zelat, impiè suffuratur ; nec pec-

peccato sufficit, quòd Deo se opponat, sed ipsas etiam Dei Creaturas malitiâ suâ inficit, eas susque deque vertendo; ùt ex Angelorum & hominum miserando lapsu, totiúsque mundi factâ per diluvium desolatione patet.

Quo sensu peccatum dici possit Dei annihilatio.

Ex his, tot tantísque malis, quæ à peccato ubertim emanant, occasionem sumpserunt Theologi; docendi, peccatum esse Dei annihilationem, non quidem actualem, cùm ea impossibilis sit; sed talem, ut, si Deus annihilari posset, id ipsum fieret per peccatum. Et licèt ejusmodi malitia in operibus peccaminosis non ità explicitè (exceptâ blasphemiâ & destinato in Deum odio) reperiatur, implicitè tamen semper in eo latet; quia in omni peccato ex vi suæ naturæ latet transgressio præceptorum Dei, aversio ab incommutabili bono, & inordinata conversio ad bonum commutabile: ùt docet S. Thom. 1. 2. q. 87. art. 4. Imò Theologi rem hanc ità exaggerant, ut dicant, contemptum, quem deo peccatum infert, infinitam quodammodo in se continere malitiam. Peccatum, ait Doctor Angelicus loc. cit. ex parte aversionis est infinitum; quò enim excellentior est persona offensa, quò abjectior est offendens; quò plures tituli sunt, quibus offendens offenso obstrictus est, quò causa ob quam quis offenditur, est futilior & levioris momenti: eò major, detestabilior, & gravior est offensa; Jam verò Persona offensa, est Deus vivus & verus, infinitæ Majestatis Dominus; offendens est vilis homuncio, abjectus vermiculus, qui in infirmitate, impotentiâ, &

Peccati gravitas exaggeratur.

LIB. II. CAP. VI. SECT. I.

lachrymis nascitur, in peccatis & miseriis vivit, in timore, horrore, & sordibus moritur: Tituli, quibus homo Deo obligatus est, innumeri sunt; Causa offensæ, ordinariè momentanea voluptas est, punctulum honoris aut frustulum splendidæ glebæ. Si quis transitoriis his reculis lucrari posset benevolentiam alterius Dei, qui tali honore dignus foret, quali est is, qui offenditur; vel si cœlum aliud comparare sibi posset, in quo tot gaudia, quàm in illo, quod per peccatum amittit, tolerari utcunque posset, quód peccaret; quòd autem quis Deo injuriam inferat ob res adeò futiles & vanas, inexcusabilis certè dementia, & tam horrendum facinus est, ut per omnia omnium Sanctorum & Angelorum bona opera, per omnem etiam æternitatem facienda, reparari & de condigno pro eo satisfieri non possit: licèt enim maximi valoris sint facta in gratiâ dei opera, utpote quæ claram Dei visionem, & incomprehensibilia cœli gaudia merentur; nihilominus, si cum infinitâ Dei Majestate comparentur, nihilum dici possunt; si quidem omnia, quæ sumus, possumus, & habemus, infinitæ illi Majestati exhibere, infinitis titulis obligati sumus; Quòd autem Deus à creaturâ suâ vili & abjectâ, à qua infinita ipsi reverentia, amor & obedientia deberetur, offendatur, res adeò terribilis & horrenda est, ut satiùs foret, totum mundum cum omnibus, quæ in eo sunt, perire, quàm unicum peccatum mortale committi.

SECTIO

SECTIO II.

Secundum Motivum ad eliciendum perfectum de peccatis dolorem, est, quòd Deus, noster Pater sit.

Irreverentia erga parentes gravissimum scelus.

NIhil naturæ humanæ adeò conforme, nihil hominum animis à natura tenaciùs insitum, quàm amor, reverentia, & observantia in Parentes, itàquidem, ut dubitans, an Parentibus amor & honor debeantur, ex mente Aristotelis 8. Topic: tali pœnâ afficiendus, quali ille, qui, an Dii colendi essent, in dubium vocaret. Unde tam Solon, quàm Romulus, cùm ille Athenas, iste Romam, legibus muniret, nullam statuerunt pœnam in Patricidas; existimantes, eò insaniæ & malitiæ filium nunquam deventurum, ut vitam illi adimat, à quo vitam accepit. Alii Legislatores volentes nefando huic sceleri condignas pœnas statuere, tales decreverunt, quales meretur scelus inter omnia scelera maximum. Moyses sapientissimus legislator non solùm parentum percussores, sed & eos, qui duriori illos verbo alloquerentur, morte jussit mulctari. *Qui maledixerit*, ait Exodi 21. *Patri suo vel matri, morte moriatur.* Iterum Levit. 20. vice Dei maledictionem ei intentavit, qui debitam Parentibus reverentiam non exhibet: *Maledictus qui non honorat patrem suum & matrem, & dicit omnis populus: Amen.* Ex his patet, quàm obligati simus ad debitum parentibus nostris honorem exhibendum, & quàm enorme scelus sit, eos injuriâ afficere.

Quomodo solitum puniri.

LIB. II. CAP. VI. SECT. II.

Deus in omni perfectione noster Pater est.

Nemo negare poterit, Deum, verissimum nostrum Patrem esse, quem in Oratione à Christo Domino institutâ, Patrem indies vocitamus. Nomen hoc adeò propriè ipsi convenit, ut in tantâ perfectione nulli mortalium tribui possit vel debeat. *Patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim Pater vester, qui in cœlis est*, ait Salvator noster Matt. 23. Hic Pater noster est, qui sinè omni parentum nostrorum concursu omnipotentiâ suâ ad imaginem suam, animam nostram creavit; hic Pater noster nos conservat, nutrit, fovet, omniúmque ad nos pertinentium usque ad minimum capillum, curam gerit plùs quàm paternam. Hic Pater noster Angelos suos in nostram destinat custodiam, inæstimabiles suæ gratiæ divitias in nos per Sacramenta effundit; sanctum suum Spiritum nobis communicat; & ità modo excellentissimo fit Deus, noster Pater, & nos ejus Filii.

Dolendum de peccatis quia per hæc Deum, Patrem nostrum offendimus.

Si igitur tanta incumbat nobis obligatio, ut honoremus patrem & matrem, à quibus solummodo, ùt loquitur S. Thomas, habemus materiam corporis, causam libidinis & originem reatûs; sitque scelus detestabile huic obligationi non satisfacere; quæ erit obligatio nostra erga Deum? & quod scelus hunc offendere, qui Pater noster est, & quidem talis Pater? *Talem Patrem offendere*, non sinè causâ dicit S. August. vel apud eum author de verâ & falsâ pœnitentiâ cap. 8. *contra ejus voluntatem aliquid committere, animadvertentibus ac se non ignorantibus, quàm est crudele!* Quare nihil æquius est, quàm ut hunc Pa-

Patrem, ejúsque paternam curam conside-rantes, peccata nostra detestemur & deplo-remus. Hæc consideratio itá penetravit cor animámq; Divi Bernardi, ut hæc è contrito corde verba emiserit serm. 16. in Cant. *Qua-nam fronte attollo oculos ad vultum Patris tam boni tam malus filius? exitus aquarum deducite oculi mei, operiat confusio faciem meam, deficiat in dolore vita mea & anni mei in gemitibus.* Ob-firmemus ex hoc momento animum gene-rosa resolutione, moriendi potiùs turpissimâ morte, quàm offendere talem ac tantum Pa-trem, non ex timore pœnæ, sed amore verè filiali. Fixa hæreat in cordibus nostris filia-lis in Patrem observantia, reverentialis a-mor, & sollicita cura, qua caveamus omne id, quod vel in minimo offendere, vel ama-bilem adeò & benignum Patrem contristari posset.

SECTIO III.

Tertium motivum ad contritionem fundat se in beneficiis à Deo in nos collatis.

Vis bene-ficiorum.

ACerrimos ad amandum stimulos ha-bent beneficia; his ipsas adeò belluas cicuramus. *Officia*, ait Senec. lib. de benef. c. 3. *etiam feræ sentiunt, nec ullum tam inman-suetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat. Leonum ora à Magistris im-punè tractantur, elephantorum feritatem usque in servile obsequium demeretur cibus.* Ex quo se-quitur, hominem, qui post accepta bene-

LIB. II. CAP. VI. SECT. III.

ficia in gratiarum actione & reciproci obsequii exhibitione deficit, ipsis bestiis ingratiorem esse.

Lib. 1. cap. 4.

Dei beneficia cor ad contritionem movere debent.

Beneficia à Deo in nos collata, quis numerabit? (recoli hîc ea breviter possunt, quæ de motivis ad Deum amandum libro primo dicta sunt.) Et homo erit, qui ea non agnoscat, propter ea non redamet? & homo erit qui hunc offendere præsumat? Quis adeò duri cordis, qui non solvatur in teneras lacrymas, postquam talem ac tantum benefactorem offendit: cujus liberalitas tanta est, ut vix possibile sit cor peccatoris non conteri, si quæ à manu Dei accepit beneficia, paulò accuratiùs perpendat. Hoc medio usus est Deus ad cor Davidis movendum 2. Reg. 12. quando eidem insinuabat. *Ego unxi te in Regem super Israël, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & uxoris Domini tui in sinu tuo, dedíque tibi domum Israël & Juda; & si parva sunt ista? adjiciam tibi multò majora; quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?* Hæc beneficiorum enarratio adeò Davidis animum penetravit, ut totus confusus & convictus exclamârit: *Peccavi Domino.* Si David ad enarrationem beneficiorum temporalium, ità compunctus fuerit, quàm nos compungi oportebit, post tot beneficia multò majora in nos liberalissimè collata; nunquid Baptismus, Adoptio in sortem filiorum Dei, vita & mors Christi, Regnum cœlorum in finito sanguinis Christi pretio nobis comparatum, beneficia multò sunt excellentiora, quàm regia Majestas

Probatur ab exemplo.

&

& quædam alia eò spectantia Davidi collata? quorum tamen recordatio, amaras post commissum peccatum lacrymas Davidi expressit.

LIB. II. CAP. VI. SECT. III.

Christus benefaciens acerrimo omnibus stimulo est, ne peccatis consentiant.

Cùm Judæi Christum Dominum Joan. 10. lapidare vellent, his eos blandis verbis est allocutus: *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* quibus verbis intendebat Christus eorum emollire duritiem, cùm & belluas beneficia mansuefaciant; sed belluis ferociores & lapidibus duriores in obstinatâ vesaniâ persistebant. Tu interim qui Christianus, non bellua es; blandissima hæc ad Judæos prolata verba seriò in tentationibus, in peccandi periculis & occasionibus perpende: *Multa bona opera ostendi tibi, propter quod eorum vis me offendere?* Ex singulari in te affectu eduxi te ex nihilo, ad imaginem meam te condidi; Cœlum, Terram, Elementa in tuum obsequium creavi; Soli, Lunæ, Stellis mandavi, ut tibi luceant; animalibus, ut te pascant; Angelis, ut te custodiant. Hæc omnia amori in te meo non sufficiebant; descendi de cœlis propter salutem tuam homo factus, ex throno gloriæ me abjiciens in fœtidum stabulum, vitam duxi in sexcentis miseriis, eâmque finivi per ignominiosissimam mortem: Ecclesiæ meæ te incorporavi, corpus meum in cibum & potum tibi dedi; præter hæc omnia paratus sum ad dandam tibi perennem in cœlis gloriam; *propter quod ergo eorum opus vis me offendere?* Deum offendere non poterit, quisquis attentâ mente ad beneficia à Deo sibi præstita reflexerit.

Beneficia hæc enumerantur.

LIB. II. CAP. VI. SECT. III. Beneficia à Deo in nos collata non tantùm voluntatem, sed etiam potentiam Deum offendendi auferre debent.

Sollicitatus ad obſcæna ab uxore Putipharis Geneſ. 39. caſtus Joſeph, obviabat tentanti mulierculæ his verbis: *Ecce Dominus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo ſuâ; nec quidquam eſt, quod non in meâ ſit poteſtate*, vel non tradiderit mihi *præter te quæ uxor ejus es, quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Nota hic duo illa verba: *Quomodopoſſum.* Potuiſſet dicere: *Non licet, non decet, non eſt bonum,* &c. ſed his obviis loquendi modis non contentus, proteſtatur ſibi eſſe impoſſibile, & ultra vires, hoc malum facere; innuens beneficiorum multitudinem debere non ſolùm voluntatem, ſed etiam potentiam auferre, Deum munificentiſſimum benefactorem offendendi. Quid beneficia à Putiphare in Joſephum collata, ſunt, in comparatione eorum, quæ à largiſſimâ Dei manu nos accepimus? Crediderat Putiphar Joſepho quorundam bonorum adminiſtrationem, & gradu eminentiori præ reliquis domeſticis eum ſublimârat; Deus nobis non adminiſtrationem, ſed in omnes creaturas conceſſit dominium, ut iiſdem utamur & fruamur ad libitum. Quomodo ergo poſſumus hoc malum facere, & peccare in Deum noſtrum? Certè ex optimo fundamento dicebat S. Maria Magdalena de Pazzis jam jam è vivis migratura: Cedo jam hinc & nunquam capere potui, quomodo poſſibile ſit, quòd creatura rationalis Deum mortaliter offendere poſſit.

SECTIO IV.

Quartum motivum ad Contritionem perfectam, fundat se in modo, quo Deus peccatorem ad pœnitentiam vocare consuevit.

Modus explicatur, quo Deus peccatores ad se vocat.

UT suavissimus Deus & amantissimus Pater noster, postquam ab eo per peccata perfidè recessimus, ingratos nos & perduelles revocet, hoc ferè modo utitur: Explicat nobis maximum & intensissimum desiderium, quo flagrat condonandi nobis, quidquid tandem sceleris in eum machinati sumus; laborat summo studio pro nostrâ conversione, non secus ac si ipse Deus, offendens peccator; ècontra nos ab eo offensi essemus; maximè anhelans, ut tandem aliquando in priorem familiaritatem iterum recipiatur. Quæ major caritas excogitari potest? infinitæ Majestatis Dominus, quiescere, ità loquendo, non potest, donec ab homine creaturâ suâ vili & abjectâ, à qua paulò ante horrendâ injuriâ affectus fuerat, in amicitiam admittatur. Præterea tam excellens tantíque pretii donum est oblata reconciliatio & amicitia, ut si peccator, esto totius mundi foret Monarcha, eandem per aliquot centenorum annorum continuas preces, lacrymas, humiliationes & pœnitentias impetraret, esset tamen summum beneficium, si post tot etiam annorum spatia à Deo exauditus in gratiam illius reciperetur. Quòd verò Deus non rogatus, imò per peccatum contemptus & rejectus, ex proprio motu re-

Quantum bonum sit Dei gratia, & amicitia.

Ineffabilis bonitatis est, quòd

con-

LIB. II. CAP. IV. SECT. IV.

Peccatorem ad se Deus revocet.

conciliari quærat, offerátque suo infensissimo hosti, vili vermiculo, tot à se beneficiis cumulato pacem & amicitiam; séque in penetrale cordis, ex quo per maximam injuriam ejectus fuit, tantâ suavitate & blanditiis insinuet; certè tanta támque immensa bonitas est, ut nec homines nec Angeli eam vel cogitatione assequi vel verbis explicare possint.

Explicatur modus quo Deus in revocando peccatore utitur.

Audi blandissima verba, quibus apud Jerem. cap. 3. Deus utitur, ut errantem peccatorem ad se reducat. *Vulgo dicitur*, ait, *si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum; nunquid revertetur ad eam ultrà? nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum adulteris multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. Nunquid vidisti*, pergit ibidem vers. 6. *quæ fecerit aversatrix Israel? abiit sibimet super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibi, & dixi cùm fecisset hæc omnia: Ad me revertere. Pœnitentiam agite*, ait. Apocal. 3. *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* O amor! ò bonitas! stat ad ostium; quis? Rex regum; ipsa Sanctissima Trinitas; ad ostium peccatoris, & ipsa suis manibus pulsat, petens ut sibi aperiatur. Rumina hæc ò peccator; summus Deus & infinitæ Majestatis Dominus ad ostium cordis tui non sedet, sed stat, pulsans suis inspirationibus, illuminationibus, piis motibus, & ut ità loquar, suam authoritatem prostituens; beatum se existimat, si ei aperias, in cor recipias, & te ad eum convertas. Clamores ingemi-

Intensissimum Dei desiderium occupandi cor hominis explicatur.

nat Cant. 5. *Aperi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Ah aperi, vide quomodo stem ad ostium, capite detecto, ùt mancipium, quod tuî amor captivavit; ecce sub dio non sinè multis molestiis totus perplutus constanter persto; aperi, aperi soror mea; da mihi locum in animâ tuâ, mihi tuo creatori, tuo Redemptori, tuo Patri, tuo Sponso, tuo Fratri; redi ad me, qui fugisti à me; redi ad me, qui non alium in finem veni ad te, quàm ut curarem te, salvarem te, & omnibus bonis replerem te; ah aperi, quidquid deliquisti, tibi donatum est. Ergóne parvi adeò æstimas gratiam meam, & servire mihi detrectas, cùm ipsi adeò Seraphini & Cherubini in meo gestiant occupari servitio? ergo tandem aperi, & non sinas eò rem devolvi, ùt misericordiæ januam in æternum tibi præcludam, & justitiæ meæ cursum relinquens condignâ te pœnâ castigem in gehennæ barathro, qui toties & tam suaviter vocantem sequi noluisti ad gloriam.

SECTIO V.

Duo alia motiva ad veram Contritionem, patientia scilicet, quâ peccatorum conversionem Deus exspectat; & Benevolentia, quâ conversum recipit.

Deus etiam peccatoribus benefacere non omittit.

INter blanditias, quibus misericordissimus Deus errantem peccatorem ad se reducere nititur, postrema non est, admirabilis patientia, qua conversionem peccatoris exspectat.

LIB. II. CAP. VI. SECT. V.

ctat. Res certè admiratione digniſſima eſt, quod Deus, qui peccatorem, infenſiſſimum ſuum hoſtem ad libitum tractare, punire, & horrendâ morte pœníſque æternis plectere poſſet, benevolentiâ eundem proſequatur; nullâ pœnâ afficiat, det cibum & potum, in adverſitatibus ſuccurrat, beneficia beneficiis cumulet, non ſecus ac ſi minimè offenſus eſſet, *diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam*, Sap. 11. unde meritò exclamat Propheta David pſ. 102. *Miſerator & miſericors Dominus, longanimis & multùm miſericors.* Ad hanc longanimitatem obſtupeſcit propheta Abacuc c. 1. dicens: *Mundi ſunt oculi tui ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris; quare reſpicis iniquas gentes, & taces?* q. d. vides & audis quotidiè millenas & millenas blaſphemias, millena ſacrilegia, millenos graviſſimos peccatores, qui te irrident, qui mandata tua malitiosè ſpernunt; & Tu taces, quaſi hæc omnia nihil ad Te; quaſi deeſſent vires ad vindictã; imò non toleras tantùm, ſed hos ipſos peccatores, ùt amicos amas, foves, adjuvas, & ſubminiſtras liberali manu, quidquid vel natura vel gratia boni exhiberi poteſt, creaturíſque omnibus ùt tuæ juſtitiæ executoribus prohibes, ne quid adverſi huic profeſſo tuo inimico inferant; prohibes igni ne peccatorem rapacibus flammis in pulverem redigat; aquæ, ne ſuffocet; terræ, ne vivum deglutiat; aeri, ne halitum præcludat; montibus, ne obruant.

Dei in tolerandis peccatoribus longanimitas.

Quæ cauſa hujus longanimitatis.

Sola cauſa tantæ indulgentiæ eſt, ut moram peccator habere poſſit ad Deum per pœnitentiam revertendi. Et ſi peccatis poſt lon-

longam conniventiam ità exigentibus, ad pœnam descendere cogatur, tardè adeò & remissè procedit, ùt non nisi paulatim pœnas immittat, ut sufficiens tempus habere peccator possit, ulteriora à se flagella per pœnitentiam avertendi.

LIB. II. CAP. VI. SECT. V.

Explicatur per exempla Dei in tolerandis peccatoribus longanimitas.

Advertit S. Chrysost: hom. 5. de Pœnitentiâ, Deum in creatione rei, & ejusdem destructione, modo, à nostro valde diverso, procedere; dum nos ædificia exstruimus, longo labore est opus; dum destruimus, vix ullo; econtra Deus momento ædificat; sed tardè & per longas moras destruit. Universum mundum, & omnia quæ in eo sunt, ædificavit, non dicam (ùt cum S. August. lib. 4. de genes. ad Lit. sentiunt multi Interpretes) in ictu oculi, sed sex dierum spatio: econtra in destructione unius civitatis Hierichuntinæ insumpsit dies planè septem. Non alia disparis hujus moræ ratio, quàm abundantia pietatis & bonitatis, quâ voluit dare incolis spatium recurrendi ad lamenta pœnitentiæ; ut maturè à se propulsare conarentur, quod jam à tergo sibi imminere conspiciebant. Similiter quando benignissimus Deus fœtidum mundum per diluvii aquas mergere volebat; tristi hoc fato Deus ipse (humano modo loquendo) afflictus est. Unde dicitur genes. 3. *Tactus dolore cordis intrinsecus*; vel ùt Hebr. habet: *Tactus dolore erga cor suum. Delebo*, inquit, *hominem, quem creavi, à facie terræ.* Ex miro hoc loquendi modo quid aliud eruemus, quàm quòd misericordissimus Deus à vindictâ & castigatione adeò alienus sit, ut eam, nisi violenter &

quodam-

LIB. II. CAP. VI. SECT. V.

quodammodo coactus, nunquam inferat? Cùm jam universam carnem diluvio delere absolutè decrevisset, adhuc centum annis stititin minis; interea per fidelem suum famulum Noe omni modo ad pœnitentiam hortatus est, asseverans omnem cessaturam pœnam, dummodo cessaret mundus à culpâ: elapsis jam centum annis, cùm post tot adhortationes nulla sequeretur emendatio, paulatim & guttatim, licèt in horulæ spatio apertis cœli cataractis totum mundum suffocare potuisset, pluvia decidit voluítque ipsos adeò quadraginta dies pluendo insumi, si fortè ad pœnitentiam inter ipsas adhuc aquas obstinatus mundus se converteret.

Ex adductis S. Scripturæ exēplis Dei in recipiendis peccatoribus promptitudo probatur.

Quod promptitudinem & affabilem benevolentiam, qua peccatores ad se redeuntes Dominus recipit, concernit; colligi ea sufficientissimè potest è parabolis, quæ ab ipso in Evangelio Luc. 15. de filio prodigo, & de Ove à Pastore, & Drachma à muliere inventis, adductæ sunt. S. Thomas opusc. 63. c. 7. Parabolam de Ove & Dragma Christo approprians ait: *Non dicit se emisse Drachmam, scilicet genus humanum, sed invenisse, licèt pretioso sanguine, & asperâ passione illud comparârit, quia in tantum desideravit salutem generis humani, quòd inventionem reputavit, tali modo se posse hominem à potestate Diaboli liberare, & ad beatitudinem æternam, ad quam creatus fuerat, revocare.* Idem eodem in loco: *Etiam omnes Angelos convocat, ad gratulandum; non drachmæ, non homini, sed sibi; quasi homo, Dei Deus esset, & tota salus Divina in ipsius inventione dependeret, & quasi sinè ipso beatus esse non posset.*

Con-

Considera jam ò Peccator, quicunque tandem es, ineffabilem hanc bonitatem, & in te tolerando & exspectando patientiam; considera, quomodo omni momento in tuam perniciem omnes creaturas armare & te in inferni abyssum detrudere posset, nec facit tamen: & hunc suavissimum, patientissimum, & optimum Dominum offendisse non pœnitebit? non in amplexus rues?

SECTIO VI.

Acerrimus ad contritionem stimulus est, passio & mors Christi.

INter ea, quæ ad dolorem & perfectam de peccatis admissis contritionem, movere hominem possunt, vix quidquam efficacius est, passione & morte Redemptoris nostri. Ingratitudinem & delicta sua non poterit non, quis amarè deflere, qui vel totam passionis Dominicæ historiam, vel unum aliquod ex illâ Mysterium ante oculos mentis ponit, v. 9. Qui vivaci fide apprehendit, & attentâ ruminatione discutit, quomodo hic Rex gloriæ, abysso mœstitudinis absorptus tristetur, paveat, coangustetur, & ad mortem usque interiori animæ tædio & desolatione affligatur: vel, quomodo innocentissimus hic agnus petulanti nebulonum & lictorum agmine circumdatus, huc illúcque raptetur, vellicetur, irrideatur, conspuatur, colaphis cædatur, spinis coronetur: vel, quomodo totus nudus columnæ alligatus à lictoribus horrendum in modum ità flagellis

Non potest non peccata sua deflere, qui seriò passionem Domini ruminat.

LIB. II. CAP. VI. SECT. VI.

cædatur, ut nullus vulneri ſuperſit locus: vel, quomodo inter duos latrones medius in infami crucis ligno ſuſpenſus, in maximis doloribus ſpiritum emittat.

Horum, inquam, attenta conſideratio abunde ſufficit ad proliciendum ex oculis copioſas de peccatis commiſſis lacrymas; quomodo enim quis ſanguineam hanc tragœdiam ſiccis oculis aſpicere poterit, ad quam univerſa ſtupuit natura? quomodo contritione non ſcindetur cor humanum, cùm ad mortem adeò contumelioſam & acerbam, ipſæ petræ ſciſſæ ſint, omníſque creatura tam lugubri ſpectaculo indoluerit? quomodo non uberrimæ ex oculis noſtris manabunt lacrymæ, qui omnium horum cruciatuum, & duræ adeò mortis unica cauſa ſumus. Eamus ergo in montem Calvariæ viſuri quid rerum iſthic agatur; videamus & contemplemur Hominem hunc miſerabilem, deſpectum & illuſum; videamus quomodo ſputis fœdatus, ſpinis coronatus, flagellis conciſus, medius inter latrones ſuſpenſus copioſo ſanguine difluat. Quæro jam à te, credíſne Hominem hunc eſſe unigenitum Filium Dei? credíſne eſſe Deum tuum, creatorem tuum, Dominum tuum, cui omne gaudium, & omnis felicitas ex naturâ ſuâ debentur, cujus vita adeò pretioſa, ut ſatiùs foret omnes Angelos, & homines exquiſitiſſimis in omnem æternitatem torqueri ſuppliciis, quàm ut ipſi vel minimus dolor inferretur. Hoc utíque credis, quia Chriſtianus es. Quænam eſt ergo, ulteriùs inſto, ignominioſiſſimæ hujus mortis cauſa? delictum per-

Quænam tormentorum &

LIB. II. CAP. VI. SECT. VI. *mortis Christi causa.*

personæ patientis esse non potest; illa enim, ùt ait S. Petrus 1. Pet. 2. 22. *peccatum non fecit*, éstque ipsa Innocentia; nec ad mortem rapitur per improborum violentiam invitus, nam ùt ait Isaias cap. 53. 7. *Oblatus est quia ipse voluit.* Imò ipse de se testatur Joan. 10. 18. *Ego pono animam meam, & nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.* Quidnam ergo est, quod cruci suffixit omnium Creatorem? Est, ah est, mea & tua malitia, mea & tua peccata; hæc, hæc sunt tantorum cruciatuum & tam ignominiosæ mortis unica causa: *Propter scelus populi mei percussi eum*, testatur Pater Cœlestis per os Isaiæ Prophetæ; vel, ùt 70. legunt; *Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem.* Quod aliis verbis paulò ante idem Propheta insinuaverat: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*: vel, ùt textus Hebræus habet: *Vulneratus est à transgreßionibus nostris, attritus est à sceleribus nostris.* Scelera nostra sunt Lictores, quæ Deum ac Dominum nostrum ligârunt, raptârunt, percusserunt, conspuerunt, irriserunt, & morte adeò crudeli interemerunt. Luget ipse hanc crudelitatem nostram apud Prophetam Zachariam, à quo cap. 13. v. 6. quæsitus. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* respondet: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me*, vel, ut 70. legunt. *In domo dilecti mei*, q. d. ità tractârunt me, quos tenerrimè amavi; ità tractarunt me, qui infinitis titulis ad me reciprocè amandum obligati erant. *Quid commisisti*, exclamat S. August. Medit. c. 7. *dulcissime puer, ut sic judicareris?* quid

LIB. II. CAP. VI. SECT. VI.

quid commisisti amantissime juvenis, ut adeò durè tractareris? quod scelus tuum? quæ noxa tua? quæ causa mortis? quæ occasio tuæ damnationis? ego, ego sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis, ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagellum. O miserabilis censuræ conditio & ineffabilis Mysterii dispositio! peccat iniquus & punitur justus; delinquit reus, & vapulat innocens; quod meretur malus, patitur bonus; quod perpetrat servus, exsolvit Dominus; quod committit ho.. , sustinet Deus.

Hæc legens & ruminans ingemisce peccator, & deplora amaris lacrymis delicta vitæ tuæ: *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem & noctem, non det requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Thren. 2. 12. Ad hoc quemque fidelem Sancta Mater Ecclesia in Hebdomadâ sanctâ, qua passio & mors Christi recolitur, his verbis emphaticis exstimulat: *Hierusalem, Hierusalem, convertere ad Dominũ Deum tuum.* Ne differas ergo de die in diem ad Dominum converti, ne sacratissimus hic, quem impiè proculcâsti, sanguis, quiq adhuc misericordiam clamat, vindictam, moræ impatiens, in tuî æternam ruinam expostulet.

Cur pœnitentia differenda non sit.

Terribilis quædam, ait S. Paul. ad Hebræ. 10. 27. *expectatio judicii & ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios.* Et cur hoc? *Irritam quis faciens legem Moysis sinè ullâ miseratione duobus vel tribus testibus moritur, quantò magìs putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est?*

SEC-

SECTIO VII.

De Satisfactione ad quam nos exstimulat amor Christi.

LIB. II. CAP. VI. SECT. VII

Æquissimum est ut Deo pro peccatis satisfiat.

QUemadmodum Caritas Christi urget nos ad deflendum peccata nostra, ità & eadem Caritas impellit ad præstandam Deo dignam pro iisdem satisfactionem; non communem & obviam; sed extraordinariam & insolitam. Res æquissima est, ut, qui suavissimum Redemptorem nostrum maximis affecimus injuriis, & crudeli morte, ùt nequissimi latrones occidimus, exercitæ hujus intolerabilis crudelitatis pœnas à nobis exigamus, incumbitque nobis, ut, qui de condigno satisfacere non possumus, satisfactionem præstare conemur tantam, quantam possumus. Si de jure cuique suum reddendum, quid reddemus Altissimo, quem adeò iniquè aggressi sumus, & per summam injuriam in honore & bonis violavimus. Certè cum summo gustu & delectatione in aliqualem satisfactionem ferendum, quidquid adversitatis justissimus judex vel per se ipsum nobis immittit, vel ipsi nobis proprio motu & voluntate imponimus : sunt enim omnes hæ afflictiones gratissima Divinis oculis holocausta, quibus ejusdem Justitia honoratur & placatur. Videbatur S. Catharinæ Genuensi intolerabile, ut habetur in ejus vitâ cap. 20. si Deus vel minimum defectum in eâ impunitum relicturus esset, unde de lucrandis Indulgentiis parum erat sollicita; non quod contemneret, sed quòd

LIB. II. CAP. VI. SECT. VII.

Pœnitentiam pro peccatis agere, est gloriosum.

mallet sua in se delicta per castigationem mulctari, quàm alienis ex meritis, sinè præstitâ ex parte suâ pœnali satisfactione aboleri. Accedit quòd severa pro peccatis imposita & assumpta pœnitentia & satisfactio, maximo nobis sit honori & gloriæ. Laudatur Num. 25. sumi sacerdotis Eleazari filius Phineis, quòd impudentem Israelitam cum Madianitide peccantem, illatamDeo injuriã vindicaturus, in flagranti, ferro transfoderit: parem meretur laudem pœnitens, qui, quas intulit Deo injurias, in se ipso operum pœnalium ferro ulciscitur; imò dignus eò majori laude est, quò ob amorem proprium difficiliùs est, in se, quàm in alio sævire.

Est jucundum & consolatorium.

Nec solùm æquitati consulimus & laudem meremur, si condignâ pœnâ in delicta nostra animadvertamus, sed & maximam pia hæc severitas parit consolationem & delectationem. Vix major è re quapiam percipitur delectatio, quàm illa est, quam adfert sumpta de inimico vindicta; maximè si malum, quod vindicatur, personæ illatum est, quam intensè amamus, & maximi æstimamus. Quanto ergo gaudio non perfundemur, si nos ipsos ob innumeras amantissimo Deo & Domino nostro illatas injurias piè sæviendo castigemus, & de nobis ipsis, ut olim Dei hostibus, ultionem sumamus.

Pœna pro peccatis generosè assumenda, nec ejus remis-

Et licèt Dominus Deus peccata quoad pœnam condonare nobis vellet, nostrum tamen esset generosè gratiam oblatam rejicere, vindictam in nos convertere, & enixè à Deo efflagitare, ut impunita non maneat iniquitas, qua tantæ bonitatis & gloriæ Dominus

nus fuit offensus. Si uni ex duobus, qui Deum æqualiter offendissent, pœna condonaretur, alteri sola culpa reservatâ pœnâ; majorem lætitiæ causam haberet is, si rectum de re judicium feratur, qui punitur, quàm qui sinè pœnâ liber dimittitur. Præclarissimè in hanc rem scribit S.Chrys. hom. 11.in 2.ad Corint. *Dicamus*, ait, *admirabile & rarum & multis fertassis incredibile; major erit consolatio ei qui punitur, postquam exacerbavit tam misericordem, siquidem mentem habeat, & amet Dominum suum sicut amare oportet; quàm ei, qui non punitur; nam etiam hoc communiter evenire, videre possumus; nam qui contumeliâ affecit amicissimum, tunc maximè refocillatur, quando se ipsum in pœnam obtulerit, & graviter patiatur.* Et paulò post: *Si quidem dilexerimus Christum, ùt diligere oportet, peccantes nos ipsos puniemus; nam diligentes quicunque sunt, non malum quiddam pati, propterea, per quæ exacerbaverunt dilectum, est insuave, sed ipsum ante omnia exasperare amicum: etiamsi iste iratus non punierit, magìs torserit amatorem; si autem pœnam exquisiêrit, magìs consolatus erit. Ne igitur gehennam timeamus, sed quòd offendimus Deum.* Si Deum in veritate diligamus, ipsamet nostra nequitia maxima pœna erit, syncerum enim amatorem non tam affligit pœna quàm culpa, per quam pœnam promeruit; culpa enim contrariatur amori, rationi, & legi amicitiæ; pœna autem iisdem est valde conformis.

LIB. II. CAP. VI. SECT. VII

sio petenda.

Et quare.

LIB. II. CAP. VI. SECTIO VIII.

SECTIO VIII.

Proponuntur motiva ad Contritionem imperfectam, sive Attritionem.

Quanta in peccato sit deformitas.

Et in quo illa consistat.

MOtiva, quæ ad eliciendos imperfectæ Contritionis seu Attritionis actus inducunt, secundùm Concil. Trid. sess. 14. c. 4. præcipua sunt, peccati deformitas, & mala ex peccato oriri solita. Quod peccati fœditatem & enormitatem concernit, sciendum est; eam talem ac tantam esse, ut si à nobis, ùt in se est, penetraretur & agnosceretur, tanto nos horrore percelleret, ut exanimes corrueremus. Consistit præcipuè hæc deformitas in eo, quòd ex natura sua à se excludat omne quod Divinum est: ità ut nihil prorsus habeat de Dei Bonitate, nihil de ejus Pulchritudine, nihil de Sapientiâ, nihil de Justitiâ, &c. nihílque in eo amore dignum, etiam per Dei omnipotentiam esse possit; unde Divinæ essentiæ & perfectionibus divinis è diametro opposita, ideóque ipsa essentialis malitia, ineffabilis spurcitia, & deformitas est, omni odio digna, & omni detestabili detestabilior.

Maximā confusionem parit peccatum, dum Dei dispositionem circa hominem evertit.

Peccatum est, quod omnem in homine ordinem invertit, summámque in eo confusionem parit. Creavit Deus hominem non propter res creatas, sed propter se ipsum, ut ab eo in terris honoretur, laudetur, ametur sibíque serviatur, & tandem post hæc salvus fiat. Hunc finem ut homo assequatur, eidem à Deo provisum est de convenientissimis tam naturalibus, ut corpore, animâ, creaturarum plurium usu &c. quàm super-

na-

naturalibus mediis, ut gratiâ sanctificante, virtutibus infusis, Donis Spiritûs sancti, Sacramentis, sacra Scripturâ, &, quod excedit omnes gratias, incarnatione unigeniti Filii Dei, ut his adjutus homo sinè magna difficultate fine suo potiatur. Hanc admirabilem pulcherrimámque Dei dispositionem confundit, dissipat, & evertit peccatum, quámque Deus inter finem & media posuit conformitatem in summum, Divinæ gloriæ hominúmq; salutis præjudicium disturbat; S. Dionysius cap. 4. de Divinis nomin. proprietatem & naturam peccati optimè exprimens, idipsum appellat totalem à naturâ & à Deo ipso, ùt primo omnium rerum Principio & ultimo Fine recessum, omnimodam & totalem ab omni bono separationem, puram putam privationem, defectum, infirmitatem, deformitatem, in quo nulla vita, nulla pulchritudo, nulla ullius boni species inveniri potest, meræ tenebræ, confusio, chaos, & summa imperfectio.

LIB. II. CAP. VI. SECTIO VIII.

Quòd emanantes ex peccato miserias & damna concernit, certum est omnium malorum nos prementium causam, & unicam scaturiginem peccatum esse. *Malorum omnium nostrorum causa peccatum est*, ait S. August. Hom. in Paralyt. Omnia totius mundi mala, omnes confusiones, omnia bella, omnes omnium malorum & miseriarum species ex peccato, ùt fonte, radice & matre nascuntur; sicut nullus torrens est sinè fonte, nullus ramus sinè radice, nulla proles sinè matre; sic nullum in orbe malum existit, quod peccatum non parit. Unde peccatum à S. Scrip-

Nullum in mundo malum, cujus peccatum non sit causa.

tura Daniel. 8. vocatur *desolatio*. Isaiæ c. 59. 4. *Languor & dolor*. Abacuc 1. *Onus & labor*. Psal. 139. *Venenum aspidum* Vocatur *desolatio*, quia omnia susque deque vertit: *languor & dolor*; *onus & labor*, quia omnes languores, dolores, labores, molestiæ hujus & futuræ vitæ à peccato progignuntur; *Venenum aspidum*, quia, sicut juxta Plinium venenum aspidum non solùm amarum, sed & mortiferum est, sic & peccatum, peccatoris intima non solùm amarica per continuam conscientiæ lanienam; sed & infallibilem mortis potum non post multum temporis parabit. Quare mirandum non est, Sanctum Chrysostomum docere, omnium bonorum præcipuum & maximum, quod evenire in terris homini potest, esse, à peccatis abstinere, & si quis in ea lapsus sit, per seriam & dignam pœnitentiam se ad Deum convertere.

SECTIO IX.

Plura motiva ad Attritionem ex damnis animæ per peccatum illatis deducuntur.

Peccatum animam deturpat.

TEtigimus obiter sectione præcedenti in genere multa & magna è peccato emergentia mala; tangemus modò nonnulla in specie, & primò quidem, quantâ deformitate animam peccatum deturpet. Pro quo sciendum, quòd anima hominis justi, si gratiâ sanctificante, virtutibus Theologicis, donísque Spiritûs sancti ornata sit, tantæ támque admirandæ pulchritudinis sit, ut Divinæ

Ma-

LIB. II.
CAP. VI.
SECT. IX.

Majestatis & cœlestium Spirituum oculos in se rapiat, superétque omnem, quæcunque tandem in sæculo hoc dari potest, pulchritudinem. Quamprimum verò peccato inquinatur, omnis in momento decor perit, abominabilis fœtor, & deformitas pulchritudini succedunt. *Candidiores Nazaræi ejus nive*, ait Jerem. Thren. 4. *nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphyro pulchriores.* Candidi hi Nazaræi optimè dici possunt Justorum animæ. Sed quales sunt post peccatum? Audi eundem Prophetam de anima peccatrice eodem loco lamentantem: *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis, adhæsit cutis eorum ossibus, aruit, & facta est quasi lignum, obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, & egressus est à filiâ Sion omnis decor ejus.* Propheta Ezechiel cap. 28. exprimit in personâ Regis in Tyro admirabilem gloriam & decorem Luciferi (ut ordinariè interpretes in hunc locum commentantur) dicítque quòd ante lapsum Angelus hic fuerit *Signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore; omnis lapis pretiosus operculum tuum, sardius, topazius & jaspis, chrysolitus & onyx & berillus, saphyrus & carbunculus & smaragdus, aurum, opus decoris tui, donec inventa est iniquitas in te.* Ob quam omni decore spoliatus, & in tantam abiit deformitatem, ut si eundem oculis corporeis cerneremus, ex mente S. Chrysostomi, exanimes conciderremus. O quàm terribilis unius peccati effectus! per quod præstantissimum omnis creatæ pulchritudinis compendium, maximũ cœli & terræ miraculum, in teterri-

LIB. II. CAP. VI. SECT. IX.

mum totius Universi monstrum conversum est.

Peccatum adimit homini rationem.

Peccatum est, quod jure merito dici potest omnem homini rationem adimere; nunquid enim is ratione carere dicendus est, qui ex unâ parte agnoscit omnium negotiorum negotium esse curam animæ, nec rem excogitari posse, in quo majus studium & sollicitudo figenda, quàm in comparandâ æternâ animæ salute; ex alterâ parte nihil minùs quàm de eâ consequendâ cogitat? toties omni ad eam jure se abdicans, quoties peccatum mortale admittit. Et quid quæso est, quod peccator cœlo carius habet? Est honoris punctulum, est pauxillum voluptatis, est frustulum glebæ micantis. Si peccatum commissum est, scit se Dei & creatoris sui hostem esse, scit se diaboli esse mancipium; scit se in eum devenisse statum, in quo si decederet, rectâ tenderet ad locum tormentorum sinè fine pœnis acerbissimis cruciandus; scit Divinam Nemesin fulgure, fulmine, ferro & igne armatam, ad feriendum expeditam lateri adstare; scit sub pedibus suis inferni patere hiatum, nutum offensi Dei præstolans ad se vivum cum corpore & anima absorbendum; scit se ne momento quidem de longiori vitâ certum, posséque improvisò subitaneâ morte opprimi; & tamen, ò demens cæcitas! periculum non videt, vivit ùt nullius mali conscius, nulli periculo obnoxius: extremâ stat tegulâ jam jam lapsurus in inferni apertas fauces, imò jam labitur; & tamen sine angore vivit, & periculoso fixus loco ne latum unguem recedit; & quòd magis

Quid peccator peccando lucretur.

gis

gis stupendum, inter hæc gravissima nunquam reparandæ æternæ salutis discrimina, quasi extra omnis mali metum, misellus ridet, ludit, jocatur. Quæ major cœcitas & dementia excogitari potest?

LIB. II. CAP. VI. SECT. IX.

Peccatum ex homine facit bestiam.

Peccatum est, quod hominem mutat in bestiam. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*, psl. 48. *Ecce*, ait S. Bernard. in hunc locum, *quomodo de grege facta est egregia creatura; heu tristis & lacrymosa mutatio, qui gloriâ & honore coronatus erat, & constitutus super opera manuum plasmatoris; magis autem ob insigne Divinæ similitudinis præcellebat, mutavit istam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum. Puto, jumenta dicerent, si loqui fas esset: Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis.* Confirmat idipsum potentissimi olim Regis Nabuchodonosoris admiranda mutatio, qui dejectus è solio, coronâ, sceptro, & purpurâ spoliatus, ratione captus, in bestiam se mutatum sibi persuadebat; unde humano consortio se subtrahens cum bestiis vivebat, fœno & gramine pastus. Quàm stupenda mutatio! qui paulò ante sublimatus in solio, numeroso stipabatur famulitio, jam feris sociatus omni rationis usu caret. Quæ mali hujus causa? unicum peccatum: quod in animam hominis multo adhuc fœdiorem metamorphosin inducit. Detestemur igitur illud ex toto corde, ex toto animo, ut malum malorum omnium maximum, sinè quo felicissimi; cum quo infelicissimi sumus.

SECTIO X.

Duo alia ad imperfectam Contritionem motiva, fundant se in hoc, quòd peccatum ex animâ Deum exturbet; Diabolum econtra, ùt hospitem & incolam, admittat.

Deus in homine justo habitat per gratiam, essentiam, & personam.

CErtum est ex sacrâ scripturâ modo prorsus singulari Deum habitare in cordibus nostris. *Deus*, ait S. Joannes, 1. cap. 4. *Caritas est, & qui manet in Caritate, in Deo manet, & Deus in illo.* Quod intelligi debet non tantùm de præsentiâ quoad gratiam, sed etiam quoad essentiam & Personam; docet enim D. Thom. 1. p. q. 43. art. 3. quod in ipso dono gratiæ gratum facientis Spiritus sanctus habeatur, & inhabitet hominem; ità quidem, ùt, si per impossibile ante infusionem gratiæ Deus per immensitatem in animâ præsens non fuisset, illico in personâ compareret, tamdiu ibidem substiturus, quamdiu gratia sanctificans præsens est. Unde dicit S. Paul. 1. cor. 3. *Spiritus Dei habitat in vobis. Templum Dei estis vos.* Et iterum 2. Cor. 6. *Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis.* Et ità per intimam hanc unionem & cohabitationem, gratiæque sanctificantis communicationem, Deus facit hominem suum filium, teste Davide ps. 81. *Ego dixi: Dii estis & filii Excelsi omnes.* Quem locum ità interpretatur S. August. in psal. 49. *Manifestum est, quia homines dicit Deos ex gratiâ suâ deificatos, non de substantiâ suâ natos: ille enim justificat, qui per semetipsum, non ex alio justus*

Per hanc inhabitationem homo fit filius Dei.

stus est; & ille deificat, qui per se ipsum non alterius participatione Deus est; qui autem justificat, ipse deificat, quia justificando filios Dei facit. Quis intellectus humanus capere sufficit infinitam illam excellentiam, ad quam homo evehitur per adoptionem ad filiationem Dei, imò ad Deitatem ipsam? Quis capiet immensos illos thesauros his paucis S. Pauli Apostoli verbis 2. Cor. 6. comprehensos? *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.*

LIB. II. CAP. VI. SECT. X.

Templum Salomonis rudis figura fuit anima justi.

Stupendum opus fuit Salomonis templum, in quod solum plùs auri & argenti aliarúmque pretiosarum materiarum insumptum fuit, quàm in notissima illâ septem Orbis Miracula simul: In hoc ædificio omnem suam scientiam, sapientiam, & intellectum sapientissimus Regum Salomon exhausit; & tamen nuda solùm delineatio, figura, & exigua umbra animæ hominis justi hæc structura fuit; cùm enim ex omnium Angelorum & hominum judicio Deus perfectissimum Ens sit, luce clarius est, nullam creatam pulchritudinem in comparationem venire posse cum homine, qui filius Dei, imò quodammodo Deus ipse est. *Ut filii Dei nominemur & simus*, 1. Joann. 3. Estque una justi anima majori apud Deum loco, quàm infinitus hominum peccato infectorum numerus. *Ex quo honorabilis factus es in oculis meis*, ait Deus apud Isaiam cap. 43. *& gloriosus, ego dilexi te, & dabo homines pro te & populos pro animâ tua.*

Per peccatum homo deformatur.

Hæc animæ dignitas, prærogativa & decor durat, quamdiu peccato caret; at hoc si subintret animámque commaculet, omnis

decor

LIB. II. CAP. VI. SECT. X.

decor marcessit, gloria perit, omnis honor vertitur in opprobrium, & admiranda hujus templi facies, tanto olim splendore radians, fœdatur, profanatur, & in fœtens stabulum deplorandâ metamorphosi convertitur. Non secus ac evenit Templo Hierosolymitano sub impio Rege Antiocho 1. Machab. 1. *Accepit*, ùt loquitur textus, *altare aureum, candelabrum luminis & universa vasa ejus, & mensam propositionis, & phialas & coronas.* Quod fecit Antiochus in Salomonis templo, idem facit peccatum in anima à Deo per peccatum recedente: Unde peccator vocatur à Jobo cap. 15. *Abominabilis & inutilis*; vel, ùt vertit Vatablus: *Fœtidus & maleolens.* Oseas eum vocat: *Vas immundum*, cap. 8. alii: *Factus est quasi matula in Minoe.*

Ad hoc, peccatum Deum ipsum ex anima exturbat, & cum eo omnem felicitatem; econtra diabolo locum assignat, qui eandem sibi subjicit, tabernaculum in ea figit & tyrannico imperio dominatur. Possétne animæ gravius malum accidere, quàm derelinqui à Deo. Inter omnes olim Israelitico populo intentatas minas, terribilissima fuit comminatio hæc: *Væ eis, cùm recessero ab eis.* Oseæ.c.9. Quia enim Deus unica omnis boni causa est, necessariò eo recedente omne malum pleno impetu in nos ruit.

SEC-

SECTIO XI.

Aliud motivum ad imperfectam Contritionem est, quia anima à peccato occiditur.

Quo sensu anima mortalis & immortalis sit.

LIcèt anima ex naturâ suâ immortalis sit, certo tamen modo morti subjecta est, & occidi potest. *Humana anima*, ùt docet S. Gregor. Libr. 4. moral. *ità immortalis est, ut mori possit, ità mortalis ut mori non possit; nam beatè vivere, sive per vitium sive per supplicium; essentialiter autem vivere, neque per supplicium amittit; à qualitate enim vivendi deficit vita & mors, sed omni modo subsistendi interitum nec moriens sentit: ut ergo breviter dixerim, & immortaliter mortalis est, & mortaliter immortalis.* Vita & mors animæ, prout hìc de iis agitur, consistunt in præsentiâ vel absentiâ Dei per gratiam, quæ respectu animæ habent se, sicut præsentia & absentia animæ respectu corporis; præsente animâ corpus sentit, movetur & vivit; eâ recedente, sensu, vitâ & motu caret; sic anima, recedente gratiâ sanctificante ùt vitâ, moritur; præsente vivificatur. *Sicut anima*, ait S. August. serm. 1. de verb. Dom. *est vita corporis; sic animæ vita est Deus: sicut exspirat corpus, cum animam emittit; ità exspirat anima, cùm Deum amittit: Deus amissus mors animæ, anima emissa mors corporis.* Quomodo verò hæc mors per peccatum animæ inferatur, explicat S. Jacob. cap. 1. *Unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus; deinde concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò, cùm consummatum*

Quænam sit vita & mors animæ.

LIB. II. CAP. VI. SECT. XI.

Quibus gradibus perveniatur ad peccatum.

fuerit, generat mortem. His verbis indicat S. Apoſtolus gradus, quibus ad peccatum deſcenditur, ponítque loco graduum tres diverſos animi motus; qui à S. Gregor. & Venerab. Bedâ, vocantur Tentatio, Delectatio, Conſenſus. Tentatio eſt, cùm hoſtes noſtri: mundus, caro, Diabolus bonum aliquod delectabile contra vel præter legem Dei nobis objiciunt, allicientes & ſuadentes, ut Deo ſepoſito illicitum amplectamur; hæc tentatio peccatum non eſt, cùm nihil operetur liberum hominis arbitrium; ſi autem tentationi eouſque auſcultemus, ut homo inferior nonnihil ſe in objecto delectet, culpa venialis eſt, quia pars ſuperior negligenter repulit, quod illicitè delectabat; ſi verò pars ſuperior inferiori non tantùm non reluctetur, ſed & eidem conſentiat, & in malo complaceat, jam culpa commiſſa eſt, venialis vel mortalis pro qualitate materiæ. Rem hanc ulteriùs elucidat S. Auguſt. libro de Geneſ. contra Manich. cap. 14. docens, eiſdem ordinariè gradibus peccatorem ad peccatum pervenire, quibus olim Adam in Paradiſo. Serpens tentavit Evam, eidem exhibendo pomum vetitum ad veſcendum ſuave; Eva per inſtantias & preces traxit ad ſuas partes Adamum, qui Evæ conſentiendo peccatum commiſit, & eodem loco expertus eſt, quod eidem Dominus minatus fuerat: *Morte morieris.* Serpens eſt tentatio; Eva concupiſcentia; Adam verò anima rationalis; quæ dum illicitis motibus conſentit, peccati ſe ream facit. Poſt peccatum ſequitur expulſio ex paradiſo, cujus poſſeſſio in

Explicatur tentatio & conſenſus.

LIB. II. CAP. VI. SECT. XI.

in hac & in altera vita nos mansisset; & tandem deploranda mors animæ.

Peccator vivens mortuus est.

Manet igitur verissimum animam occidi à peccato, omnémque peccatorem, esto robustus, vividus & vegetus forinsecus appareat, revera tamen miserabili morte defunctum. Unde Christus Luc. 15. prodigi filii patrem ità loquentem adducit: *Frater tuus hic mortuus erat & revixit.* Eodem modo in Apocal. cap. 3. Angelus peccatorem alloquitur: *Scio opera tua, nomen habes quòd vivas, & mortuus es*, q. d. Quis videns te manducare, bibere, ambulare, &c. crederet te esse mortuum? sed ego te in cute novi, vivens mortuus es. De se fatetur Propheta Regius David, quòd sedens in throno circumdatus chlamyde & purpurâ, multis stipatus satellitibus, mortuus & sepultus fuerit, ps. 143. *Collocavit me*, ait, *in obscuris sicut mortuos sæculi.* q. d. contigit mihi, quod peccatoribus, quibus scatet mundus, contingere solet, qui etsi rideant, ludant, saltent, edant, bibant, noctes diésque inter voluptates transigant, verè tamen mortui sunt. S. August. serm. 28. de verb. Apost. eleganter hanc mortem exponit: *Quia* (peccator) *pedibus ambulat, quia manibus contrectat, quia oculis videt, & audit auribus, officiis cæteris membrorum satis utitur, viventem putas; vivit sed corpus ejus, mortua est autem anima ejus, mortuum est, quod melius est ejus: vivit habitaculum, mortuus est habitator.* Et paulò post: *Moritur corpus cum recedit anima, moritur ergo anima si recedit Deus: recedit anima cum corpus percutitur gladio, & putas quò non recedit Deus, cum ipsa anima feritur perjurio?*

LIB. II. CAP. VI. SECT. XI.

Multa incommoda toleramus pro salute corporis.

Quia ergo tantis malis nos involvit peccatum, animámque miserandâ morte perimit; quis non videt summo studio cavendum, ne illud committatur, amarísque lacrymis deflendum, si commissum sit. Maximus, qui à naturâ homini insitus est amor, est amor vitæ; maximus timor, est timor obeundæ mortis; terribilium enim omnium mors est terribilissimum. Ut vitam servemus, quas non subimus molestias? nullus labor adeò difficilis, quem non amplectimur; nullum iter adeò molestum, quod non conficimus; nulla medicina adeò amara, quam non promptè epotamus; aerem fugimus, inter cellæ angustias nos recludentes, ne noceat; patimur ferrum & ignes, dummodo vitam servare & mortem evadere his mediis possimus.

Plura toleranda pro salute animæ.

Si toleremus hæc pro salute corporis, quæ & qualia non decebit subire pro conservatione animæ, quæ infinitè corpore pretiosior est; hanc si perdamus, Deum ipsum perdimus, & rei læsæ Divinæ Majestatis declaramur. Quis ergo peccatum non vitabit tantorum malorum unicam causam? insanus certè, qui se ipsum tot malis objicit, cùm facilè se iis liberare possit. Mors corporis inevitabilis est: moriendum semel est; quidquid tandem in oppositum laboremus; mors econtra animæ in nostra est potestate, nec à nemine nobis, nisi à nobis ipsis inferri potest; ità, ut anima à nemine nisi à seipsa occidatur.

Quàm horrendũ facinus sit, animã

Stupendum & horrendum hoc auditu est, & tamen ipsissima veritas est. Nunquam lectum vel auditum est, ferocissima etiam ex naturâ suâ animalia in se ipsa desæviâsse

vis̃se ſeq; diſcerpſiſſ; extrema tentant ut vitam ſervent. Et tamen tu ò homo, ſi peccas, in te ipſum beſtiis crudelior deſævis, & animam tuam nobiliſſimam tuî partem fœdè ſauciatam occidis, dilanias, diſcerpis. Si porrecto gladio tibi præciperetur, ut te ipſum jugulares, credo ſanè ad tantum facinus horreres, tremeres, gelidus ſudor totum corpus occuparet, pavor adimeret vires, ut ne gladium quidem, in hanc tuî necem manu tenere poſſes. Quis ergo timor non debebit occupare animum tuum, ne animam interimas, quæ infinitè carior tibi eſſe debet corpore? atq; adeò peccatum mortale ſummo ſtudio vitandum; hoc enim feralis illa fica eſt, quâ vita animæ adimitur.

LIB. II. CAP. VI. SECTIO XII. *per peccatum occidere.*

SECTIO XII.

Pœnitentia de peccatis indilatè agenda, & quare.

CErtè ſummo ſtudio ob mala quæ adduximus peccatum fugiendum eſt; ſed quia ob innatam naturæ noſtræ corruptionem infirmi ſumus, ſœpe vincimur, & in peccata labimur; quod ſi evenerit, omni morâ ſepoſitâ ad pœnitentiam recurrendum. *Pœnitentiam agite*, ait Salvator Matt. 3. Et Matt. 4. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis. Iniquitas omnis parva magnáve*, ut loquitur S. Aug. Concione 1. in pſ. 58. *puniatur neceſſe eſt, aut ab homine pœnitente, aut à Deo vindicante: vis non puniat Deus? puni tu. Si Deus Angelis peccantibus non pepercit*, 2. Petr.

Sinè pœnitentiâ nullum dimittitur peccatum.

LIB. II. CAP. VI. SECTIO XII. *Adducuntur exempla quæ negligentes in agendâ pœnitentiâ merito terreant.*

2. *sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, quid nos misellos vermiculos manebit, nisi in tempore confugiamus per pœnitentiã ad misericordiæ viscera? Expulsio primorum Parentum ex Paradiso, depluus de Cœlo ignis super Pentapolin, acerbissima supplicia & ignominiosa mors, quam subeundam decrevit unigenito Filio suo æternus Deus, quàm non terrefacere debent infirmos nos homunciones; *quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Luc. 25. Si iratus Pater ob iniquitatẽ nequissimi & rebellis servi sui, ità castigat amantissimũ & ab æterno dilectũ Filium suũ; quâ non pœnâ castigabit mancipium ipsum & perduellem servum? si in virgineam Christi carnem adeò durè sæviêrit, quid fiet animæ nostræ immundæ sexcentis peccatorum maculis inquinatæ? Quid ad hæc nobis animi? Si acerbissimas pro peccatis meritas plagas fugere, & iram justissimi judicis placare cupimus, sinè morâ currendum ad offensum Patrem & lacrymantibus oculis indilatè misericordia imploranda. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira & in tempore vindictæ disperdet te.* Eccles. 58. Ut ad hoc inciteris, rumina & expende frequenter, quæ subjicimus, ad pœnitentiam sinè morâ agendam motiva, quorum

Motivum primum ad pœnitentiam citò agendam est periculum.

Primum est, periculum subitaneæ & improvisæ mortis. Quis enim mortalium sibi, ne dicam diem, sed horam promittere potest? cùm innumeræ subitæ mortis exempla oculis obversentur. Dicis te in optima ætatis flore perfectâ frui sanitate; sed quod ætate, viribus & sanitate tibi pares improvisa

mors

LIB. II. CAP. VI. SEC. XII.

Subitanea mortis.

mors sustulit, & ante Divinum tribunal stitit eo tempore, quo nihil minùs quàm mortem cogitabant? Quot è lecto surrexerunt sani manè, qui vesperum non viderunt? Quot lectum ingressi viribus & sanitate integris, facto manè exanimes inventi sunt? Quot occubuerunt inter lusus, pocula, sales, voluptates, Veneres? Supervacaneum est hanc rem luce clariorem adductis exemplis confirmare; circumspice & sufficientia in hanc rem exempla memoriæ occurrent. Nunquid idem contingere tibi potest, qui ex eadem massâ & limo, ùt ii, compactus es? *Non sanitati*, monet Cæsarius Arelatensis, *credendum est, non ætati; in remedia salutis suæ semper tardus est, qui vitæ suæ incertus est.* Deus bone! quàm citò de vitâ nostrâ actum est. Multâ certè violentiâ opus non est; tegula in caput lapsa, transversa in gutture spina piscis, ossiculum, uvæ acinulus, frustulum panis &c. sufficiunt ad animam è corpore expellendam: quis, quæso te, simili periculo exemit? *Unde stultissimum est*, ait Euseb: gallicanus hom. de latrone, *ut causa, quæ de necessitatibus agitur æternis, mutabilitatibus vitæ deficientis committatur extremis.*

Secundum, incertitudo divinæ gratiæ.

Secundum. Incertitudo Divinæ gratiæ. Agnoscis & credis pœnitentiæ dignos fructus facere te non posse sinè gratiæ divinæ efficaci opé: dato igitur quòd vitam tuam in senectam protracturus sis, quis promisit quòd Deus, si peccare pergas, ad nutum tuum daturus sit gratiam tempore quo tu voles? Deditne tibi hujus gratiæ promissionem manu suâ & sigillo firmatam? Nihil minùs. Con-

LIB. II. CAP. VI. SECT. XII.

trarium potiùs timeri potest, maximè quia per dilatam pœnitentiam malo crescunt vires, & velut pondere ad plura traheris, qui pauca per pœnitentiam abolere neglexisti; & ità peccatis immersus per protractam moram te gratia indignum reddis: & ùt dicit S. Paul. ad Rom. 2. *Secundùm duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die Domini:* & Deum quodammodo cogis ut gratiam deneget, cùm maximè egebis. Deinde per peccatorum repetitionem, pœnitentiam & conversionem reddis difficiliorem ob malam consuetudinem, quæ tandem ità prævalet, ut extirpari nisì difficillimè non possit. Peccator immediatè post lapsum de pœnitentia cogitans mederi malo facilè potest, sed qui differt, & peccatum peccato addit, dat vitio vires, quæ eum ità obstrictum tenebunt, ut fermè sinè miraculo se extricare, & consuetudinem cum vetere homine exuere non possit.

Tertium motivum peccatoris infelix conditio.

Tertium. Esto quod de longa vita, & de gratia tibi in tempore opportuno affutura certus esses, deberes nihilominus ne per horæ spatium pœnitentiam differre. Quamdiu enim peccato infectus es, abjectissimæ conditionis es, privatus honorifico illo titulo, quo Filii Dei nominamur & sumus; tantùm enim abest, ut illo tempore, quo in peccato hæres, Dei sis filius, ut etiam professus sis tantæ bonitatis hostis, Diaboli mancipium, privatus gratia sanctificante, & aliarum virtutum nitore, quæ paulò ante supra omnes naturæ excellentias te efferebant; omnium tuorum meritorum miserandam fecisti jactu-

ram,

ram, nec quidquam mereri potes, esto solus omnia facias, quæ facere homo potest, nec ulla communione bonis Fidelium operibus jungeris. Edic amabo, vellésne lethali vulnere in corpore saucius ad dies quatuor, quinque vel sex, sinè adhibito remedio manere? Nunquid statim Chirurgo te committeres, eíque modo optimo tua vulnera recommendares? Ergone lapsus in sordidam cloacam integra septimana luto fœdatus circumires? nunquid ad lavacrum anhelares? Si bona tua furto tollerentur, ergóne post mensem priùs in furem inquireres? Quid ad hæc Charissime, quid ad hæc dicis? Utique & læsus, ais, remedium statim quærerem, & fœdatus ad loturam statim currerem, & spoliatus in furem statim inquirerem. Cur ergo denegas animæ, quod corpori tam sollicitè tribuis? Cur non statim, statim sinè mora afflictæ succurris animæ, qui tam prompta ope ades putrido corpori?

LIB. II. CAP. VI. SECTIO XIII. *Corpori vel fœdato, vel læso, statim succurritur, ergo & animæ statim succurrendum.*

SECTIO XIII.

Adducuntur aliquot perfectæ Contritionis actus.

UT nonnihil luminis pœnitens habere possit pro eliciendis veræ contritionis actibus, unum vel alterum proponemus; sit igitur

Primus. *O quàm pœnitet me Deus meus & omnia, quàm pœnitet me, quòd abjectissima ego creatura tua, ego vilis terræ vermiculus injuriaverim Te; Te summæ Majestatis & infinitæ bonitatis Patrẽ & Dominum. Ah pœnitet me, omniáque à me*

LIB. II. CAP. VI. SECTIO XIII.

commissa peccata extremè detestor, quia horrendā Tibi per hæc intuli injuriam. Misericordiam o Deus, misericordiā: hanc oro, hanc ad pedes tuos prostratus humillimè efflagito, sanctè appromittens, omnem me pro iis possibilem satisfactionem Tibi exhibiturum, me summo honore Te prosecuturum, omnémque delaturum cultum, ad quem fidelis anima obligata esse potest.

Secundus. *Gemitibus inenarrabilibus, oculis plorantibus, flexis genibus, ligatis in altum erectis manibus, abjicio me coram te, Amantissime & suavissime Salvator; & geminatis vocibus Misericordiam, Misericordiam ingemino, & inclamo: Ignosce, ah ignosce peccatis, verbo, cogitatione, & opere à me in Te commissis; displicent mihi, quia displicent Tibi; displicent, ah displicent, & ex toto corde de iis doleo, quia tam crudeli lanienâ in te sævierunt. Ah misericordissime Domine, quid fecisti mihi, quòd adeò durè tractaverim Te? ò me omni belluâ ingratiorem, qui talem ac tantum benefactorem, à quo habeo, quidquid habeo, adeò protervè & scelestè offendi.*

Tertius. Statue te ante imaginem Crucifixi, respice in vulnera & clavos tuî causâ ad diluenda scelera tua ex amore suscepta, & hunc Crucifixum pro te Dominū tuū his vel similibus ex amoroso pectore depromptis suspiriis alloquere: *O Salvator mi infinitè suavis, infinitè misericors, unica vitæ meæ salus, author omnis boni, qui descendisti de cœlis, ut per acerbissimos dolores, quos Te pati video, peccata mea deleas, & debitas pro iis pœnas sustineas. En miserū me benignissime Salvator, en compareo coram Te gemens & dolens, quòd hos Tibi cruciatus inflixerim per mea peccata. O quàm doleo, quàm confundor &*

eru-

erubesco! cogitans me tantorum dolorum causam; qui peccatis meis id solùm effeci, ut Te crucifigerem Deum meum, summum & infinitum bonum. Demissis itaque oculis procido coram Te, & ad pedes tuos in longum prostractus adjuro Te per omne id, quod Te movere potest. Recipe me in gratiam tuam, ne disperdas, ut meritus sum, miserum me cum fiduciâ ad Te recurrentem, sed eò ampliùs pateant mihi viscera misericordiæ Tuæ, quo minùs iis dignus sum.

Quartus. *Quia ô Domine Deus meus, dolor, quem de Te offenso sentio, & detestatio de peccatis meis, tam intensa non sunt, ùt deberent, & ego ex toto corde cuperem; hinc peto instantissimè à Te ô Deus infinitæ sanctitatis, loco illorũ dignare suscipere illud odiũ, quo Tu ipse peccata detestaris; illámque detestationem, qua unigenitus Filius Tuus Redemptor meus totius mundi, & specialiter mea peccata detestatus est, & per hanc, doloris, detestationis & satisfactionis meæ defectum supplere.*

Dum hi similésque actus eliciuntur, expedit, ut simul externum aliquod pœnitentiæ opus assumatur, ut per hoc animus ad dolorem & detestationem eò efficacius permoveatur, reddatúrque pœnitentia & Deo acceptior, & nobis utilior.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

LIBRI III. PARS I.

CAPUT PRIMUM.

Verus amor non consistit tantùm in affectu, sed etiam in operatione.

COELESTIS Sponsus instructurus Cant. 8. Sponsam suam, qua ratione se in a-

LIB. III. PARS I. CAP. I.

ctuali amore exercere debeat, ait: *Pone me ùt signaculum super cor tuum, ùt signaculum super brachium tuum.* His verbis Sponſam & nos omnes inſtruit, non ſatisfieri perfecto amori per ſolos affectus; ſed & manum operi admovendam, nec ulli parcendum labori, ut ea opere ipſo exequamur, quæ novimus amato placere. Et ſi tantùm in ſolis affectibus v. g. Amoris, Complacentiæ, Benevolentiæ, Præferentiæ, &c. de quibus ſuprà egimus, ſiſteremus; timeri non ſinè fundamento poſſet, ſimilem amorem eſſe tantùm imaginarium, & ex naturali potiùs complexione, quàm ex vera & ſolida virtute ortum. *Dulcis in Deum affectus* juxta Richard. de S. Victor. Conc. 6. in Cant. *quodammodo carnalis eſt, & fallax, & humanitatis interdum potiùs quàm gratiæ, cordis quàm ſpiritûs ſenſualitatis quàm rationis.* Unde fieri poteſt animam imperfectam ſenſibiliùs moveri ejuſmodi affectibus, ignémque amoris ardentiùs ſentire, quàm animam perfectã Deo per purum & ſyncerum amorem adhærentẽ, quæq; in perfectione longè illa priore eſt excellentior. Clemens Alexand. libr. 7. ſtromatum, illum dicit eſſe in veritate & ſolidâ virtute Deum quærentem, non qui ſimiles animi delicias ſentit, iiſque putat rem omnem eſſe confectam; ſed qui iis immoratur affectibus cum effectu, h. e. fructum operis afferentibus v. g. inſuperabile patientiæ robur in adverſis, immutabilem conſtantiam in perferendis injuriis, contemptum rerum creatarum, intenſum amorem Proximi, ſingularem cum Divina voluntate conformitatem; verbo,

Amor ſinè operibus eſſe non poteſt.

bo, juge virtutum solidarum exercitium. Et quomodo quæso amor tuus esse potest verus & genuinus; si occasione ferente harum virtutum exercitium horreas? Nunquid hic vel similis affectus: *Deum meum super cœlum & terram, super omnia, quæ in eis sunt, amo:* nunquid, inquam, hic actus mente sola elicitus, sterilis est, si promiscuè, ubi de Dei obsequio & honore agitur, creaturas illi anteponas? Quid aliud similes affectus sunt, quàm inanis fucus, inanis cortex sinè nucleo? Si amor est, operibus signandus est, sinè quibus amor non est. Unde Christus volens ponere lydium amoris lapidem, non affectus, sed opera assignavit Joann. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Et iterum: *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est, qui diligit me.* Affectus interim planè rejiciendi non sunt, cùm sint principium, & primus quodammodo amoris flos; sicut igitur fructus non maturescit sinè flore, sic nec perfectus cum operibus amor sinè affectibus; in quibus proinde seriò nos exercere debemus; per hos enim animus ad heroica, ardua, & admiranda pro Deo subeunda disponitur; cùm enim amor inter omnes Passiones potentissima, perfectissima, & omnium virtutum Regina sit; hinc sequitur, quòd admirabilium operum patrator & effector sit. Amor mille habet manus, mille pedes in obsequium Dilecti promptos & pronos. Ingeniosè ubique amor quærit, an quid invenire possit, quo Dilectum recreet & delectet. *Amor*, ait S. Bern. cap. 15. Cœlest. Hierarch. *facit operari indesinenter. Dilectio*, secundùm August.

Opera lapis lydius amoris sunt.

Quid boni afferant affectus.

Ingeniosus amor.

LIB. III. PARS I. CAP. II.

Semper operatur.

August. præfat. in pſ. 31. *Vacare non poteſt, da mihi vacantem amorem, nihil operantem?* q. d. Eſt impoſſibile, ut quis verè amet, & non ſimul pro amato laboret. *Nunquam eſt amor Dei otioſus*, ait S. Greg. hom. 50. in Evang. *Operatur etenim magna, ſi eſt; ſi verò operari renuit, amor non eſt.* *Amor*, ait S. Thom. Aq. opuſc. 61. *operatur magna & reputat parva; operatur multa & reputat pauca; operatur diu & reputat breve.* Innuit idipſum Spiritus S. Cant. 8. 7. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domûs ſuæ pro dilectione*; vel, ſecundùm 70. *Omnem vitam ſuam in dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam*, q. d. etiamſi vitam ipſam amori immolet, nihilum reputat. Anima, quæ Deum in veritate quærit & amat, nunquam fatigatur; poſt plurima in honorem & obſequium Dilecti expleta opera; licèt jejuniis, vigiliis, aliiſque mortificationibus ſe exhauriat, nihil putat ſe feciſſe. Amor eſt ille ignis, de quo Prover. 30. 16. qui nunquam dicit: *Sufficit.* Quoſnam verò effectus & operationes præcipuè amor producere debeat, in ſequentibus dicemus. Sit ergo

CAPUT II.

Amor jugem de Amato in Amante excitat memoriam.

Amans de amato ſemper cogitat.

QUamprimum amore cor hominis occupatum eſt, omnes in Amatum cogitationes, affectus & deſideria, cum maximâ geſtientis animi lætitiâ & conſolatione dirigit. Unde Ariſtoteles 1. Rhetor. aſſerit, primum amoris ſignum eſſe, de Amato ſæpe cogitare. *Vis noſſe*, ait S. Laurent. Juſtin. in ligno

vit.

Vit. Tract. de Charit. c. 4. *Ubi thesaurizas? attende quid amas: Vis nosse quod amas, attende quid cogitas; ità fit, ut thesaurum tuum ex amore cognoscas, ut amorem tuum ex judicio cogitationis intelligas.* Quisquis ergo Deum in veritate diligit, sœpe de eo cogitat, & ex intimo cordis affectu se eidem unit; si amor vehemens & in gradu sit excellenti, jugiter omni loco & tempore de dilecto cogitat; continuò eidem per suspiria & desideria adest, nec ulla creatura vel minimum in memoriâ locum obtinet, solus dilectus, & ea quæ dilectum concernunt, totum occupant. Hic amor dicitur *Vulneratus*: Sicut enim qu[illegible] neratus est, de nullo nisi de suo v[illegible] vulnerante cogitat; ità etiam [illegible] sagittâ tactum & penetratum, [illegible] de vulnere & vulnerante Dilecto [illegible] *cor percussum videtur*, ait Richard. à S. [illegible] de grad. violent. caritat. *quando igneus ille amoris aculeus mentem hominis medullitus penetravit, affectúmque transverberavit in tantùm, ut desiderii sui æstum cohibere vel dissimulare omnino non valeat? desiderio ardet, fervet, affectu æstuat, anhelat profundè ingemiscens, & longa suspiria trahens, ut dicat: Vulnerata Caritate ego sum. Nónne verè & absque ullâ contradictione animus ligatus est, quando hoc unum oblivisci aut aliud meditari non potest? quidquid agat, quidquid dicat, hoc semper mente revolvit, perenníque memoriâ retinet, hoc dormiens somniat, hoc vigilans omni horâ tractat.*

Deum amans de Deo cogitat, semper & ubique.

Amor vul[illegible]

Tactus hoc amoris ictu validissimè fuit S. Paulus, ità ut diceret ad Gal. 2. *Vivo ego, jam non ego vivit verò in me Christus.* S. Thom. hunc locum

Ex amore vixit S. Paulus.

locum explicans, ait, quòd, ſicut amanti v.g. ſtudia vel venationem, ſtudia & venatio ſunt ipſius quodammodo vita, recreatio, & omnis occupatio; Sic & S. Paulo Chriſtus vita fuit: dum omnes cogitationes, affectus, deſideria, omnes corporis animæque operationes in amatum Chriſtum direxit; In hoc ſolo omnis ei voluptas, omne gaudium, omníſque recreatio fuit. Theophil. in 2. ad Cor. hunc Pauli amorem deſcribens, ait: *Inſaniebat Paulus amatoriâ quadam inſaniâ Deum amans, ut amatoris inſtar illi vivens extra ſe ipſum raptus, ac totus in Deum translatus, nec ſuam ipſius vitam vivens, ſed illius quem amat, planè* [illegible] Ulteriùs declarat caritatis effe- [illegible] à S. Victore de grad. violen. [illegible] *m alium affectum excludit, unum diligit, unum ſitit, unum concupiſcit,* [illegible] *anhelat, in unum ſuſpirat, in uno in-* [illegible]*cit, in uno requieſcit, nihil dulceſcit, nihil ſapit niſi hoc uno condiatur: quidquid ultro ſe offerat, quidquid ſponte occurrat, citò rejicitur, citò conculcatur, quod ſuo affectui non militat; quidquid agat, quidquid dicat, quidquid cogitet, inutile, imò intolerabile videtur, niſi in unum deſiderii ſui finem concurrat.* Ex his verbis manifeſtè patet, quænam in amantis cordis ſolitudine agantur. Videamus nunc quid ſit hæc cordis ſolitudo, & in quo conſiſtat.

Effe[illegible]

CAPUT III.

Quid ſit Solitudo cordis, & quantorum bonorum origo.

Duplex ſolitudo

SIcut in anima hominis duæ potiſſimum reperiuntur Potentiæ, Intellectus & Vo-

Voluntas; ità & in ea dantur duæ solitudines, una Intellectûs, altera Voluntatis; Solitudo Intellectûs est sepositio inutilium cogitationum; in qua solitudine habitatur, si præcluso rebus terrenis aditu, vanis imaginationibus & phantasmatibus resistatur. Solitudo Voluntatis est denudatio affectuum, quando voluntas omnibus passionibus libera, amorem suum à creaturis abstrahit, eúmque soli Deo impendit. Hæc solitudo optimè dici potest sacer mentis recessus. Quid boni hæc solitudo & recessus pariant, nonnihil examinemus.

LIB. III. PARS I. CAP. III. *intellectûs & voluntatis.*

Sedebit solitarius & tacebit, quia lev[illegible] *se*, Thren. 3. 28. sedet in hac my[illegible] dine anima, profundâ in Deum [illegible] pta; Intellectus & Voluntas Deo [illegible] illum considerant, illum intuentur, [illegible] perfectiones attonita mirantur. Generosissimos solitaria hæc anima elicit amoris actus, de Dei gloriâ & felicitate gaudet, omne bonum ei precatur, suam illius voluntati conformat, fide vivâ credit, spe firmâ confidit, in profundissima reverentia Deum adorat, magnificat, laudat, omnia purissimâ in Deum intentione dirigit, ei se plenissimè subjicit, in profunda humilitate se coram illo deprimit, remissionem defectuum petit, gratias agit, & innumeros alios virtutum actus in gradu excellenti semper & ubique cum maximo fructu & gustu elicit.

Solitudo [illegible] *nes.*

Hæc sancta solitudo suos in ipsum etiam corpus fructus derivat; talis enim solitarius semper est recollectus, silentio deditus, nulli negotio, quod Dei gloriam vel proximi salu-

Solitudinis spiritualis effectus.

LIB. III. PARS I. CAP. III.

ſalutem non promovet, ſe implicat, de novis non eſt ſollicitus; maximo ei gaudio eſt, ſi neſciat id, quod ad eum non pertinet, occupare enim ſatìs ſe poteſt dilecto ſuo, quo ſolo ſcit ſe abunde beatum; nec unquam minùs eſt ſolus, quàm ſi ab hominum conſortio ſeparatus; invenit in mediis turbis, in mediis compitis & urbibus æquè ac in locis Sacris Dilectum ſuum, & cum & in illo majorem delectationem & guſtum, quàm ex ulla re creatâ percipi poſſit: & ſi per inconſiderationem ſuî oblita, in recreatiunculas vanas & nugas nonnihil ſe effundat, ſtatim ſe retrahit, ſciens ſe nihil reportare nisì di- [illegible]es, mentis inquietudinem, Caritatis [illegible]em, & varias alias imperfectio- [illegible] ſimilis teneræ complexionis vir- [illegible], aſſuetæ toto brumali tempore calinæ adhærere fornaci; hæc, ſi caſu foras prodeat & aſpero affletur vento, illico fornacem repetit, ventum & acre frigus exoſa.

Difficultates in comparandâ hac ſolitudine occurrentes, generosè vincenda.

Res eſt, dicet aliquis, jucundiſſima quidem & utiliſſima, hæc mentis ſolitudo; ſed impetratu difficilis, arduúmque eſt, Intellectum cogitationibus, Voluntatem affectionibus ſpoliare, iíſque in æternum valedicere: ità eſt, nonnullo labore ſub initium conſtat ſolitariam hanc ſibi fabricare domum, ſed aggredi generosè laborem hunc oportet, nóſque ſpe certâ animare, fore, ut, ubi reliquerimus terrenas caducáſque voluptates, quibus antea animum occupabamus, ſuccedant aliæ centuplo ſuaviores, gratiores, & conſtantiores, quæ ſunt deliciæ ex ipſo Creatore & Deo noſtro emanantes, quæ

quæ eò ſunt dulciores & majores, quò Deus major eſt omnibus creaturis in Cœlo & in Terra. Per hanc mentis ſolitudinem acquiritur quies animi, liberatur conſcientia omni timore, ſuſpicione, triſtitiâ, invidiâ, ambitione, & ſexcentis aliis animi moleſtiis. Huic ſolitariæ animæ promittit Deus apud Oſeam cap. 2. *Ecce ego lactabo eam & ducam eam in ſolitudinem & loquar ad cor ejus*, vel, ùt Heb. habet, *juxta cor ejus. Lætabitur*, promittit apud Iſai. cap. 35. *deſerta & invia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans, &c. Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron, ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.* Et alio in loco cap. 51. *Conſolabitur Dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas ejus, & ponet deſertum ejus quaſi delicias, & ſolitudinem ejus quaſi hortum Domini, gaudium & lætitia invenietur in eâ, gratiarum actio & vox laudis.*

Fructus vitæ ſolitariæ.

Ingrediamur hanc ſolitudinem, ut omnis inquietudinis & tumultûs immunem arcam. *Ingredere tu*, ajebat Deus Gen. 7. *ad Noë, & omnis domus tua in Arcam. Hoc dicit Dominus juſto*, ait S. Ambroſ. hunc locum explicans Lib. de Noë cap. 11. *Intra tu, hoc eſt, intra teipſum, intra tuam mentem, intra animæ penetrale, ibi ſalus eſt, foris diluvium, foris periculum. Deus vocavit* Exod. 5. *nos, ut eamus viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus Domino Deo noſtro.* Primi diei iter eſt abnegatio ſenſuum externorum: ſecundi, mortificatio affectuum: tertii abdicatio omnium inutilium, vanarum & otioſarum cogitationum.

Quibus viis ad hanc ſolitudinem perveniatur.

LIB. III. PARS I. CAP. III.

Peracto hoc triduano itinere assecuti sumus illam mentis solitudinem, in qua sacrificatur Altissimo Hostia perfectissima, & in qua vult offerri sibi suave omnis generis virtutum & orationis thymiama. Unde hortatur nos Matt. 6. 6. *Cum oraveris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito. Quæ sunt ista cubilia?* quærit S. August. apud Maldon. hîc, *nisi ipsa corda?* Extra hæc cubilia, extra hanc cordis solitudinem nunquam religiosè vivetur, sinè hac omnis exterior solitudo frustranea est, nec quidquam ad solidum virtutis studium conferet. *Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis?* quærit S. Greg. lib. 30. moral. cap. 12. Qui enim solo corpore ab hominum consortio remotus est, corde iisdem affixus; certè is solus non est. Econtra si habitaverit quis in secreto cordis secum; esto inter tumultuantes conversetur, segregatus & solus est. Sinè hac solitudine nemo sanctus evadet. *Bene conversantibus*, ait S. Gregor. loc. cit. *primùm solitudo mentis tribuitur.* Et primum pro consequendâ sapientiâ veterum Philosophorum monitum erat: *Tecum habita.* Quod ipsum innuit Seneca Ep. 2. *Primum argumentum compositæ mentis existimo, posse consistere & secum morari.*

Extra solitudinem cordis nemo religiosè vivet.

Quanta bona conferantur à cordis solitudine.

Qui ità secum moratur, cœlestem in terris vitam agit, fruitur in summa mentis tranquillitate, consortio, familiaritate & alloquio Altissimi, recipítque in anima sua velut in puro speculo radios & ipsiusmet Deitatis imaginem. S. Augustinus epistolâ 106. Nebridio viro docto & pio, desideranti in

unâ domo Auguſtino cohabitare, ità reſpondit: *Tu potes apud tuam mentem ſuaviter habitare ; Deificari in otio licet, ſítque illud ſolidum gaudium nullis omnino lætitiis ullâ ex particulâ conferendum.* Cum Exod. 3. Moyſes *minâſſet gregem ad interiora deſerti,* veniebat tandem ad montem Dei Horeb, in quo apparens ei Dominus mirabilia oſtendit. Grex noſter, quem minare debemus, ſunt ex-& interni ſenſus noſtri, oculi, aures, lingua, affectiones, cupiditates, imaginationes, intellectus, & voluntas: hunc gregem ducere debemus ad interiora deſerti in ſolitudinem, & ſacrum mentis receſſum, & ſtatim intimâ familiaritate Deus ſe nobis conjunget, animam miro fulgore illuſtrabit, evagationem phantaſiæ, mentíſque inquietudinem ſedabit, paſſionum motus frenabit, & diſcuſſis tenebris maximâ luce, ipſos ſolis radios excedente, animam illuminabit.

De Deo ſæpè cogitandum, & quæ inde utilitas.

Cogitavit de te, & in ſua te memoria ab æterno habuit Deus & Creator tuus; & hæ cogitationes magnâ providentiâ, conſideratione & amore in te directæ fuerunt, & hujus paternæ recordationis tot omni momento experiris effectus millenis locupletatus beneficiis. Cur ergo tu eidem in cogitationibus tuis locum negas? certè non amas, de quo raro cogitas; ubi enim theſaurus tuus, ibi & cor tuum, & cui voluntas affixa eſt, huic adhæret intellectus & memoria. Crebra de Deo cogitatio optimum remedium eſt ad Divini amoris ignem in corde excitandum; impoſſibile ſiquidem eſt, de re infinito amore dignâ ſæpe cogitare, infinitáſ-

que Dei perfectiones, quæ tot in cœlo Sanctos, & in terra homines in amorem suum rapiunt, animo sœpius volvere, & scintillam paris amoris in corde non sentire; quæ scintilla paulatim flammam excitabit, & in apertum tandem prorumpet incendium.

CAPUT IV.

Interna animi recollectio externis cum Proximo negotiis non obest, sed prodest.

Inter tumultus servari potest recollectus animus.

DIfficilis quidem videtur inter turbas & crebram cum sæcularibus conversationem hæc animi & sensuum custodia, de qua capite præcedenti dictum est; sed res est opinione facilior, nec unum alteri ità contrarium, ut conjungi non possint. Sicut enim fieri potest, & sœpissime fit, quòd corpore solitarius muris inclusus animo vagetur per vicos, plateas, oppida & regna; sic & fieri potest, ut quis, corpore inter turbas & tumultus circumiens animo sit recollecto, talémque in cordis secretâ solitudine ab externis separatum & abstractum circumferat. *Mentiuntur*, ait Seneca Epist. 62. *qui sibi obstare ad studia liberalia turbam negotiorum videri volunt, simulant occupationes & augent, & ipsi se occupant.* Idem Epist. 3. *Quidam adeò in latebras refugiunt, ut putent in turbido esse, quidquid in luce est: ista inter se miscenda sunt, & quiescenti agendum, & agenti quiescendum.* Idem ibidem de se ipso ità scribit ad Lucilium: *Vaco', mi Lucili, vaco; & ubicunque sum, meus sum; rebus enim non me trado, sed commodo: quocun-*

Quod probatur exemplis.

cunque constiti loco, ibi cogitationes meas tracto, & aliquid in animo salutare verso; cùm me amicis dedo, non tamen mihi abduco; nec cum illis moror, quibus me tempus aliquod congregavit, aut causa ex officio nata: sed cum optimo quóque sum; ad illos in quocunque loco, in quocunque sæculo fuerint, animum meum mitto. Hujus Ethnici exemplum si minùs moveat, sunt alia ad manum virorum præstantissimorum, qui multis gravati curis, & gravissimis occupati negotiis mentis recollectionem servârunt, nec animæ suæ solitudine egressi sunt, ostendentes reipsa verum esse, quod ait serm. 9. Petrus Chrysol. *In plateis & in triviis suum habet pietas secretum.* S. Bernardus, ùt videre est in historia Vitæ; licèt externis Proximi salutem concernentibus negotiis, labore etiam manuum nocte & die occuparetur, manebat tamen fixus in mentis suæ arcanâ solitudine Deo soli unitus. *Interiori quadam* (ùt loquitur historia Vitæ Lib. 1. Vitæ. c. 5.) *quam ubique ipse sibi circumferebat, solitudine fruebatur, totus quodammodo exteriùs laborabat, & totus interiùs Deo vacabat.* Attende S. Franciscum Xaverium in convertendâ totâ Indiâ occupatum; Philippum Nerium ord. Oratorii Fundatorem; Sanctam Theresiam Carmelitarum Reformatricem. Continuis hi Sancti exercebantur negotiis externis, innumeris molestiis, & maximi momenti occupationibus; manebant tamen animo recollecto in omni loco, ubique Deo conjuncti, per cujus intimam familiaritatem in infirmitate roborabantur, in dubiis instruebantur, ex intricatissimis negotiis expediebantur; tantúmque hauriebant vi-

Quanta ex animi recollectione bona.

virium ex hac mentis recollectione, ut uno die plura perficerent, quàm sinè hac potuissent integrâ septimanâ, tantúmque abest ut hæc sensuum recollectio externis negotiis obsit, ut etiam necessariò requiratur, si externa fructuosè expediri cupiamus; nec velimus innumeros in externâ conversatione defectus & imperfectiones committere. *Pone me*, ait Sponsus ad Sponsam Cant. 6. *ùt signaculum super cor tuum, ùt signaculum super brachiū tuum.* Per cor intelligitur hîc vita contemplativa, per brachium vita activa: & quia cor mediantibus vitalibus spiritibus tribuit corpori vitam, motum, & vigorem, sinè quibus absque omni motu marcessit & languet; ità & per intimam cum Deo unionem, familiaritatem & conversationem, per quæ anima illuminatur & juvatur, negotia externa animantur, oritúrque ex hac solitudine, ut cum fructu, & modo planè Divino, quidquid agimus, agamus.

Ut negotia externa feliciter expediantur, plurimùm juvat recollectio animi.

SECTIO UNICA.

Quibus mediis animi recollectio in externis negotiis conservari possit.

Externa negotia indiscretè assumpta turbant quietem animi.

CErtum est plurimùm animi quieti & solitudini officere negotia externa, & variè mentem distrahere, nisì discretè & moderatè nos iis dedamus. Agnovit idipsum & deploravit S. Greg. Dialog. Lib. 1. in procemio; enarratâ enim animi quiete in statu religioso ab illo perceptâ, & quæ evecto ad Pontificatum subtrahebatur, loco cit. ait: *At nunc (mens) ex occasione curæ pastoralis secu-*

la-

larium hominum negotia patitur, & poſt tam pulchram quietis ſuæ ſpeciem terreni actus pulvere fœdatur, cúmque ſe pro condeſcenſione multorum ad exteriora ſparſerit, etiam cùm interiora appetit ad hæc procul dubio minor redit. Si ſanctum hunc virum occupationes exteriores per ſe bonæ & licitæ diſtraxerint, quid fiet de nobis, qui & conſtantiâ animi, & virtutum ſoliditate longè Gregorio inferiores ſumus? ut tamen pro modulo noſtro inter negotia animi quietem ſervemus, notandum & obſervandum

Primum, quod pro quiete animi conſervandâ, obſervandum eſt.

Primò. Si quæ agenda in nos ſuſcipimus, viribus commenſuranda ſunt. *In immenſum proderit nobis*, ait Senec. Lib. 3. de ira. *illud Democriti ſalutare præceptum; ſi neque publicè multa, aut majora viribus noſtris egerimus.* Virtus enim animi noſtri cùm valdè limitata ſit, pluribus occupata & diſtenta deficit, & ſinè ſucco elanguet. S. Bernardus Lib. 1. de conſider. cap. 2. Eugenio Papæ ſcribens, timet; ne Vir ille egregius, qualis erat Eugenius, Pontificatûs pondere preſſus ſuccumbat, virtus & recollectio deficiant, & cor ejus ità obduretur, ut nullâ admonitione vel pœnâ converti poſſit. *En*, ait, *quo trahere, Te habent hæ occupationes maledictæ, ſi tamen pergis, ùt cœpiſti, dare Te totum illis, nihil Tui Tibi relinquens.* Sicut multitudo ciborum etiam ſaluberrimorum non prodeſt, ſed obeſt corpori, idque gravat, & ſanitatem deſtruit; ità & negotiorum de ſe etiam bonorum nimia copia, animum onerat, tepefacit, debilitat, & ſanitatem ſpiritualem peſſimè affligit; quam tamen moderatus eorum uſus plurimum promoviſſet. Hoc aſtu ſœpe utitur diabolus ad

Multitudo negotiorum externorum obeſt animæ.

LIB. III. PARS I. CAP. IV. SEC. UN.

animum Deo in quiete servientem, turbandum: dat siquidem ei occasionem se multis negotiis in speciem piis & sanctis immiscendi; quibus si se implicet, actum est de animi quiete, de sanctitate, & de bono exercitiorum ordine. Quare monet nos Spiritus S. Eccles. 11. *Fili, ne in multis sint actus tui: & si dives fueris, non eris imunis à delicto; si enim assecutus fueris, non apprehendes.* Vel, ùt clariùs rem explicat versio Vatabli: *Ne multis negotiis impliceris, si enim abundârint, non eris innocens, aut si quid assecutus fueris, non assequeris.* Nemo hominum tantarum virium est; ut pluribus iisque diversis negotiis intentus omnia, ùt deceret, expediat. Unde dicit S. Script. Eccles. 38. *Qui minoratur actu, sapientiam percipit.* Vel, ùt Vatabl. vertit: *Qui minùs habet negotii, sapiens existit.*

Observandum secundò pro animi quiete, ne in negotiis expediendis pertinacia interveniat.

Secundò observandum est, quòd nullum negotium aggrediendum sit, esto foret integra regni cujusdam conversio, cum obstinatâ pertinaciâ, & pertinaci resolutione, rem propositam, quocunque tandem labore & sudore constet, ad finem perducendi; implicat enim quis se per hunc agendi modum innumeris inquietudinibus, & tamen nescit, an Deo placitum sit, ut res bonum finem sortiatur. Sufficit, si, postquam fecimus, quod ex parte nostra debuimus & potuimus, rei successum & exitum Deo recommendemus, & si res malè cadat, nequaquam tristandum est; sed retentâ omni mentis tranquillitate Voluntati Divinæ, quam præ omnibus quærere oportet, & ad quam omnis nostra actio dirigenda, acquiescendum est. *Cor hominis,* ait

ait Salom. Prov. 16. *disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.* Divinæ gloriæ promotio in eo consistit, ut grande quid pro nomine ejus moliamur; esto successus rei, quam proposueramus, voto non respondeat; conatus, & in promovendo hoc vel illo eximio opere labor Deo placet; rei successus Deo non semper gratus est, quia occultis & sanctis ejusdem consiliis contrariatur. Sic placuit Deo in Davide sola voluntas ædificandi templum, fecitque David satis colligendo pro templo materiam; pro opere verò perficiendo non Davidem, sed Salomonem Deus elegerat. Sic placuit & satisfecit Deo conatus & ardens desiderium, quo S. Franciscus Xaverius amplissimum illud Sinarum regnum convertere moliebatur; esto ad effectum meditatum animo opus non perduxerit; abiit enim è vivis jam jam falcem in amplissimam hanc messem missurus: majorique cedit laudi Francisco, quòd ad nutum Domini, hoc suum desiderium posuerit, quàm quòd juxta propriam voluntatem totum regnum convertisset. Moderandi igitur nostri affectus, nec cum pertinaci conatu cœptum opus quis velle debet promovere, & cum obstinatâ resolutione contendere ad finem perducere. Nescit certè talis inter pertinaciam & constantiam discrimen: Constantia opus incipit & promovet cum ratione, adhibendo media, quæ recta ratio adhibenda suadet; si optatus non respondeat effectus, nequaquam affligitur, voluntate Dei contenta: Pertinacia sinè consideratione opus aggreditur, quidquid obstat, cœco mo-

Pro Deo grandia moliri, illi placet, esto eventus non respondeat.

Discrimen inter Constantiam & Pertinaciam.

modo perrumpere molitur;& licèt vires suas pondus oneris multùm excedat, urget tamen & perurget, ut cum fructu videatur laborâsse; si è voto res non succedat, dejicitur, tristatur, & dolet. Vires ergo ante opus examinandæ, & secundùm vires desideria mensuranda.

Negotia expedienda, Deo recomendanda sunt: & semper animi quies conservanda.

Tertiò. Sub initium operis & negotii, Deo res tota offerenda est, per decursum operis mens per preces & suspiria sœpe in Deum elevanda, &ità refrœnandus custodiendúsque animus est, ut sinè passionibus in quiete animi, cum discretione & moderatione in opere procedat; sunt qui rebus agendis ità se immergunt, ut suî quodammodo obliti, toti in exteriora abripiantur. Oportet ut nos negotiis dedamus, non submittamus; retinenda plena nostri libertas, ut & ab incepto opere desistere, & cœptum sinè turbatione animi continuare possimus. S. Antoninus Archiepiscop. Florentinus inter plurimas eásque gravissimi momenti occupationes ità versabatur, ut tamen omni momento se recolligere valeret. Cùm vice quadam Franciscus Castilion. ejusdem Secretarius de negotiorum multitudine, quorum partem ex officio unà cum S. Antonino ferre debebat, conquereretur; ità ei respondit Sanctus vir: *Fieri non potest fili, ut inter tot hujus sæculi sollicitudines parato animo consistamus, nisi reconditum quendam & occultum mentis angulum intactum habeamus, ad quem negotiorum strepitus & curarum anxietas non irrepat, ut ubi ab actitandis causis destiterimus ad asylum tutissimum, & ab hoc exteriore homine ad eum, quem Paulus in-*

interiorem appellat, recurramus. Est & aliud medium ad conservandam in negotiis animi recollectionem, aptissimum, nempè jugis de præsente Deo memoria; de quo medio fusiùs paulò post.

CAPUT V.

Amor Christi excitat in nobis amorem & studium Orationis.

Potissima Sanctorum occupatio, oratio fuit.

QUia amor in Christum excitat amantem, ut amato exstruat separatum in interiori mentis hospitio habitaculum; hinc necessariò sequitur magnum ab amore excitari studium Orationis, mediante qua colloqui & cum Dilecto familiariter agere possit; fuit enim hucusque unicum omnium Amantium desiderium, & præcipua, quotquot fuerunt, Sanctorum occupatio, Deum adorare, laudare, benedicere, & magnificare. S.Franciscus Seraphicus ità Orationi deditus erat, ut extra eam nihil in universo illum delectaret. S. Dominicus totis noctibus totus erat coram Sanctissimo Altaris sacramento in Oratione, quam inter tam altos gemitus & suspiria protrahebat, ut in vicinia dormientes è somno excitarentur. S. Maria Ogniacensis intrà viginti quatuor horas centies millies ad orandum genua flectebat. Quem numerum stans in præcelsâ columnâ perdius & pernox Simeon Stylites superabat. S. Bartholomæus Apostolus & S. Martha centies de die & toties de nocte in terram prostrati Deum adorabant. S. Jacobus Apostolus ferè continuò terræ genibus affixus erat. Ut verbo absolvam: Qui unquam fuerunt san-

Quod exemplis probatur.

ctitate vitæ excellentes, fuerunt etiam in Orationis studio assidui & eximii. Solebat dicere P. Franciscus Suarez egregium Societatis JESU Decus, & de Ecclesiâ Dei optimè meritus, malle se omni scientiâ suâ carere, quàm vel unicam Orationis mentalis horulam negligere. Exercitio huic ter sancto, & summè, volentibus ad Deum pervenire, necessario totos nos dare convenit, ex quo maximos thesauros & immensas opes infallibiliter congregare licebit. S. Ambrosius, ut ad studium Orationis nos impellat, proponit nobis Christi Salvatoris nostri exemplum; qui, ùt refert S. Lucas. cap. 6. *erat pernoctans in Oratione Dei.* In quem locum scribens S. Ambros. Lib. 5. in Lucam, ait: *Species tibi datur, forma præscribitur, quam debeas æmulari. Quid enim te pro salute tuâ facere oportet, quando pro te Christus in Oratione pernoctat? Deus pernoctavit in Oratione*, ait idem in ps. 118. *ut te proprio ad deprecandum invitaret exemplo.* Ad sanctum hoc opus sæpissimè sacra nos exhortatur Scriptura. Matt. 26. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Marci 13. *Videte, vigilate & orate.* 1. ad Thessal. 5. *sine intermissione orate.* ad Coloss. 4. *Orationi instate vigilantes. &c.* Quomodo hæc tam sæpe inculcata Oratio peragenda, dicemus in sequentibus.

Christus Orantium exemplum.

SECTIO I.

Aliquot ad bene orandum documenta.

PLurimi Authores plurima tradiderunt ad bene orandum documenta, selectiora ex

iis adducemus, quæ si secuti fuerimus, optatum ex Oratione fructum referemus. Nomine Orationis hoc loco potissimum intelligenda est, Oratio mentalis seu Meditatio. Documentum igitur

Primum ad bene mentaliter orandum documentum, est Præparatio, quæ duplex est.

Primum est, ut Orationi vacaturus se ad eam paret. *Ante Orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo tentans Deum.* Eccles. 18. Testor omnes, qui meditari solent, an non defectus præparationis unica & sola causa sit, quòd tot meditationes sinè gustu, sinè fructu, frigidè & jejunè instituantur. Præparatio hæc duplex est; una remota, altera proxima; remota consistit in eo, quòd quis puram ab omni mortali peccato habeat conscientiam, ut exteriores sensus custodiat, in agendis sit circumspectus, præsentem sibi Deum observet, liberámque à passionum tumultu possideat animam. Qui in exteriora effusus est, non sinè difficultate ad interiora animum recolliget; ea enim quæ vidimus, audivimus, vel aliis sensibus inordinatè hausimus, pleno impetu, si cum Deo loquendum sit, in phantasiam irruunt: unde certa & infallibilis regula est, quòd tales simus in meditatione, quales extra illam. Præparatio proxima in eo consistit, ut puncta Meditationis prævië relegantur, bene penetrentur, memoriæ mandentur, & ante Meditationis tempus affectus, actúsque virtutum eliciendi designentur.

In meditatione occupatur Intellectus

Secundum documentum tangit ea, quæ per decursum Meditationis agenda sunt; pro quibus notandum, Meditationem sive Orationem mentalem opus esse partim intellectûs,

LIB. III. PARS I. CAP. V. SECT. I.

& Voluntas, & quomodo.

Quaenam sub meditatione observanda.

tellectûs, partim voluntatis. Intellectus occupatur circa cognitioné veritatis in hac vel illâ materiâ latentis; dum rei circumstantias ponderat, discutit, versat, & quantùm possibile est, penetrare studet; hoc facto motiva voluntati proponit, quæ cùm cœca sit, rationibus ab intellectu propositis mota, rem vel amplectitur vel rejicit. Sciendum deinde intellectui non nimiùm temporis indulgendum, plurimùm tribuendum voluntati; omnis enim intellectûs industria eò tendere debet, ut voluntas inflammetur; quod, si statim post propositas ab intellectu veritates sequatur, intellectus feriari potest: certa tamen temporis ratio & mensura haberi nequit; cum unius voluntas valde tenera, & in quoslibet pios motus & affectus flexilis sit. Alterius dura, refractaria & vix mobilis. Ex quibus patet intellectum operari debere diu vel breviter pro dispositione voluntatis. Cui, postquam mota est, duo agenda incumbunt. Primum, ut in se excitet tales affectus, & virtutum actus, qui præsenti materiæ & statui, in quo meditans vivit, accommodati sint. Si sit in viâ Purgativâ, affectus & virtutum actus collimare debent ad peccatorum abolitioné, v.g. Dolor de peccatis eliciendus, cum firmo proposito non peccandi de cœtero; remissio à Deo petenda, Justitia Dei in memoriam revocanda, &c. Si in viâ Illuminativâ; omnia dirigi debent ad confirmandas & promovendas virtutes, quales sunt: Fides, Spes, Caritas, Religio, Humilitas, & c. cùm proposito, has cœterásque virtutes, si occasio tulerit, reipsâ exercendi. Si in viâ Unitivâ, omnia tendere

Quid Intellectus, quid Voluntas operari sub meditatione debeat.

debent

debent ad amorem & majorem cum Deo unionem: Deus laudandus, adorandus, benedicendus, & in ejusdem perfectionibus gaudendum. Secundum, quod voluntati agendum incumbit, est, ut semper efficax faciat propositum, modo quodam certo & speciali mores emendandi, vitia exstirpandi, hanc vel illam virtutem exercendi, prout tempus & occasio per diem feret. Non oportet in confuso circa virtutes vel vitia in communi aliquid statuere, sed ad particularia descendendum, v.g. animus obarmandus ad hoc vel illud vitium in particulari expugnandum, non quo fortè post multùm temporis infestandus sum, sed in quod per diem sœpius cadere soleo, & cujus periculum hodie, in hac vel illâ occasione subibo; quódque me in functione & in exercitiis meis impedire solet. Ità & circa illam virtutem occupari maximè debemus, quæ occupationibus & statui congruit. Observandum præterea est, ex uno puncto ad aliud non priùs transeundum, quàm intellectus certam in materiâ Meditationis latentem veritatem penetrârit, voluntatem ad pios affectus & virtutum exercitium permoverit, & de facto statuerit, hoc vel illud ad emendationem vitæ proficuum exercitium opere ipso exequi.

In meditationibus ad particularia quoad proposita descendendum est.

Tertium documentum complectitur ea, quæ agenda sunt finitâ meditatione; quorum primum est, ut instituatur examen de Meditationis successu; quinam irrepserint errores, unde orti; quomodo in posterum vitandi, quæ lumina desuper immissa, ob quæ Deo gratiæ agendæ; quodnam propositum fa-

Quænam finitâ meditatione agenda sint.

factum sit, idque tenaciter memoriæ mandandum. Secundum est, ut facta proposita in opus redigamus, & proximis nostris per mortificationem sensuum, per morum compositionem, pia colloquia, & sanctam conversationem ostendamus, quòd non sinè fructu meditati, & per mentalem Orationem æternæ Sapientiæ & infinitæ Sanctitatis Domino locuti fuerimus.

SECTIO II.

De circumstantiis Orationis, & plura ad bene orandum documenta.

Ad bene orandum requiritur conscientiæ puritas.

AD bene orandum *quartò* requiritur necessariò animæ puritas, sinè hac frustra laboratur. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*; ait Psalmista David Ps. 65. Si Intellectus cupiat illustrari æternásque veritates capere; si Voluntas piis affectibus inflammari, & anima cum Deo uniri, debent hæc tria esse pura & immaculata. *Appropinquate Deo & appropinquabit vobis, mundate manus & purificate corda.* Jacob. cap. 4. *Invisibilem Deum colimus*, ait S. August. in psal. 113. *qui nullorum corporeis oculis, cordibus autem paucorum mundissimis notus est. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matt. 5. Visio Dei appromissa est puritati cordis; unde ait Doctor Angelicus 2. 2. q. 8. art. 4. quòd per hanc beatitudinem intelligatur gratia intellectûs sive cognitionis, mediante qua, anima illustrata, obscurissima Fidei Mysteria penetrat, non secus ac si oculis ea intue-

tueretur. Tollenda ergo omnis immunditia, si quis Deo, qui puritas substantialis est, uniri cupit. *Impuris*, ex mente S. Bernardi serm. 62. in Cant. *se non ostendit Veritas, non se credit Sapientia.* Omnis dispositio debet esse proportionata formæ introducendæ; sic calor & ligni siccitas, est dispositio proportionata ad receptionem ignis; quò lignum magìs siccum, eò faciliùs concipit ignem; sic etiam, quia Deus summa puritas est, optima præparatio, ad hoc, ut quis à Deo illuminetur, accendatur, eique uniatur, animæ puritas est; omnis econtra impuritas his gratiis inimica est.

LIB. III. PARS I. CAP. V. SECT. II.

Puritas hæc consistit in remotione omnis impuritatis, quæ causatur *Primò* & principaliter ab omni peccato mortali, *Secundò* à veniali, quod ex consuetudine committitur. *Tertiò* etiam ab iis defectibus, in quos ex fragilitate labimur; ab omni enim peccato, quantumcunq; levi, anima suo modo fœdatur. *Quartò*, ab illis nævis, qui iis solis noti sunt, qui spiritualem vitam oculo magis attento considerant, suntq; hi animæ nævi, leviores quædam imperfectiones, quæ in mores & actiones nostras se insinuant, easque aliquomodo inficiunt: ùt sunt motus primò primi, licèt non peccaminosi; his accedunt affectiones etiam ex se bonæ, quæ ex complexione tantùm naturali, sinè supernaturalis gratiæ auxilio eliciuntur; hæ enim animæ affectiones divinas & supernaturales operationes impediunt, & obstant, quo minùs intellectus à sole Justitiæ illuminetur & voluntas accendatur. Hæ imperfectiones simi-

In quo hæc puritas consistat.

LIB. III. PARS I. CAP. V. SECT. II.

les sunt nubeculis, quæ quidem citò prætervolant, nonnihil tamen solis radios impediunt & surripiunt, debet ergo esse mundus ab omni inquinamento etiam minimo carnis & spiritûs, debet esse supra se & omnes creaturas elevatus, qui Deo infinitè puro conjungi desiderat.

Bonorum operum finis est puritas animæ.

Ex hac animæ puritate, cùm immensa bona in animam deriventur, omni studio illa quærenda est. *Omnia hujus gratiâ*, ait apud Cassian. Abbas Moyses Collat. 1. cap. 7. *gerenda appetendaque sunt, pro hac solitudo sectanda est, pro hac jejunia, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem, cæterasque virtutes debere nos suscipere noverimus.* Et paulò post: *Igitur Jejunia, vigiliæ, anachoresis, meditatio scripturarum, propter principalem scopum, id est, puritatem cordis nos convenit exercere.* Et S. Bernard. opusc. de oct. punct. perfect. in 4. *Omni tempore debes puritati cordis studere; puritas namque cordis inter omnia exercitia spiritualia est quodammodo tanquam finalis intentio.* Et alio in loco, Serm. de triplici genere bonorum. *Sicut corporis natura est sanitas, ità cordis natura est puritas, quia turbato oculo non videtur Deus: & cor hominis ad hoc factum est, ut suum videat Creatorem: si verò sanitati corporis sollicitè est providenda custodia, puritati cordis tantò sollicitior est impendenda, quantò pars ista dignior Deo illâ esse convincitur.*

Attentio ad bene orandum necessaria.

Quintò ad bene & fructuosè orandum requiritur attentio; quæ oritur ex viva fide & imaginatione præsentæ Dei. *Si duo ex vobis convenerint super terram,* dicit Salvator noster, *de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.* Hoc est, ùt S. Ambros.

&

& cum eo multi interpretantur ; si anima & corpus conjuncto studio & labore orent , impetrabunt quidquid petent. Si Oratio attenta non sit, cum confusione à conspectu Altissimi rejicietur. Et nunquid æquissimum est, rejici inauditum vilem homuncionem vagâ mente orantem? vilem, inquam, homuncionem ; cùm coram tantâ Majestate contremiscant ipsi Cherubini ? Si quid petitur à Principe, quantâ cum diligentiâ custodiuntur sensus, quàm nitidè poliuntur, & formantur verba, quibus res petenda ; & coram Domino Dominantium adeò oratur tepidè, obiter, & frigidè, ut morsus pulicis mentem aliò avocet, & musca ad parietem hærens distrahat. Ah si illuminato mentis oculo intueremur bona, quæ per Orationem acquirere ; mala quæ avertere possumus; si supplicia quæ justè ob innumera peccata timemus; si pericula, in quibus versamur, seriò ruminaremus; quanto fervore ad Deum per Orationem confugeremus ! Intuere reum jam jam ad mortis supplicium educendum; intuere quàm lamentabiles misellus iste efformet gestus, quanto lachrymarum profluvio, gemitibus, & clamoribus misericordiam à judice efflagitet. quid est, quod hunc adeò facit eloquentem ? quis docuit illam in supplicando facundiam ? quidnam prolicit copiosas lacrymas ? accensus ante oculos rogus, in quem conjiciendus ; patibulum, ex quo suspendendus, securis, qua feriendus, &c. Et nos ad fervidam attentámque Orationem non movebimur, si consideremus ab hac pendere felicem vel infelicem

LIB. III. PARS I. CAP. V. SECT. II.

æternitatem ? Inutilibus colloquiis, comœdiis, lusibus per integras interſumus horas cum maximâ attentione; ſi verò Orationi, exercitio adeò ſalutari & utili per ſemihoram vacandum, omnia per animam noſtram meant & remeant præter Deum, ſoli illi præcluditur aditus, creaturis econtra & futilibus negotiis latè patet.

Curandum ergo omni ſtudio eſt, ut Oratio fiat cum attentione, ne omnis in orando adhibitus labor irritus cadat. Dicendum cogitationibus ſub oratione irruentibus, quod olim S. Bernard. templum ingreſſurus: *Exſpectate hîc cogitationes meæ, intentiones & affectus cordis, tu autem anima mea intra in gaudium Domini Dei tui, ut videas voluntatem Domini, & viſites templum ejus.* Operarius poſt laborem ad menſam acceſſurus inſtrumenta ſua, ſerram, ſecurim, ligonem, malleum, &c. ſeponit, nec de iis tempore prandii multùm cogitat, circa ea tantùm ſollicitus, quando ad laborem denuo eundum: ſic ante Orationem curæ de rebus vanis & temporalibus ſeponendæ, ſub Oratione de iis nihil cogitandum, uſque dum elapſo Orationis tempore eas reſumamus.

Quo medio attentio in Oratione acquiri poſſit.

Experietur quidem in hac attentione nonnihil difficultatis depravata natura; ſed Deus aderit facienti quod in ſe eſt. Optimum hanc attentionem procurandi remedium eſt, viva & jugis de præſenti, omnia cordis & corporis intima vidente & ſcrutante Deo, memoria; Medium efficacius ad mentem vagam ab extraneis avellendam vix invenietur, éſtque hæc memoria omnis bonæ O-

rationis origo, columna cui innititur, & nervus, à quo omne in orationem robur derivatur. Si verò post omnem adhibitum conatum distractionibus mens abripiatur, noli animo cadere; quis enim inter mortales adeò perfectus est, qui non cum Davide ps. 39. exclamare interdum cogatur: *Cor meum dereliquit me?* Similes miseriæ, quas inviti patimur, potiùs Deum ad commiserationem movent, quàm ad iracundiam. Sustine tuæ imaginationis inconstantiam, & inconvenientes intellectûs tui incidentias fer patienter; indignum te judica, cui Orationis gratia concedatur; aliquid sinè dubio in omni oratione erit, quod Deo placitum sit. Ipsa modesta corporis tui compositio, manuum ad Orationem extensio, oculorum in cœlum elevatio, genuflexio, &c. sinè mercede non manebunt.

Fiducia & viva Fides ad bene orandum necessaria.

Sextò Oratio debet fieri cum Fide vivâ & firmâ fiduciâ. *Si quis vestrûm indiget Sapientiâ*, ait S. Apost. Jacob. cap. 3. *postulet à Deo: postulet autem in Fide nihil hæsitans; qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur; non ergo æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.* Hoc loco per Fidem non tam intelligitur Fides, quæ prima virtus Theologica est, quàm Fiducia: facienda ergo Oratio in Fide firmâ, vi cujus non tantùm in genere credamus Deum esse Omnipotentem, Fidelem, infinitè nostrî amantem; sed Fides seu fiducia specialiter eliciendа est, indubitatè credendo nos impetraturos quod petimus; sinè ullâ enim exceptione promisit nobis Christus Marci 11. *Omnia*

LIB. III. PARS I. CAP. V. SECT. II.

nia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis & evenient vobis. Oratio secundùm D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 15. ab amore habet, quòd sit meritoria; à Fiduciâ verò, quòd sit impetratoria: Unde ex Fiducia tua scire poteris, an preces tuæ exaudiendæ sint, vel non. *Sola spes*, ait S. Bern. serm. 3. de annunciat: *apud Te miserationis obtinet locum, nec oleum misericordiæ, nisi in vase Fiduciæ ponis.* Seponenda omnis diffidentia, quæ nos posset facere in Fiducia & spe firmâ hæsitare; Esto ob innumera peccata indigni simus, qui exaudiamur; quia tamen Dei misericordia major est peccatis nostris, certò persuadere nobis possumus, nos impetraturos quod petimus, dummodo petamus cum Fiducia.

Oratio debet esse constans.

Septimò. Oratio debet esse constans. *Oportet semper orare*; ait Salvator noster Luc. 18. id est, constanrer; sinè hac vix quidquam proficient tradita hucusque documenta; sola constantia penetrat nubes, & quodammodo extorquet è manu Dei quod petimus. *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit.* Habac. 2. Quia res magna est, quam petis, vult sœpe rogari. Interdum adeò sublime & excellens est, quod postulas; quòd pro illo suum sanguinem fuderit; unde noli mirari quòd differat; nec tamen putes, quòd daturus non sit; cùm enim intensiùs te amet, quàm tu te ipsum, promptior est ad dandum, quàm tu ad recipiendum. Differt dare, ut tu ad recipiendum plura & majora, quam petis, capax efficiaris: tardè dat, ut data pluris æstimes. *Diu desiderata dulciùs obtinentur, citò autem data*

ta

ta vilescunt. S. Aug. serm. 5. de verb. Dom. Quid profuit Salomoni data statim sapientia? turpiter eâ abusus est: Si tardè post multas preces obtinuisset, majori eam in pretio habuisset, & cautiùs custodîsset. Denique dare differt, quia precibus nostris delectatur. Mater habet v. g. dulce pomum, certò filio dandum; non tamen dat, nisì præviis ludicris filii gesticulationibus; debet parvus pusio extendere manus, debet matri blandiri, imò interdum lacrymis pro pomo apud matrem instare. Sic & Deus nobiscum agit. Perge orare constanter, ludit tecum Deus, si ab hoc lusu citò desistas, pretium & præmium amisisti. Si videatur te nolle audire, tu clama altiùs; si unâ januâ expellat, ingredere aliam; si oggeratur, quòd indignus sis, talem te agnosce; nec cede tamen, sed micas pete, eásque pollicere te cum gratiarum actione recepturum. Notandum hîc ab Oratione non desistendum, quacunque tandem ariditate peragatur, dummodo sinè tuâ culpâ: tandem miserebitur Deus, & voti tui te compotem faciet.

Donum Orationis à Deo petendum.

Omnibus hucusque traditis documentis & hoc junge; quòd gratia Orationis ardentibus desideriis & votis petenda sit, cùm enim hæc gratia inter præcipua Dei dona sit, clamandum indesinenter erit cum Apostolis Luc. 11. *Domine doce nos orare.* Sinè hoc magistro omnis labor frustraneus, nec unquam sinè illo hanc cœlestem artem, esto maximè alioquin docibiles simus, comprehendemus. Modò nonnihil agetur de Dei præsentiâ, cujus exercitium bonæ Orationis & omnium

in vita ſpirituali bonorum radix & fœcunda parens eſt.

CAPUT VI.

De Exercitio præſentiæ Divinæ, & ejuſdem excellentiâ.

Sanctitas ſinè exercitio præſentiæ Dei non acquiritur.

Ex mente SS. Patrum exercitium hoc, eſt radix vitæ ſpiritualis & totius Chriſtianæ perfectionis. Quod arbor ſinè radice, ædificium ſinè fundamento; hoc omnis devotio & vita ſpiritualis ſinè exercitio præſentiæ Divinæ. Ut ſinè radice emarcet arbor, ſinè fundamento corruit domus; itá ſinè hoc exercitio omnis corruit ſanctitas; ex hoc ſolo omne virtuti robur. Ut hoc clariùs pateat, animo recolendum Chriſtianam perfectionem conſiſtere in fugâ mali, praxi virtutum, & unione cum Deo. Ad hæc omnia in gradu excellenti conſequenda plurimùm conducit, divinæ præſentiæ exercitium.

Exercitiū hoc neceſſarium eſt pro viâ purgativâ.

Quod fugam mali, ſeu viam purgativam concernit; quæ occupata eſt in domandis inordinatis motibus, exſtirpandis pravis habitibus, paſſionibus mortificandis, & tentationibus Dæmonis repellendis; certum eſt nullo efficaciori medio vitia evelli, tentationeſque ſuperari poſſe, quàm memoriâ præſentiæ Dei. Si ſemper Dei præſentis memores eſſemus, ait S. Thom. opuſc. 58. cogitantes eum adſtare lateri; omnia videntem, & ſuo tempore omnia hæc examinaturum & judicaturum; vel raró, vel nunquam in peccatum laberemur. Unde bene ait S. Hie-

Hieron.in cap. 22.Ezech. *Memoria Dei excludit omnia peccata.* Interrogatus S.Basilius, quid hominem à malo maximè absterrere posset, respondit: Memoria præsentiæ Dei; ut scilicet quis per firmam fidem ad vivum sibi imaginetur Deum omnia in- & exteriora videre. Si famulo adstet Dominus, Discipulo Magister; subdito Superior, filio Pater, nihil vel filius vel subditus &c. negligent, mores component, omnem in exterioribus reverentiam, modestiam & fidelitatem præseferent. Si homo homini ad bonum operandum adeò efficaci stimulo esse possit; quanto non erit Deus vivus & verus, noster Dominus, noster Pater, noster Rex; qui omnia, quæ loquimur, cogitamus, agimus, attento oculo considerat? qui peccatum infinito odio prosequitur, pœnâ infinitâ plectit, quíque innumeris beneficiis velut totidem catenis sibi nos obstrinxit. Valdè quidem depravata est natura humana; eò tamen malitiæ non devenit, ut Deum offenderet, si actualiter fide vivâ credat, sibíque persuadeat, illum esse præsentem, coram quo se pro nos abjiciunt Throni, Cherubini & Seraphini; coram quo tota natura tremit, & qui peccantem eodem momento in infernum potest demergere. Hoc remedio multi Sanctorum gravissimos peccatores converterunt; ut S. Paphnutius & S. Ephrem, qui infames mulierculas ingestâ earum animis Dei præsentiâ ad frugem reduxerunt. Unde optimè dicit S.Basilius, quòd homo nunquam Deum offendat, nisi præviè depositâ de Deo præsente memoriâ; quódque omne

pec-

peccatum ſit evidens teſtimonium nos verè non credere Deum nobis in omni loco præſentem. Quis paſſiones & inordinatos affectus non domabit, tentationes non vincet, inimico non ignoſcet, qui conſiderat & credit, ſe clariſſimè videri & obſervari à Divinâ Majeſtate, ab eâ, inquam, Majeſtate, qui tot ſibi illatas injurias, etiam eas, quæ hoc ipſo momento eidem inferuntur, adeò patienter tolerat? quomodo inimico non ignoſcemus, ſi conſideremus nos verſari in illius Dei conſpectu, eóque intus & foris nos circumdari, qui hunc ipſum hominem, quem nos odio proſequimur, paterno ſuo cordi incluſit, pro quo tot annis ſudavit, laboravit, & crucifixus eſt.

Quam periculoſa oblivio præſentis Dei.

Caſſianus collat. 23. cap. 9. hominem in viâ virtutis ambulantem comparat funambuloni, qui niſì exactè in æquilibrio corpus contineat, & ne latum unguem cedat ex bilance, infallibiliter cum periculo vitæ è fune prolabetur: Sic & virtutis ſtudioſus in viâ perfectionis ambulans, cogitationes figat neceſſe eſt in præſentem Deum, ſi vel modicum deflectat, gravioris lapſus periculo ſe manifeſtè exponit. Unde dicit Dominus per Prophetam ſuum Oſeam: *Væ illis quia receſſerunt à me.* c. 9.

Exercitium præſentiæ Dei utiliſſimum in viâ illuminativâ.

Si jugis hæc de præſente Deo memoria conducit pro viâ purgativâ, utilior erit viæ illuminativæ; & ſi à peccato retrahat, fortiùs ad bonum impellet. *Servavi mandata tua & teſtimonia tua*, ait David pſ. 118. *quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.* q. d. ſciebam me à Te ſemper & ubique obſervari, ex quo ad bonum

num agendum incitatus ſum. Si præſentia Regis aut Belliducis ità animet militem, ut in ſtrictos enſes & in me dios ruat ignes, manifeſto ſe exponens amittendæ vitæ periculo; quid non faciet præſentia Regis Regum, ſummi æterníque Dei; qui non tantùm, ùt Dux te nudè videt, ſed & fortia agentem gratiâ ſuâ roborat & adjuvat. Omnis virtus præſentiâ Dei animata actus ſibi proprios in maxima perfectione elicere ſtudebit. Oratio v. g. inſtituetur cum majori attentione, profundiore reverentiâ, humilitate &c. Modeſtia in omni loco & tempore ſe prodet. Humilitas in abyſſum ante conſpectum tantæ Majeſtatis ſe merget. Obedientia ſinè omni contradictione ad omnem nutum ſtabit parata. Ex harum & ſimilium virtutum exercitio orietur ulteriùs puriſſima intentio, quæ omnibus verbis, cogitationibus, operibus in nihil aliud collimabit, quàm in majorem Dei gloriam, humana judicia flocci faciens: Si quis in conſpectu duorum diſparis conditionis v. g. Regis & ruſtici opus quodpiam perficere debeat, omnem eò dirigit intentionem & conatum, ut Regi placeat & ſatisfaciat, nihil curans, an ruſtico placeat vel diſpliceat. Sic ergò oportet nos operari, qui ſtamus ſemper in conſpectu Altiſſimi; judicium hominum contemnendum, ad ſolius Dei ejúſque gloriam attendendum. Et ſi vel minimum ſanæ rationis in nobis ſit, propter hominum judicia, ab eo, quod novimus Deo placere, non diſcedemus.

Etiam in viâ unitivâ.

Juvat & plurimùm memoria præſentiæ Dei in viâ unitivâ; cujus tota fermè occupatio

tio est, ut latentes amoris Divini igniculi in apertas flammas erumpant, anima se Deo uniat, & ità perfectionem suam assequatur. Hæc unio, ùt patet, esse non potest, nisì anima non tantùm per essentiam, potentias, & virtutum habitus; sed etiam per actualem operationem intellectûs & voluntatis Deo adhæreat; unio enim esse non potest, nisì res, quæ uniendæ sunt, sibi præsentes sint. S. Bonaventura, loquens de perfectione hominis, dicit, summam perfectionem, quam assequi in vitâ homo potest, consistere in eo, quòd homo Deo adeò unitus sit, ut anima cum omnibus Potentiis in Deo collecta, unus cum ipso Spiritus fiat; ità ut Memoria nullius extra Deum meminerit, Intellectus extra Deum nihil intelligat, Voluntas extra Deum nihil amet: & si hæ tres animæ potentiæ, vel earum una, non ità forent constitutæ & comparatæ, & Divinitatem modo jam dicto in se non haberent, non esset anima Divina nec Deiformis; Deus enim est animæ forma, in quam anima imprimi debet, ùt sigillum in ceram, qua impressione mediante Deus eidem suam formam cum omnibus perfectionibus communicat. Hæc omnia fiunt per continuam de præsente Deo memoriam: quare cùm Deus Abrahamum ad summum perfectionis apicem vellet evehere, totíque mundo ùt exemplar sanctitatis proponere; duobus eidem verbis insinuabat, Genes. c. 17. quid faciendum esset: *Ambula*, ait, *coram me & esto perfectus*; hoc est, præsentiæ meæ semper memineris, & jam perfectionem assecutus es.

SECT.

SECTIO I.

Quomodo Deus nobis præsens sit.

In quo consistat praxis exercitii præsentiæ Dei, & quæ circa illud notanda sint.

PRaxis exercitii hujus adeò utilis & necessarii, consistit in actuali operatione Intellectûs & Voluntatis; Intellectûs quidem, dum omnes in Deum cogitationes figit, oculóque irretorto, antè & retrò, infrà & supra se, à dextris & à sinistris, ab intrà & extrà eundem aspicit. Voluntatis, dum per crebros actus Fidei, Spei, Caritatis, Adorationis, Humiliationis, Glorificationis, se cum Deo unit. Ad clariorem rei hujus notitiam notandum

Deus nobis præsens est per Immensitatem.

Primò, quòd Deus infinitus & immensus Spiritus sit, qui Cœlum & terram, mundum & omnia, quæ in eo sunt, implet; nec ullus excogitabilis angulus est, in quo verè & realiter præsens non sit, tum quia Natura ipsius & Essentia immensa, necessariò sinè extensione ubique præsens esse debet; tum quia omnium creatarum rerum essentia ità exigit; quæ, ut in suo esse conserventur, & in nihilum omni momento non recidant, actuali & intimâ Dei præsentiâ opus habent; non minùs quàm corpori ad suam conservationem opus est præsentiâ animæ.

Per essentiam

Secundò. Deus ubique præsens est per suam essentiam, cum omnibus suis infinitis perfectionibus, cum suâ Bonitate, Misericordia, justitia, Sapientia, Majestate &c. præsens est cum omnibus operationibus ad intrà, quales sunt, æterna generatio Verbi, productio Spiritûs sancti, laus, glorificatio

&

LIB. III. PARS I. CAP. VI. SECT. I.

& amor, quibus se hæ tres Sanctissimæ Personæ complectuntur. Ob hanc causam antiqui Philosophi Deum mundi animam dixerunt; sicut enim anima est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte, ità & Deus est totus in toto mundo, & totus in qualibet mundi parte.

Per præsentiam & quomodo.

Tertiò. Præsens est Deus ubique per præsentiam, hoc est, est præsens, quia omnia videt, cognoscit, & intelligit; non, ùt dormiens in lecto, qui quidem præsens est per essentiam, per corpus & animam, sed non per præsentiam, per ly præsentiam intelligendo, quod videat & sciat ubi sit, & quid in cubiculo circa se agatur. Quo sensu Deus omnibus hominibus præsens est; sed homines non ità Deo: adsumus ipsi per essentiam, sed non semper per affectus, cogitationes & desideria; quemadmodum ille adest nobis. Per hanc præsentiam scit & intelligit Deus omnia, quidquid fit in omni loco, nec quidquam est, quod oculos ejus subterfugere possit.

Per omnipotentiam

Quartò. Adest per suam Omnipotentiam. Hoc est, non solùm videt, audit, & scit, quid in omni loco fiat; sed & tribuit unicuique rei suam essentiam & virtutem operandi, juvatque unamquamque creaturam, ut effectus sibi proprios in omni perfectione producat: Et hoc sensu ait Scriptura, quòd omnia in nobis operetur, quòd nos sinè ipso nihil possimus. Ità etiam S. August. serm. 46. de verb. Dom. postquam Deum vocâsset totum oculum; dicit, quòd sit tota manus, quia per ipsum, cum ipso, & in ipso omnia fiunt & perficiuntur.

SECT.

SECTIO II.

De modo & praxi exercitii circa præsentiam Dei.

MOdus ille potissimùm triplex est. Primus, si imaginemur nobis, Christum adstare lateri nostro, ad omnia verba, opera, & cogitationes sollicitè attendentem, in formâ & figurâ, prout cuique suggerit devotio, v. g. Jam, ut jacentem in præsepio, jam ùt docentem in templo, jam jejunantem in deserto, mox sanguine in passione manantem, consputum, flagellis concisum, in cruce pendentem, &c. Quæ de patiente Christo memoria &, viva imaginatio, efficacissima erit ad nos à peccato retrahendos, ad bonum econtra impellendos. Hæc praxis interim optima non est, cùm tantùm fundata sit in pura imaginatione de re aliqua ùt præsente, quæ tamen verè præsens non est; Christus enim corporaliter nobis præsens non est. Unde modus hic promiscuè omnibus suaderi non debet; sed tantùm iis, qui illo discretè uti nôrunt, quique per experientiam habent, se multùm fructûs spiritualis ex eo collegisse.

Primus modus, qui bonus est, sed non omnibus suadendus.

Secundus modus præstantior est, consistítque in eo, ut Divinam nobis ob mentis oculos statuamus Essentiam, ut totum mundum implentem, & in omni angulo præsentẽ, licet videri à nobis oculis corporeis non possit, nec sub certa aliqua specie phantasiæ imprimi; Intellectus igitur hanc Dei præsentiam vivaciter apprehendens, firmaque cogitatio-

Secundus modus melior.

ne se eidem affigens, actus Fidei ex hac veritate eliceat hoc vel simili modo: Credo Domine Te hoc in loco mihi præsenté, omnia audientem, omnia videntem, omnia scrutantem. Vel etiam interrogari anima potest: Credísne ô anima mea hanc veritatem? & responde: Credo utique, credo, quia Deus dixit, háncque veritatem meo sanguine confirmare paratus sum. Vel: Certè non credis anima mea Deum tibi præsentem, coram cujus Majestate columnæ cœli contremiscunt; si verè crederes, quomodo eò dementiæ devenires, ut illum offenderes? Post hos actus Intellectûs, voluntati cursus relinquendus est, piísque affectibus inhærendum: interdum ex profunda reverentia, in oculis, gestibus, habitu, totoque corpore singularis modestia assumenda est: interdum in morem ingenui & bene educati hominis, qui improvisò à Rege visitatur, summa Dei Majestas adoranda, & nonnunquam capitis inclinatione honoranda: Interdum pro rei & temporis opportunitate preces jaculatoriæ in eum dirigendæ, petendo, ut intellectum illuminet, affectum inflammet, in adversitatibus adjuvet, &c. Quæ & plura alia, quia adest nobis, facillimè præstare potest: interdum ad peccati cogitationem exhorrescendum, quo in faciem resistitur ei, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam; amoris potissimum actibus indulgendum, quia præsens nobis intimè est infinito amore dignus: interdum in hos vel similes affectus prorumpendum: O Deus meus, ergóne hîc à Te videor? ah quando facie ad faciem ità Te videbo, ùt Tu jam

jam vides me: ô quàm longè recessi à Te! ô quando amabo Te pulchritudo tam nova tam antiqua! &c. itàque in præsentia Dei versandum, uti pisciculus in immenso mari, in quo movetur, vivit, comedit, deliciatur, &c.

Tertius modus optimus.

Tertius modus est, ut Deum in omnibus & singulis creaturis contemplemur & aspiciamus. Pro cujus intelligentiâ sciendum est primò, quamcunque rem creatam totam occupari à Divina Majestate, in eáque residere, velut in throno cum suâ Essentiâ omnibúsque Attributis; non aliter, quàm consideramus præsentem in Eucharistia Christum, in qua species non attendimus; sed eum qui sub speciebus latet. Secundò sciendum, quòd, licèt Deus in omnibus creaturis præsens sit, non tamen ex una eadémque causa, uno eodémque modo; sicut anima est quidem in toto corpore, secundùm substantiam uniformiter; quo ad effectus tamen, in pedibus, manibus & capite est difformiter; in capite enim est ratiocinans, in oculis videns, in manibus attrectans, in pedibus ambulans, &c. Ità & Deus est v. g. in terra nos sustentans, in aquâ nos lavans, in igne nos calefaciens, in sole illuminans, in cibis nutriens, in vestibus operiens, in concionibus & libris erudiens, in superioribus regens, & ità in omnibus creaturis aliis, secundùm uniuscujusque naturam & nostram indigentiam. Cùm ergo occurrit creatura v. g. singulari fortitudine prædita, reflectendum est ad Dei omnipotentiam, à qua omnis creaturarum fortitudo provenit; si videamus

 ho-

LIB. III. PARS I. CAP. VI. SECT. II.

hominem egregiâ formâ prædicum; Dei Pulchritudo cogitanda, à qua omne pulchrum & visu delectabile ortum trahit; si legamus pium librum, vel audiamus sanctum virum loqui, imaginemur ex illis loqui nobis Dei Sapientiam; per hæc enim infinitæ suæ Sapientiæ radium nobis communicat. Verbo; quidquid delectationis, auxilii, solatii ex creaturis haurimus, modo jam dicto ad Deum referre, mentísque oculo in omnibus præsentem Deum contemplari & aspicere debemus, ex Fide certi, omne solatium, voluptatem & gaudium, quibus nos creaturæ afficiunt, ex Deo profluere, ùt ex immenso omnium bonorum & delectabilium oceano. Animus ex horum recordatione ad cœlestia erigendus, Deíque suavitas in creaturis illius gustanda, laudanda, & benedicenda. Hæc praxis præsentiæ Dei utilissima & nobilissima est; hac enim si utamur, non tantùm à creaturis per divitias, honores, voluptates decipiemur; sed servient nobis instar scalæ Jacob, per quam in Angelica innocentia ad Deum ascendemus. Ità creaturis utebatur Propheta David ps. 91. dicens: *Delectâsti me Domine in creatura tua*; ubi Hugo Cardinalis advertit, Davidem non dicere se delectari creaturis, sed Deo in creaturis præsente. Si ergo Deum in creaturis præsentem cogitare, revereri, & adorare adeò utile exercitium sit; erit utique utilius & excellentius eundem contemplari, & præsentem in nobis ipsis adorare; est enim in nobis ùt in sua imagine, & in suo templo, in quo vult agnosci, visitari, honorari, adorari;

rari; est in nobis præsens, dum nos conservat in esse quod dedit, dum nos solatur, protegit, punit, ad bonum excitat, à malo absterret, mediáque ad salutem necessaria subministrat. His consideratis & elicito vivæ fidei actu, omnis generis alii virtutum actus v. g. Humiliationis, Adorationis, Reverentiæ, Admirationis, &c. eliciendi sunt.

SECTIO III.

Quid ad praxin hujus exercitii excitare nos debeat, & quibus potissimùm temporibus illi vacandum.

Incumbendum exercitio præsentia Dei, quia ille amicus noster est, & de nobis semper cogitat.

UT exercitio huic sancto & utilissimo nos totos demus, exigit gratitudo, & quem amantissimo Deo & Patri nostro debemus, filialis affectus. *Non obliviscaris amici tui in animo tuo*, monet Eccles. c. 37. 6. Si ergo amicus carne & naturâ nobis similis in memoria habendus, quàm non in memoria continuò retinendus, à quo tot in nos fluxerunt beneficia, Deus & Pater noster? Si sciremus terrenum Principem nostrî semper meminisse, non adeò grossi & bardi essemus, quin sœpius ex tenero affectu de eo recogitaremus. Cogitavit de nobis Deus ab æterno, & in ejus memoria fuimus adeò vivaciter & fixè, quasi nihil aliud haberet, quod cogitaret; adeo amorosè, ut Propheta Regius admirabundus exclamet, ps. 39. *Cogitationibus tuis non est qui similis sit Tibi.* Vel, ùt S. Hierony. & alii legunt: *Cogitationes tuas pro nobis, non licet exponere.* q. d. Multis occupatur cogitationibus pater circa filium, maritus

LIB. III. PARS I. CAP. VI. SECT. III.

ritus circa uxorem, amicus circa amicum; sed in comparationem tuarum, quas nostrî causâ ab æterno versâsti & etiamnum versas, venire non possunt. Ingratitudo igitur maxima esset, ejus, qui ab æterno cum tanto amore, curâ, & affectu nos in sua habuit memoriâ, oblivisci.

Hoc exercitio hoc utendum est Tempore matutino.

Tempus quod concernit, quo hoc exercitium usurpandum, est. *Primò* Tempus matutinum, quo servitutis & obligationis nostræ pensum Deo reddere possumus his vel similibus verbis: Dominus meus & Deus meus, credo firmissimè, quòd hîc & ubique præsens sis, quodque attento hodie oculo, verba, opera, & cogitationes meas lustraturus sis, ità ut nihil oculis tuis manere possit occultum. O puritas infinita! qua puritate decebit me coram te ambulare! qua reverentiâ coram infinitâ Majestate tuâ, opera mea instituere! &c. Hi similésque actus arma ministrabunt, quibus op- & expugnare possimus, quidquid tandem sinistri nobis accidet.

Sub oratione.

Secundò. Sub orationis tam vocalis, quàm mentalis initium hoc exercitium renovandum, sinè quo multæ irrepent distractiones, cum quo autem omnes vanæ phantasiæ evanescent.

In peccandi occasionibus.

Tertiò. In occasionibus peccandi, exemplo Josephi & Susannæ vivâ fide ante oculos ponenda Dei viventis & videntis præsentia, ne peccato consentientes turpiter labamur; non secus ac pisciculi, qui si advertant maris instare procellas & tempestates, illico profundissima maris petunt, ubi summa malacia.

Si extraordinarium bonum opus faciendum.

Quartò. Si opus quodpiam raræ virtutis exercendum, maximè utilis est

vi-

Tempore vespertino.

viva de præsente Deo cogitatio, qui adstat nobis, attendens quomodo in hoc vel illo negotio expediendo nos habeamus. Sic fecit Judith, Judith. 13. quæ jam jam Holofernis caput amputatura per præsentis Dei memoriam se præviè animavit, auxilium implorans, quo ad validum ictum fœmineas Deus vires roboraret. *Quintò.* Vespere examinandum, quomodo in hac vel illâ occasione, in qua gravioris momenti negotia occurrerunt, nos in praxi hujus exercitii habuerimus, cum emendationis proposito in futurum. Si modo & tempore jam dictis, ità Deum in hoc mortali corpore & vitâ præsentem intueri studuerimus; optimè sperare possumus, nos eundem in patriâ inter Angelorum choros facie ad faciem visuros. Legitur de Patriarchâ Jacob, qui fuit figura Electorum Gen. 25. 1. *Habitavit juxta puteum nomine Viventis & Videntis*; hoc est, in præsentiâ omnia videntis Dei, in loco amœnissimo & maximè frugifero; ex quo loco Ismael, qui erat figura Reproborum, recesserat, & *Habitavit in deserto Phara.* Gen. 21. 21. loco sterili & petroso. Hunc Ismaelem relinquamus, Isaaco nos associantes; sedeamus cum eo ad puteum aquarum viventium ante conspectum videntis & viventis Dei, ut aquas gratiarum & virtutum hauriamus, Dei nostri memoriam nunquam deponentes.

CAPUT VII.

Amor in Christum facit, ut voluntatem nostram illius voluntati conformemus.

Voluntas Dei omnium re-

DOcet S. Thom. 1. part. q. 19. art. 4. quòd Voluntas Dei sit causa omnium rerum

 crea-

creatarum, quódque ipsa sit, quæ Cœlum, Terram, Solem, Lunam, Elementa, Homines, omniáque animantia, & quidquid tandem in Universo continetur, creavit. Hanc suam doctrinam Angelicus Doctor desumpsit ex illo S. Pauli ad Ephes. cap. 1. 11. *Operatur*, scilicet Deus, *omnia secundùm consilium Voluntatis suæ.* Sicut ergo Dei Voluntas omnia creavit, ità & omnia de facto regit, & gubernat. Hæc potentissima Dei Voluntas admirabili decore mundum in creatione exornavit; ità quidem, ut juxta ipsammet Altissimi censuram, quæ falli non potest, omnia optimè facta esse, inventa sint; *erant enim omnia valdè bona.* Genes. 2. Ex quo, ùt certissimum evincitur, ad summam quoque excellentiam cuncta esse ascensura, si hac ipsâ Dei Voluntate se sinant gubernari. In creatione omnia se demisissimè Voluntati Divinæ subjecerunt, nec conditoris sese consilio opposuerunt, contenta, in quacunque tandem essentiâ à Dei manu & voluntate ponerentur; ità & dignissimum est, ut & in gubernatione se omnis creatura in omni subjectione voluntati gubernantis accommodet; détque plenissimam potestatem agendi secum, prout ipsi visum & placitum fuerit. Decet præ reliquis hæc subjectio creaturam rationalem, Hominem; utpote tot gratiis & beneficiis à benignissimâ Dei voluntate ornatam. Si contrarium accideret, magna certè injuria hanc de se maximè meritam Voluntatem afficeret. *Cùm homo aliquid vult per propriam voluntatem*, ait S. Anselm. Libro de simili. cap. 8. *Deo aufert quasi suam coronam; sicut enim corona*

Voluntas Dei rerum creatarum est causa.

Dignissimum est, ut homo se subjiciat voluntati Divinæ.

rona soli Regi competit, sic propria Voluntas, soli Deo. Obligati ergo maximè sumus, ut nihil extra Dei voluntatem velimus, & nos totos eidem sacrificemus.

LIB. III. PARS I. CAP. VII.

Amor radix est perfectæ conformitatis cum voluntate Divinâ.

Ratio præcipua, quæ nos ad justissimam hanc subjectionem & obedientiam impellere debet, desumitur ex natura amoris; qui nexus est, quo amans amato jungitur, & quo ex duobus unum fit; cùm econtra odium dividat, quod amor univerat. Hæc amantium unio præcipuè fit in voluntate; quia inter syncerè & vere amantes, in omni re honesta & licita, unum cor, una anima, una voluntas est. Ex quo concluditur animorum & voluntatum conjunctionem pari cum amore passu ambulare; ità, ut ubi exiguus amor, exigua; ubi magnus, ibi & magna voluntatum conjunctio sit. Amor animum, quem semel occupavit, eò inclinat, ut de nullo magìs sollicitus sit, quàm ut impleat Amati voluntatem; unde, ab illo nil audimus aliud, quàm: Quid placet tibi? quid mandas? quid vis? ecce adsum, impleturus ad amussim, quæ fieri à me voles. *Anima* (Deum verè amans) ùt ait Richard. de S. Victore de grad. violent. Caritatis; *ad omnem Divinæ voluntatis nutum facilè se applicat; imò spontaneo quodam desiderio ad omne ejus arbitrium se ipsam accommodat, & juxta Divini beneplaciti modum, omnem suam voluntatem informat.*

LIB. III. PARS I. CAP. VII. SECT. I.

SECTIO I.

Ad majorem Dei gloriam cedit, si Voluntatem ejus adimpleamus.

In suo quisque statu voluntatem Divinam potissimùm facere potest.

CErtissimè & indubitatè tenendum est, in nullo nos statu meliùs & perfectiùs Dei Opt. Max. gloriam promovere posse, quàm in eo, ad quem ille nos vocavit; dummodo ex parte nostra non negligamus ea implere, quæ in statu illo, ad quem nos vocare placuit, fieri desiderat & præcipit. Deus enim, cùm in omnibus quæ in ordine ad homines agit, præfigat sibi propriam suam gloriam, & immotis ad eam oculis respiciat; ejúsque consilia ex infinitâ procedant sapientiâ; infinitè quàm nos clariùs cognoscit, quæ media ad promovendam suam gloriam accommodata sint, quæ etiam reipsa applicat, dummodo nos ejusdem voluntati refractarii & rebelles non simus. Ut igitur Deum in vita tua glorifices, non opus est, ùt ait B. Henricus Suso, apud Blos. in Dictis PP. ut multâ gratiarum & consolationum cœlestium abundantiâ benedicaris; sed ut tuam voluntatem illius voluntati conformes. Ipsis illis supremis Cœli Spiritibus nihil hoc exercitio gratiùs est, vel esse potest: Unde si adverterent, Deo placere ejúsque esse voluntatem, ut ad vilissimas in terris occupationes sese abjicerent, indilatè cœlum relinquerent, scientes, augmentum Divinæ gloriæ in expletione voluntatis illius situm esse. Quare non immeritò Viri sancti interdùm auditi sunt dicere, malle se ex voluntate Dei esse abjectos terræ vermicu-

culos, quàm sublimes Cherubinos ex voluntate propriâ; in his enim circumstantiis, ùt scarabæi plùs honorarent & glorificarent Deum, quàm si supremi in Cœlis essent Angeli.

Minima operæ cum intentione Dei voluntatem implendi, facta, Deo æque ac grandia placent.

Sic Christus Dominus Redemptor noster æquè alacriter operam navavit arti fabrili, quàm honorifico per totam Judæam prædicationis officio; æquè promptè ligni frustula in officinâ fabrili colligebat, quàm mortuos suscitabat; hæc enim & similia in speciem adeò dissimilia opera perfectissimâ & immutabili obibat intentione, tam in illis, quàm in his voluntatem Patris Cœlestis adimplendi; in hoc enim consistebat Divinæ gloriæ promotio, ad quam promovendam è Cœlo in terras descenderat. Sic & Angeli pari promptitudine per multos annos nocte & die in omni angulo sinè ullo ad merita & conditionem respectu, hominibus advigilant, adstantes tantâ alacritate & industriâ Rustico, quantâ Regi, tantâ mancipio, quantâ Domino; nihil enim aliud quærunt, quàm Dei implere voluntatem. Ad hanc quia non attendit Rex Saul, à Deo abjectus est, ne Rex esset, 1.Reg. 15. *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs ut obediatur voci Domini? Melior enim est obedientia, quàm victima & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere, pro eo ergo quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis Rex.*

Conformans se

Honorificum est Creatori, quod creaturam habeat, de qua certus est, quod in nullo

ipsi

LIB. III. PARS I. CAP. VII. SECT. 1.

Divinæ voluntati, Deum maximâ gloriâ afficit.

ipsi sit contradictura, disponat de eâ, quidcunque tandem, in manu ejus se quoad omnia resignans, promptissimè exceptura bona & mala, paupertatem, divitias; honorem, ignominiam; ariditates, consolationes; delicias, miserias, vitam, mortem, &c. Certè hæc maxima gloria est, quam ex creatura sua Deus capere potest, si se in manu conditoris sui plenè & planè modo prædicto resignet. Cùm ergo ad Dei gloriam promovendam conditi simus, voluntati Divinæ per omnia obediamus, totos nos ejus sanctissimæ Providentiæ committentes; hæc enim brevissima ad augendam ejus gloriam via est. Ingratissimus est, qui hanc viam non amplectitur; cum tamen supremus ille Cœli & Terræ Dominus, à nobis nullo modo dependens, promptissimè faciat, quoties cupimus, voluntatem nostram; nec ullam eidem, ùt posset, vim inferat; si volumus ambulare, si volumus loqui, si volumus comedere, præsto est voluntati nostræ; imò, quod stupendum, quoties contra ipsum scelus molimur, generali suâ assistentiâ adest; sinè qua nec pedem, nec manum, nec ullum corporis membrum movere possemus, ut voluntatem nostram impleamus. Nunquid ergo dignissimum est, ut nos totos reciprocè ejusdem voluntati tradamus? maximè cùm Voluntas hæc, utpote una eadémque cum Divinitate res, infinitæ dignitatis & sanctitatis sit. Nunquid ergo dignissimum ut ad illius magìs, quàm ad omnium creaturarum voluntatem attendamus? Ita omnino: adeò quidem, ut si juberet Deus tollere è terrâ frustulum glebæ, ma-

Deus facit voluntatem nostram, ergo & nos debemus facere illius.

magìs ad hoc, quàm ad alia quæcunque imperia attendendum esset.

SECTIO II.

Voluntas nostra cum Divinâ conformanda est, quia omnia quæcunque tandem eveniunt, à Dei prudentissimo consilio, & sanctissimâ dispositione proveniunt.

Dei providentiâ omnia reguntur.

CRedere *inconcussâ fide nos convenit*, ait Cassian. collat. 3. cap. 20. *nihil sinè Deo prorsus in hoc mundo geri ; aut enim Voluntate ejus, aut permissu agi universa fatendum est ; voluntate aguntur omnia, quæ peccatum non sunt ; permissu, quæ peccata sunt.* *Omnia*, juxta S. Aug. in psal. 9. *ad Divinæ Providentiæ regimen referuntur, quæ stulti, quasi casu, nullâ divinâ administratione fieri putant.* Examinemus nonnihil ea, quæ evenire homini solent, & discutiamus quomodo ad hoc regimen referenda, pro quo

Nihil fit casu.

Notandum cum S. Aug. loc. cit. quòd in nostra vita nihil temerariis motibus agatur, nec quidquam, quantùmcunque exile & parvum sit, accidat solo casu ; sed in omnibus immisceat se manus Domini. Quòd hic formosus, alter deformis, hic sanus, alter æger ; unus Germanus, alter Hispanus ; unus hoc, aliùs alio loco natus ; quòd hic in deliciis, alter vivat in miseriis ; ille in libertate in regio palatio ; iste in captivitate in carcere ; unus honorifico, alter infami fine vitam claudat, &c. Hæc omnia in Divino

illo

LIB. III. PARS I. CAP. II. SECT. II.

illo consistorio ab æterno prævisa, ordinata & conclusa sunt, ut suo tempore fiant. *Ego Dominus & non alter*, ait Deus apud Prophetam Isai. cap. 45. *formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum, ego Dominus faciens omnia hæc.* Et Deuteron. 35. *Ego occidam & ego vivere faciam, percutiam & sanabo. Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit?* Amos. cap. 3. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Eccles. 11.

Et hoc non tantùm verum est, quo ad naturales & necessarios effectus, ùt sunt morbi, mors, calor, frigus; quæ à causis liberum arbitrium non habentibus procedunt; sed etiam quo ad effectus à libero arbitrio provenientes, v. g. Si ab alio maledictis lacessaris, injuriâ afficiaris, percutiaris, spolieris, &c. Doctrina hæc, multis lapis offensionis est, dum persuadent sibi, hæc à Deo, utpote severè similia prohibente, non fieri; sed tantùm à perversa hominis voluntate; sed contrarium certissimum est, & tam liberas, quàm naturales & necessarias hominis operationes à Divinâ Voluntate procedere. *Ecce ego*, dicit Dominus Davidi 2. Reg. 12. *suscitabo super te malum de domo tuâ, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo.* Ex hoc & aliis bene multis S. Scripturæ locis colligere licet, Deum omnium malorum, excepto semper peccato, causam & authorem esse. *Quidquid hic*, ait S. Aug. in psal. 148. *accidit contra voluntatem nostram, noveris non accidere, nisi de voluntate Dei, de Providentiâ ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de le-*

Omnium malorum, excepto peccato, Deus causa est.

legibus ipſius, & ſi nos non intelligimus, quid, quare fiat, demus hæc Providentiæ ipſius; quia non ſunt ſinè causâ. In hac optimè fundatâ doctrinâ in omni rerum eventu conſtantes perſtemus, nec inſtar maris fluctuum hinc indè moveamur & vacillemus. Judæi olim à Deo caſtigati perſuadebant ſibi, captivitatem & alias immiſſas miſerias eveniſſe ſibi ex caſu, non ex Divina Providentia; ob quam cauſam correpti ſunt à Propheta Thren. 3. *Quis eſt ille, qui dixit ut fieret Domino non jubente? ex ore Altiſſimi non egredientur nec bona nec mala? nos inique egimus & ad iracundiã provocavimus.*

Quomodo Deus illarum actionum, quæ peccatum involvunt, cauſa ſit.

Quidquid ergo ſiniſtri tibi infertur, in bonis famæ & fortunæ, in corpore, & animâ; Divinæ omnia adſcribe Providentiæ, quæ ſuâ manu his in te flagellis paternè animadvertit. Dicis: Mala quæ mihi inferuntur; ùt ſunt gravis injuria, bonorúmq; meorum direptio, &c. ſunt peccata mortalia, quâ ergo ratione Deus infinitè Sanctus poteſt circa hæc diſponere, ordinare, imò ipſe agere? Reſpondetur ad hoc; quòd Deus, qui, ipſa ſubſtantialis Sanctitas & Puritas eſt, author peccati eſſe non poſſit; hinc tamen non ſequitur, malorum antè dictorum Deum cauſam eſſe non poſſe; duo enim in his & ſimilibus malis conſideranda ſunt; *phyſicum* & *morale*: *phyſicum* eſt, motus brachiorum quo tibi bona tua tolluntur, motus linguæ dum fama læditur, &c. motus hic in eſſe ſuo phyſico ſeu naturali bonus eſt, ſicut omnia naturalia, quo ad entitatem phyſicam bona ſunt; hic igitur motus & à Deo & ab homine ſimul perficitur. *Morale* autem in ſi-

Quòd in actione malâ eſt phyſicum, à Deo eſt, non quod in illâ morale eſt.

milibus actionibus, quod nihil est aliud quàm difformitas à recta ratione & transgressio mandatorum Dei, intrinsecè & ex natura sua malum est, atque adeò esse non potest à Deo, sed fit à solo homine: non secus ac incessus hominis claudi necessariò causatur & ab animâ & à pede claudicante seu tibiâ malè affectâ, claudicatio verò, præcisè loquendo, ùt est motus imperfectus & curvus, procedit tantùm à pede claudicante & læsâ tibiâ, nequaquam ab animâ. Ità omnia mala opera quoad entitatem physicam tam Deo, quàm homini adscribi debent, quoad entitatem verò moralem & malitiam sub entitate physica latentem soli perversæ hominis voluntati, ùt radici vitiatæ, non verò omnium bonorum fonti Deo Opt. Max. imputari debent. Quoties Deus in operibus nostris auxilio suo nobis adest, nihil aliud per hunc suum concursum intendit, quàm ut per hujus actus physici positionem boni aliquid efficiatur, nequaquam intendens malitiam in hoc vel illo opere latentem, quà malitiâ tantùm à nostrâ voluntate inficitur.

Sciendum ulteriùs, quòd, si Deus concursum suum det linguæ detrahenti, rapacibus manibus &c. non alium finem habeat, quàm ut te honore & bonis, quibus in tuî æternam perniciem abusurus esses, privet; sed voluntas ejus & mens non est, ut hoc per detractorem & furem cum peccato fiat; peccatum annexum non oritur ex Dei proposito, sed ex hominis perversâ voluntate. Parens degenerem suum filium ad triremes relegans, vult,

vult, ut per sœpius repetitas castigationes & verbera ad saniorem mentem reducatur; si filiūs vapulet à remigum Præfecto inter castigandum blasphemante, certè parens blasphemiarum illarum causa non est; sed potiùs eidem displicent; tantùm enim mandavit Præfecto, ut filium castiget, non ut blasphemet. Iterum; si Judex Reum morti adjudicet, Carnifex verò ex invidiâ & odio in Reū hanc sententiam exequatur, Judex hujus odii causa non est, qui tantùm voluit, ut pro merito supplicio Reus afficeretur; non ut id fieret cum odio. Sic & Deus, dum bonis spoliaris, per hoc intendit, ut te ipsum spolies vitiis, & virtute induas, quæ intentio sanè cum peccato furis nullam habet connexionem. Accedit, quòd Deus millenis aliis modis, quibus nullum peccatum admixtum esset, hanc suam intentionem exequi potuisset.

Ex his jam adductis rationibus & S. Scripturæ locis Viri sancti semper Deo adscripserunt, quidquid tandē illis adversi vel à malis vel à bonis illatum est. *Dominus dedit, Dominus abstulit,* ait Job. cap. 1. *sit nomen Domini benedictum.* Non dixit, ùt bene advertit S. August. in psal. 32. Dominus dedit & diabolus abstulit; sicut Domino placuit, ità factum est, non sicut diabolo placuit. Videamus quomodo se habuerit incarnatus pro nobis Deus, dum dura & aspera subeunda fuerunt: cùm Petrus zelo indiscreto passionem illi dissuaderet, strictóque gladio conaretur impedire, ne Dominus caperetur, dixit ei Christus Joan. 18. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* quo loquen-

Soli Deo calamita-

di modo passionem suam non adscripsit Judæis accusantibus, Judæ proditori, Pilato ad mortem condemnanti; &c. qui tamen omnes immediatè ad mortem concurrerunt; sed Domino Deo; & quidem, non ùt severo Judici, sed ùt amantissimo Patri. Ergo & nos non attendamus ad lapidem, more rabidi canis, qui in nos jacitur, sed ad manum jacientem. *Intendat Caritas vestra*, suadet S. August. loquens de patiente Jobo, *ne fortè dicatis*: hæc mihi Diabolus fecit; prorsus ad Deum tuum, refer flagellum tuum.

tes adscribendæ, exemplo Christi.

SECTIO III.

Voluntati Divinæ nostra conformanda est, quia Deus omnia in summâ facit sapientiâ, refértque ad perfectissimum finem.

QUòd Deus infinitè sit sapiens, absoluta veritas est; nec sanæ mentis homini incidet de re adeò certa, vel minima dubitatio. *Quàm magnificata sunt opera Tua Domine!* exclamat Psalmista ps. 103. *Omnia in sapientiâ fecisti.* Et iterum psalm. 110. *Confessio & magnificentia opus ejus.* Vel, ùt Hieronym. & alii legunt, *gloria & pulchritudo*; hoc est, opera Dei nihil aliud sunt, quàm pulchritudo, decor & gloria. *Justitiâ Dei factum est*, ait S. August. apud Granad. ad 1. p. 11. 2. disti. 3. sect. 1. & seqq. *ut non modò sint omnia, sed etiam sic sint, ut omnino meliùs esse non possint. Mos Dei est*, ùt docet S. Thom. lib. de quant. animæ cap. 33. opus. 62. *quòd omnia opera sua in summo bene facit; opus quippe Cœli, Angelorum, & Hominum & aliarum creaturarum*

Quæ à Deo facta sunt, meliùs fieri non potuerunt.

turarum adeò benefecit, ut meliùs excogitari non possit.

Si ergo Deus minimam etiam creaturam suâ voluerit pulchritudinis coronâ exornare; ut meliùs fieri non possit; quâ non exornabit hominem, præcipuum opus manuum suarum, in cujus obsequium cætera condita sunt? *Dominus Sapientiâ fundavit Terram, Stabilivit Cælos prudentiâ, Sapientiâ illius eruperunt abyssi, & nubes rore concrescunt.* Prov. 3. Si tantam in ædificando Cœlo, & sublunaribus inanimatis adhibuerit prudentiam, & maximâ de facto gubernet; qua non gubernabit homines naturâ multò nubibus, abysso, rore præstantiores? Propheta David loquens de admirabili Dei, populum Israeliticum regendi modo (qui populus omnes omnino homines significat) ait ps. 77. *Pavit eos in innocentiâ cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Quibus ultimis verbis innuere vult Propheta; quòd, quidquid manus Dei circa hominem disponit, & ordinat, fiat cum manibus plenis intellectu, omniáque circa hominem fiant, in summa prudentia, & summâ sapientiâ, quæ errare non potest.

Nihil Deus tantâ gubernat Sapientiâ quàm hominem.

Ex his concludendum, & pro certo tenendum, omnes nostræ animæ vel corporis qualitates, statum, officia, jacturas, paupertatem, divitias, honores, morbos, afflictiones, tentationes, &c. procedere ab intellectu infinito summáque Sapientiâ, qua Deus nos gubernat, *attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter.* Sap. 8. *Tu autem Domine virtutum, cum tranquillitate*, vel, ut græcus habet, *cum Epikeiâ, judicas, & cum*

Deus cautissimè nobiscum procedit.

magnâ reverentiâ disponis nos. Sap. 12. Tracta nos reverenter, ùt vivas Tuî imagines, & cum tanto respectu quasi pares Dignitate Tibi essemus. Tractas nos, ùt vitra crystallina cum magnâ cautelâ & timore, ne frangantur. Et si interdum, re ità necessariò exigente, per jacturam bonorum vel famæ nonnihil duriùs attrectes; fit idipsum cum magnâ deliberatione & discretione, ne quid nimis; ne egregiam illud manuũ tuarum plasma ultra vires gravetur. Non secus ac Chirurgus, qui cautissimè læsum viri Principis membrum cum timore tractat; ne acerbiùs ex culpa sua vulnus doleat; Personæ siquidem dignitas exigit, ut modestissimè cum ea agatur.

Quæ immittit Deus, seu bona, seu mala, ad suam gloriam dirigit, & nostram salutem.

Pro certo deinde tenendum, omnia nobis immissa vel bona vel mala à Deo dirigi ad suã gloriam & nostram salutem; cùm enim infinita Bonitas sit, satagit nos creaturas suas perfectas reddere, tótque communicat Divinitatis suæ radios, quot pro dispositione & modulo suo infirmitas nostra capere potest; cúmque nos tanto eidem pretio steterimus, ab amore in nos impellitur, ut, quæcunque eveniunt, ad nostram dirigat salutem. Nulla chirotheca tam exactè manui; nulla vagina tam exactè gladio potest quadrare, ùt nostræ saluti accommodata sunt, quæ inferuntur à Deo sivè corpori sive animæ; dummodo nos forte oblatâ uti, & Divinæ providentiæ cooperari noverimus. *Voluntas Dei sanctificatio vestra*, asseverat S. Paul. 1. Thes. 4. O qui & quales, in nobis producerentur fructus, si nos totos Deo daremus

remus eúmque in proposito opere non impediremus! Quia Cœli Orbes promptissimè se moventi accommodant, hinc est, quod motus eorum adeò sint ordinati, rebúsque sublunaribus adeò proficui; si moventi resisterent, volentes se motu alio circumagere; in quantam conjicerent confusionem totum universum? Ità etiam si humana voluntas Divinæ se conformat, omnia in hoc Microcosmo, Ordine pulcherrimo aguntur, súntque in optimâ harmoniâ omnes animæ potentiæ, omnia membra, omnes passiones; si econtra Divina voluntas rebelli fronte rejiciatur, nullo servato ordine omnia confundentur, & susque deque vertentur. Jerem. 8. dicit se Deus similem figulo, qui mediante rotâ in certas figuras lutum efformat: utinam sub Cœlestis hujus Figuli manu ùt ductile lutum tractabiles essemus; quàm egregia Divinus ille Figulus vasa formaret! *Si creta nostra*, ait P. Claud. Aquav. quintus Societ. Jesu Generalis Epist. de felici progressu, *pro eâ libertate, quâ prædita est, currentis rota cursum non impediret, & quod inde sequitur Artificis propositum, atque ideam non disturbaret; quàm pulchra passim & nobilia vasa videremus!* Si sapimus, huic nos Figulo conformemus. Nunquid stultissimus esset cœcus à nativitate filius, qui Patrem prudentem & videntem sequi detrectaret? Cur ergo nos non sequimur ducentem Deum? esto nonnunquam ducat in præruptos montes, & ascensu difficiles adversitatum petras. Bono in his animo esse oportet; seducere nos non potest viam monstrans amantissimi hujus

LIB. III. PARS I. CAP. VII. SECT. III.

Quanta ex conformitate cum Divinâ voluntate bona proveniant.

Patris Dextera ; qui nos incomparabiliter plùs amat,quàm amamus nos ipſos. Corpus, ait S. Greg. Nazianz. orat. 16. à n. 2. formoſum dici non poteſt , ſi per totum in æquali eſſet planitie, inſtar tornati baculi ; pulchritudinem habet ab extantiis , cavitatibus , membris jam parvis jam magnis ; ità & vita noſtra excellens & coram Divinæ Majeſtatis oculis pulchra fiat oportet per continuam jam triſtium jam lętorum eventuum variationem. Si hunc ordinem taxemus,quia cauſam, ob quam hæc fiunt, ignoramus ; ſimiles erimus vertigine laborantibus , quibus omnia videntur circumagi, cùm tamen ſtent immota, ſoláque hujus perſuaſionis cauſa ſit , motum inordinatè in capite cerebrum.

SECTIO IV.

In conformitate voluntatis noſtræ cum Divinâ , conſiſtit omnis noſtra perfectio.

Ad magnam in Cœlis gloriam evehit conformitas cum Divinâ voluntate.

IN vitis Sanctorum Ord. S. Dominici refertur de S. Stephanâ de Suſino magnæ ſanctitatis Virgine , quòd vice quadam in raptu quoſdam ſibi olim notos inter Choros Seraphinorum translatos viderit. Cùm cauſam tantæ excellentiæ interrogaret , reſponſum eidem fuit ; tantum gloriæ gradum eos promeruiſſe ob conformitatem voluntatis cùm divinâ. Ex quo proinde ſublimi gloriæ gradu manifeſtè colligi poteſt , homines hos, per ſanctum hoc exercitium ad ſupremum quoque gratiæ gradũ evectos fuiſſe in terris.

Quæ

Quæ veritas probatur ulterius tripliciter. *Primò.* Sicut intellectus Divinus est regula omnium veritatum; sic & Voluntas Divina est regula omnis bonitatis, adeò quidem recta, constans & immobilis, ut ne ad minimam quidem mali speciem torqueri & inclinari valeat: cùm igitur Intellectui Divino nihil conforme esse possit, quòd hoc ipso non sit etiam veritati conforme; sic ad nihil voluntas Divina propendere, nihil velle potest, nisi quod bonum est. Imò quod plùs est, sicut hæc Voluntas infinitè est sancta, ità omnia sanctificat, ad quæ se extendit, dátque rebus adiaphoris egregiam formam & bonitatem, quamprimum eas voluerit, sibíq; in iis complaceat. Ex quo sequitur, quòd, qui se conformat Divinæ voluntati, nunquam errare possit, sed in perfectionis studio nimiùm quantùm proficiat. Et sicut nulla voluntas perfectior Voluntate Divinâ inveniri potest, sic & voluntas creata huic se conformans perfectior est omni alia voluntate creatâ. *Secundò.* Sanctitas & perfectio subjectatur in voluntate, & in potentiis animæ velut in throno residet; ex quibus, per omnem animam radios suos evibrat, séque per intellectum animíque passiones diffundit. Unde necessariò homo suam mortificans voluntatem, eámque Divinæ uniens, omnem cum eâ sanctitatem & perfectionem consequi necesse est. *Tertiò.* Eò res est perfectior, quò magis accedit & unitur formæ, à qua suum esse habet. Sic corpus eò perfectius est, quò perfectiori modo anima eidem unitur, & quò perfectiùs corpus animæ subjectum

Facit ut opera sint præstantissima.

Quod probatur.

jectum est. *Sic mentis humanæ perfectio*, ait S. Thom. 2. 2. q. 81. art. 7. *in hoc consistit, quòd Deo subjiciatur.* Eò instrumentum in qualibet arte perfectius est, quò tractabilius est circa ea, ad quæ elaboranda ab artifice paratum est. Et si simile instrumentum intellectu præditum esset, se ultro in artificis manum ingereret, sinerétque se tractari, versari, moveri in omnem partem; quia hic finis est, ad quem paratum fuit. Nos homines Dei instrumenta sumus, quos ideo condidit, ut suam per hæc instrumenta gloriam promoveat; exigit ergo naturæ nostræ conditio, ut nos totos eidem subjiciamus, exhibeamúsque promptos in omni eo, quod vel per nos, vel in nobis, vel de nobis fieri, eidem placitum est. *Dicamus* ergo *ei, quod dicitur in Isaia: Posside nos.* S. August. in psalm. 131.

Hæc voluntatis nostræ in Divinam subjectio, est sacrificium Deo gratissimum; inter omnia opera meritoria, maximè meritorium, & opus summi in Deum amoris; ex quo quis omni momento plures divitiarum cœlestium thesauros colligere potest, quàm ex alio quocunque, multorum etiam annorum spatio.

SECTIO V.

Per conformitatem voluntatis nostræ cum Divinâ, consequimur pacem, & mentis perpetuam tranquillitatem.

Sinè quiete nihil est diu durabile.

OMnia, quæ in universo condita sunt, naturalem sentiunt propensionem ad quietem, nec ullis parcunt, pro eâ conse-

quen-

quendâ, laboribus; cùm enim quodlibet ens conservationem suam desideret, conservari autem sinè quiete non possint; nam: Quòd caret alternâ requie durabile non est: hinc quidquid vivit, studiosè disquirit, ut quiete debitâ potiatur. Præ cæteris creaturis in hanc quietem fertur Homo; sed in hoc infelix, quòd modum nesciat, quo tantum thesaurum invenire possit. *Vivere Gallio frater*, ait Seneca Epist. 44. *omnes beatè volunt, sed ad pervidendum quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant.* Quærunt plerique hanc quietem in iis, quæ magìs inquietant, ut credere quis posset, quòd ultro se ipsos perditum eant. *Cùm summa beatæ vitæ sit solida tranquillitas*, pergit Seneca l. c. *& ejus inconcussa tranquillitas, sollicitudinis causas colligunt, & per insidiosum iter vitæ non tantùm ferunt sarcinas, sed & trahunt*: & ità ad solidam quietem nunquam perveniunt. Quænam ergo media ad hanc quietem comparandam accommodatissima sunt? non alia, quàm perfecta voluntatis nostræ cum Divinâ conformatio. Alphonsus Arragoniæ & Neapolis Rex, magni judicii & raræ doctrinæ Princeps, quæsitus quem judicaret in terris beatum? Ille, ajebat, beatus est, qui se perfectè subjicit Divinæ Voluntati, tàm in prosperis quàm in adversis. Ità refert Panormitan. in vita Alphons. Alphonso adstipulatur S. Dorotheus, juxta quem Doctr. 1. ille solidâ quiete potitur, qui propriâ voluntate mortificatâ, solam sinit in animâ suâ vivere Voluntatem Divinam. *Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis*, canebant nato Domino

Medium aptissimum ad acquirendam quietem.

LIB. III. PARS I. CAP. VII. SECT. V.

Angeli, Luc. 2. Quinam autem hi homines? certè illi, quorum voluntas conformis est Divinæ, quæ in summo gradu bona est, sinè qua necessariò voluntas hominis mala, & quod inde sequitur, inquieta est.

Inquietus semper est, qui se voluntati divinæ non conformat, quod ab exemplo probatur.

Docet idipsum quotidiana experientia. Sit exemplum Religiosus; qui advertens se huic vel illi officio, quod ad gustum non est, à Superiore applicandum, omnem movet lapidem, mille fingit excusationes, imò per apertam contradictionem, Superiorem eò adducit, ut officio non applicetur, quod timebat; non multò post, aliò mittitur, officio applicatur, quod voluntati & sensualitati illius perquam gratum. Quid inde haurit fructûs? vix attingit locum, vix officio, cui, non Divina Providentia, sed sua eum voluntas applicavit, incipit fungi; & jam se deceptum invenit, inquietatur, tentatur, omnia ei contraria accidunt, incurrítque manifestum salutis periculum. Et hoc meritò; quia ad suam phantasiam detorquere voluit Divinam Providentiam, eámque cogere, ut alia subministraret ad salutem media, quàm ea, quibus ab æterno in salute illius procurandâ, uti decreverat. *Hoc quippe ad æternam justámque legem Dei pertinuit*, discurrit S. Bernard. *ut qui à Deo noluit suaviter regi, pœnaliter à se ipso regeretur, quíque sponte jugum suave & onus leve Caritatis abjecit, propriæ voluntatis onus pateretur invitus.*

Ratio, quare causa quietis sit

Causa fundamentalis, quòd hæc conformitas imperturbabilis quietis & pacis parens sit, est, quia omnis animi inquietudo & turbatio ab aversione, id est, rebellione nostræ vo-

LIB. III. PARS I. CAP. VII. SECT. IV. *conformitas cum Divina voluntate.*

voluntatis oritur. Si v. g. cogimur hoc vel illud agere contra nostram voluntatem, si non permittimur facere, quod libenter vellemus; si nobis resistitur & voluntati & sensis nostris non pareatur. Si verò omnia ad voluntatem nostram succedant, si nemo nobis resistat; si omnes faciant, quod ipsi fieri volumus; impossibile est non habitare pacem & quietem in cordibus nostris; impossibile est, quod non ex omni parte contenti vivamus. Hanc felicitatem, hanc pacem & quietem, quis alius sibi promittere audebit, quàm is, qui voluntatem suam Divinæ subjecit? Cùm enim omnia, quæ in mundo eveniunt, eveniant ex Dei voluntate; homo verò talis nihil aliud velit, nisì quod Deus vult; indubitatum est quod in omni rerum eventu impleatur ejus voluntas, & semper sinè ulla contradictione gaudeat; quia omnia contingunt juxta suum beneplacitum & voluntatem. *Nulla hominum conditio felicior, quàm illa justorum*, ait Salvian. lib. 1. de Providentia, *qui Dei voluntati per omnia acquiescunt. Humiles sunt, hoc volunt: Pauperes sunt, paupertate delectantur. Itáque quidquid acciderit eis, quicunque verè religiosi sunt, beati dicendi sunt; quia inter quantumlibet aspera, nulli lætiores sunt, quàm qui hoc sunt, quod volunt. Nemo aliorum sensu miser est, sed suo. Et ideo non possunt esse falso judicio miseri, qui sunt verè suâ conscientiâ beati.*

Qui se voluntati divinæ conformat,

Hæc jam dicta intelligi ità non debent, quasi homo, se in omnibus volenti Deo conformans, in omnibus adversitatibus insensibilis sit, vel quasi carni & sensualitati adver-

sa

LIB. III, PARS I. CAP. VII. SECT. VI.

propter adversa tristatur tantùm quoad partem hominis inferiorẽ.

ſa moleſta non ſint: ſunt utique; ſed tantùm parti inferiori ſive homini animali: ad ſuperiorem non aſcendunt, partem rationalem non inquietant; fruitur ibi ſummâ malaciâ. Ità Chriſtus inter flagra, ſpinas, ſputa, alapas, irriſiones, &c. animo manſit pacatiſſimo, omnium bonorum abundantiâ repletus: Quoad partem inferiorem in abyſſo quodammodo conſtitutus erat tormentorum; quoad ſuperiorem, infinitis fruebatur gaudiis.

SECTIO VI.

In quibus Voluntati Divinæ, noſtra conformanda ſit.

Conformanda voluntas noſtra cũ Divinâ.

Primò In aura temperie, frigore, calore, &c.

COnformare voluntatem noſtram Divinæ debemus *Primò*, in iis, quæ extra nos ſunt v. g. in calore, in frigore, tempeſtate, bello, peſte, &c. in omnibus his decet nos velle, ut fiat, quod fit; dicendúmque in ſimili trium Puerorum canticum Dan. 3. Benedicite frigus & æſtus Domino. Benedicite glacies & nives Domino, &c. Hæc omnia inanimata Deum laudant, dum ei obediunt, ejúſque ſanctam implent voluntatem.

Secundò, In fame, ſiti, &c.

Secundò in iis, quæ proximiùs nos tangunt; ut in fame, ſiti, divitiis, paupertate, contemptu, ſolatio, tentatione, &c. Quæ omnia accipienda ſunt animo grato & tranquillo; utpote quæ ex Providentia plùs quàm paternâ & maternâ procedunt, quibus amantiſſimus Deus ad ſalutem nos ducere intendit.

Ter-

Tertiò In defectibus naturalibus.

Tertiò. Divinæ Voluntati acquiescendum in defectibus naturalibus animæ; nec murmurandum, si quis nactus sit ingenium hebes, labilem memoriam, tenue judicium, &c. ex quo capite meliora meriti sumus? ob hæc ipsa, quæ accepimus, quantumcunque tenuia sint, Deo obligati sumus, gratiásque agere tenemur: Imò oportet acceptis ità contentum esse, ut ne plura desideremus quidem; certi, quòd ità in numero, pondere, & mensurâ suas nobis gratias contulerit, ut judicaverit nullâ nobis ulterius ad sibi dignè & laudabiliter serviendum opus esse. Artifex instrumentum suum in tali formâ, figurâ, crassitudine, & longitudine elaborat, quali novit sibi in labore usui esse posse. Ità & Deus cuique tantùm tribuit ingenii, memoriæ, aliorúmque donorum naturalium, quantùm noverit esse necessarium; ut illo velut instrumento ad suum propositum uti possit, tantúmque gloriæ capiat, quantùm sibi ex illo capere præstituerat. Omnia igitur ex eo dependent, ut iis, quæ accepimus, bene utamur, sive parva sint, sive magna. Optimus ille in comedia censendus, qui suam personam optimè agit, sivè sit persona Regis, sive rustici, Domini seu servi; neque enim laudem meretur, cui persona Regis defertur; sed is, qui personam suam optimè agit. Sœpius fit alicui maxima gratia, è qua dependet æterna salus, quòd sit stupidioris ingenii, & plura desint animi talenta; vasta memoria, acutum ingenium, excellens doctrina subministrant sœpe superbiæ fomitem, exponúntque iis præditum

LIB. III. PARS I. CAP. VII. SECT. VI.

ſalutis periculo. Præſtat mediocritas quâ omni liberamur periculo, & quæ vitam conciliat ſecuram & quietam, quæ ſæpiſſime millenis involvitur curis per exquiſitam talentorum excellentiam. Religioſus, cui ex vi ſtatûs & vocationis incumbit ſtudere Humilitati, Patientiæ, Obedientiæ, ſi multis talentis deſuper acceptis inſtructus ſit, ſœpe omni curâ animæ, & eorum quæ Dei ſunt, ſepoſitâ, in ſuperbiam effertur, honores & nominis exiſtimationem avidè prenſans, non ſinè grandi æternæ ſalutis diſcrimine. Nunquid huic major obtigiſſet gratia, ſi Divina manus parciùs dediſſet, quo modò turpiter abutitur? Quod interim ità intelligendum non eſt, quaſi Dei dona & talenta ex ſe mala ſint, ſed quia bonis malus malè utitur.

Quartò; In morbis.

Quartò. Nos totos cum corpore & anima Divinæ Voluntati ſubjicere debemus in morbis, quicunque ii ſint, & qualeſcunque corporis partes afficiant. Sivè febris, ſivè peſtis, ſivè podagra, ſivè calculus, &c. Prohibitum tamen non eſt, imò Dei voluntas eſt, ut ad leniendos vel tollendos dolores congruentia remedia adhibeantur. Si hæc nihil efficiant, palàm in doloribus oſtendere debemus, Chriſtianâ nos reſolutione armatos eſſe, omniáque promptè perpeſſuros, quæ immittet paterna Dei manus: oportet adhæc per noſtræ voluntatis cum Divinâ conformationem dolores Deo offerre, & identidem inclamare cum Epicteto & Aſtione ſub Diocletiano martyrio affectis: *Chriſtiani ſumus Domine Jeſu, Tua Voluntas ſemper in no-*

nobis fiat. Et si vetus Adam generosæ resolutioni se opponat, per increpationes objurgandus; temeritatis natura redarguenda erit, qua se Domino Deo suo opponere & sanctissimæ ejusdem Voluntati contradicere non veretur. Et quid murmura juvant? Patiendum tamen est, nec ob murmura sententiam suam Deus mutabit. *Consilium meum stabit, & omnis Voluntas mea fiet.* Isai. 46. Virtutis est, necessitate in bonum uti, & scire fortiori cedere. *Si quid non possum, non posse me gaudeo*; ait Senec. Epist. 26.

Quintò Quoad modum & tempus mortis.

Quintò. Resignare nos in manus Dei oportet, quoad tempus & modum mortis. Moriendum tandem est, seriùs aut citiùs. Statutum hoc est, nec mutabitur. Vi hujus sententiæ moriendum certo anni tempore, certo die, certâ horâ, certo momento; certo modo, & non alio. Unus moritur in lecto, alter in sylva; unus aquis, alter laqueo præfocatur, &c. Hoc ergo mortis genere, hoc moriendi tempore contentos nos esse convenit, quod nobis præordinavit æterna Dei Sapientia; hæc enim sola mors Deo placet, hæc sola mors saluti nostræ maximè proficua est. Mors illa felicissima est, si homo emundatâ prævié per Confessionem conscientiâ; nullâ ad Cœlum, Infernum, salutem vel damnationem factâ reflectione, se totum in Voluntatem Dei ejúsque manus conjiciat, ipsi relinquens omnimodam dispositionem & libertatem, mittendi animam ad illum locum, in quo ipsum magìs glorificare, laudare, & benedicere possit. Hoc perfectissimo modo videtur obiisse Redemptor noster, dum,

dum, ait in cruce, Luc. 25. *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.* Certum est, quod Christus non ideo animam è corpore egressuram Cœlesti suo Patri commendârit, ut eam salvaret; ab instanti enim creationis suę visione beatificâ gavisa fuit; nec petivit, ut Pater animam liberet ex inferno, ad quem tantùm descendit, ut ejus portas confringeret, suámque ibidem gloriam palàm faceret: videtur igitur prætactis verbis Christus voluisse dicere: Pater mi, Anima mea quamdiu in corpore hoc meo fuit, summam Tuî gloriam semper & ubíque quæsivit; complaceat ergo Tibi, ut & in ipso egressu ab illa semper & ubíque lauderis & glorificeris.

Instar jumenti simpliciter Deo obtemperandum.

Optimè declarat Psalmista David, quomodo voluntas propria abdicanda & Divinæ subjicienda his verbis ps. 62. *Ut jumentum factus sum apud Te.* Jumentum in labore Domini sui non discernit locum; ubique enim sive in valle, sive in monte, Ruri aut Domi, ad dextram vel ad sinistram duci & regi se sinit: Non discernit tempus; omni horâ, de die & nocte, manè & vespere ad laborem stat paratum: Non discernit personam, sinítque se æquè regi ab imberbi juvene ac cano sene: Non discernit onus, perinde habens, sive luto sive ligno, sive ferro sive auro oneratum sit. Oportet nos induere naturam talis jumenti, præsentare nos Deo, dicentes: *Ut jumentum factus sum apud Te*; sto coram Te Deo meo, ùt promptum & innocens animal, quod nihil optat, nihil eligit, paratum sinè discretione loci, temporis, personæ, oneris se accommodare arbitrio & vo-

luntati

luntati Domini ſui. Oportet nos per voluntatis noſtræ ſubjectionem Domino Deo chartam blancam porrigere, ut eidem inſcribat juxta beneplacitum ſanctiſſimæ Voluntatis ſuæ, quidquid illi placuerit. Digniſſima ſunt verba, quæ in hanc ſcribit Seneca Ep. 107. ut adducantur: *Sic vivamus*, ait, *ſic loquamur, ut paratos nos inveniat atque impigros fatum. Hic eſt magnus amicus, qui ſe Deo tradidit; & contrà, ille puſillus & degener, qui obluctatur, & de ordine rerum malè exiſtimat, & emendare mavult Deos, quàm ſe.*

SECTIO VII.

Praxis conformationis humanæ voluntatis cum Divina, & quædam huc facientia documenta.

Conformitas voluntatis humanæ cum Divinâ in hoc conſiſtit, ut purè ſinè ullâ exceptione velimus, quod vult Deus, & ideo velimus, quia ille vult. Actus hujus virtutis exerceri poſſunt in caſibus ſectione præcedenti poſitis hoc vel ſimili modo: v. g. *Primò*, in aeris inclementiâ: Fiat Domine quod Tu vis, & quomodo vis, in calore, in frigore, in nive, in grandine, in fulgure, in aeris mutationibus, in inordinatis elementorum motibus. Quòd, quomodo, quando, & quare Tu illa vis, & ego illa volo.

Actus reſignationis pro temporis & accidentium exigentiâ.

Secundò. Fiat Domine quod, quomodo & quando vis mecum agere in fame & ſiti, in defectu & paupertate, in oppreſſione & injuriâ, in calumniis & detractionibus, in tædio & deſolatione. Me totum Tibi trado,

In fame & ſiti & reliquis incommoditatibus.

LIB. III. PARS I. CAP. VII. SEC. VII.

agemecum in his, & in omnibus aliis casibus per omnes casus & adversitates, ut tuæ placet sanctissimæ Voluntati.

In morbis.

Tertiò. Fiat Domine in morbis mihi immittendis quod vis; Tu scis quot & quales mihi ab æterno decreveris: utroque eos brachio amplexor, eósque volo quos Tu vis & non alios, irruant in me quando vis; affligant quamdiu vis, & quantùm vis secundùm Tuam voluntatem.

Tempore mortis.

Quartò. Moriendum mihi erit Domine, Deus meus. Fiat ergo voluntas Tua; quia Tu vis, paratus ego sum: & licèt evadere possem fatalem hunc ictum, nollem tamen; quia Tu vis & Tibi placet, ut eum suo tempore subeam. Quòd tempus concernit; dispone illud, ùt Tibi placet & vis, sit hoc anno, hoc mense, hoc die, hac horâ, hoc momento; ad nutum tuum sto paratus; quamprimum vis, dicam: Adsum. Quod modum attinet, eundem volo, quem Tu; moriar morte naturali vel violentâ, honorificâ, vel infami; Ruri vel Domi, in aqua vel igne, &c. perinde mihi est; id ratum & gratum habeo quod Tu: Id unum obsecro, ut mors inveniat me in statu gratiæ.

In iis, quæ nobis liberum est agere, vel non agere, non nostra sed Dei voluntas sequenda.

Notandum est circa hujus exercitii actus, ut, si quid occurrat quod nobis liberum est vel assumere vel repudiare, voluntate nostrâ quantùm fieri potest, non utamur; sed voluntati Dei, vel ejus, per quem suam nobis voluntatem declarat (quales sunt superiores) tum, ut hoc modo securiùs procedamus, tum, ut omnia cum majori perfectione faciamus: purificatur enim per hanc resig-

nationem

nationem actus ab omni proprio sensu & judicio, continétque multùm in Deum amoris. Et hæc est vera verè amantium nota, qui cariùs habent, quod ab Amati, quàm quod à propria manu accipiunt, & hanc ob causam Christus multa rogavit à Patre, quæ sibi ipsi ex propria potuisset potestate tribuere.

Proderit similiter, ut in recenti habeamus memoria textus S. Scripturæ, in quibus continetur actus hujus conformationis. Dicendum v. g. sœpe cum S. Paulo: *Domine quid me vis facere?* Actorum 9. vel cum Davide: *Ut jumentum factus sum apud Te.* ps. 72. *Tuus sum ego.* ps. 118. Vel cum Christo ipso: *Non quæro voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Joan. 5. *Descendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Joann. 6. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Joan. 4.

Difficultas circa hanc conformitatem quomodo vincenda.

Si, quoad hanc subjectionem in homine inferiore nascatur difficultas; exstimulandus hic asinus erit, dicendúmque cum Davide: *Nonne Deo subjecta erit anima mea, ab ipso enim salutare meum; nam & ipse Deus meus & Salutaris meus, Susceptor meus, non movebor ampliùs.* Ante omnia sœpius utendum illis Christi verbis Luc. 22. *Pater non mea, sed tua Voluntas fiat. Hæc vox Capitis*, ait S. Leo serm. 7. de Passione, *Salus est totius corporis; hæc vox omnes fideles instruxit, omnes Confessores accendit, omnes Martyres coronavit: discant igitur hanc Voluntatem omnes Ecclesiæ Filii, magno pretio redempti; gratìs justificati, & cum adversitas violentæ alicujus tentationis incubuerit, præsidio potentissimæ rationis utantur, ut superato tremore*

formidinis accipiant tolerantiam passionis. S.Catharina Genuensis, ùt habet historia ejus vitæ cap.6. ex mandato Christi illis Orationis Dominicæ verbis: *Fiat voluntas tua sicut in Cœlo & in terrâ*, per notabilem moram solita fuit inhærere, ídque cum incredibili gustu & devotione. Hæc paucissima præfatæ Orationis verba fuerunt tota, unica & continua oratio viri illius omni sanctitate conspicui Pachomii; ut videre est in illius vita cap. 20. Imitemur & hunc & illam, dicamúsque in omni rerum eventu corde & animo: *Fiat voluntas Tua sicut in cœlo & in terrâ.*

SECTIO VIII.

Specialis modus, se & sua committendi Divinæ Providentiæ.

Per actus Fidei, Spei, & Caritatis se homo Dei providentiæ committere potest.

PRaxis hæc utilissima est, ùt satìs compertum est iis, qui se eidem dedunt, palámque fiet iis, qui posthac hoc se exercitio occupabunt. Instituitur, ùt sequitur.

Primo. Eliciendus est actus Fidei, de Divinæ Providentiæ infallibili veritate; quòd nimirum Deus Opt. Max. singularem omnium rerum curam habeat; in specie tuæ personæ, tui corporis, tuæ animæ, tui officii, & loci in quo habitas, recreationum quibus frueris, tui nominis, necessitatis, infirmitatis, vitæ, mortis; verbo omnium ad te pertinentium, ad capillum usque, qui sinè illius dispositione de capite tuo non peribit, imò nec movebitur.

Post hunc vivæ Fidei actum, firmissima in Divinâ Providentia quoad prædicta, spes ponenda;

nenda; cum indubitatâ certáque fiduciâ, quòd tuî habitura sit curam in omnibus, quòd sit te ductura, defensura, conservatura, plùs quàm paterno & materno affectu & sollicitudine, quòdque te itâ sit gubernatura, ut omnia, quæ tibi evenient, in tuum cessura sint emolumentum.

Actum Fidei & Spei sequitur actus Caritatis; ut sollicitum pro te Deum intimè ames, ùt amat pius filius caram matrem: ut deinde omnes illius dispositiones & ordinationes super omnia approbes & amplectaris; procedunt enim ex infinita Sapientia, quæ non potest errare; & simul à maxima Bonitate; quæ malo fine nihil tibi immittit; sed omnia disponit ad suam gloriam, tuam salutem, & creaturarum perfectionem. Et ut ostendas, quod summa in Divinam Providentiam reverentia feraris, semper de eâ laudabilissimè & piè loquendum, & contra impiorum scelestas calumnias acriter defendenda.

His trium virtutum actibus elicitis sæpiùsque repetitis, incipit anima se Divinæ Providentiæ committere, & instar pusionis sinè omni curâ in sinu matris suæ suaviter indormiscere, dicens cum Davide Ps. 4. *In pace in idipsum dormiam & requiescam; quoniam Tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Et psal. 22. *Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam Tu mecum es.* Hæc interim amica requies & suavis animi somnus non itâ accipienda sunt, quasi in sinum manus recondendæ, & in otio assa columba exspectanda; sed intelligen-

LIB. III. PARS I. CAP. VII. SECTIO VIII.

da hæc sunt, quod post adhibitam ex parte nostrâ diligentiam, Deo res nostræ plenâ fiduciâ recommendandæ sint, omnis animi inquietudo deponenda, & animo pacato exspectandum, quid circa illas Deus dispositurus sit.

Felicitas hominis se totum Deo committentis.

O quanto honore & gloriâ, anima sic disposita Dominum Deum suum afficit! quantùm glorificat! certum enim est ad maximam ejus gloriam cedere, quòd creaturam habeat, quæ ità in illius Providentiam se conjicit, eíque se, omni angore, metu, & diffidentiâ sepositis totam committit; exspectans in dulci requie, qualescunque tandem Divinæ Providentiæ dispositiones. Quantam reciprocè Deus curam gerit talis animæ, omniúmque eorum, quæ quocunq; modo ad eam pertinent! Nullus hominum vel minimum in eam habet dominii, imò nec superiores ipsi; & si contingeret ab iis aliquid ex ignorantiâ ordinandum, quod nocere huic animæ posset, occulto modo rem mirabiliter Deus dirigit, talésque ponit obices, ut, quod circa eam statuendum erat, mutetur, & quod magìs illi salutare, substituatur. Hoc est quod innuit David ps. 144. *Dominus custodit omnes diligentes se.* Certè qui hac navigandi methodo utitur, secundo gaudet semper vento, sinè ullo naufragii periculo, in tali absque ullis curis animi gaudio & quiete, quam experiri nemo potest, nisi qui probat. Si Cœli in terris gaudia prægustentur, prægustat illa hæc anima. Quomodo felicior in terris conditio obtingere homini potest, quàm à Divinæ Providentiæ

dentiæ

dentiæ brachiis, ùt infans circumferri? *Ad ubera portabimini*, ait similibus Deus apud Isai. c. 66. *& super genua blandientur vobis; quomodo si cui mater blandiatur, ità ego consolabor vos.* Et per Oseam cap. 11. *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Iterum Deuteron. 1. *In solitudine portavit te Dominus Deus tuus, ùt solet homo gestare parvulum filium suum, in omni viâ per quam ambulâsti. Mamillâ Regum lactaberis*, promittit Deus Isai. cap. 16. *& scies, quia ego Dominus salvans te.* Si quis perpetuâ & constanti felicitate gaudere cupit, maneat ad hanc mamillam; maneat in sinu foventis & faventis Dei, extra hunc sinum circumcursitans innumeris se periculis exponet.

Qui se Deo non committit, multis se periculis exponit.

Quod à simili probatur.

Videmus interdum infantem in sinu matris omnino inquietum; manus, pedes, omnia totius corporis membra huc illúcque agitare, imo & lacrymis instare, ut è sinu deponatur; cùm tamen nusquam puero meliùs esse possit, quàm ibi; ubi proximior est cordi, quod materni amoris sedes est; ubi proximior est mamillis se pascentibus; ubi proximior est ori, à quo tot ei figuntur basia. In sinu hoc sinè ullo lapsûs periculo huc illúcque transferri potest: at si è sinu depositus ex uno in alium locum progredi velit, omni momento vacillat, continuò lapsurus; cùm enim discretione & judicio careat, nescit, quorsum se vertere debeat; & si nonnihil procedat, fit hoc ipsum gressu vix notabili, ut potiùs repere quàm ambulare censendus sit. His pueris comparari sæpissimè possumus; qui in sinu Divinæ Providentiæ (quæ

LIB. III. PARS I. CAP. VII. SECTIO VIII.

prô dolor! cœcitas & puerilis nostra petulantia est) quietè sedere nolumus, sed proprii-cordis ductum sequi amamus; quo nos sinè discretione & prudentiâ pueros esse palàm probamus. Tenendum igitur firmissimè est, quòd sicut puero nusquam meliùs esse potest, quàm in sinu matris; sic & nobis nusquam & nunquam meliùs erit, quàm si nos & nostra Divinæ Providentiæ, sepositâ omni mentis inquietudine & curâ de crastino, committamus.

In maximâ quiete vivit, qui se Deo committit.

Quantâ gaudebat animi pace inter apertas Cœli cataractas Patriarcha Noe! totus mundus arescebat præ timore, stupebátque super his, quæ fieri videbat; Noe inter hæc in summâ erat animi tranquillitate, quia sciebat Deum suî curam gerere. Ità & anima, quæ semel pro semper per plenam resignationem se Deo concredidit, inter omnes vitæ tumultuantis procellas altâ fruitur pace, & gaudet imperturbabili quiete. Cùm econtra ii, qui seipsos sibi rectores constituunt, quíque Sapi. 17. nominantur; *Indisciplinatæ animæ & fugitivi Providentiæ*; à tempestatibus & infinitarum curarum fluctibus continuò inquieti circumagantur; & quia imperito Navarcho, propriæ voluntati, se & sua committunt, aliter fieri non potest, quàm quòd post longam cum irato mari suarum passionum luctam, miserandum subeant naufragium, in inferni abyssum demergendi.

CAPUT VIII.

Amor Christi excitat in nobis singularem affectum erga sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum.

CErtum est, Christo Domino gratissimum esse, si nos capaces ad recipiendam cœlestium donorum abundantiam reddamus; si amarissimæ illius Passionis & Mortis (quam ex amore nostri subiît) fructus nobis applicemus; Si per intimam conjunctionem nos illi uniendo unus cum illo Spiritus efficiamur. Sanctissimum Altaris Sacramentum est, quod hæc tria abundantissimè præstat; per hoc enim & Cœlestium charismatum participes nos facimus, & Passionis Christi fructus nobis uberrimè applicamus, & modo prorsus admirabili nos Christo unimus. In omnibus piorum operum exercitiis anima Deum quærit, in hoc Sacramento invenit, possidet, fruitúrque in plenissimo Spiritus sancti gaudio. Hæc omnia in sequentibus nonnihil fusiùs discutientur; unde sit

SECTIO I.

De effectibus Divinissimi hujus Sacramenti.

Quod cibus naturalis præstat corpori, hoc Christus

SIcut juxta Theologos & Concil. Florent. *Decret. de unione*, hoc Sacramentum sumitur ùt animæ cibus, ità & habet certo modo effectus in animâ, quales habet cibus naturalis in corpore: qui præcipuè sunt; quòd corpus nutriat, reparétque quod naturali ca-

LIB. III. PARS I. CAP. VIII. SECT. I.

in Eucharistiâ anima.

calore deperditum est; quòd morbos & mortem arceat; vitam conservet, vires ad repellenda noxia & labores subeundos subministret; & quòd, si appetitus integer nec vitiatus sit, comedentem oblectet. Hi effectus ideo ex cibo oriuntur, quia intimè corpori unitus in substantiam aliti convertitur; vi cujus unionis & transubstantiationis bonam vel malam corpori tribuit complexionem: si cibus sit solidus, solidam; si humidus & aqueus, aqueam humidámque complexionem generat.

Hæc omnia contingunt in Sanctissimo Altaris Sacramento, in quo Christus ùt cibus sumitur. *Caro mea*, ait Joan. 6. 56. *vere est cibus, & sanguis meus verè est potus, qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* Ex quo patet Christum in hoc Sacramento esse verè cibum, verè sumi, & verè sumenti uniri. Declarat hanc unionem Christus ipse Joan. 6. 58. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* In hoc loco Christus unionem, quæ fit in hoc Sacramento inter ipsum & sumentem, comparat unioni, quæ est inter ipsum & æternum Patrem, quâ excellentior & perfectior dari nequit, quæque longè superat unionem illam mysticam, ad quam puræ & omnis peccati maculæ expertes in terris animæ admittuntur. Sicut ergo Pater in Filio, & Filius in Patre; sic & Christus suo modo, quoties synaxin sumimus in nobis & nos in Christo sumus: atque ità per unionem cum Humanitate, ad unionem cum Divinitate & æter-

æterno Patre, ùt primâ nostrâ origine ascendimus.

Intimè unitur animæ Christus in Eucharistiâ.

Quemadmodum cibus corporalis calore stomachi concoquitur, & corpori unitur; ità & cibus Eucharisticus unitur animæ; cum hoc tamen discrimine, quòd cibus naturalis, quia calori concoquenti resistere non potest, consumptus in substantiam nostram convertatur; econtra cibus ille cœlestis immensæ virtutis, omníque agente naturali fortior, nos in se convertat. Quod Christus claris verbis S. Augustino, paulò ante conversionem indicavit. Lib. 7. c. 10. *Cibus Ego sum Grandium: cresce & manducabis me, nec tu mutabis me in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* In eundem sensum loquitur S. Leo serm. 15. de Pass. *Non aliud agit participatio Corporis & sanguinis Christi, quàm ut in id, quod sumimus, transeamus.* Parem experimur in auro effectum, quod sumptum, manet in corpore integrum & incorruptum ob insitam naturalem virtutem omni calore stomachi superiorem; tribuítque cordi & omnibus membris singularem vigorem & robur. Sic & Christus omni auro infinitè præstantior in stomacho nostro non mutatur, sed per sacratissimum corpus & sanguinem suum, ùt Divinos canales, plurimas animæ rite dispositæ gratias impertit.

Quarum prima est, quòd animam nutriat, eámque conservet in vitâ supernaturali gratiæ; notanter dico: *Conservet.* Sicut enim cibus naturalis vitam naturalem non tribuit, sed eam conservat, dátque ad operandum corpori vires; ità & cibus hic, ani-

LIB. III. PARS I. CAP. VIII. SECT. I.

mæ per peccatum emortuæ vitam (extra quosdam casus extraordinarios, scilicet recedente fictione, si cum fictione susceptum sit) non tribuit; sed tantùm vitam ante habitam conservat, eam confirmat, & in vitam cœlestem transformat.

Verba illa Joan. 6. Sicut misit me vivens Pater &c. explicantur & Eucharistiæ applicantur.

S. Hilar. lib. 8. de Trin. & S. Cyrill. Alexand. Lib. 4. in Joan. cap. 18. Christi verba superiùs adducta ex S. Joan. cap. 6. *Sicut misit me vivens Pater, &c.* pensantes, dicunt, Christum his verbis voluisse insinuare; quòd sicut æternus Pater eidem per æternam generationem, dat Divinitatem, pulchritudinem, vitam, &c. ità quidem, ut cum ipso in Essentia unus sit: ità & nobis suo modo det in Altaris Sacramento ipsam Deitatem, Pulchritudinem, vitam, cœteráſque perfectiones Divinas se totum nobis communicando, Deósque nos certo modo faciendo. Ut Divinam vitam agamus, quæ est vita Sanctitatis, Puritatis, Fortitudinis, Sapientiæ, Amoris, omniúmque aliarum virtutum in gradu excellentissimo. *Caro*, ait Tertul. lib. de resurrect. carn. c. 8. Catech. 4. *corpore & sanguine Domini vescitur, ut de Deo saginetur.*

Alium horum verborum sensum adducunt S. Basil. lib. 4. contra Eunom. & S. Ambros. lib. 4. de Fide cap. 5. applicántque Christo ùt Homini. Quasi Christus diceret: Quemadmodum mea Divinitas, dum Humanitati meæ hypostaticè unita est, eandem fecit infinitè sanctam & ab intrinseco impeccabilem; non tantùm per superabundantiam gratiarum, quibus ditata fuit; sed etiam per unctionem puritatis & infinitæ Sanctita-

tis,

tis, per quam essentialem Sanctitatem adepta ad tantum ascendit supra omnes creaturas perfectionis gradum, ut omnes Christi cogitationes, verba & opera, à minimo ad maximum, Deo maximè placuerit, honorem illius promoverint, infinitæque fuerint dignitatis. Ità etiam (modo tamen inferiori & minùs excellenti) mea Divinitas & Humanitas sanctum efficit omni gratiarum copiâ ditatum, qui me sumit; vi quarum innocentem omnisque labis expertem vitam agere possit.

Tertius horum verborum sensus græco & latino textui conformis est, S. Aug. & Venerab. Bedæ. *Sicut ego vivo propter Patrem, & ipse vivet propter me.* Hoc est: Sicut ego tantùm vivo propter Patrem, ut nempe per omnia opera mea illius adimpleam voluntatem, & gloriam promoveam; ità etiam qui me manducat, omnia sua ad meum honorem dirigit, unicéque desiderabit modo perfectissimo mihi deservire. Ad quod sanè obligatissimi sumus, se enim totum nobis dando, nos totos sibi mercatus est, plenóque nos jure & justissimo titulo possidet.

SECTIO II.

Alius effectus Eucharistiæ est, animam confortare.

Ut cibus corpus ità & Eucharistia confortat animam.

CORporalis cibi effectus est; corpus confortare. Et hunc effectum habet cibus Eucharisticus; roboratur enim per hunc anima, ut peccatis resistat, tentationes vincat passiones domet, multóque virtutum exercitio

citio finè fatigatione & fastidio se occupet. Unde vocatur ps. 103. *Panis confortans*, qui animæ tribuit egregium vigorem, sanctámque complexionem. Cibus Eliæ. 3. Reg. 19. cibi hujus fuit figura, in cujus fortitudine ambulavit restauratis ex pane viribus, quadraginta diebus & noctibus usque ad montem Horeb. Et nos conscendemus grandem illum & excelsum perfectionis & sanctitatis montem, si sæpe Divino Eucharistiæ cibo pasti fuerimus. Chtistus docturus suos Discipulos orare, hanc ab eis inter cœteras, volebat fieri petitionem; Matt. 6. 11. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodiè.* Quis est iste panis? Sancti Patres intelligunt per hunc panem SS. Eucharistiam, quæ idcirco supersubstantialis dicitur, ùt notat Cyril. Hierosol. cate. 5. quia substantia animæ per hanc confortatur, & solidatur. S. Ambros. Lib. de sacram. c. 4. in hunc locum, ait: *Non iste panis est, qui vadit in corpus; sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.* Marius Victorinus lib. 2. contra Arium, profundiùs hæc verba explanat, dicens; ideo appellari Eucharistiam Panem supersubstantialé, quia in essentia cùm Deo una eadémq; res est: siquidem Divinitas in eo verissimè latet, & robur omnino Divinum animæ sumentis communicat. Et hæc causa est, quòd fuerit in Ecclesia Dei semper moris, Escam hanc moribundis in viaticum dare, ut tentationibus in agone impetuosiùs irruentibus fortiter resistere valeant. In primitiva Ecclesia quisque Divinum hunc Hospitem domum

mum conferebat; ut, si improvisò ad Martyrium & mortem raperetur, haberet, quo se roboraret, & omnibus tormentis se superiorem reddere posset: intentioni respondit effectus, tantúmque ex hoc cibo crevit etiam in ipsis utriusque sexûs adolescentulis, & puellis, ut nullo potuerint supplicio à Deo avelli, viderentúrque ex ferro & chalybe compacti, potiùs volantes quàm euntes ad locum martyrii; quod mirum non erat, quia saturati erant cibo illo confortante, de quo ait David Psalm. 22. *Parâsti in conspectu meo mensam adversùs eos, qui tribulant me. Impinguâsti in oleo caput meum. Et: Calix meus inebrians quàm præclarus est. Hoc Calice,* ait S. Aug. in illum Psalm. *inebriati erant Martyres, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant; non uxorem flentem, non filios, non parentes, & gratias agendo dicebant: Calicem Salutaris accipiam.*

In quo consistat anima fortitudo. Et quomodo illa per Eucharistiam augeatur.

Hæc animæ fortitudo consistit præcipuè in intellectu & voluntate; dum nimirum Intellectus radiis cœlestibus illustratur; & voluntas piis affectibus sanctóque fervore inflammatur. Utrumque fit per Eucharistiam modo prorsus excellenti. Testantur id duo Discipuli euntes in Emmaus. Luc. 24. Accepto enim de manu Domini, ùt vult S. Aug. lib. 3. de consens. Evang. Sanctissimo Christi Corpore *Aperti sunt oculi eorum & cognoverunt eum in fractione Panis.* Quod ipsum in figura olim contigit Jonathæ 1. Reg. c. 4. de quo habet sacer Textus, quòd gustato melle (Eucharistiæ figurâ) illuminati sint oculi ejus, multóque clariùs quàm antè viderit. Unde

op-

LIB. III. PARS I. CAP. VIII. SECT. II.

Famem ad terrena Eucharisticus Christus sedat.

optimè à S. Chryſ. hom. 24. in Joannem, Euchariſtia vocatur: *Fons luminis.* Deinde ex ſumptione Diviniſſimi hujus epuli inflammatur Voluntas. *Ignis enim eſt*, ùt loquitur S. Ephrem. de natura Dei curiosè non ſcrutandum, *Chriſtus, ſub ſpeciebus Euchariſticis occultatus, voluntatem accendens.* Eſtque ex mente S. Chryſoſt. hom. 38. in Matth. os communicantis plenus cœleſti & Divino igne. Hoc igne qui corripitur, ſummâ libertate & alacritate ea exequitur, quæ ad honorem Dei promovendum ullo poſſunt modo conducere, nec ullum virtutis exercitium nimis eidem eſt arduum. Totius Græciæ fortiſſimus fuit Achilles, eò quòd medullis ex leonum oſſibus nutritus & educatus fuiſſet. Quidni ergo fortis efficietur, qui medullâ ex Leone de Tribu Juda paſcitur & animatur?

Tertius effectus cibi eſt, ſedare famem, & voluptatem afferre, ſi appetitus integer ſit. Utrumque facit cibus Euchariſticus; famem ſedat, tollendo appetitum ad res creatas & perituras, quibus paulò ante avidè inhiabatur; ſolus ſapit Chriſtus, quem ùt omnium bonorum fontem & uberrimam omnium deliciarum ſcaturiginem anima devota in ſuaviſſimo hoc epulo ſumit & poſſidet. *Hoc uno contenti ferculo*, inquit S. Cyprian. de Cœna Domi. *omnes hujus mundi delicias aſpernantur, & poſſidentes Chriſtum, aliquam hujuſmodi poſſidere ſupellectilem dedignantur.* Voluptatem deinde Panis hic cauſat, quam nec oculus vidit, nec in cor hominis deſcendit. *Mira ſunt*, pergit S. Cypri. loc. cit. *quæ ſentit, magna quæ videt,*

videt, inaudita quæ loquitur, quem Agnus iste Paschalis inhabitat; cujus animam meri hujus fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat & delectat. Panis iste Angelorum, omnia carnalium saporum viritamenta, & omnium exsuperat dulcedinum voluptates. Faciet Dominus exercituum, prophetat de hoc Sacramento Isai. c. 25. *omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, convivium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* vel, ut 70. legunt: *Ipsas potabunt delicias, & unguento ungentur.* Verbo; Cibum accipit communicans; *Omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.* Sap. 16.

SECTIO III.
De frequenti usu & sumptione sanctissimi Sacramenti.

Quoties Eucharistia summenda.

EX plurimis, quæ ex sumptione SS. Eucharistiæ haurire possumus, beneficiis, debet meritò appetitus acui, & excitari affectus, ad Sacramentum hoc admirabile crebrò recipiendum. Ad maxima hæc bona & dona reflectens Concil. Trid. sess. 22. c. 6. ità se ratione frequentis sumptionis explicat. *Optaret Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent.* Ut periculosum est, ait S. Chrys. Hom. 24. in 1. ad Cor. indignè hoc Sacramentum suscipere, ità & sinè causa ab eo abstinere, idem est, ac in se & vitam suam petulanter ferro & igne sævire; hic enim ci-

LIB. III. PARS I. CAPUT VIII. SEC. XII.

bus est animæ nervus, appetitûs frœnum, fundamentum nostræ spei, stimulus nostræ fortitudinis, instrumentum salutis, lumen & vita nostra, &c. Ad sumendum igitur Cibum hunc non est, quod solos eligas dies festos; quilibet sacer est, satísque aptus; dummodo in corde & conscientia tua nullus defectus.

Erat in primitiva Ecclesia moris, quotidie communicare, hícque mos, ùt testatur S. Hieron. suo tempore adhuc Romæ, & in Hispania viguit. *Videatur Baron. ad annum Christi 57. n. 154.* Ad hunc laudabilem morem S. Ambros. lib. 5. de Sacram. c. 4. & S. Aug. de verb. Dom. serm. 28. excitant aliquot Ecclesias Orientales, in quibus mos ille exoleverat. Videtur etiam Christus ipse sub speciebus panis Sacramentum hoc instituisse, ut indicaret, tàm parum posse carere animam hoc cœlesti Cibo, quàm corpus quotidiano pane. Unde in Oratione Dominica vocatur. *Panis quotidianus. Si quotidianus est panis*, infert S. Ambros. loc. cit. *cur post annum illum sumis? accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit.* Et quidni, si non quotidie, saltem sœpius hunc cibum accipies, qui per hunc gratiam acquiris, merita auges, peccata venialia deles, Deo singularem honorem exhibes; econtra si negligas, irreverentiam, imò injuriam infers? Dic enim amabo, si Rex pro infirmo servo medicinam pararet adeò pretiosam, ut ipsum exhauriretur ærarium, infirmus verò accipere renueret? Nunquid hic talis in Regem injurius foret; maximè si medicina adeò suavis, ut non tantùm sinè

Deo injuriam facit, qui rarò Eucharistiam sumit.

nau-

nausea, sed & cum singulari gustu & delectatione sumi possit? Majori certè injuriâ Christum afficimus, si ex negligentia cœlestem medicinam sumere nolumus; medicinam inquam, cui parandæ ipse Deus impendit quidquid habuit, miscendo illam ex pretiosissimo suo corpore & sanguine. Quis non magnæ inurbanitatis argueret latentem in lacu leonem Danielem, si Prophetam Habacuc per tam vasta viarum spatia, non per pedes, nec per equum, sed per crines ab Angelo per aerem ductum, cibum adferentem à se repulisset, oggerendo quòd non indigeret cibo, posset redire viâ, quâ venisset? &c. Longè in circumstantiis admirabilior cibus est, quem dedit nobis Dominus ad vescendum, & plura in eo inveniuntur mirabilia, quàm in cibo ab Habacuc Danieli delato; ut majori proinde inurbanitate & irreverentia notandi simus, si hunc ex torpore suscipere & manducare recusamus.

Eva prima parens nostra, si non certò, saltem probabiliter timere poterat, ne sumpto vetito pomo moreretur; & tamen tantùm potuit exhibita deforis fructûs species, ut, cùm videret bonum esse lignum ad vescendum, & pulchrum oculis & aspectu delectabile, manum extenderit, decerpserit, & comederit. Quo igitur appetitu nos ferri non oportebit in arborem Sanctissimi Sacramenti, ex cujus fructu non mortem nobis accersimus, sed vitam conservamus, innumerísque donis locupletamur? Et hæc est causa, quòd Christus salutis nostræ amantissimus tam blandè nos invitet, Sap. 5. *Venite comedi-*

LIB. III. PARS I. CAP. VIII. SEC. III.

te panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. & Cant. 5. *Comedite amici & bibite, & inebriamini Carissimi.*

An bonum ex reverentiâ abstinere à sumptione S. Sacramenti.

Dices: Sacramentum hoc summam exigit reverentiam, ideóque melius erit rarò accedere. Respondetur; verissimum esse, profundissimam Mysterium hoc mereri reverentiam; nequaquam tamen ex hoc capite abstinendum. Primi Christiani sciverunt optimè quid hac in re agendum, qui experientiâ testatum reliquerunt, quòd crebra Cibi hujus sumptio reverentiam nequaquam imminuat. Videre hoc ipsum est moderno tempore. Propone tibi duos, quorum unus indies, alter rarissimè hoc Cibo reficiatur; attende uter cum majori reverentiâ & præparatione accedat; & videbis, quòd primus. Causa est, quia in unaquaque communione, si impedimentum non ponatur, nova communicatur gratia, quæ majorem & majorem indies in eo erga Deum reverentiam, majorémque ad Divina & Spiritualem profectum excitat fervorem.

Qui sæpius hoc cibo reficitur, cum majori accedit reverentiâ.

Nunquid is, qui rarius comedit, plùs deficit in viribus? quare hoc? quia non restaurat, quod calor naturalis absumpserat: ità & non potest non deficere in viribus anima, quæ rarò pane Angelorum reficitur; cùm non reparet, quod immoderatus cupiditatum inordinatarum æstus decoxit; ità ut tandem cum Davide ingemiscere debeat ps. 101. *Percussus sum ùt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Nemo ergo attendat ad Diaboli suggestiones, qui totis viribus conatur impedire, ne quis sœpius ad sacram mensam accedat, sciens quia omnium

gra-

gratiarum ubertimus fons est. *Quærite Deum,* hortatur Proph. Reg. ps. 68. *& vivet anima vestra.* In quem locum S. August. commentans, ait: *Quæritis panem & vivat caro vestra; Dominum quærite, ut vivat anima vestra.*

LIB. III. PARS I. CAPUT VIII. SEC. III.

Pericula accedentis ad Eucharistiam sinè debitâ præparatione.

Hæc interim omnia intelligenda sunt de piâ & debitâ, prævie institutâ ante Eucharistiæ sumptionem præparatione; si enim quis sœpe sinè devotione ex arida consuetudine, de emendatione morum & vitæ non cogitans, his deliciis fruatur; melius esset, ut abstineret; si enim, ùt Theologi docent, peccatum veniale, causa esse possit æternæ damnationis, non secundùm se, sed ùt est causa peccati mortalis; sic & venialia, quæ in usu & sumptione hujus Sanctissimi Sacramenti obiter & perfunctoriè factâ, utpote graviora quàm alia, æternæ ruinæ causa esse possunt. *Dederunt in escam meam fel*, conqueritur Deus Psalm. 68. q. d. Hi devotarii hypocritæ, qui Deum & salutem in veritate non quærunt, omnia ad oculum & hominum beneplacitum operantes, cibum quem eis dedi, felle & absynthio miscuerunt. Prætacta verba Davidis ex mente S. Augustini intelligenda sunt de Sacramento Eucharistiæ. Et quid tandem hos hypocritas manet? Psalmista subjungit: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones & in scandalum: obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper in curva; effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat illos: appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in justitiam tuam: deleantur de libro viventium & cum justis non scribantur. Fiat non optantis est,*

 ait

ait S. Aug. in hunc locum, *sed prophetantis; non ut fiat, sed quia fiet*. Videant igitur videant, qui aridè sinè devotione accedunt ad tremendum hoc mysterium, ne mortem hauriant ex medicina vitæ; quod certè timere possunt, si post sumptum cœlestem hunc cibum, maneant sinè ullâ vitæ morúmque emendatione, superbi, vani, iracundi, detractores, &c.

SECTIO IV.

De præparatione ad Sacramentum Eucharistiæ dignè sumendum.

Res stupenda, Deum vivum & verum toties ab innumeris sumi, & tamen paucissimos esse homines sanctos.

VIx quidquam evenire in universo potest mirabiliùs, quàm quod in Ecclesia Dei circa SS. Altaris Sacramentum in dies contingere oculis cernimus: quòd nimirum Christus Dominus ac Redemptor noster secundùm Divinitatem & Humanitatem indies à tot millibus sumatur, & tamen cum exiguo aut nullo fructu, nullóque in spiritu & sanctitate profectu. Quod idem est ac ignem non calefacere, lucem non illuminare, abundantiam non ditare, fortitudinem non roborare &c. quod certè stupendum & mirabilium omnium maximum mirabile non incongruè dici potest. Cùm enim Deus Opt. Max. omnia sua opera, quantumcunque exigua; qualia sunt, v. g. lapsus guttulæ aquæ ex pluvio aere, motus folioli in arbore, vel stipulæ in agro; ad præstantissimum finem direxerit; non potuit non ad sublimen & planè divinum finem direxisse mirabilium suo-

ſuorum præcipuum, præſtantiſſimum, quod in Religione noſtra habemus, Euchariſtiæ Sacramentum. Et ſi excellentem aliquem finem in inſtitutione talis ac tanti Sacramenti non habuiſſet, non ſervaretur debitus ordo inter finem & media, dicendúmque eſſet Deum cœco modo in opere adeò ſublimi proceſſiſſe, nec infinitâ ſuâ ſapientiâ, quæ tamen in omnibus etiam minimus adeò mirabiliter elucet, in hoc ſacramento uſum fuiſſe. Chriſtus Dominus Veritas eſſentialis, quæ fallere non poteſt, diſertis verbis ait; quòd, qui ſe manducat, propter eum victurus ſit, ſicut ipſe propter Patrem, hoc eſt, ſanctam cœleſtémque vitam acturus, & in Deum quodammodo transformandus ſit. Sed ubi ſunt, in quibus hæc verba verificantur? ubi ſunt, in quibus hi Divini effectus ap parent? cur non elucent in nobis vivifici hujus panis fructus? deploranda certè res eſt, ſummúmque dedecus, majorem in corpore noſtro vim virtutémque habere panem naturalem, quàm in animâ cœleſtem. Panis, quo indies veſcimur, alit roborátque noſtrum corpus, & Chriſtus Panis vivus de cœlo deſcendens omni virtute & potentiâ ſuâ, in animâ nihil operabitur? Unde quæſo ortum habet maxima hæc miſeria? Ex nullo alio capite, quàm ex defectu diſpoſitionis & præparationis. Certum inter Philoſophos eſt, probatúmque quotidianâ experientiâ, omnes cauſas naturales, quantumcunque excellentes, agere ſecundùm diſpoſitionem & conditionem illius, in quod agere debent; ſic videmus ſolem, qui univerſaliſſimè operatur, uno eo-

Quæ hujus rei cauſa.

LIB. III. PARS I. CAP. VIII. SECT. IV.

démque radio ceram liquefacere, & lutum indurare; sic & unus idémque cibus à diversis diversæ complexionis sumptus, in uno morbum, in altero augmentum causat sanitatis. Ità & res se habet in rebus altioris ordinis, & vitâ spirituali: Christus Dominus, Sol Justitiæ animam justi dealbat ùt nivem, hominis carnalis & mundani indurat ùt Lutum. *Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis quàm sit dispar exitus.* ait S. Thom. in Sequent. *Quàm multi*, dolet S. Aug. Tract. 16. in Joan. *de altari accipiunt & moriuntur, & accipiendo moriuntur; unde Apostolus dixit: Judicium sibi manducat & bibit: Nónne buccella Dominica venenum fuit Judæ? & tamen accepit; & cum accepit, Diabolus in eum intravit; non quia malum accepit, sed quia bonũ malè malus accepit.*

Effectus Eucharistiæ pendet à præparatione.

Quia ergo gratiarum influxus præparationi ad hoc Sacramentum attemperatur, omni possibili devotione, & præviâ præparatione accedendum est. Bene præparatus plùs percipiet gratiarũ ex unicâ sumptione, quàm aridè accedens ex centũ, imò pluribus. Si ipsis cupiamus Cherubinis æquari, unâ tantùm communione, cum debitâ præparatione sumptâ est opus. Parvo vase parum, magno vase multùm aquæ ex fonte haurio; sic & anima ex fontibus Salvatoris parum vel multùm aquæ gratiarum pro capacitate vasis seu dispositionis haurit. Penuria & abundantia gratiarum à præparatione obiter vel sedulò institutâ dependet. Et hæc præparatio non ideo tantùm adhibenda, quia salus nostra ab eâ dependet; sed vel maximè, quia infiniti hujus mysterii excellentia hanc requirit. Si

apud

apud Sybarithas convivium esset servandum, vel ludi instituendi anno integro antecedenter mulieres ad illos invitabantur, ut se dignè ad illos parare, ornare & comere valerent. Et nos non daremus tempus præparationi ad mensam tanti Domini accessuri? Talem certè ac tantam hoc Mysterium requirit præparationem; ut non tantùm non mille anni essent nimis breves; sed nec ipsa tota æternitas, si impenderetur præparationi ad tantæ Majestatis Dominum suscipiendum, nimis longa foret. Sacramentum hoc, græcè vocatur *Eucharistia*, quod verbum latinè idem sonat, ùt ait Clem. Alexandr. Lib. 2. pædag. c. 2. ac *Bona gratia*; non solùm quia omnis gratiæ in se continet authorem; sed præcipue, quia omnia gratiarum Charismata liberalissimè sumenti ex summi in nos amoris abundantiâ confert; nos per hoc excitans, ut reciproco amore eundem sumamus; debétque hæc præparatio ità institui, ac si communio, ad quam accedimus, esset ultima vitæ nostræ; ac si Christus visibiliter è cœlesti gloriâ descensurus, nostro se conspectui sistere vellet. Quibus circumstantiis hæc præparatio vestiri debeat, in sequentibus dicetur.

SECTIO V.

Prima & omnino necessaria ad Communionem præparatio est, magna & viva Fides.

DEcet omnino, ut ad Eucharisticum epulum accessuri, latentem in eo Dominum dominantium eo modo suscipiamus, quo

LIB. III. PARS I. CAPUT VIII. SECT. V.

quo ille ad nos venire dignatur; venit ad nos cum infinitâ Sapientiâ, Puritate, Potentiâ, & Amore. Tantæ Sapientiæ ex parte nostra reddi debet viva Fides; tantæ Puritati correspondere debet corporis animæque nostræ mundities; tantæ Potentiæ, reverentia & humilitas; Amor denique amore compensandus est.

Venit ad nos Christus in Eucharistia in maximâ Sapientiâ.

Elucet in primis in hoc admirabili Sacramento Dei Sapientia modo planè singulari, & præ reliquis Dei Attributis in hoc mysterio agnoscitur & adoratur specialiùs; licèt carnalis oculus tenebris obstinatæ malitiæ excœcatus, nihil advertat vel advertere velit singulare, ii tamen, quibus oculos Fides & gratia aperit, deprehendunt maxima infinitæ Sapientiæ specimina. David Rex nusquam & nunquam suam clariùs prodidit sapientiam, quàm cùm, necessitate coactus, coram Achis Getheorum Rege stultum se simulavit. *Immutavit*, ùt habet S. textus 1 Reg. 21. 13. *os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & ait Achis ad servos suos; Vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me?* sub simulatâ Davidis fatuitate, magna latebat sapientia, & vera figura ejus, quod contingit in SS. Altaris Sacramento; quadrátque optimè rei propositæ, verbum, *Achis*, quod interpretatur, *Quomodo*. Quo verbo etiam usi sunt Judæi Joan. 6. cùm credere nollent Christum in Eucharistiâ præsentem, dicentes: *Quomodo hic potest nobis carnem suam dare ad manducandum? Quasi furor & insania videbatur* (*Capharnaitis*) ait S. Aug. lib. de quæstionibus Apostol. in ps. 33.

Sed

Sed Regi Achis, id est, stultis & ignorantibus. Dixerunt enim: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum. Arreptitium putabant Dominum, & nescire quid loqueretur & insanire; ille autem qui noverat quod dicebat, in illâ mutatione vultûs sui & quasi furore & insaniâ, Sacramenta prædicabat.

Nunquid admirabilis sapientiæ opus talem invenisse modum, quo substantialiter habitet in nobis Vita æterna, quo uniátque se nobis abjectis terræ vermiculis ipsa Divinitas, & Verbum æternum iterum iterúmque sacramentaliter certo modo caro fiat in omnibus; cùm personaliter idipsum tantùm fieri posset in uno? Et quia nauseam creasset homini; carnem Christi crudam in propria specie manducare, sapientissimè eandem sub talium rerum recondidit speciebus, quibus communiter homines fruuntur, & sub quibus minimum secuturæ nauseæ periculum; quales sunt panis & vinum. Accedit, quòd, cùm corpus Christi gloriâ & honore coronatum, ipsísque solis radiis longè splendidius, oculo corporeo aspicere non possemus, æterna Dei sapientia modo ineffabili hos Divinitatis radios sub niveo sacrarum specierum sipario occultaverit, ut sinè metu illæsi accedere possimus. Et dum se oculis corporeis subtraxit, occasionem præbuit internis vivæ Fidei oculis eundem contemplandi, quod cum tanto merito fieri non posset, si oculis corporeis pateret. Huic sublimissimæ Sapientiæ; cujus plenitudo & splendor in institutione hujus Mysterii toti mundo illuxit, reddere nihil gratiùs possumus quàm vi-

Quæ Sapientia explicatur.

Huic Sapientiæ magna debetur ex

LIB. III. PARS I. CAPUT VIII. SECT. V.

parte nostra Fides.

vivam Fidem; Sapientia siquidem præcipuè requirit fidem; decet enim omnino, ut viro sapienti fides habeatur. Cùm igitur Christus, ipsa Dei Sapientia, ad nos in hoc Sacramento descendat, promptâ, vivâ, submissâque fide eidem occurrere maximè convenit. Unde juxta D. Thom. opusc. 511. cap. 15. præparare nos ad illud debemus *per Fidei plenitudinem*. Qui loquendi modus cum illo Pauli coincidit ad Hebr. 10. 22. *Accedamus in vero corde & Fidei plenitudine*: indubitatè, credentes Christum in porrectâ nobis hostiâ cum corpore & animâ præsentem, ídque adeò firmiter, adeò vivaciter, quasi residentem sub speciebus Dominum oculis aspiceremus; imò veritati huic firmiùs, quàm ipsis oculis credendum; hi enim fallere possunt, quod non potest infallibile Dei verbum; oportétque ut credamus simpliciter & humiliter sinè præsumptuosis speculationibus. Acquiescendum est solis sublimis adeò Mysterii speciebus, cujus abstrusæ, oculísque nostris absconditæ proprietates solis patent Beatis. Gaudendum de inscitiâ nostrâ, & in illâ piâ ignorantiâ perfectissimi vivæ Fidei actus Deo offerendi. Tales erant primi Christiani, qui postquam cum his verbis: *Corpus Christi*, sacras species accepissent, respondebant, *Amen*. quod, ùt explicat S. Ambros. lib. 4. de Sacram. c. 5. idem erat, ac si dixissent; ità omnino est: Credimus idipsum firmiter. Æmulemur hanc Majorum nostrorum Fidem eáque vivâ, humili, & heroicâ accedamus; ità comparati, ut, licèt Christus se visibilem nobis exhibere vellet, eun-

Proprietates hujus Fidei explicantur.

dem

dem aspicere detrectaremus; abunde enim per Fidem infallibilem de ejusdem reali sub speciebus præsentiâ eruditi & certificati sumus.

SECTIO VI.

Secunda ad dignam SS. Eucharistiæ sumptionem præparatio, est singularis animæ puritas.

Venit ad nos Christus Eucharisticus, ùt infinita puritas.

VEnit ad nos Christus Redemptor noster sub sacris speciebus non tantùm ùt æterna Sapientia, sed etiam ùt infinita Puritas; quare decet, ut & nos in omni puritate ad eundem accedamus. Præfiguratum hoc fuit in manna, olim Judæis cœlitus submisso, quod priusquam è cœlo laberetur, ros mundissimus præcedebat, qui velut niveo syndone terram tegeret, ne sordibus cœlestis cibus macularetur, ùt patet Num. 11. 9. Christus ipse, licèt summus esset paupertatis amator, ùt colligi potest ex stabulo ventis & tempestatibus pervio, in quo nasci, ex angusto præsepi in quo reponi; ex fœtenti Calvariæ monte, in quo voluit crucifigi: hoc tamen Sacramentum cùm instituere cogitaret, elegit ad hoc *Cœnaculum grande stratum*, ùt refert S. Marcus cap. 14. Lavit discipulorum pedes; panem, licèt illum in mensa repositum consecrare potuisset, accepit in sanctas manus suas, locum certè mundissimum; sic & vinum in pretioso vase, ex achate, ùt putatur elaborato, quod Valenciæ in Hispania asservatur, consecravit.

LIB. III. PARS I. CAP. VIII. SECT. VI.

Si in veteri lege nemo præsumere ausus fuerit comedere de panibus Propositionis nisì mundus & sanctificatus; si Manna, de quo antea, in tabernaculo in vase aureo fuerit asservatum; si Prophetæ Isaïæ labia ante prædicationem verbi Dei calculo ignito per Seraphim mundari debuerint, quæ puritas requiretur in eo, qui non de panibus Propositionis, non manna, quale in veteri lege, sumet, non verbum Dei prædicabit, sed qui infinitam Dei Majestatem, personaliter, essentialiter, & realiter cum carne & sanguine sumet? Cùm Majestatem hanc Beatissima virgo conceptura esset, disponebat se quàm poterat perfectissimè per continuum excellentissimarum virtutum exercitium; & tamen, quasi nihil Sanctissima virgo fecisset, canit Ecclesia in Hymno Ambrosiano: *Non horruisti Virginis uterum* q. d. Mirandum maximè est, quòd Deus uterum Virginis intraverit. Cùm tamen uterus esset Virginis, quæ sole purior & Angelis sanctior erat. Quàm ergo Deus non horrebit habitare in nobis, qui ab omnis sanctitatis & puritatis miraculo, quale erat Beatissima Virgo, longissimè absumus.

Purè purissimus sumendus.

Hoc interim non absterreat nos, sed accedamus cum tantâ, quantâ ex omnibus viribus possumus, corporis & animæ puritate, removendo non mortalium tantùm, sed & venialium peccatorum sordes. Hîc notandum est, quòd multi præstantes Theologi. S. Bonav. in 4. dist. 12. art. 2. Durand. Alensis, S. Antonin. Cajet. Sylvest. Sotus, Vasquez. doceant peccata venialia in actuali sum-

Doctorum Judicium de peccatis venialibus in sumptione Eucharistia commissis.

Effectus peccato-

ſumptione Euchariſtiæ commiſſa, ùt eſt v. g. voluntaria animi diſtractio, Sacramenti effectum impedire, ità ut talis novum gratiæ gradum non acquirat, ex eo præcipuè capite, quòd hoc Sacramentum ob infinitam ſuam excellentiam non immeritò requirat, ut ad ejus ſumptionem totis ſeſe viribus homo diſponat, omnémque adhibeat diligentiam, devotionem & attentionem, ut dignè illud recipiat. Si præ horum Authorum doctrinâ placeat Divi Thomæ 3. p. q. 79. art. 8. docentis, Sacramentum hoc, non obſtantibus peccatis venialibus, animíque voluntariâ diſtractione, gratiam cauſare: adhuc ſciendum eſt, omnes in eo Theologos convenire, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato ſecundum diſpoſitionem ſuſcipientis, ità ut multùm gratiæ recipiat, qui multâ; parum, qui parvâ diligentiâ & devotione accedit; & licèt in accedente cum venialibus, gratiæ gradum nonnihil Sacramentum augeat; ſecundarium tamen effectum, qui eſt ſpiritualis dulcedo & conſolatio, non cauſat. Accedit quòd in caſu poſito nec actuales gratias & auxilium, hoc eſt, pias cogitationes, pióſque animi motus ad vincendas in peccandi occaſionibus tentationes neceſſarias conferat, quod tamen huic Sacramento omnino cæteroquin proprium eſt. Hinc fit, quòd ii, qui animo diſtracto & ad exteriora effuſo cum peccatis venialibus accedunt, in virtutibus non proficiant, nec fructus colligant, quos ex medio adeò excellenti potuiſſent, ponunt enim virtuti Sacramenti obicem, impedientem, quo minùs

rum venialium ſub ſumptione Euchariſtia.

lar-

largè effundat, quod in se continet. Ità videmus sœpe pallidos & macilentos esse, qui tamen exquisitis vescuntur epulis; cujus causa est, quia noxiis abundant humoribus, qui debitam per naturalem calorem ciborum digestionem impediunt. Sic inveniuntur tam Religiosi quàm Sæculares, qui sœpe delicatissimo hoc Angelorum pane vescuntur, manent tamen in virtutibus debiles, quia hærent in consuetudine peccandi venialiter, inordinatè erga hanc vel illam creaturam afficiuntur, & obiter cum voluntariâ mentis distractione accedunt. Qui ergo in spiritu saginari cupit, omnem tollat immunditiem & puram ab omni labe studeat habere conscientiam: quam habebit, si rectè uti noverit Sacramento Pœnitentiæ seu Confessionis, quod ad conscientiam expurgandam Salvator instituit. De qua confessione sit

SECTIO VII.

Instructio ad Confessionem cum fructu instituendam.

NON agitur hîc de Confessione eorum, qui peccatis mortalibus, sed qui venialibus inquinati sunt; quíque non ad receptionem gratiæ, quæ per peccata venialia non amittitur; sed ad restaurationem internæ pulchritudinis per venialia obfuscatæ, hoc Sacramento utuntur. Circa quod, ut cum fructu fiat

Notandum *primò*, quòd, sicut Sacramentum Eucharistiæ multi sinè devotione accipiunt,

piunt, & in nullo emendantur; sic & multi ad Sacramentum Pœnitentiæ accedant, peccata sinè internâ animi devotione confitentes, qui tamen in miseriis suis constanter hærent, & nihil hoc præstantissimo medio emendantur. Cùm econtra alii debitè hoc remedio utentes indies purificentur magìs, & clarè agnoscant, quàm excellens ad puritatem consequendam medium sit, sœpius cum fervore debitísque circumstantiis repetita Confessio. Sacramenta, ùt jam sectione præcedenti dictum est, causant gratiam juxta dispositionem recipientis, unde si crebrò confitens post iteratas confessiones, in iisdem maneat defectibus, evidens signum est, multos intercurrere defectus, fructum Sacramenti impedientes: communis enim Doctorum sententia est, proprium Sacramenti Pœnitentiæ effectum esse, singulare conferre robur & gratiam vitandi in posterum eos defectus & peccata, quæ verè contriti cum serio emendationis proposito confitemur. Ex quo evidenter sequitur, quòd, si post multorum annorum vel mensium Confessiones hæreamus in eodem, nos hanc gratiam non acceperimus, adeóque ad debitam Confessionem dispositi non fuerimus. Ut igitur ad hanc, ùt dignum est, nos disponamus,

LIB. III. PARS I. CAPUT VIII. SEC. VII.

Benè vel malè institutæ Confessionis signa.

Notandum *secundò*, debere nos præcipuè exercere tempore confessionis instituendæ, in iis virtutibus, quæ huic Sacramento annexæ & quodammodo intrinsecæ sunt; quæ potissimum sunt septem. Prima est *Fides*; qua indubitatè credimus Sacramentum hoc balneum esse, in quo peccatorum sordes abluuntur;

Virtutes quæ tempore Confessionis sunt exercendæ.

1. Fides.

untur; quódque Christus Dominus Ecclesiæ & sacerdotibus potestatem dederit, peccata remittendi. Secunda est *Spes*, ut certam in Dei bonitate, & Christi meritis fiduciam ponamus, confidentes peccata in Confessione explicata benignè remitti, gratiámq; nobis dandam, qua adjuti, peccata in posterum vitare possimus. Tertia est *Charitas*, dum ex amore in Deum infinitè bonum animitus de peccatis admissis dolemus, cum serio proposito in gratiam Dei redeundi, quocunque tandem labore constet, si scilicet peccato mortali ab eo separati fuerimus; vel si peccato veniali nonnihil ab eo deflexerimus, intimam cum eo amicitiam & jucundam familiaritatem renovandi. Quarta *Humilitas*, dum peccata, & turpitudines nostras Sacerdoti homini patefacimus, nósque coram eo confundimus. Quinta est *Obedientia*, dum non tantùm Christo & Ecclesiæ in re tam arduâ, qualis est peccatorum confessio; sed etiam Sacerdoti obedimus, promptè injunctam pœnitentiam acceptantes & implentes. Sexta, *Justitia*, quæ modo valdè heroico in hoc Sacramento exercetur, dum pœnitens seipsum accusat, judicat, condemnat, & in propria persona illatam Deo injuriam vindicat. Septima est *Fortitudo*, qua omnes difficultates, quæ non una in confessione occurrit, generosè vincimus. Difficultates hæ interdum ità magnæ sunt, ut adeò difficile nobis non sit ipsi tentationi resistere, quàm post consensum, illam confiteri. Si fructuosam Confessionem cupimus, exercere nos debemus in præfatis virtutibus, vel omnibus vel aliquibus, prout nos ad hanc

II. *Spes.*

III. *Caritas.*

IV. *Humilitas.*

V. *Obedientia.*

VI. *Justitia.*

VII. *Fortitudo.*

vel illam cum devotione & fructu exercendam, dispositos invenimus.

Præmittendum Confessioni discretum examen.

Notandum *tertiò*, præcedere debere diligens conscientiæ examen, tantúmque temporis illi tribuendum, quanto opus esse, prudens judicat, cœteroquin multa omittentur, quæ necesse foret explicare. Et quia sinè gratiâ Dei speciali conscientia debitè discuti non potest, ea ferventer à Deo postulanda. Notent tamen scrupulosi, nequaquam examini conscientiæ cum perturbatione animi inhærendum; esset enim heteroclitum & Sacramento Pœnitentiæ planè contrarium, si per illud animi quies turbaretur, quod, ad peccatoris mentem & conscientiam serenandam institutum est. Examen hoc versari debet. *Primò* circa ea, quæ maximè nos gravant. *Secundò*, quæ patefacere maximè erubescimus, ità tamen, ut sinè inutili exaggeratione, plana & nuda veritas modestè & verecundè explicetur. *Tertiò*, quæ perfectioni statui nostro competenti maximè obstant. *Ultimò* denique, quæ virtuti, quam per hebdomadam vel mensem exercere proposuimus, contraria sunt. Inter peccata venialia sunt quædam, quæ ex mera hominis fragilitate, quædam ex malitia, cum deliberatâ plenâque advertentiâ, committuntur; hæc omnino explicanda & nullum eorum omittendum; illa verò Divinæ misericordiæ & bonitati fiducialiter recommendanda; & in communi sub talibus verbis clavibus subjicienda, quibus omnia comprehenduntur.

Circa quæ versari debeat examen conscientiæ.

Quartò. Eliciendus dolor cum firmo emendationis proposito; hic si desit, nullus

Dolor ante confes-

ex Confessione sperandus fructus. Huic igitur dolori & proposito præcipuè tempus dandum est, ut rite debitéque eliciatur. Motiva ad perfectum dolorem videri possunt supra lib. secundo; ubi fusiùs de iis est actum.

sionem necessarius.

Quintò. Si prædicta sedulò in praxin redegerimus, accedendũ est ad sacerdotem, cum vivâ imaginatione, quasi ipsum adiremus, (prout à parte rei revera est) quem offendimus, Christum; quique nos per sacerdotem ùt suum Ministrum, Instrumentum & Procuratorem à peccatis absolvet. Confessio autem debet fieri non sub terminis generalibus, sub certâ & semper usitatâ verborum formulâ; neque econtra minutissima quæq; adducenda; hoc siquidem solis convenit perfectis, qui magno in Deum feruntur amore. Imperfectis admodum difficile accideret de minutis istis dolorem cum proposito elicere; quod tamen ad Confessionem indispensabiliter requiritur. Confessionem comitetur viva reflexio, qua pœnitens sibi imaginetur, quòd genuflectat ad pedes Christi Domini sui Patris, Sponsi, Salvatoris, veri Dei, summi Boni, quem post tot accepta beneficia tam turpiter offendit. Ut numerus mortalibus addatur, necessarium est; ut venialibus, non ità; suadetur tamen: tum, ut ad majorem dolorem pœnitens excitetur; tum ut à Confessario conscientiæ melius dignoscatur. Enarratis peccatis absolutio exspectanda cum reflexione, quod pretiosus Christi sanguis super animam effundatur, eámque ab omni macula emundet.

Confessio quomodo fieri debeat.

Sextò. Pœnitentia sacramentalis à Sacerdote

dote injuncta, contrito, humili, & alacri animo explenda, gratiæque Divinæ Majestati agendæ, quòd medio adeò excellenti & facili ad eum redeundi; nos miseros & fragiles donârit. Quàm longè aliter homines dispositi! qui futilem & sœpe imaginariam tantùm injuriolam maximè apprehendunt, avidissimè vindictam quærentes. Siste te Hominum tribunali, te ipsum reum fateare, & actum erit de vita tua. Vade econtra audacter ad Christi tribunal, explica & in apricum produc tuam culpam, & statim inter dilectissimos Dei amicos numeraberis: O quanta Dei bonitas! quàm incomprehensibilis misericordia!

Quàm facilis ad Deum per Confessionem accessus.

Septimò, instantissimè à Deo gratia petenda, quâ adjutus & præventus peccata in posterum devites. Adde seriam & synceram promissionem, omnem te posthac culpam studiosissimè vitaturum.

Propositum vitæ melioris necessariū.

SECTIO VIII.

Tertia præparatio ad Eucharistiam, est Humilitas & Reverentia.

ELucet manifestè maxima supremi illius Numinis majestas, splendor & magnificentia in operibus tam naturalibus, quàm supernaturalibus: elucet ex hac mundi ex nihilo conditi vastissimâ machinâ; elucet ex immensa cœlorum latitudine, altitudine, profunditate; celerrimo siderum motu; fluxu & refluxu maris. Elucet in supernaturalibus, in Incarnatione, Redemptione, Prædestinatione, Passione, &c. In nullo tamen

Dei Majestas maximè elucet in Eucharistia.

LIB. III. PARS I. CAP. VIII. SEC. VIII.

men ex his omnibus elucet ſuprema illa Majeſtas clariùs, quàm in Sanctiſſimo Altaris Sacramento. Unde meritò à S. Thom. opuſ. 57. vocatur: *Miraculorum ab ipſo* (Chriſto) *factorum maximum*: & meritò. Quæ enim in illo fiunt, ſunt maximè inſolita & ſtupenda nimis. Quàm ſtupendum & inſolitum, uno eodémque tempore Chriſtum verè & realiter eſſe in Cœlo & in Terra, eſſe uno eodémque tempore in terra ſub diverſis ſpeciebus in diverſis locis! Quàm inſolitum & ſtupendum, corpus viſibile, ſub ſacris ſpeciebus deliteſcere inviſibile, quódque habet carnem, oſſa, omnésque ad tactum paſſivum conditiones, videri tamen & tangi non poſſe! Quàm inſolitum & ſtupendum in parva adeò hoſtia corpus claudi, quod ſtaturam habet plenam virilem! Quàm inſolitum & ſtupendum unam in aliam ſubſtantiam mutari! ex quo hæc actio ſingulari ad hoc excogitato vocabulo Tranſubſtantiatio vocatur. Quàm inſolitum & ſtupendum accidentia ſinè ſubſtantia, velut in aere pendentia ſuſtentari! quæ cœteroquin pereunti ſubſtantiâ ſtatim neceſſariò perire deberent. Quàm inſolitùm accidentia panis & vini in ſumptione æquè nutrire, cœterosque habere effectus, quos habet ſubſtantia extra Sacramentum! Et ſi hæc accidentia corrumpantur, vermésque ex iis generentur, à Deo de novo creari (ùt aliqui Theologi docent, Suar. Tom. 3. in 3. p. d. 57. ſect. 3. poſt Alenſ. & Bonav.) materiam primam; & quidem, ùt credibile eſt, eandem, quæ fuit ante conſecrationem in pane & vino, ex qua ſubſtan-

Mirabilia, quæ in Euchariſtia fiunt, enumerantur.

tia-

tialis forma vermium educitur. Ex mente D. Thom. 3. p. q. 77. art. 5. fit hoc ipsum modo adhuc multò mirabiliori; docet enim loc. cit. Sanctus Doctor, quantitatem hostiæ consecratæ supplere vices substantiæ, & ex ea educi vermes, eo modo quo ex materia. Hæc tot & talia miracula, quibus nihil potest esse mirabiliùs, fiunt in momento per tria quatuórve verba à sacerdote vili & abjecto homine prolata. Quod sanè majus miraculum est, quàm quòd Sol ad verba Josue in medio cursu substiterit.

Quibus ex parte nostra respondere debet summa reverentia.

Quia ergo Christus ex amore nostrî in sanctissimo Sacramento inaudita & stupenda, cum tanto Majestatis suæ splendore, & tam manifesto Omnipotentiæ suæ argumento, patrat miracula; decet omnino, ut profundissimâ humilitate summáque reverentiâ ad eum accedamus. Quem in finem Ecclesia communicaturis optimè præscribit hanc orationis formulam ex Matt. c. 8. *Domine non sum dignus.* S. Joannes in utero matris sanctificatus ab ipso Christo canonizatus, quíque tantâ inter Judæos sanctitate refulsit, ut Messias putaretur: hic tamen talis & tantus Vir coram toto mundo profitetur indignum se esse, qui Christi Domini corrigiam calceamenti solvat. Nobilissimi illi Cœlestes Spiritus Cherubim & Seraphim, qui naturalibus & supernaturalibus donis supra omnem humanam perfectionem donati sunt, ad altare stantes Christo Domino suo, cum timore, reverentiâ & humilitate inserviunt; tantâ quidem, ut eam nec lingua exprimere, nec humanus intellectus ca-

pere ſufficiat. Si id præſtent tantùm inſervientes, quid facerent, ſi tantam Majeſtatem ſumere, illis ùt nobis, daretur? In quam ſe humilitatis abyſſum demersîſſet S. Joannes, ſi Chriſtus non tantùm ab illo baptizari (quod tamen, ùt Matt. 3. legimus toto conatu præ reverentia renuit) ſed etiam manducari voluiſſet?

Prô ſuperi! quid agendum nobis, nobis fœtidis ſcarabæis, nobis miſeris peccatoribus. Cogita, ait S. Chryſ.Hom. 83.in Matt. ad qualem menſam accedas, quali corpore fruaris, cujus ſinè tremore nec Angeli meminerint, nec ſinè tremore aſpicere poſſunt, Majeſtatis tantæ ſplendore impediti. Afferamus igitur ex parte noſtrâ, quidquid reverentiæ, humilitatis & devotionis afferre poſſumus. *Quando ſederis, ut comedas cum Principe*, ait Salom. Proverb. 23. *diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam. Quæ eſt menſa potentis*, quærit S. Auguſt. Tractat. 8. in Joan. prætacta verba conſiderans; *nisì unde ſumitur corpus & ſanguis ejus, qui animam ſuam poſuit pro nobis? Et quid eſt ad eum ſedere, niſi humiliter accedere? Et quid eſt conſiderare & intelligere, quæ apponuntur tibi, niſi indignè tantam gratiam cogitare?* Hæc Auguſt. *Et ſtatue cultrum in gutture tuo*, vel, ùt alii legunt, *cultros, gladios*, q. d. meliùs foret tibi, ſi guttur tuum transfoderetur, quàm ut hoc Sacramentum ſinè debitâ præparatione ſumas; in hoc enim caſu ſolum corpus pateretur; indignè verò hoc Myſterium ſumens animam crudeli fato ſubjicis. Card.

Card. Cajetan. aptam hujus loci adducit interpretationem, dicens; tanto cum tremore ad mensam Domini nobis accedendum esse, quasi corpus Christi præacutis gladiis ex omni parte circumdatum sinè fatali ictu, nisì à bene dispositis, adiri non posset. Et certè credendum est, Christum Dominum ab aliquot Angelorum millibus, sui Corporis custodibus omni armaturâ instructis circumdari; qui auxilium conferant cum fervore accedentibus, indignè verò sumentibus supplicia & mortem intentent, reipsâ eam illaturi, si à Christo illis permitteretur.

SECTIO IX.

Quarta præparatio ad dignè communicandum, est Amor.

REfert S. Justinus Martyr in secunda apologia in Christianæ Fidei defensionem ab eo conscriptâ & Imperatori Antonino Pio oblatâ, stoicos inter alia sua dogmata & hoc tradidisse, Deum aliquando in ignem se mutaturum, orbémque terrarum combusturum & renovaturum. Hanc suam doctrinam diversimodè explicârunt. Optima, meo judicio, explicatio fuerit, si dicamus, Deum totum quantum, igne amoris in genus humanum correptum, in terras descendisse, præferentem unâ manu facem, alterâ schedam, cui inscriptum illud Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Quid aliud quàm ignem amoris spirat tota ipsius vita, passio & mors? &

Ignem amoris Deus in terras misit in SS. Altaris sacram.

LIB. XII. PARS I. CAP. VIII. SECT. IX.

quidem talem, qui ad frigidissima corda accendenda abunde sufficit. Hunc ignem maximè mittit in sanctissimò Altaris Sacramento, in quo omnem amoris ardorem colligit; unde optimè dicitur *Sacramentum Amoris*. S. Bernard. hoc igne inflammatus, exclamat serm. in Cœna Domi. *Potésne æstimare quale & quantum sit hoc Sanctum Sanctorum, Sacramentum Sacramentorum, Amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum?* Exod. 12. Judæis præcipiebatur, ut agnum paschalem, qui hujus Sacramenti figura fuit, non crudum nec coctum; sed tantùm assum igne manducarent, ad ostendendum, nihil vel in substantiâ, vel in circumstantiis hujus Sacramenti esse crudum; sed omnia vehementissimo amoris igne excocta. *Sciens Jesus*, ait S. Joan. c. 13. *quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Huic consentaneum est, quod habet Concil. Trid. sess. 3. *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias Divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum.* Amorem hunc nonnihil accuratiùs inspiciamus.

Tres amoris proprietates.

Amor tres habet præcipuè proprietates & effectus. Primò, Amantem Amato conjungit. 2. Amantem excitat, ut, quidquid habet, amato communicet. 3. In favorem amati magna & ardua operatur. Hi tres amoris effectus modo planè singulari inveniuntur in SS. Altaris Sacramento. Primum effectum quod concernit; satis non fuit immenso illius in nos amori, ut se uni homini

per

per unionem hypostaticam uniret, sed admirabilem invenit modum, sanctissimum scilicet Corporis & Sanguinis sui Sacramentum, quo cuilibet homini, modo excellentissimo intimè se uniret. *Certè in hoc Sacramento*, ait S. Chrys. hom. 45. in Joan. *nihil videre est, nisi mera miracula amoris; unimur enim per illud, & evadimus, quasi unum corpus, una caro, unum os: & hoc non solùm per amorem & desiderium; sed aliquo modo realiter, & effectivè reipsâ, ut sit caput nostrum nósque ejus membra, fiátque quasi unum corpus.* In hac unione notandum, quòd fiat mediante cibo & nutritione; quæ tam arcta intimáque conjunctio est, ut arctior in tota natura non inveniatur. Datur unio inter bonos amicos, inter cognatos, inter conjuges; Unio major est inter substantiam & accidentia; sed maxima est inter cibum & potum atque sumentem. In aliis unionibus res unitæ in sua manent essentia immutatæ; in hac autem, substantia cibi convertitur in substantiam aliti. Sic & Christus, dum per modum cibi à nobis sumitur; non quidem secundùm carnem, sed secundùm mores & vitam in nos transmutatur; non ut suam substantiam amittat, sed ut nos quodammodo Divinos efficiat; ait enim Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.*

LIB. III. PARS I. CAP. VIII. SECT. IX.

Quæ etiam inveniuntur in Eucharistiâ.

Secunda amoris proprietas est, ut sit prodigus; ut omne, quod habet, effundat liberalissimè in Amatum. Si unquam amor prodigus fuit, certè prodigus fuit in hoc Sacramento; in quo largitur nobis Christus, quidquid habet, potest, & valet: dat nobis suum cor-

Secunda amoris Proprietas in Eucharistiâ express[...]

LIB. III. PARS I. CAP. VIII. SECT. IX.

corpus, ſuam Animam, ſuam Divinitatem, ſuam Humanitatem; verbo, ſe ipſum totum, quantus quantus eſt. Effunditur in hoc Sacramento pretioſiſſimus ejus ſanguis multo in nos copioſiùs, quàm in ullo alio; Chriſtíque merita cumulatiùs nobis applicantur. Sicut enim Sol majorem calorem & majus lumen emittit, quàm Luna, quia quod Luna habet, à Sole mutuatur; ſic Chriſtus in hoc Sacramento, in quo perſonaliter præſens eſt, longè effuſiori liberalitate ſua dona communicat, quàm in aliis, in quibus tantùm per virtutem præſens eſt. Quantus Deum Immortalem! hic amoris exceſſus, quantus in miſerum hominem affectus & benevolentia! Hic amor & affectus patent adhuc longè clariùs ex temporis circumſtantiâ, quo hunc infinitè dignitatis theſaurum nobis legavit. *In qua nocte tradebatur, accepit panem* 2. Cor. 11. Eodem tempore, quo perditiſſimi homines occupati erant, quomodo Dominum tenerent, flagellarent, crucifigerent, & horrendâ morte necarent; in ea nocte; O ardor amoris immenſus! eodem tempore, quo ſummè offendebatur; ſummum præſtitit humano generi beneficium, dando eidem ſuum corpus & ſanguinem.

Tertia proprietas.

Tertia amoris proprietas eſt; magna & ardua pro Amato operari. Magna certè & ardua ſunt, quæ ex amore noſtrî in hoc myſterio Chriſtus operatur; invertit enim quodammodo totam naturam, & quidem quotidiè, toties, & in tot locis, dum ſubſtantiam ſeparat ab accidentibus intimè unitis, dum quantitatem per ſe ſolam facit ſubſiſte-

re, virtutem nutritivam, soli substantiæ propriam, tribuit accidentibus; eodem tempore, imò eodem momento in tot locis se sistit præsentem; contrahit se adeò arctè, ut ultra magnitudinem hostiæ, imò minimæ particulæ, se non extendat; unit externis speciebus rei abjectæ & vili, suum sacratissimum corpus, animam, Divinitatem, adeò intimè, ut quamdiu in suo esse manent species, nulla vi, nullâ injuriâ, ab iis se separet, nec eas deserat, nisì prius ab iis deseratur. Occulit sub his abjectis speciebus infinitæ Majestatis suæ splendorem; quod certè mirandum magìs, quàm si vili lacernulâ, posito sceptro & coronâ, se contegat totius mundi Monarcha. Miramur sœpe magnam, quam Christus habuit familiaritatem cum quibusdam sanctis adhuc in terra degentibus, ut S. Francisco, Gertrude, Catharinâ Senensi, Theresiâ &c. sed hæc omnia amoris blandimenta ferè nihili æstimanda, in comparatione amoris, quem exhibet non solis sanctis, sed etiam nobis miseris peccatoribus in institutione hujus admirabilis Sacramenti.

Venienti ad nos in Eucharistiâ ex amore Christo, Amore obviandum, est.

Venientem igitur ad nos in tanto amoris excessu, Christum Salvatorem reciproco amoris affectu excipere oportet. Sicut ille desiderat unire se nobis, ità nos oportet toto in hanc unionem desiderio ferri. Maxima profectò cœcitas, maxima fatuitas foret, hoc ipsum negligere, Si tam intensè desideret æterna Pulchritudo se unire fœditati, Sapientia Stultitiæ, Omnipotentia infirmitati, Felicitas miseriæ, Deus homini; cùm tamen inde nec melior nec felicior evadat; quàm

ar-

ardenter desiderare oportebit hominem, ut se tantæ uniat Majestati, à qua omni bono cumulabitur? deinde sicut Christus se totum communicat nobis, sic & convenit, ut nos totos eidem offeramus cum omni eo, quod habemus & possumus; corpus, animam, famam, divitias, dignitates, &c. Sicut multa & maximè ardua, ex nostrî amore operatur: ità & convenit, ut nos heroicos omnis generis virtutum actus ex amore illius exerceamus, v. g. Obedientiæ, humilitatis, mortificationis tam in-quàm externorum sensuum pravorúmque affectuum. *Si vellet*, ait S. Aug. in ps. 31. *apud te habere hospitium aliquis Senator, non dico Senator, procurator alicujus magni secundùm sæculum & diceret: offendit me quiddam in domo tuâ: etsi amares hoc, auferres tamen, ne eum offenderes, cujus amicitiam ambires.* Et non tolleret quis, quàm potest diligentissimè, omnes ex anima sordes, dum Rex regum tam stupenda nostrî causa in hoc Mysterio operans ad nos divertit?

SECTIO X.

Praxis sanctissimum Sacramentum cùm fructu sumendi.

Quænam ante Sumptionem Eucharistiæ ruminanda sint.

SUnt, qui ad sumendum hoc ter sanctum Mysterium, præviâ trium dierum præparatione se hoc modo disponunt:

Primo die sensus ex-& internos eò dirigunt, ut debitè penetrent & altè menti imprimant hæc tria: 1. Quis ille sit, qui ad eos in propria persona venturus. 2. In quem finem

nem Chriſtus ſuâ præſentia animam viſitet. 3. Quæ ex hac viſitatione bona ſperare poſſint. Horum conſideratione excitati mediis excogitandis intenti ſunt, quæ ad dignam & fructuoſam tanti Hoſpitis receptionem conferre poſſunt.

Quis ſcilicet veniat.

Ille ergo, qui ad nos in ſanctiſſimo Altaris Sacramento venit, eſt noſter Dominus & Salvator Chriſtus Jeſus, verus Deus & Homo, noſter Pater, Frater, Sponſus, Protector, Deus noſter & omnia. Venit cum ſuo ſanctiſſimo corpore, quod ſinè defectu perfectum, gloriâ & honore coronatum, ſummè amabile: per cujus attactum tot ægri ſanati, ſub cujus Majeſtatis pondere ipſummét mare obſtupuit, & calcabile ſe præbuit; quod cum corpore Redemptionis noſtræ litrum, pretioſiſſimum ſanguinem continet. Venit cum ſanctiſſimâ animâ, qua perfectiorem creaturam nunquam Deus creavit, omni ſcientiâ, ſapientiâ, virtutibus, & gratiis inſtructiſſimâ.

Et quare veniat.

Cauſa, ob quam ad nos venit, eſt planè mirabilis, nec alia, quàm, ut omnibus hominibus & cuique in particulari ſuam communicet Divinitatem; quam, cùm in Incarnatione pluribus, quàm uni conferre, nec decens nec conveniens eſſet, in hoc Myſterio liberaliſsimè confert omnibus & ſingulis, ſe ipſum illis donando, ſéque totum illis uniendo. Vide ergo, ô homo, vide, & mirare unicum hujus Sacramenti finem eſſe, ut Deus infinitè te amans ſe tibi uniat, & per hanc unionem merita paſſionis & vitæ ſuæ efficaciter tibi applicet; ut animam

tuam gratiâ ſanctificante exornatam, æterno Patri gratisſimum offerat ſacrificium. Ut dignè accedens Divinam ſuo modo vitam, qualis Chriſti fuit, ducas, & ſemen animæ tuæ inſeras, ex quo æterna beatitudo, ſuo tempore adeunda, propullulet.

Quid verò confert? confert gratiam, illuminationem, infinitorum bonorum theſaurum. Verbo, omnia bona, quæ ex conjunctione Dei cum homine cauſari & exſpectari poſſunt.

Ruminandus mirabilis modus quo Chriſtus ad nos venit.

Secundo die, profundè ruminant inauditum & admirabilem prorſus modum, quo Dominus & Salvator noſter in hoc Sacramento continetur; ad verba enim Sacerdotis etiam ſceleratisſimi in momento de cœlis deſcendit, & ſe præſentem in altari ſub ſpeciebus ſiſtit, cum maximâ ſuî humiliatione, ſuavitate, amore, bonitate; abſcondens ſub vilibus ſpeciebus infinitam ſuam Majeſtatem, Sapientiam, Omnipotentiam; Unionem hypoſtaticam Verbi cum humanitate, qua nihil admirabiliùs invenire potuit æterna Sapientia; ſanctiſſimam ſuam animam & corpus cum omni ſplendore, quem ex conjunctione cum tam perfectâ animâ accepit.

Ad quem veniat.

Tertio die conſiderant, quæ & qualis creatura ſit, pro qua cœleſte hoc epulum paratum; homo ſcilicet miſer & miſerabilis, qui pulvis eſt & in pulverem revertetur, qui ignorantiæ, cœcitati, nuditati, peccatis & infinitis imperfectionibus ſubjacet; quæ eum omni gratiâ, præcipuè hoc Sacramento, ùt gratiâ gratiarum, indignum reddunt. Conſiderant deinde exiguam diſpoſitionem & præ-

præparationem, exiguam vel omnino nullam humilitatem, amorem, fervorem, quæ ad mensam Domini accessuri conferunt.

Sequuntur actus Virtutum qui ex consideratione præcedentium eliciendi sunt ante Communionem.

Prima diei consideratio versata fuit circa personam ad nos in Sacramento venientem. Circa finem ob quem venit. Circa bona, quibus accedentes potimur. Ex his eliciendi

Ante Sumptionem Eucharistiæ eliciendus actus Fidei.

Primò. Actus Fidei hoc vel simili modo: *Utique Domine ego credo, credo firmiter accepturum me in hac mensâ, sacratissimum, pulcherrimum, suavissimum & perfectissimum Corpus tuum; sanctissimas manus, quæ solo contactu tot ægros curârunt; serenissimos oculos, qui tot ad se peccatores traxerunt: sanctissimam animam, perfectissimum manuum Divinarum opus; totam sanctissimam & individuam Trinitatem, cum omnibus divitiis & perfectionibus infinitis. Iteratò Domine credo, credo hæc omnia ità esse, méque thesauros hos possessurum.*

Actus Spei.

Secundò. Actus Spei: *Spero itaque Domine spe certâ & indubitatâ has, quas accepturus sum manus, mea tacturas vulnera eáque sanaturas; hos benedictos oculos, me misellum in misericordiâ respecturos; hoc Sacratissimum os tuum, quod nunquam aperuisti ut damnares, merissima benedictionis, solatii & vitæ æternæ verba prolaturum. Spero, sanctißima tua anima meam sanctificabit; tua memoria meã roborabit; tuus intellectus meum illuminabit; tua voluntas amore meî accensa, quémque per adventum hunc suavissimum palàm testatum facis, meam reciproco amore succendet, &c.*

Gaudii.

Tertiò. Actus gaudii: *O quale gaudium,*

accipere in anima Dei Filium; & quidem ideo, ut anima ditetur innumeris bonis: Veni ergo, Veni, ô Lumen oculorum meorum; unicum cordis mei desiderium: corpus meum & anima mea, cum omnibus potentiis toto in te feruntur desiderio, & toto affectu: Veni ergo, Veni, & noli tardare.

Secundæ diei consideratio versata est circa modum, quo Christus est in hoc Sacramento, utì & circa immensam ejus Majestatem his speciebus contectam. Ex qua consideratione eliciantur.

Admirationis.

Primò. Actus Admirationis: *Manhu quid est hoc? Ergóne suprema illa Majestas mei gratiâ Thronum Majestatis & splendoris relinquet, gloriámque suam occultabit sub pane & vino? Ergóne ex amore mei sub hoc specierum velamine tot patrabit miracula? Manhu quid est hoc? O quàm verum est Domine, quòd cum tuos dilexisses, verè in finem dilexeris eos; in finem, sub quem hoc sanctissimum Sacramentum instituisti.*

Desiderii.

Secundò. Actus ferventium affectuum, intensíque desiderii se cum Deo uniendi, qui affectus sœpe repetendi sunt; protestando coram toto mundo, omnibúsque creaturis, quòd solus ille sit, in quem cor, animus, omnésque affectus feruntur; quòd ille sit, cui te ipsum, tuam famam, honores, tua omnia, cum omnibus quæ in mundo sunt, postponis.

Tertiæ diei consideratio versata est circa nostram vilitatem, ignorantiam, cœcitatem, ingratitudinem, peccata, &c. ex his sequentur

Reverentiæ.

Primò. Actus profundissimæ reverentiæ, quæ facillimè ex comparatione nostræ mi-

seriæ

ſeriæ cum Divinis perfectionibus oritur. v. g. *Domine ſinè fine & modo indignus ſum, qui ad Te accedam; & infinitam Majeſtatem tuam intrà me ſumam, indignus ob meam vilitatem, ob meum purum nihilum, ob innumera peccata: Domine indignus ſum ob exiguum tepidúmque amorem, quo te hucuſque amavi; indignus ob tantum debitæ puritatis defectum; indignus ob negligentem meam diſpoſitionem, qua me ad te ſumendum paro. Unde ex intimo cordis affectu dico, & coram univerſo proteſtor: Domine non ſum dignus. Licet omnium Seraphinorum amor in me arderet, tótque Tibi exhibuiſſem obſequia, quot exhibuerunt, vel exhibebunt omnes Sancti; licèt omnem omnium creaturarum poſſibilem haberem ſanctitatem, puritatem, humilitatem, &c. tamen adhuc indignus forem: unde iterum iterúmque proteſtans dico: Domine non ſum dignus. Quia ergo dignus non ſum, imò infinitè diſto à dignâ ad Te ſumendum diſpoſitione; ſic obteſtor & adjuro Te per Tuam illam infinitam Majeſtatem, Sanctitatem & Puritatem, quæ in Te reperiuntur, ut, qui in creaturis aliis, ſic & in me intimè habitas & præſens es, digneris Te ipſum in me excipere, & hoc modo cordis mei frigus in calorem, immunditiam in puritatem convertere: Unde repeto, iterúmque proteſtor tertiâ vice: Domine non ſum dignus.*

Contritionis. *Secundò.* Actus contritionis; dignum enim eſt affligi & ſummè dolere, etiam ob minimum peccatum in tam benignum & amabilem Dominum, cui infinities obligati ſumus, commiſſum. Hos actus vide ſuprà, ubi de Amore doloroſo actum eſt. Lib. 2. cap. 6.

Amoris. Tertiò. Actus ſynceri, teneri, affectuoſi perfectíque amoris; quis enim non amabit

gratiſſimum hunc Euchariſticum Hoſpitem, dum conſiderat, quòd ille ipſe ſit infinitæ Majeſtatis & gloriæ Dominus; tantâ in eum amoris vehementiâ exæſtuans, ut nec indignitas nec creaturæ fœditas impedire poſſit, quo minùs ſe totum ei communicet? Si mundi Monarcha menſæ aſſidens jacentis in noſocomii angulo mendicabuli, fame & ſiti exhauſti recordaretur, eíque è mensâ ſuâ delicatiſſimam portionem per quendam ſuorum Ephœborum ſubminiſtraret, eſſet hoc ſanè magnæ miſericordiæ & admirabilis benignitatis opus: ſi verò uni è Principibus ſuis in mandatis daret, ut hanc ad infirmum pauperem, portionem deferret, eúmque Regis nomine viſitaret; in eam propemodum cogitationem quiſpiam veniret, humiliâſſe ſe nimium Regiam Majeſtatem. Si verò ipſe è mensâ Monarcha ſurgeret, noſocomium adiret, & ſuis ipſe manibus miſellum paſceret; ſtupentes exclamaremus, inauditi amoris id eſſe exceſſum; imo ſtultitiæ arguetur à nonnullis hæc Regis abjectio; maximè, ſi, quo infirmus paſcitur cibo, Regii foret corporis particula. O incomprehenſibilis, O infinita Dei Caritas! Quod non faciet Rex terrenus è terræ pulvere & limo concretus homuncio; hoc ipſum fit à Rege regum & Cœli terræque Domino indies; dum miſero & inopi homini, qui in inferioribus his terræ partibus, ut infirmorum receptaculo, fame, ſiti, penuriâ, morbíſque premitur, cibum delicatiſſimum, quo in æterno illo Beatorum convivio delicatior eſſe nequit; hoc eſt, ſuum Corpus & Sanguinem cum Divinitate, non

per

per Angelum, non per Cherubinum aut Seraphinum, ſed per ſeipſum de cœlis affert, & homini porrigit. Hi ſunt actus, in quo exercere ſe debet devota anima. Si tempus & tui ſtatûs conditio non patitur uti prætactis omnibus tot diebus; ſeligantur ea, quæ devotioni magís accommodata ſunt, ut animus ad tantum Hoſpitem dignè excipiendum excitetur.

SECTIO XI.

Quid ſub- & poſt communionem faciendum.

Actus eliciendus ſub actuali ſumptione Euchariſtiæ.

VEnientem è manu Sacerdotis ad te Dominum irretortis aſpice oculis, & hos vel ſimiles actus elice: *Credo Domine, credo Fide indubitatâ Te ſub his ſpeciebus verè & realiter cum corpore & animâ præſentem, eſto oculi mei aſpicere latentem non poſſint: Unde adoro Te cum tantâ animi demiſſione, & reverentiâ, quantâ à creaturâ fieri poteſt. Et quia Tu ad me venire dignaris, ut Te mihi intimè unias, Téque in me glorifices; Ecce venio & ego, unicè deſiderans, ut me Tibi uniam, Téque in me glorificem. Veni ergo infinito amore digniſſime Salvator, & modo excellentiſſimo ea in me operare, ob quæ efficienda, in pauperem meam animam venire Tibi complacuit.*

Tempus immediatè poſt ſumptionem bene impendendũ.

Poſt ſumptum ſanctiſſimum cibum, omnes animæ vires convocandæ ad Hoſpitem hunc dignè tractandum eique inſerviendum. In univerſa vita ſpirituali maximi momenti rem eſſe puto, nihílque adeò proficuum quàm ſcire, ſemihorulam, medium vel inte-

LIB. III. PARS I. CAPUT VIII. SECT. XI.

grum quadrantem, post Sacram communionem debitè impendere. Hoc illud tempus est, quo liberrimè & suavissimè cum Domino loqui conceditur, nec timendum ne protractâ oratione Divinum Hospitem molestemus. Hoc illud tempus est, quo anima non solùm facilè, sed quasi in momento ad perfectionem venire potest, & immensas sibi divitias comparare; cùm, ùt quidam sustinent Theologi, quamdiu species in stomacho manent incorruptæ & integræ, tamdiu gratia Sacramentalis juxta intentionem affectuum augeatur.

Cùm primum in stomachum recepisti Redemptorem tuum, secedendum à strepitu est, ex animo excludendum, quod distrahere potest, mentéque omnino recollectâ, ad hunc amore in te infinito flagrantem Hospitem, qui modò in interiori domûs tuæ hospitio divertit, accedendum est; amplexandi sacratissimi pedes, & millenis osculis, exemplo Mariæ Magdalenæ honorandi, hos vel similes actus eliciendo.

Post sumptionem eliciendus Actus adorationis

Primò. Adorationis: *Toto corde & animo adoro & glorifico Te, Salvator amantissime; tantâ reverentiâ, submissione, devotione, & mei ipsius humiliatione ad sacratissimos pedes tuos me abjiciens, quantâ ab ullâ creaturâ fieri potest.*

Actus admirationis.

Secundò; Admirationis: *Ergóne possibile est, quòd personaliter in me habites Deus meus? Ergóne possibile, quòd Tu Majestas infinita me terræ vermiculum visitare, & infinitam magnitudinem tuam, meæ substernere volueris nihileitati. Tu, quem hoc ipso, quo tecum loquor, momento, ado-*

rant Seraphini & Cherubini, & trementes accinunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

LIB. III. PARS I. CAPUT VIII. SECT. XI.

Tertiò; Gratiarum actionis: *O Utinam ex corde amoris igne succenso magnáque beneficiorum tuorum cognitione illustrato dignas ob ineffabile hoc beneficium gratias referre possem; at quia ex me insufficiens sum, omnes invito Angelos, Homines, cæterásque creaturas, ut mecum Te, una voce, uno corde & ore laudent, glorificent & benedicant.*

Gratiarum actionis.

Quartò. Orationis. Ad hanc maximè attendendum; multum enim per Orationem vel acquirere, vel amittere possumus, prout bene vel malè oramus. Magna hoc tempore à præsente Domino petenda sunt v. g. hæc vel illa heroica virtus, gratiarum efficacium abundantia, cognitio sui, fervens amor, fortitudo ad se vincendum, amor crucis; &c. quia omnia petenda sunt cum magnâ fiduciâ & piâ importunitate, debétque vis quædam per fervidas preces ipsi inferri Deo; proponendo illi motiva, quibus moveatur ad succurrendum nobis in necessitatibus nostris. v. g. *Noli Domine in hoc adventu tuo recusare id in me operari, ad quod operandum venire ad me dignatus es: Venis, ut per hanc Tuî mecum unionem, coram Cœlo & terrâ, tuum in me tenerrimum amorem, maximámque liberalitatem testatam facias; Venis ut Tibi gustum & gloriam pares, dum vides, & reipsa experiris, molestias, labores, passionem, & mortem tuam irrita non fuisse. Operare hæc in me Hospes Divinissime, & in gradu excellentissimo in me perfice. Ergóne frustra & sinè fructu venires ad me, qui sub tam prodigioso apparatu visitas me? meíque causâ tot patras miracula, qui nihil, ne minimum quidem, frustra operaris?*

Orationis.

ris? Uni ergo Te mihi, & me Tibi, indissolubili gratia & amoris nexu, uni abyssum Tuam, abysso mea; abyssum Tuarum misericordiarum mea miseriarum; abyssum claritatis abysso mea cæcitatis; abyssum Tuarum divitiarum abysso mea paupertatis. Possunt præterea elici affectus varii Amoris; de quibus actum est suprà Lib. secundo.

Quid potissimùm Eucharistico Christo post sumptionem offerendum.

Notandum hîc, decens omnino esse, ut in recognitionem tantæ gratiæ & liberalitatis huic Divino Hospiti singulare aliquid offeramus; quale est, v. g. de irâ suppressâ victoriam; mordacis verbi, quo tacti fuimus, dissimulationem; illatæ injuriæ condonationem; in hac vel illa re sensui grata mortificationem, &c. Postquam ergo omni possibili modo obsequia præsenti Deo obtulimus; & cum eo suaviter in spiritu egimus, benedictio ab eo petenda: *Mane mecum amantissime Salvator, Tu summum & unicum animæ meæ bonum; mane mecum nec unquam desere me. Væ mihi si relinquar à Te, Quid aliud absente meo sole mihi reliquum, quàm tenebris circumdari, absente meo medico, quàm infirmitatibus obrui; absente meo gaudio, cordísque jubilo, quàm mærore & desolationibus opprimi. Sed quia conclusisti corporaliter à me discedere, nec ego impedire id possim, Tuæ consentio voluntati, illíque libens subscribo: Interim, quantùm possum adjuro Te; mane mecum per gratiam, mane per amorem: Ego in sanctâ patientiâ, desiderio, & spe magnâ, adventum Tuum denuo non post multùm temporis exspectabo, & ad eum pro modulo meo me parabo.*

Modus petenda à Christo benedictionis.

SECTIO XII.

De sacrosancto Missæ Sacrificio.

INter præcipuas Sacramenti Eucharistiæ figuras in veteri Lege: erat Agnus paschalis. Erat hic apud populum Israeliticum & Sacramentum & Sacrificium: Sacramentum, quia manducari debebat cum certis cerimoniis; Sacrificium, quia ad obsequium & honorem Dei mactabatur. Huic figuræ convenienter Christus Dominus Sanctissimum Corpus & Sanguinem suum in Sacramentum & Sacrificium instituit; in Sacramentum; ut à Fidelibus, ut cibus animæ manducetur, in Sacrificium; ùt ab ordinato ad hoc presbytero pro populo in Altari Domino Deo offeratur, & consecretur. Actum est hucusque de Christi Corpore, ut Sacramento; jam nonnihil de eo tradetur, ùt Sacrificio.

Sacrificiis veteris legis substitutum Sacrificium Missæ.

Nulla unquam, ut testatur Plutarchus, reperta est Natio, quæ sinè omni seu veri seu falsi Dei cultu & Sacrificio vixisset. Sed sicut eorum Dii vani, sic & Sacrificium eòrum vanum & sinè omni fructu fuit. Inter omnes ante adventum Christi Nationes, soli Judæi veram habebant Religionem, variisque utebantur Sacrificiis; ùt videre est in Libris Moysis: sed erant, út ait, Apost. ad Galat. 4. *Infirma & egena elementa*; nec virtus iis inerat vel peccata remittendi, vel gratiam causandi. Unicum Sacrificium Legis gratiæ, est Sacrificium ex omni parte perfectum; unde vocatur à Davide ps. 4. *Sacri-*

LIB. III. PARS I. CAP. VIII. SECT. XII.

ficium Justitiæ, quia continet Justum justorum, & Sanctum sanctorum Christum Dominum, verum Deum & Hominem; potéstque per gratiæ infusionem justificare. Et quia ex unâ parte Sacrificium est præcipuũ, & quædam quasi anima alicujus Religionis; ex alterâ parte Religio Christiana omnium Religionum, quæ vel sunt, vel fuerunt, sanctissima est, hinc sequitur, quòd Sacrificium, quod ad cultum & obsequium Dei Ecclesia Catholica adhibet, debeat esse perfectissimum. Ut hæc perfectio, & finis, ad quem à Christo institutum est, clariùs agnoscatur,

Differentia inter Sacrificium Crucis & Altaris.

Supponendum est, Sacrificium Missæ essentialiter esse idem cum Sacrificio cruento Crucis, & tantùm accidentaliter ab eo distinctum. S. Cæsarius Episcop. Arelat. hom. 7. de Pasch. *Qui corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & sideribus illaturus, necessarium erat, ut nobis in hac die Sacramentum Corporis & Sanguinis consecraret; ut celebretur jugiter per Mysterium, quod semel offerebatur in pretium: ut quia quotidiana currebat pro hominum salute Redemptio; perpetua etiam esset Redemptionis obligatio, & perennis victoria viveret in memoriâ, & semper præsens esset in gratiâ. Verè unica & perfecta Hostia, Fide æstimanda non specie; non exteriori censenda visu, sed interiori aspectu.* Distinguitur autem Sacrificium Missæ à Sacrificio Crucis, quòd Sacrificium Crucis fuerit cruentum & visibile; Sacrificium Altaris incruentum & invisibile. Sacrificium Crucis est Sacrificium Redemptionis & satisfactionis; Sacrificium Missæ, est Sacrificium, quo nobis virtus, merita, & satisfactio

Sa-

Sacrificii Crucis applicantur. Hoc posito

LIB. III. PARS I. CAPUT VIII. SEC. XII. *Sacrificium Missæ est excellentissimũ & Deo gratissimum.*

Certum est, Sacrificium Missæ excellentissimum, sanctissimum, & maximè Venerabile Mysterium esse, quod in Ecclesiâ Dei reperitur; gratissimúmque, quod, quamdiù durabit æternitas, Deo offerri potest. Est gratissimum, primò ex parte rei oblatæ, quæ Christus ipse est, Deus & Homo, unigenitus æterni Patris Filius; quæ oblatio Deo gratior est, quàm si infiniti Seraphinis & Cherubinis impleti mundi offerrentur. Est secundò gratissimum ex parte Offerentis, qui idem ipse Christus est. Non enim Sacerdos est qui sacrificat; sed Christus ipse in persona Sacerdotis, per cujus manus se denuo immolat, æternóque Patri offert; unde vocatur *Sacerdos in æternum*, ps. 109. 5. *Una eadémque est Hostia*, definit Concil. Trid. sess. 22. c. 2. *idem nunc Offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit.* Ex quo infertur rem adeò excellentem, & sublimem esse Missæ Sacrificium, ut, si simul sumerentur omnium hominum, Angelorum, Sanctorúmque omnium merita, obsequia & laudes, quæ Deo exhibita, vel per omnem æternitatem exhibenda sunt, hæc omnia non forent adeò grata Deo, quàm vel unicum Sacrificium, etiam à sceleratissimo Sacerdote celebratum. Ratio clara est, quia Offerens ipse Christus est, qui tantùm æterno Patri suo per hanc suî oblationem exhibet honoris, quantùm à purâ creaturâ exhiberi potest. Deinde hoc Sacrificium summè placet Christo Domino; tum quia per illud modo excellentissimo impletur summum ejus desiderium,

LIB. III. PARS I. CAPUT VIII. SEC.XIII.

derium, Patrem ſuum cœleſtem glorificandi; tum quia per hoc reportata de hoſte victoria; ſuáque mors & pasſio, qua genus humanum redemit, & quâ Tartarei Principis imperium evertit, repræſentatur; & hoc non in figura & imagine tantùm; ſed verè & realiter; cum hoc ſolùm diſcrimine, quòd fiat repræſentatio modo incruento. Hoc Sacrificium Miſſæ eſt, quod triumphanti in Cœlis Eccleſiæ ſummum gaudium, patienti in Purgatorio ſummum ſolatium, & militanti in terris maximam adfert utilitatem.

SECTIO XIII.

In quem finem Sacrificium Miſſæ ſit inſtitutum.

Diverſitas Sacrificiorum in veteri Lege.

QUatuor fuerunt genera Sacrificiorum in veteri Lege: *Holocauſta*, *Propitiatoria*, *Euchariſtica*, & *Impetratoria*. Unumquodque horum diverſum habebat finem. Ratio *Holocauſtorum* provenit ex triplici recognitione, quam Deo debemus. *Primò* ſiquidem debemus ipſum agnoſcere noſtrum Creatorem, primúmque principium, à quo habemus noſtram eſſentiam, animam, corpus, bona, honores &c. *Secundò* recognoſcere debemus Deum, noſtrum ſupremum Dominum; qui ſummam in omnia noſtra v. g. Corpus, vitam, ſanitatem, honores &c. habet poteſtatem & dominium, quíque de iis poteſt diſponere, prout placuerit; ità ut rationabiliter in nulla re reſiſtere eidem poſſimus. *Tertiò*, ut noſtrum Finem, ad quem omnia referre tenemur. Ad hanc triplicem recognitionem faciendam inſtitutum olim erat Sacrificium lau-

laudis, ſive, *Holocauſtum*; in quo Hoſtia mactabatur, igne totaliter abſumebatur, nihílque penitus ex illa aſſervabatur: per quod is, qui Holocauſtum offerri faciebat, coram Deo profitebatur, quòd, ſicut omnia ſunt in manu ejus, ſic & ſe totum eidem offerret; & quòd, ſicut Hoſtia totaliter deſtruebatur, ſic & ille poteſtatem haberet, omnia adimendi & in nihilum redigendi. Deinde, quia indies Deum offendimus, indies etiam remiſſio petenda, ira placanda, & Juſtitiæ ſatisfaciendum; ad quæ inſtituta erant *Propitiatoria.* Hîc cum Oleaſtro in Lib. Legis Moyſis, notandum, hominem ob unum etiam peccatum veniale mereri omnibus bonis, honoribus, imò vitâ ipsâ privari; hanc promeritam pœnam benigniſſimus Deus ab homine transferebat in pecus, quod pro peccato mactabatur; unde moris erat, quòd peccator, qui pro ſe Sacrificium fieri petiêrat, manus inter beſtiæ mactandæ cornua poneret, oſtendens hac ceremoniâ, ſe mortem, quæ victimæ inferebatur, promeruiſſe. Denique innumera ſunt tam naturæ, quàm gratiæ beneficia, quibus liberaliſſimus Deus nos omni momento cumulat, ob quæ benigniſſimo Numini ſummas gratias debemus; quæ proinde exhibentur per *Euchariſtica.* Et quia rebus innumeris egemus tã in corpore, quàm in animâ, ea verò à nemine, nisì à ſolo Deo ſperare & obtinere poſſimus, ſuppliciter ad Deum accedendum, & ad impetrandum efficacibus mediis utendum eſt; hæc auté media erant Sacrificia *Impetratoria.*

Horum omnium Sacrificiorum loco, in no-

Sacrificium Missæ est Holocaustum.

novo Testamento institutum est Sacrificium Missæ, quod modo excellentissimo veteris Legis Sacrificiorum virtutem & efficaciam in se continet. Hoc Sacrificium Missæ, *Primò* est perfectissimum *Holocaustum*, per quod infinitus Deo honor exhibetur, siquidem ipse Christus est, qui offertur. Agnoscimus & profitemur per Sacrificium Missæ, Deum omnium rerum Authorem & Principium, dum æterno Patri in oblationem mundam præsentamus Unicum Filium, Verbum æternum, & omnium creaturarum Primogenitum. Agnoscimus & profitemur in Missâ supremum illius & absolutum in omnes res creatas dominium: quod propriè denotatur, dum in hoc Sanctissimo Mysterio ad minimum voluntatis illius nutum, non solùm hîc in terris substantia panis & vini, quæ duo ad vitam conservanda, maximè nobis necessaria sunt, destruuntur; sed etiam locata ad dextram Patris Humanitas Christi, sub speciebus panis & vini concluditur, & licèt ibidem secundùm se viva sit, vera tamen repræsentatio est Sacrificii, olim per mortem illius in Cruce consummati & oblati. Agnoscimus & profitemur in Missâ, Deum ùt ultimum omnium rerum Finem, quódque omnia ad honorem illius condita sint; primò quidem & principaliter ipse Christus, deinde in Christo non solum homines, ut membra in suo corpore, & subditi in suo Rege; sed & omnes res creatæ, quia illæ in humanâ Christi naturâ naturaliter, in Divinâ supernaturaliter collectæ & comprehensæ sunt. Quia ergo agnoscimus & profite-

mur

mur Deum omnium creaturarum Finem esse, hoc ipso agnoscimus & profitemur eundem, ob infinitam hanc excellentiam dignissimum esse, tali honorari Sacrificio, quod infinitam similiter contineat excellentiam & dignitatem: tale Sacrificium est Sacrificium Missæ, quod infinitæ dignitatis Dominum, Christum scilicet, continet. Quotiescunque ergo hoc Sacrificium offerimus, obligationi nostræ perfectè satisfacimus.

Est Propitiatorium.

Secundò, Sacrificium Missæ est *Propitiatorium*, virtutémque suam sortitur à Sacrificio cruento Crucis, quod per sanguinis Jesu Christi effusionem omnia peccata delevit, & justitiæ Divinæ de condigno satisfecit. Per Sacrificium Missæ reddimur participes omnium bonorum, quæ Sacrificium cruentum nobis promeruit: Sacrificium Crucis libertatem nobis comparavit; per Sacrificium Missæ nobis actualiter datur: per Sacrificium Crucis medicina malis nostris præparata est; per Sacrificium Missæ applicatur: in Cruce facta est redemptio; in Missa eadem fruimur. Hoc igitur Propitiatorium, hanc immaculatam Hostiam Deo sæpissimè pro innumeris peccatis nostris puris manibus & puro corde offeramus, & ità justissimâ supremi Numinis, quam meremur, iram, à cervicibus nostris avertere studeamus.

Est Eucharisticum.

Tertiò, Missa est Sacrificium *Eucharisticum*, per quod Deo summo Benefactori ob innumera in nos collata beneficia, tantas, quantas exigere æquitas potest, gratias agimus. Et ideo Missa vocatur Sacrificium Eucharisticum, ùt ait Orig. contra Celsum Lib. 8.

quia

quia est signum debitæ recognitionis in Deum. Christus hoc Sacramentum instituturus gratias omnipotenti Patri egit, nobis demonstrans, aptissimum illud nobis fore medium, ad nos Deo pro beneficiis acceptis, gratos exhibendos.

Et Impetratorium.

Quartò, Sacrificium Missæ est *Impetratorium*, quo mediante temporalia & æterna, corporalia & spiritualia bona impetrare possumus: cùm enim pro his omnipotenti Deo ipsum demus Christum, tantum ei pretium, tantámque tribuimus solutionem, quæ longè superat dignitatem ejus, quod vel nos ipsi petere, vel ipse dare potest. Deinde cùm Deus, nobis ne quidem petentibus, imò ne cogitantibus tot tantáque conferat beneficia, quomodo ea negabit humiliter supplicantibus, ipsúmque Filium unigenitum offerentibus? Hæc vis impetratoria ex eo oritur, *Primò*, quia in hoc Sacrificio Christus æterno Patri exhibet suæ passionis & mortis merita. *Secundò*, quia mediante Sacrificio pro nobis actualiter apud Deum patrem Redemptor noster deprecatur; quamvis enim præsens ejusdem status non patiatur, ut mereri aliquid nobis possit, non tamen conditioni ejusdem contrarium est, quo minùs deprecari possit pro iis, qui Sacrificium Missæ offerunt. *Tertiò*, quia & suas Ecclesia preces in Missa adjungit, quæ Deo non possunt non esse gratæ. *Quartò*, quia & nos ipsi preces nostras sub Missâ ad Deum fundimus, quæ majoris efficaciæ sunt in - quàm extra Sacrificium; preces enim sub illo, non tantùm fiunt in nomine Christi, quod ad

Quatuor rationes ob quas Missa est impetratorium Sacrificium.

ora-

orationem, si efficax esse debeat, requiritur; sed etiam unitæ sunt precibus Christi, & æterno Patri à Filio coofferuntur.

SECTIO XIV.

Quid Sacerdos ex prædictis discere debeat?

Ex his, quæ de infinita Sacrificii Missæ dignitate dicta sunt, tria Sacerdotes Domini discere & haurire debent.

Dignitas Sacerdotalis quanta.

Primò. Ut suo statui adeò sublimi conformem, irreprehensibilem, immaculatam & sanctam vitam agant; si contrarium fiat, res indigna nimis est, & heteroclita confusio. Dignitas Sacerdotalis, ait S. Ignat. Martyr Epist. ad Smirnens. est omnis gloriæ & dignitatis apex, quem homo in terris conscendere potest. Imperator Justinian. Novell. 6. sentit, duo maxima, quæ Deus homini conferre potest beneficia, esse sacerdotalem & regalem dignitatem; per illam enim dat administrationem rerum Divinarum, per hanc gubernationem Hominum. Et si, ùt res est, loqui velimus, ad quem excellentiorem dignitatis gradum promoveri homo posset, quàm Sacerdotii? cùm ei tribuatur circa duo summa potestas & authoritas: Potestas Deum verum & vivum è cœlo in terras evocandi in Missa; & hominem è terra in cœlos levandi per Absolutionem in sacro tribunali.

Unde eò conniti Sacerdos debet, ut omnis ejus vita sit forma & figura probitatis, imago omnium Divinarum perfectionum: nec decet omnino, ut ad tremendum hoc o-

pus accessuro, vel minimum in memoria, phantasia, animóque hæreat, quod vel à longè immunditiam sapiat, quod satìs per duplicem ante & subSacro digitorum ablutionem ostenditur. Debétque Sacerdos, ùt ait S. Chrysost. in libris de hoc Mysterio scriptis, cœteros Christianos virtute & perfectione tàm longè superare, quàm sæcularis Christianus Ethnicos, animámque Sacerdotis ipsis solis radiis oportet esse puriorem.

Devotè Missa celebranda est.

Deinde Sacerdotes ex officii sui dignitate discere debent, ut ad altare accedant cum magnâ præparatione. Christus per 33. annos ad Sacrificium Crucis à se peragendum disposuit se & præparavit, eóque omnes suas actiones direxit: ità & Sacerdotes summo oportet studio se disponant ad hoc Sanctissimum Mysterium, quod in substantia cum Sacrificio Crucis omnino convenit, in eum finem Deo offerendum, ad quem à Christo institutum est; quis finis hic sit, sectione præcedenti dictum est. Deinde Missa legenda est toto corpore ad modestiam & gravitatem composito, animo recollecto, non festinanter, cærimonias ad amussim observandoq; cùm enim media fini suo debeant esse proportionata, finìsque cerimoniarum in Sacrificio hoc sit summorum mysteriorum significatio, omnísque generis bonorum affectuum, tàm in celebrantis, quàm in præsentium animis excitatio; hinc sequitur, vix ullam posse esse ædificationem, multam econtra scandalorum occasionem, si res illa sacratissima sinè exteriorì modestiâ, clarâ verborum expressione, & debitâ ceremoniarum obser-

van-

vantiâ peragatur. Communis Sanctorum Patrũ & Theologorum doctrina est, & ex multis constat historiis, sacrificanti Sacerdoti magnum Angelorum numerum adstitisse, & honori sibi duxisse, si ministros ad opus ter Sanctum agere possent. Si hi cœlestis aulæ Principes, naturâ & gratiâ nobis superiores, tantâ cum reverentiâ adstent ministrantes, quantâ nos terræ vermiculos adstare oportebit, qui hoc divinissimum mysterium conficimus, tractamus, Altissimo offerimus, & in cor sumimus. Quæ de præparatione ad sumendam Eucharistiam suprà dicta sunt, & Sacerdotibus ante Sacrificium usui esse poterunt, ad quæ proinde remittuntur.

SECTIO XV.

De Venerabilis Sacramenti Visitatione.

UT magni momenti opus merito æstimant visitationem sanctissimi Sacramenti omnes ii, qui Christum in veritate quærunt, & ex toto corde syncerè diligunt. Quomodo hæc visitatio instituenda, & quam delectabilis & utilis sit, paucis dicetur.

Visitaturus admirabile hoc amoris mysterium profundè ruminare, & admirari debet incomprehensibilem illum in nos homines Christi amorem, dum eidem satìs non fuit sacratissimum corpus & animam suam nobis in cibum, & æterno Patri in Sacrificium pro salute nostrâ obtulisse; sed voluit etiam corporaliter nobiscum habitare, ut in tribulationibus, in angustiis, in dubiis & necessitatibus nostris proximè adesse nobis posset;

LIB. III. PARS I. CAP. VIII. SECT. XV.

Quam æquum sit ùt Christum in Eucharistiâ sæpe visitemus.

quo toti mundo palam testari voluit paternam suam providentiam, amabilem bonitatem, & profusam in nos liberalitatem. Unde æquissimum est, ut amore reciproco resarcire studeamus hunc admirabilem amoris excessum; quod meliùs fieri non potest, quàm si exspectantem nos sub sacro specierum velamine sæpius accedamus, visitemus, & nostra ei obsequia deferamus. Si Romanorum Imperator te honorandi, visitandi, protegendi, consolandi & juvandi causâ, Viennâ Metropoli suâ egrederetur, & in loco tibi vicino sedem figeret: quid cogitares? quid ageres? nunquid promptissimam hanc Cæsaris benevolentiam summæ loco gratiæ haberes? nunquid inurbanissimus esses, si accessu non honorares tantam Majestatem, si servitia non deferres, si tuam ei præsentiam subtraheres? Nunquid obligatissimum te agnosceres ad adhærendum lateri ejus die & nocte? quippe, qui tuî solùm causâ & bono ad te venire dignatus est. Tot titulis Christo in Sacramento te exspectanti obligatus es, ut si eundem sæpius non visites, ingratissimus & inurbanissimus meritò habendus sis. Detinet ille se sub his speciebus, ut amoris in nos sui evidentissimum exhibeat argumentum; ergo & nos eum sæpius visitando amoris in eum nostri specimen aliquale demus. Judæos damnamus inexcusabilis ingratitudinis, quòd post tot illorum gratiâ patrata miracula eum agnoscere noluerint: patrat in hoc amoris Sacramento miracula magìs insolita, & magìs stupenda; & tamen ingrati sumus, debitam reverentiam ei sub-

Ingratì sumus si id non facimus.

ubtrahimus, & ita nos habemus, quasi ne nosceremus quidem.

Visitatio Sanctissimi Sacramenti solatio plena est.

Jucundum plane accidit morigero filio, patri suo carissimo adesse; jucundum fratrum, cognatorum, amicorum, & notorum mutuâ societate frui. Quid nobis in hoc mundi exilio constitutis jucundius esse potest, quàm die & nocte in tot locis habere præsentem Christum Redemptorem nostrum, cui loqui, cui cordis nostri secreta pandere, miserias exponere, à quo auxilium petere, & cum quo confidenter conversari permittitur? Si cui in arcto carcere constricto, ea concederetur gratia, ut parentes, fratres, & cognati illius liberum ad eum invisendum, solandum, pascendum & recreandum, accessum haberent, multo sanè solatio perfunderetur Captivus, hilarique animo hunc suum carcerem sustineret. Christus Dominus ob easdem rationes nobiscum est in carcere & exilio hujus mundi. *Ecce ego*, ait Matt. 25. *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quidni ergo hunc suavissimum Hospitem visitare, res plena solatii, plena gaudii foret?

Sinè fructu visitatio illa non erit;

Et quare.

Efficacissima ex hac Dei nostri præsentia haurire possumus remedia, quibus mediantibus, maxima tum corporis tum animæ pericula, si non omnino tollere, saltem multo minora & tolerabiliora reddere possumus. Nunquam hæc visitatio sinè singulari fructu & utilitate erit, est enim hîc Christus uberrimus omnium gratiarum fons, ex quo haurire cuique licet, quantum vult; est hîc verus Justitiæ Sol, qui Divinis suis radiis accedentem illuminat, calefacit, incendit, recreat, vi-

vificat; est hîc ùt Omnipotens Deus nos confortans, totus bonus, totus liberalis, totus misericors, paratissimus ad effundendum in nos omnes suas miserationes: accede & huic calidissimo Soli te expone, & non poteris non accendi. Adest tibi, ut bonis spiritualibus te affatim ditet, accede & ditaberis; dabit accedenti ad se fortitudinem in tentationibus, in pravorum motuum conflictu victoriam, in dubiis illuminationem, patientiam in adversis, solatium in afflictionibus, gratiam & media ad salutem certò consequendam necessaria. Hæc bona ut ad te rapias, in altari te Redemptor tuus exspectat; cur ergo tibi ipsi es impedimento? cur non exiguo pretio, & minimâ molestiâ hæc grandia bona mercaris?

Effectus visitationis opportuno tempore experimur.

Accedo, ais, sed hæc in me non experior. Falleris Carissime, experiris utique; sed quia hæc dona sensibus percipi non possunt, animo illabuntur imperceptibiliter: quia enim non corpori, quod sensibile est; sed animæ, quæ sentiri & videri non potest, hæc bona communicantur, exteriori etam sensu percipi non possunt. Accedit, quòd hæ gratiæ non statim tempore visitationis dentur, sed sœpe diu post, suo tempore & occasione; quando actus Fidei, Spei, Caritatis, Humilitatis, Obedientiæ, Patientiæ eliciendi sunt; si contra tentationes pugnandum, ira domanda, &c. Gratia, qua suo tempore hos & similes actus promptè elicimus, qua generosè tentationibus resistimus, est effectus & lucrum, quod in visitatione Venerabilis reportavimus. Unde certi esse possumus, nunquam

quam nos Christum in Eucharistia visitaturos, quin singulari gratiâ ditandi simus, qua cœteroquin caruissemus. Et licèt quis, dum augustissimum Sacramentum visitat, pios affectus ex cordis ariditate non sentiat, vadat tamen ad Divinum hunc Hospitem, & corporaliter per genuflexionem, modo optimo quo potest, illi se sistat; erit operi merces, nec absque fructu erit hoc exhibitum Majestati servitium: dum enim quis, etiam in ariditate ad Ecclesiam vadit Christum visitaturus, actu ipso testatur, se firmiter credere, Christum ibidem præsentem esse, & opere ipso debitam reverentiam & amorem, quo in ipsum fertur, testatum facit; si enim non crederet Christum esse in Sacramento præsentem, nec cuperet ei reverentiam & obsequium exhibere; ad Ecclesiam non procederet, & viæ inutili parceret. Hi autem & similes impliciti Fidei, Reverentiæ, & Amoris actus nunquam manent irremunerati.

SECTIO XVI.

Modus visitandi Venerabile Sacramentum.

VArii sunt fines, quos sibi præfigere solet, qui magni cujusdam Principis aulam adit; vel enim aulam ingreditur, ut Principem, quem hucusque non viderat, videat; lustrétq; accuratè omnia, an se ità habeant, ùt de iis audiêrat; vel, ut se tanquam vasallum Domino sistat, & se prompitissimum testetur, qui semper & ubique in omni subje-

LIB. III. PARS I. CAPUT VIII. SECTIO XVI.

Ob quos fines visitatio sanctissimi Sacramenti facienda.

ctione Domino servire desideret; vel, ut demisissimas gratias agat pro hoc vel illo accepto beneficio; vel denique ut novam gratiam nováque beneficia petat. Ex similibus motivis fieri etiam potest visitatio Venerabilis Sacramenti.

Primò in eum finem, ut quis Christum ibidem videat. Occasione cujus elici possunt varii virtutum actus, ùt glorificationis, adorationis, amoris, gaudii. Ruminandus jam admirabilis, quo se nobis communicavit, modus; jam magna illius cupiditas nobiscum personaliter habitandi; jam paterna ejus Providentia, Liberalitas, Omnipotentia, Sapientia &c. quæ omnia in hoc Mysterio admirabili splendore patefacit; jam heroica humilitatis, patientiæ & obedientiæ exempla, quæ nobis sub his speciebus latens imitanda proponit: ex his firmum formandum propositum, vitam, moresque ad ea componendi.

Secundò hæc visitatio fieri potest in contestationem demisissimæ subjectionis, quam Christo, naturali, legitimo, summóque Domino nostro debemus; firmâ fide protestando hos ipsi titulos summo jure competere: ex quo resultat duplex orandi modus. Primus, quo in - & externè Christum in Eucharistiâ adoremus. Secundus, quo ipsi corpus & animam, omnem nostram substantiam & essentiam, omnes in - & externas potentias, operationes, cogitationes, verba, honorem, bona, sanguinem, vitámque nostram in tempore & æternitate offeramus.

Tertiò gratiæ pro beneficiis acceptis agendæ,

dæ, præcipuè, quòd ex amore nostrî dignatus sit, se sub tam vili schemate detinere, maximáque miracula patrare.

Quartò necessitates nostræ cum filiali fiduciâ illi exponendæ, & auxilium in tot animæ & corporis periculis petendum. Utinam hoc medio bene uti sciremus, & in afflictionibus, dubiis, tentationibus rectâ viâ ad sanctissimum Altaris Sacramentum curreremus, quàm longè alii essemus; quàm longè à miseriis, quæ nos jam maximè premunt. *Super contritione Filiæ Populi mei contritus sum, & contristatus; stupor obtinuit me, nunquid resina* (versio Chaldaica habet: *Balsamum, teriaca*) *est in Galaad, aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ Populi mei?* Hæc est lamentatio Jeremiæ Prophetæ cap. 8. 21. & quæ optimè Venerabili Sacramento applicatur & de eo intelligitur. Juxta Venerab. Bedam & D. Thom. per Galaad intelligitur Christus Dominus. Non est ergo *balsamum & teriaca*, non sunt media ad mala avertenda, bona comparanda in Ecclesiâ, in Venerabili Altaris Sacramento? Imò verò est ibi Medicus, quem nullius mali radix, nullum morbi genus, nulla cuique malo accommodata medicina fugit; quare ergo fidelis anima jacet in sordibus, vulneribus, doloribus? in promptu causa est, medicum non accedit, vulnera non detegit, medicinam non petit.

Quintò accedere possumus cum affectibus, quibuscum accessit Nicodemus, & petere in rebus dubiis illustrationem; vel accedere cum Magdalenâ, pro obtinendâ remissione

peccatorum; vel cum leprosis, pro cordis & conscientiæ emundatione &c.

Sextò accedere possumus ùt Mendici ad opulentissimum Dominum, ùt famelici ad opiparum convivium, ùt sitibundi ad limpidissimum fontem, ùt discipuli ad Magistrum, filii ad Patrem, afflicti ad consolatorem, ùt frigidi ad ignem, ad quem tempore brumali sœpe acceditur, ut frigus arceatur, & ità labor refocillatis ex calore membris resumatur.

Ubicunque fuerit corpus, ait Christus Luc. 17. *illuc congregabuntur & aquilæ.* Qui locus convenit cum eo, quod Prophetæ Jobo Deus locutus est Job. 39. *Elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum, in petris manet, & in prœruptis silicibus commorabitur, atque inaccessis rupibus: inde contemplatur escam, & de longè oculi ejus prospiciunt, & ubicunque cadaver fuerit, statim adest.* S. Gregor. in hunc locum Jobi per *cadaver* intelligit corpus Christi. *Cadaver*, ait, *à casu dicitur, & non immeritò Corpus Domini propter casum mortis cadaver vocatur.* Per aquilas intelligunt Interpretes animas justorum, qui aquilarum more in alta tendunt, & in Cœlestia se attollunt, in quorum consideratione suaviter quiescunt. Ubi harum aquilarum odoratus Corpus Christi adesse advertit, celerrimo illuc volatu feruntur. Ad hunc sanctum volatum, exemplum volantis in altum aquilæ nos provocet. *De exemplo naturali*, monet nos S. Hierony. in cap. 24. Matthæi, *quod quotidie cernimus, Christi instruimur Sacramento; aquilæ & vultures etiam trans maria dicuntur sentire cadavera,*

davera, & ad escam hujuscemodi congregari: si ergo irrationabiles volucres naturali sensu tantis terrarum spatiis & maris fluctibus separatæ, parvum cadaver sentiunt, ubi jaceat; quantò magis nos, & omnis turba credentium debet festinare ad eum?

LIB. III. PARS I. CAP. IX.

CAPUT IX.

Amor Christi movet & incitat ad amandum id, quod quoquo modo ad eum spectat.

Constat experientiâ, amorem animum amantis inclinare ad amandum omne id, quod ad Amatum spectat. Sic amamus & blandimur puero, cujus parentem amamus; sic Sponsa Cant. 2. amabat sponsum, cujus umbram videre non poterat sinè magnâ animi gestientis lætitiâ & solatio; sic & populus Judaicus in captivitate Babilonicâ, amabat templum Hierosolymitanum; ut ardentiùs expeteret videre destructi Templi rudera, quàm sumptuosa Babilonis palatia. *Placuerunt servis tuis lapides ejus* ps. 101. vel, ùt alii legunt, *dilexerunt, deperierunt.*

Amanda Imago & nomen Salvatoris.

Qui ergo amat Christum, amat quoque ejus Imaginem plùs, quàm ullius alterius Sancti; amat ejus festa, eáque singulari devotione celebrat, sciens his diebus recoli illius Passionis, & reportatæ de hostibus victoriæ memoriam; amat ejus sacratissimum nomen, quod in relictis epistolis non omnino prolixis, quæ ad quatuordecim tantúm ascendunt, sanctus Paulus expressit ducenties & novies; nomen verò *Christus*, quater cen-

LIB. III. PARS I. CAP. IX.

centies & semel. *O nomen benedictum!* exclamat suavissimè S. Bernard. serm. 15. in Cant. *O oleum usquequaque effusum! quousque? de Cœlo in Judæam, & inde in omnem terram excurrit, ut de toto orbe exclamat Ecclesia: Oleum effusum nomen tuum. Oleum lucet, pascit, ungit, fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem, Lux, cibus, medicina. Annon toties confortaris, quoties recordaris? quid æquè mentem cogitantis impinguat? quid ità exercitatos reparat sensus? virtutes roborat, vegetat bonos mores, atque honestos, castas fovet affectiones? aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto perfunditur; insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi; nisi legero ibi JESUM; si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi JESUS; JESUS mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est & medicina; tristatur aliquis nostrum? veniat in cor JESUS, & inde saliat in os, & ecce ad exordium nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum.*

Item S. Scriptura, quia verba Dei.

Amanda similiter omnia & singula verba, quæ ex sacrosancto Domini nostri ore immediatè processerunt; verba, quæ per Prophetas & Apostolos suos loqui ad nos dignatus est, reverentiâ & amore dignissima quidem sunt; attamen ùt majorem in se habent majestatem, quæ ex ore Dei immediatè, præ illis quæ mediatè procedunt, sic & requirunt merito multò majorem reverentiam & amorem. *Inter omnes Divinas authoritates*, ait S. Aug. lib. 1. de Conf. Evang. *quæ sanctis literis continentur, Evangelium meritò excellit.*

Amanda

Amanda est ab Amatore Christi, ejus Sanctissima

ctissima Mater, quæ Christo proximè sanguine juncta, utpote, quæ in virgineo suo utero eundem concepit, eundem lactavit & aluit, quæque à Filio supra omnes creaturas amata est; minùs ergo facere non potest, qui Christum amat, quàm ut amorem suum amori & affectui Christi conjungat, eámque magni æstimet, & tenerè amet. Et quomodo fieri posset, ut is, qui Sponsum ex corde amat, non amet simul sponsi matrem? Notandum hîc, medio vix efficaciori uti posse eum, qui in amore Christi proficere cupit, quàm ut singulari in Matrem Domini amore feratur, eámque instanter roget, ut hanc gratiam à Filio impetret, quod certò fiet; cum ex unâ parte Mater apud Filium hunc omnia valeat; ex alterâ parte & ipsi Matri gratissimum, ut Filius ab omnibus ametur, colatur, & adoretur.

LIB. III. PARS I. CAP. IX. *item Mater Jesu: & omnes Sancti.*

Amandi etiam sunt ab amatore Christi, omnes Electi, non solùm, qui à Christo honorati & amati sunt, sed etiam quia sunt, & in omnem æternitatem erunt, optatum illud reportatæ victoriæ spolium, fructus & lucrum passionis & meritorum illius, instrumenta perpetua laudis & honoris.

Denique verus Christi amator, & Proximum suum ex toto corde amat. Hic amor, cùm magni momenti sit, multáque complectatur, quæ ad perfectum Christi amorem consequendum, vitámque sanctè instituendam plurimùm conducunt, de Amore Proximi fusiùs in sequentibus tractabitur.

CA-

CAPUT X.

De Amore Proximi ejúsque excellentiâ.

SI ea, quæ mox adducentur de amoris erga Proximum excellentiâ, benè perpenderimus; abunde sufficient, ut nos animent, exciténtque, ut opere ipso caritatem in Proximum exerceamus. D. Thom. 2. 2. q. 25. a. 1. opusc. 61. c. 2. ait: *Idem numero est habitus Caritatis, à quo uterque actus elicitur, & unus idémque scilicet Deus, in quem uterque dirigitur, quia propter Deum, & Deus & proximus diligitur. Cùm ergo Proximus diligitur propter Deum, solus Deus diligitur propter seipsum. Aristoteles: Ubi unum propter alterum, utrobíque tantum.* S. Gregor. præclarè de hac re loquitur 7. Moral. cap. 10. *Sunt duo isti Amores, duæ quædam partes; sed unum totum est ex utrísque compositum: duo annuli, sed catena una: duæ actiones, sed una virtus: duo opera, sed una caritas: duo apud Deum merita, sed unum sinè alio inveniri impoßibile est.* Hoc ut clariùs intelligatur, sciendum est, quod Proximum quadrupliciter amare possimus. *Primò* amari Proximus potest, ùt res ad Dei servitium creata, Deóque utilis, quia per hominis bona opera Dei gloria promovetur. *Secundò* amari potest, quia est imago Dei, in qua perfectiones Divinæ singulariter elucent, Deúsque in hac imagine suo modo videri & inveniri potest: si quem amamus, eundem amamus in omni eo, in quo aliquid illius notari & inveniri potest. *Tertiò* amari potest, quia à Deo Proximus infinitè amatur; verus amor hanc habet proprietatem, quod a-

Amor Dei & Proximi unus est habitus.

Proximus amari potest quadrupliciter.

mantem in Amatum transformet, ejúsque in se mores, actiones & affectiones exprimat: cùm ergo Deus hominem infinito amore amet, is, qui Deum amat, illum hac in parte imitatur, omníque amore possibili Proximum amat, quia amatur à Deo. *Quartò* amatur Proximus ob egregias illius qualitates, virtutes, naturales vel supernaturales perfectiones, per quas amore dignus efficitur. Primus, secundus, & tertius modus amandi Proximum sunt fructus & effectus Caritatis Theologicæ; diriguntur enim ad Deum, & per illos Deus in Proximo amatur. Quartus modus originem adeò nobilem non habet; provenit enim amor hic ex morali virtute, & vocatur Amicitia.

His positis sequitur necessariò, quòd is, qui Deum amat, amet & Proximum; nec unus amor esse possit sinè altero. *Si quis dixerit*, ait S. Joan. Ep. 1. 4. 20. *quoniam diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est.* Estque amor in Deum, non solùm causa & origo Amoris in Proximum, sed & ejusdem mensura. Amor in Proximum evidens est argumentum amoris in Deum. Duo in arbore rami simul crescunt, quia unam habent radicem, sic & amor Dei & Proximi simul in cordibus nostris crescunt, quia ex una pullulant radice, quæ alia non est, quàm Spiritus sanctus.

Caritas proximi omnino ad salutem necessaria.

Nec virtus arbitraria, ut poni vel omitti possit, Caritas Proximi est; sed est omnino necessaria, & à Deo præcepta. *Hæc mando vobis*, ait Joan. 15. *ut diligatis invicem.* Mandatum hoc varias ob causas, scrupulosè & se-

LIB. III. PARS I. CAP. X.

Quare scrupulosè servandũ sit, mandatum de proximi dilectione.

ſedulò cuſtodiendum. *Primò*, quia mandatum ſuaviſſimum eſt ; nihil enim continet niſì merum amorem. *Edictum dulce, ſuave præceptum*, vocat illud S. Bern. ſerm. 14. in Cœnâ Domini. *Secundò*, quia in uno diſcurſu tertiò à Chriſto repetitur : Hæc autem mandati repetitio, mandati commendatio eſt, ait S. Auguſt, Tract. 83. in Joan. *Tertiò*, quia datum eſt tempore gratioſiſſimo, cum jam jam benigniſſimus Dominus paſſionem pro nobis aggreſſurus eſſet ; in ultimo colloquio, quod in ultimâ cœnâ cum Diſcipulis ſuis habuit ; in quo omnia amorem ſpirant, & eò collimant, ut ſuavisſimis verbis Diſcipulos ſuos excitet & inflammet ad mutuum Amorem. Notat hîc S. Auguſt. Trac. ult. in 1. Epiſt. Joannis, quòd, ſicut infirmus de vitâ longiore deſperans ſuos hæredes convocat, eíſque inſinuat, & mandat, ut hoc vel illud poſt mortem ſuam ſollicitè curent, petens inſuper, ut infallibiliter factam à ſe diſpoſitionem executioni mandent : quâ inſtantiâ precibúſque oſtendit, quàm ardenter deſideret, quámque ſeriò velit, ut, quod in vitæ termino deſiderat, opere ipſo exequantur : ſic & Chriſtus repetitis ſœpius verbis è mundo diſceſſurus Diſcipulis inculcet, ut invicem diligant, hac ſeriâ admonitione palam faciens, abſolutam ſuam eſſe voluntatem, ut fraternus amor altas in eorum cordibus agat radices. *Quartò*, Vocat hoc amoris præceptum, *Mandatum novum* : *Novum*, quia inter Judæos collapſum & abolitum renovavit, perfecit, & ut fundamentum ſanctiſſimæ ſuæ Legis poſuit. *Novum*,

vum, hoc est, ùt explicat Maldonatus hîc, ex modo loquendi S. Scripturæ, *valde excellens*; per quod virtutum omnium excellentissima Caritas nobis recommendatur, qua & Deo & Proximo nos intimè unimus, & quæ aliorum Dei mandatorum radix est. Hujus Magni, Novi, & antea inauditi amoris exemplum in Christo habemus Novum & magnum, utpote qui incomparabiliter nos plùs amat, quàm amamus nos ipsos.

LIB. III. PARS I. CAP. X.

Mandatum de diligendo proximo cur vocetur NOVUM.

Denique vocat Christus hoc mandatum, *Suum*; *Hoc est mandatum* MEUM, *ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Joan. 15. Quare suum? Nónne & alia præcepta Ejus sunt? sunt quidem, sed non ità, ùt præceptum dilectionis: vocátque ideo Suum, ut ostendat omnium esse præcipuum, & alia dignitate excedere. Sic nonnunquam Pater ex omnibus suis in unum congregatis filiis, unum suaviter amplexatur, osculatur, & dicit: Tu es filius meus. Quo dicendi modo alios non rejicit, vel ùt illegitimos repudiat, sed innuit, hunc filium inter reliquos sibi esse carissimum. Vocat *Suum*; quia Christus Dominus nullam virtutem suis moribus, totáque vivendi ratione ità expressit, quàm Caritatem: Patientia enim, Obedientia, Humilitas, &c. tempore vitæ à Christo exercita ex solâ fluxerunt Caritate. Imò hoc ipsum Amoris in Proximum mandatum, ex intenso in nos amore ortum fuit; intendit enim per hanc seriam suam voluntatem, ut mediante hoc præcepto multos faciamus nobis amicos, qui nobis benefaciant, nos juvent, solentur & protegant; qui enim ab omni homine amatur, illi nihil

Cur Christus vocaverit illud: SUUM

Character veri Christiani, amor proximi est.

ad ſolatium, auxilium, vel ſuſtentationem deeſſe poteſt:

Et hic amor Proximi genuinus Chriſtiani character eſt. *In hoc*, ait Chriſtus Dominus Joan. 13. *cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* q. d. ùt explicat S. Aug. *Alia munera mea, habent vobiſcum etiam non mei: non ſolùm naturam, vitam, ſenſus, rationem; verùm etiam Linguas, Sacramenta, Prophetiam, Scientiam, Fidem: ſed quoniam Caritatem non habent, ùt ſymbola concrepant, nihil ſunt. Non ergo in illis quamvis bonis muneribus meis, quæ habere poſſunt etiam non diſcipuli mei; ſed in hoc cognoſcent, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Hæc dilectio æternæ Prædeſtinationis eſt ſignum. In hoc ait S. Joan. 1. cap. 3. *manifeſti ſunt filii Dei & filii Diaboli. Nos ſcimus*, pergit loc. cit. *quoniam translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, qui non diligit, manet in morte.* In quæ commentans S. Aug. ait: *Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei & filios Diaboli.* Eſto omnes ſe ſignent ſignaculo Crucis, eſto ſint baptizati, conveniant ad Eccleſiam, concinant Alleluja. *Non diſcernuntur filii Dei à filiis Diaboli, niſi Caritate.* Ratio hujus eſt, quòd Deus amat, diabolus autem oderit; unde ubi amor, ibi & ſpiritus Dei; ubi odium, ibi diabolus. Hæc ratio adducitur in Epiſt. prætactâ à S. Joanne. *Cariſſimi*, ait, *diligamus nos invicem, quia Caritas ex Deo eſt, & omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum; qui non diligit, non novit Deum, quia Deus Caritas eſt. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & Caritas ejus in nobis perfecta eſt. In hac cognoſcimus,* quia

quia in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.

Hæc igitur veritas altè cordi imprimenda est; *Ante omnia*, monet S. Petrus 1. cap. 4. *mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes.* Similiter & S. Paul. ad Coloss. 3. *Super omnia Caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Hoc est, quod identidem suis in senio inculcabat Discipulis S. Joannes: *Filioli diligite alterutrum.* Hoc si non facimus, nec Deum diligimus. *Dicis te diligere Christum*, ait S. Aug. Tract. 9. in Epist. 1. Joannis, *Si fratrem non diligis, quomodò eum diligis, cujus mandatum contemnis.* Ut autem Proximum syncero corde diligamus, in Proximo Christum contemplemur & attendamus, memores verborum, quæ ipse ore suo sacrosancto protulit Matt. 25. *Quamdiù fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* In hæc verba pulchrè comentatur S. Augustinus Tract. 10. in 1. Joannis dicens: *Si velit tibi aliquis osculari caput & calcare pedes; nonne inter verba honorantis clamares & diceres: quid facis homo? calcas me, non diceres: calcas caput meum, quia caput honorabat; sed plùs clamaret caput pro membris calcatis, quàm pro se, quia honorabatur*, & dicet: *Nolo honorem tuum, calcare me noli.* Tu econtra dicis: quid hoc? ergóne ego te calco, cum suavissimè te amplectar & basiem? *Sed non vides ô stulte, quia quod vis amplecti, per quandam compagem unitatis pervenit ad id, quod calcas.* Ita & clamat lingua: dolorem mihi affers, non dicit dolorem infers pedi, sed mihi. Quomodo hoc, quis te ô lingua afflixit? nemo ait: *sed conjuncta sum eis, quæ cal-*

Qui Proximum non diligit nec diligit Christum.

cantur; quomodo vis non doleam, quando non ſum ſeparata? Sic & Chriſtus ad dexteram Dei locatus, ipſe doloris expers & incapax in ſuis membris patitur. Unde alloquitur Saulum: *Saule, Saule, quid me perſequeris. Non Saulus Ipſum,* ait S. Aug. Tract. 213. in Joann. *Sed membra ejus, id eſt, Fideles ejus in terra perſequebatur; noluit tamen dicere, Sanctos meos, Servos meos, poſtremò honorabiliùs, Fratres meos, ſed ME, hoc eſt, membra mea, quibus Ego ſum caput.* Si ergo lædimus membrum ſub hoc capite, qualecunque tandem ſit, ex eo affligitur caput ob intimam cum membris conjunctionem. Et quia hæc conjunctio, quæ fit mediante Fide & gratiâ, eſt ſupernaturalis, adeóque multò præſtantior quàm unio, quæ fit mediante animâ inter caput & pedes. Sic ſequitur quòd Chriſtus Dominus majori dolore afficiatur ex malo, quod ſpiritualibus ſuis membris infertur, quàm in mortali corpore ex vulnere pedis affligatur caput.

SECTIO I.

De dilectione inimicorum, & quanta illius obligatio.

CLariſſimis verbis mandat Chriſtus Matt. 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* O Suave præceptum! ô dulcis Chriſtianorum Lex! Moyſes Legislator Judæorum, Solon Athenienſium, Lycurgus Spartanorum, Numa Romanorum, &c. dum legibus Reſpublicas inſtituerent, ſtatuerunt, ut in Malefactores ſeverè ani-

madvertatur, & pro iis ferrum, rogi & ignes expediantur; sed Christi JESU Legislatoris nostri Lex suavissima, nil nisi amorem spirat & benevolentiam. *Diligite inimicos, benefacite his, qui oderunt vos.*

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECT. I.

Ergo vi hujus præcepti obligamur ex ex mente Theologorum, eos qui nos oderunt, non odisse; malum pro malo non reddere, nihil mali imprecari, nec ullo exteriori signo rancorem & odium in ipsum prodere, precibus eos non excludere, & alia comunia dilectionis signa non negare; sed eos, ut alios, à quibus offensi non sumus, comuni amoris vinculo complecti: specialia autẽ amoris signa iis exhibere, non præcepti sed consilii est; nec ad salutem, sed ad perfectionem consequendam necessarium. Cùm igitur hoc amoris præceptum ità seriò à Deo nobis recommendetur, opere ipso illud exequi toto studio laborandum. Generosa hæc virtus Christianis propria esse debet. *Jubemur*, ait Tertullian. cap. 1. ad Scap. *Inimicos diligere, ut hæc sit perfecta & propria bonitas nostra, non communis; amicos enim diligere omnium est, inimicos autem solorum Christianorum: Christianus nullius est hostis.* In hoc consistit finis, vita & substantia Legis nostræ, quæ de nullo alio agit, de nullo alio tractat, quàm de amore, beneficentiâ, benevolentiâ. Unde cum discipuli, postquam Samaritani Christum in Urbem admittere nollent, à Christo quærerent, an ignem deberent è cœlo evocare, qui ingratos hos viros absumeret, respondit Christus: *Nescitis, cujus spiritûs estis.* Modo vivitis sub Lege amoris, non odii; mansuetudinis, non

Quid inimicis debeamus.

Christianorum propria virtus, dilectio inimicorum.

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECT. I.

rigoris; gratiæ, non vindictæ. Sicut amor inimicorum excellens adeò opus est, ut amor proximi altiùs ire non possit; imò flos & velut quinta amoris in Proximum essentia est; ità & dilectio inimicorum, maximum & certissimum veri & boni Christiani est signum; heroicum facinus, ex quo nullam sibi partem natura vendicare potest; sed solùm gratiæ supernaturali adscribendum; ideóque valde excellens & summè meritorium est. In amorem, quo amicos amamus, facilè se insinuat affectus naturalis; non ità in amorem inimicorum; estque solus Dei amor & gratia supernaturalis, quæ ad hunc nos amorem movet & excitat.

Heroicum, excellens, & honorificum opus est, diligere inimicum.

Nullum opus magìs honorificum, vel majori dignum laude, quàm diligere inimicos; quod apud eos tantùm reperies, qui generosi & magni sunt animi; quorum corda divino accensa amore, quique sciunt cupiditatibus suis plenè dominari. Nihil est, quod Divinæ miserationis, & amplissimarum gratiarum capaciores nos efficiat, quàm dilectio inimicorum.

SECTIO II.

Nonnulla documenta circa dilectionem inimicorum observanda, eámque facilem reddentia.

Verba à Proximo acriùs prolata, non apprehendenda.

PRimum documentum est, ne quodlibet verbum, inconsideratiùs vel acriùs à Proximo in nos prolatum, multùm apprehendamus; sed oportet in his quotidianis excessibus, sinè quibus præsens hæc vita non transigitur, animum munire, & armare Chri-

Christianâ constantiâ & fortitudine, nec ob leviuscula hæc verba decet animi quietem turbare; omnis iis in cor aditus prohibendus. Catonem insigni alapâ non nemo percusserat, qui percussor cum intelligeret, Catonem à se percussum, supplex pro veniâ eundem accedit: cui Cato respondit: *Non memini, percussum me. Meliùs putavit*, scribit de hoc Catonis responso Seneca Lib. 2. de irâ cap. 32. *non agnoscere, quàm ignoscere. Magni animi est injurias despicere; multi leves injurias altius demisere, dum vindicant; ille magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minorum canum securus exaudit.*

Duas inimicus habet facies; quænam ex illis aspicienda sit.

Ut hanc in illatis injuriis imperturbabilem animi pacem acquiramus; reflectendum est, injuriantem duas habere facies, unam si intuearis, difficile erit ignoscere; si alteram, facile. Est qui te offendit, & injuriam irrogavit? noli in eo aspicere partem illam, qua deformis, crudelis, & tuus inimicus est; sed aspice alteram, qua est imago Dei viventis, qua est tuus in Christo confrater, & tuum sub hoc divino Capite commembrum; cogita acceptæ injuriæ dissimulationem & oblivionem, esse generosum, Deo honorificum, & tibi utilissimum facinus; esse æternæ salutis pignus, certum prædestinationis signum, infallibilem ad remissionem peccatorum tuorum præparationem; & hæc est pars dextera faciei, quam injuriatus aspice, ni velis & Deum offendere & te perdere. Noli cogitare: Hæc & similia ab eo non sum promeritus, ei tot præstiti beneficia, &c. Hanc partem si aspexeris, animo amaro, tur-

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECT. II.

bato, & indignabundo, ultionem quæres homine Christiano indignam. Faciliùs erit se acutis spinis immiscere & non pungi, quàm injuriæ identidem reminisci, & ad iracundiam & vindictam non incitari.

Quid agendum si putemus nos injuriatos.

Observandum secundò, ut, si quid occurrat, quod ad indignationem, rancorem, & vindictam movere nos posset, exhibeamus nos genuinos Christi Discipulos, offerendo Deo omnes animi & corporis sensus & potentias, Christo obediendo eique nos in omni subjectione sistendo, qui jubet inimicis ignoscere. Cogita te à Fratre offendi ex indeliberatione, ætatis vel complexionis infirmitate; adscribe indomitis passionum motibus, quibus extra se raptus fuit. Ponamus etiam talem intercurrere malitiam, quæ excusari non possit; Christus nihilominus dignus est, ut inimico ex amore illius ignoscas, qui multa pro te fecit, quíq; innumera omni horâ & momento sibi illatas injurias dissimulat. Quid si Christus se tibi sisteret, & enumerans omnia in te collata beneficia, à te peteret, ut inimico ignosceres, an hoc ei negares? Imaginare hoc à Christo fieri, aspice eum oculis Fidei, attende quàm ardenterà te petat, ut in tui erga eum amoris probam inimico ignoscas. Considera eundem, quem tu odisti, multo sanguinis pretiosissimi profluvio Christo stetisse. *Quem vis contemnere, pretium ejus attende, & cum morte Christi totum mundum appende.* S. Aug. de verb. Domini. Si offendit te famulus amici tui, famulo parcis ob amicum, ne ille ob percussum famulum tibi succenseat; cur ergo non Proximo tuo?

quem

quem sibi suo sanguine Christus proprium fecit & subjectum.

Motiva ad ignoscendum impellentia.

Ignoscamus ergo, quia Christus ità jubet, ignoscamus, quia sanctissima ejus Lex ità à nobis exigit, quæ omnem rancorem proscribit, & amori Proximi, maximè inimicorum, locum præparat; ignoscamus ob amorem, quo nos ipsos amamus; dum tantis gratiis & meritorum thesauris, ob injuriam non vindicatam, & ex corde remissam, nos ditamus; ignoscamus ex justo timore, ne nos in extremam perniciem præcipitemus, dum eâdem mensurâ metietur nobis, quâ aliis mensi fuimus; maximè cùm hanc conditionem cum Deo iniverimus, eámque indies renovemus, verbis expressis eandem ratificantes & approbantes, dum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quibus verbis clarissimè dicimus, nos velle, ut Deus nobiscum agat, sicut nos cum inimicis nostris, nósque contentos esse, ut illatam à nobis illi injuriam, reservet nec condonet, si & nos non condonaverimus Proximo. *Si vos non dimiseritis*, ait Christus Matt. 26. & Marc. 11. *nec Pater vester, qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra. Ad tam magnum tonitru*, ait S. Aug. Enchirid. c. 7. *qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est.* Posito, quòd ille ipse inimicus tuus sit (ut facilè fieri potest) è numero Electorum, fruiturus suo tempore visione beatificâ, nónne pœnitebit te suo tempore, talem te odio habuisse, quocum vel in æternâ beatitudine felix vives; vel cœlo carere debebis, si non ignoveris?

Legimus quidem de multis sanctitate vitæ celebribus viris, quòd vindictam expetierint; utì fecit David ps. 33. & Jerem. cap. 11. Item Martyres Apocal. 6. sed culpandi non sunt, ut inimicorum osores. *Justus*, ait S. August. in ps. 38. *& magìs cupit inimicum suum corrigi, quàm puniri, & cum in eum videt à Domino vindicari, non ejus delectatur pœnâ, quia eum non odit, sed Divinâ justitiâ, quia eum diligit: non supplicio illius odia sua pascendo, sed errata emendando, ac per hoc de benevolentiâ est, non de malitiâ quòd lætatur justus, cùm videt vindictam, & manus suas lavat, id est, opera sua mundiora facit in sanguine, id est, in exitio peccatorum: sumens indè non mali alieni gaudium, sed Divinæ admonitionis exemplum.* E contra vir perversus *Contristatur, si ejus inimicus evaserit pœnam, & cùm puniri eum videt, vindicari se ità gaudet, ut non justitiâ Dei, quem diligit, sed illius, quem odit, miseriâ delectetur.*

SECTIO III.

In quibus maximè amorem in Proximum demonstrare oporteat; ubi de Invidiâ.

ADducentur per unam alterámve sectionem ea, in quibus maximè amor fraternus apparere debeat, & sunt Voluntas, Intellectus, Lingua, & Manus. In Voluntate amor hic residet, dum omnem ex ea eliminat in Proximum invidiam: In Intellectu; dum omnes suspiciones & temeraria excludit judicia: In Linguâ; dum prohibet verba mor-

mordacia, detractoria &c. In manibus, dum eas ligat, ne quid detrimenti in opere afferant. Eliminat ergo primò amor Proximi omnem ex voluntate invidiam, ùt amori in Proximum maximè contrariam.

Tristitia de alterius bono non semper est invidia, quod explicatur.

Invidia est vitium, seu tristitia de alterius bono, prout illud est diminutivum propriæ excellentiæ. Circa quod notandum quadrupliciter nos tristari posse de alterius bono: *Primò*, si tristemur de alterius bono, in quantùm ex eo nobis timeamus aliquod malum, non est Invidia. *Evenire plerumque solet*, ait S. Greg. Lib. 22. moral. cap. 1. *ut non amissâ caritate, & inimici nos ruina lætificet, & rursus ejus gloria sinè invidiæ culpâ contristet: Cùm & ruente illo quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo plerosque injustè opprimi formidamus. Secundò*, si tristemur de alterius bono, quod nobis illud desit; ità tamen, ut alteri non invideamus, nec hæc tristitia invidia est; sed vocatur ab Aristotel. 2. Rhetor. cap. 11. æmulatio seu Zelus; quæ æmulatio, si versetur circa spiritualia & cœlestia, bona est; si circa terrena, interdum est venialis; ùt si bonum alteri sit improportionatum & non conveniat. *Tertiò*, si tristemur de bono alterius, in quantùm is eo indignus est; non est invidia sed indignatio: quia tamen omnis fortuna à Divinâ Providentiâ profluit, quæ sapientissimè omnia ordinat, & Divitias, paupertatem, honorem & ignominiam ad sanctos fines distribuit; hinc illa tristitia nobis prohibetur Psalm. 36. *Noli æmulari*, vel, ùt alii legunt, *ne irriteris in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.*

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECT. III.

Quartò, si tristemur de bono alterius, in quantùm nostrum bonum per hoc diminuitur; & hæc tristitia, est Invidia, propriè dicta.

Hoc vitium è diametro repugnat caritati, cui proprium est, bonum alteri velle, & de ejus bono gaudere, sibíque complacere. Econtra hoc vitium non tantùm hominem retrahit à benefaciendo, sed & tædium generat ex bono, quod Proximo evenit. Ejicienda ex cordibus nostris pestis hæc; nec una ratio est, quæ ad hoc hominem sensatum efficaciter inducere potest. Invidia est vitium propriè diabolicum, qui in Cœlo humanæ naturæ invidit unionem hypostaticam, & in Terris Adæ & Evæ primis parentibus æternam beatitudinem; dum eos ex invidiâ in lapsum præcipitavit, ex hoc solo capite, ut æternâ beatitudine privaret, & secum traheret in ruinam. Unde dicitur Sap. 2. *Invidiâ Diaboli mors intravit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui sunt ex parte ejus. Invidia*, ait S. Aug. serm. 18. de Temp. *Abelem occidit, contra Joseph fratres armavit, Danielem in lacum Leonum misit, Caput nostrum cruci affixit.*

Invidia est vitium diabolicum.

Hoc vitium non sævit tantùm in eum, cui invidetur; sed vel maximè in invidentem, cujus animam enecat; nisi vel inconsideratio, vel materiæ parvitas excuset. Replet deinde invidentis animum tædio, & tristitiâ, quæ cor affligunt & ossa exsiccant. Unde S. Greg. Nazianz. orat. 27. de Cathed. Constant. Optimè docet nullum vitium justius vel injustius esse Invidiâ: injustissimum quidem, quia ipsum arrodit bonum, ipsíque displi-

Invidia torquet invidentem.

tem eíque nocet.

ſplicet ; juſtiſſimum, quia pœnâ juſtiſſimâ, & in hac & in alterâ vitâ invidentem plectit. Invidia, vitium abjectiſſimum eſt, quod locum non invenit, niſì apud homines animi abjecti. *Livor iners vitium, mores non exit in altos.* Canit Ovid. 5. de Ponto. Et hoc eſt quod ex illo Jobi cap. 5. 2. *Parvulum occidit invidia* : docet S. Greg. Moral. 31. cum S. Thoma 2. 2. q. 36. ar. 1. invadi ab invidiâ puſillanimes, quibus omnia videntur magna, qui plurimum perdidiſſe ſe autumant, ſi vel minimum bonum alteri eveniat. Et quid quæſo invidus invidendo lucratur ? num ideo vel Proximus infelicior, vel ille felicior ? nequaquam, ſed ſummo theſauro, gratiâ Dei invidus ſpoliatur ; nec minimam ex bonis Proximi delectationem haurit, quod tamen fieret, ſi de bonis alterius gauderet ; habet enim hoc amor ſibi proprium, ut bonorum & felicitatis Proximi noſtri comparticipes nos efficiat.

Exſtirpandum igitur radicitus hoc vitium eſt, quod adeò Caritati eſt inimicum. *Caritas* enim, ùt ait S. Paul. 1. cor. 13. *non æmulatur*: ſed hanc habet, ùt S. Greg. Nazianz. Hom. 5. in Evang. innuit, proprietatem, ut do bono, vel malo alterius ità gaudeamus vel doleamus, quaſi proprio. Ratio hujus eſt, quia Caritas, ùt ait S. Aug. Lib. 3. de Doct. Chriſtian. cap. 10. regnum & dominatum invidiæ deſtruit, & duo, quibus innititur, fundamenta evertit ; quæ ſunt *Meum & Tuum.* ità ut in nihil aliud Caritas tendat, quàm in Deum, & in Proximum propter Deum ; habemus hujus rei optimum in pro-

prio

Ab exemplo dissuadetur invidia.

prio corpore nostro exemplum, quodque valde emphaticè proponit S. Paul. 1. Cor. 12. 25. *Pro invicem*, ait, *solicita sunt membra, & si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Et licèt unum membrum altero nobilius sit, nulla tamen inter illa invidia est. *Digitus exigua quadam res*, dicit S. Aug. in ps. 130. *oculus magnifica; tutior est in corpore digitus sanus, quàm lippiens oculus, non ergo quærat quisque in corpore Christi nisi sanitatem.* Quæ sanitas in sola consistit caritate. Et si felix Proximi status & florens prosperitas nonnihil oculos perstringat, incipiátque se invidiæ tentatio in animum ingerere; caritas arma apprehendat, eam exturbet, & sub ipso jugulet exordio, protestans ex corde: tantùm abest, ut bonum hoc Proximo meo invideam, ut è contrario, maximè de eo gaudeam; vellem ut major esset prosperitas ejus, precórque ei bona quæ mihi ipsi, & Deum rogo, ut hæc ei concedat. *Gaudium meum impletum est; illum oportet crescere, me autem minui.* Joan. 3. 29.

SECTIO IV.
De Judicio temerario.

Judicii temerarii gradus.

POst emundatam ab omni invidiâ Voluntatem, ad Intellectum veniendum, iísque ab omni temerario judicio, & sinistris de Proximo cogitationibus expurgandus. Commune prô dolor! inter homines moderno tempore vitium est, Judicium temerarium;

rarium; cujus tres à Theologis ponuntur gradus. I. Si de Proximi vitâ moribúsque varia contra se pugnantia indicia occurrant, ità ut dubitemus, nec resolvere nos possimus, an in bonam vel malam partem hæc vel illa Proximi actio sumenda. 2. Si incipiamus credere & suspicari subesse aliquid mali; judicium tamen suspendatur, nec plena adhibeatur fides. 3. Si finale feramus judicium, Proximúmque sceleris damnemus. In omnibus his tribus peccatur, in secundo tamen magìs quàm in primo, & in tertio plùs quàm secundo; si nimirum sufficientia non adsint indicia judicium tale formandi. Inter bona, quæ homo possidet, honor & æstimatio est, quæ majori, quàm ipsæ divitiæ, in pretio est: unde quilibet de Proximo tenetur tàm diu habere bonam existimationem, usque dum probetur malus; & quoties sinè fundamento & causâ sinistram de eo concipimus opinionem, injuriâ eum afficimus, quia bono, quod possidet, bonâ scilicet existimatione, eum privamus: in dubiis siquidem optimum semper tenendum, & tamdiu habendus est Proximus bonus, donec de contrario convincatur.

Difficile est sanum ferre judicium de vitâ & moribus Proximi, quod ab exemplis probatur.

Et licèt, habitis sufficientibus indiciis, de alterius laudabili conversatione dubitare, suspicari, imò & finale judicium ferre quis sinè temeritate possit; quia tamen indicia & fundamenta in hac materia ordinariè valdè infirma sunt, meris conjecturis innixa, & non rarò, postquam clarissima visa sint, fallacia inventa; sic melius & securius erit, nunquam sinistri quid de Proximo vel suspicari, vel judi-

judicare; maximè si ex officio non incumbat in alterius vitam moréſque inquirere. Præterea hac ratione millenis animi perplexitatibus, & vanis apprehenſionibus via obſtruetur, econtra ſalubribus cogitationibus aditus in animum parabitur. Difficillimum ſanè, & maximè fallibile eſt, de Proximi moribus certum ſanúmque judicium ferre; dependet hujus vel illius actionis à Proximo poſitæ bonitas vel malitia ab incertâ origine, hoc eſt, ab internâ cordis diſpoſitione. Sic deceptus eſt Heli Sacerdos, falſum de ſterili Annâ labia in templo movente, judicium ferens, dum credidit ex motu labiorum Annam ebriam, quæ tamen totâ mente intenta erat Orationi. Decepti ſunt cognati Jobi, qui videntes innumera in Jobum mala, velut agmine facto irruere, judicabant Jobum his affligi ob ſua ſcelera, cùm tamen vir eſſet rectus & juſtus, cui Dominus tot calamitates immiſerat, non ut crimina plecteret, ſed ut patientiam tanti viri probaret. Joannem Epiſcopum Eleemoſynarium judicabant Alexandrini vitam ducere minùs caſtam, eò quòd, admirante universâ civitate, ſuſpectas de nocte intraret ædes, quo tamen Joannes nihil aliud quæſivit, quàm ut datâ pecuniâ impudicas mullerculas à peccatis abſtraheret. Poſt mortem ſancti Viri in loco, in quo flectens in formam orantis exſpiraverat, hæc verba inventa ſunt in terrâ ſcripta: *Viri Alexandrini, nolite ante tempus aliquid judicare, quoad uſque veniat Dominus.*

Sicut ignis fatuus inani luce ſequentem ſe ſeducit; ſic ſæpiſſimè ad temeraria ferenda judicia

judicia ſeducimur per vanas conjecturas. S. Paulus in Epiſt. ad Roman. cap. 14. monet, ne Proximum judicemus, adducítque tres in hunc finem rationes. *Prima*, quod Judicare ſolius Dei ſit, non hominis. *Tu quis es? ait, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit.* Nihil ad te, an bene an malè operetur, qui nullo jure tuus eſt; qui proprium habet dominum, proprium judicem; cui, non verò tibi tenetur dare vitæ morúmque rationem, à quo vel damnatur vel abſolvitur. *Secunda* ab Apoſtolo aſſignata cauſa notabile complectitur documentum, quod ſœpius in humanâ converſatione revolvendum, éſtque hoc: *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat.* Tu judicas, quòd in hac vel illá re Proximus perperam egerit, alius judicat contrarium; ità judicat quiſque pro ſuo ſenſu. Cibus in ore Phlegmatici alium ſaporem habet, quàm in Sanguinei, ob diverſas prædominantes qualitates. Sic & in rebus adiaphoris evenire ſolet, quas explicamus pro affectu. Libero relinquendus arbitrio eſt Proximus noſter, ſuóque permitti debet, ut ſtet judicio; eſt ex parte crudele, alium in ſuum velle cogere & trahere ſenſum & judicium. *Tertia* à S. Paulo adducta ratio eſt, quòd per judicium temerarium involemus in Dei juriſdictionem, & utamur poteſtate ſoli Deo competente. *Tu quid judicas Fratrem tuum, aut tu quare ſpernis fratrem tuum? omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.* Quare eò temeritatis prolabimur, quærit S. Dorotheus Doct. 6. ut authoritatem judicis uſurpantes, Dei creaturas ad noſtrum citemus judicium, eos judicemus, & con-

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECT. IV.

demnemus. Quare aggredimur, quod ultra posse & vires nostras est? Nec ipsa Dei Ecclesia, quamvis Spiritûs Sancti habeat assistentiam, judicat de internis. Solus Deus est, qui hæc scrutatur & judicat. Et quomodo homo ignorans, inordinatis affectibus & vitiis implicatus potestatem judicandi sibi attribuet, & sententiam feret? Si audiamus blasphemantem, pejerantem, convitiantem, detrahentem &c. judicare quidem sinè temeritate possumus exteriora hæc opera, bona non esse; sed quis scit, quid in corde sentiat ejusmodi blasphemans, pejerans &c. quis affirmare pro certo potest, hæc ipsa opera exteriùs mala, peccaminosa esse. Num cordis intima, quæ unica malitiæ moralis radix sunt, inspexisti & penetrâsti? scísne intentionem, ex qua exterioris operis vel bonitas vel malitia dependet? nunquid esse potest, quòd naturæ vitiatæ impetus, & violentus æstus quadam insaniâ obruerit, & ità cerebrum præter intentionem misello turbârit; ut, quid ageret, nesciverit? Quid ad te alterius vita & conversatio. Esto tandem, quod verè, ùt tu judicas, peccatum commiserit, scísne quoties, & quàm generosè restiterit tentationi, antequam consenserit? quamdiu pugnaverit, donec victus sit? quoties diabolum superaverit, donec tandem repetitâ sæpius pugnâ succubuerit. Et cùm tentationi jam cesserit, scísne quantùm doleat? quantùm coram offenso Deo se humiliet? quantùm fragilitatem & lapsum deploret? Concedamus adhuc suspicioso plura, & credamus primæ statim tentationi Proxi-

Quænam à Judicio temerario retrahere nos possint & debeant.

mum consensisse, nec usque huc de peccato admisso dolorem habuisse: sed quis revelavit, quòd in impœnitentiâ perseveraturus sit? nunquid hodie peccator, cras potest esse justus, sanctus, & in cœlo beatus? *Facile est*, dicit Sapiens, *in oculis Dei honestare pauperem.* Denique si Proximus tuus peccatum committat, quod excusari non potest, noli tamen eum condemnare; sed cogita eundem hunc Peccatorem, multò te in Cœlis altiori loco fortè collocandum: corripuit eum funestus casus, & lapsus est, cras resurgere potest; tu econtra labi multò, quàm ipse graviùs. *Etiamsi perperam actum aliquid deprehendas, nec sic judices Proximum, magìs autem excusa, excusa intentionem si opus non potes; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat; suade nihilominus tibi & dicito: vehemens nimis fuit tentatio, quid de me illa fecisset, si in me accepisset similiter potestatem.* S. Bernard. serm. 40. in Cant.

SECTIO V.

De verbis Caritatem fraternam lædentibus.

Detractio commune vitium est.

MUltùm Caritati adjicere, multùm subtrahere potest, lingua bona vel mala. Verbum sœpe unicum caritatem conservare, verbum item unicum eandem dissolvere potest. Inter alia maximè Caritati officit Detractio; dum alterius defectus revelamus, occulta peccata pandimus, per quod honor & æstimatio Proximi diminuitur. Vitium

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECT. V.

tium hoc, prô dolor! inter homines commune est. *Detractionis vitium*, ait S. Hieron. Epist. ad Celant. *multos lædit; pauci sunt admodum, qui huic vitio renuntiant, tantáque hujus vitii libido mentes hominum invasit, ut etiam, qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen tanquam diaboli laqueum incidant.*

Quot modis fieri possit.

Detractio fit directè, vel indirectè; directe fit quadrupliciter. *Primò*; cùm Proximum hoc vel illud facinus ei affingendo, denigramus. *Secundò*; cùm aggravamus malum quod commisit. *Tertiò* cum facinus occultum revelamus. *Quartò*; cùm in pejorem partem ejusdem actiones interpretamur, asseverantes hoc vel illud malâ intentione à Proximo commissum. Indirectè similiter quadrupliciter. *Primò*; Si negemus, vel contrarium teneamus, quòd Proximus hac vel illâ perfectione præditus sit. *Secundò*; Si concedamus quidem variis virtutibus eum pollere, minuamus tamen, ut infra aliorum existimationem appareant. *Tertiò*; Si Proximum non laudamus eo tempore, quo laudari deberet; cùm silentium & subtractio laudis non rarò esse possint signa honoris diminutiva. *Quartò*. Cùm Proximum quidem laudamus, sed adeò tepidè & coactè, ùt magis eum contemnere, quàm laudare videamur. Hæc omnia contra Caritatem sunt, sed non sola: lædunt siquidem eandem etiam verba aspera, sarcasmi, irrisiones, rixæ: verbo, omnia, quæ Proximum injustè affligunt & contristant. Hæc igitur omnia fugienda ab eo, qui sartam tectam caritatem servare cupit.

Si verè Proximum amamus, nihil unquam loque-

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECT. V.

loquemur, quod obesse eidem poterit; effectus enim caritatis est, Proximo benefacere, illiúsque defectus blandis verbis operire. Nam *Caritas* ut ait S. Petr. 1. 4. *operit multitudinem peccatorum.* Ità studuit operire ingratitudinem & horrendum scelus Judæorum Christus Dominus, Patrem cœlestem in cruce alloquens his verbis: *Pater ignosce illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Abominabile & horrendum scelus erat, Deum crucifigere; sed Christus attenuat, imminuit, vúltque, ut ignorantiæ imputetur. Odium Sacerdotum, invidia Pharisæorum & scribarum, ingratitudo Populi, injustitia Pilati, malitia falsorum testium, crudelitas militum, adeò manifesta erant, ut cœlari à Christo, ùt libenter voluisset, non possent; invenire itaque nil aliud poterat ad eorum excusationem, quàm ut ignorantiam prætenderet: licèt enim Judæi scire possent Christum, esse virum justum; ignotum tamen erat, hunc esse Justum Justorum, & Deum: cœteroquin, ùt ait S. Paul. Dominum gloriæ non crucifixissent.

Exemplo Christi aliorum defectus tegendi & excusandi sunt.

Quod attinet ad verba aspera, mordacia, irrisoria, sarcastica, aculeata, longè absunt hæc à Caritate, quæ non nisi utitur verbis suavibus, blandis, amicis, nil nisi reverentiam & obsequia spirantibus; respicit enim in Proximo id, quod in ipso simile & conforme Deo est; ex quo capite omnis homo, cujuscunque tandem conditionis sit, magni æstimandus est. Sic Christus homines plebejos pro salute corporis obtinendâ instantes, vocabat suos filios: præcipuè hunc dabat titulum suis Discipulis, quos & Fratres suos

A Mordacibus verbis abstinendum.

 post

post ipsam etiam à mortuis gloriosam resurrectionem appellare dignatus est. Et cum in Bethaniam pergeret Lazarum resuscitaturus, dicebat Discipulis suis, *Lazarus Amicus noster dormit*; non contentus vocando eum puro nomine, addidit: *Amicus noster.*

Item à Dissensionibus.

Præter verba mordacia, &c. omnino etiam dissensiones & rixas caritas abominatur. Mater pacis est Caritas, unde omnis eidem contentio inimica est & contraria; studet semper concordiæ, fugit omne id, quod animorum divisionem ullo modo causare potest. *Nolite contendere verbis* ait S. Paul. 2. ad Tim. 2. *ad nihil enim est utile, nisi ad subversionem audientium, servum Domini non oportet litigare,* sed mansuetum *esse ad omnes, docibilem, patientem.* Idem loquitur ad Titum c. 3. *Admone illos neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* S. Thom. lect. 4. in 1. ad Tim. hac de re optime discurrit: Qui ad vestigandam rei alicujus veritatem cum alio disputando congreditur, discretâ moderatione utatur, & insinuantes se iræ motus refrenet necesse est, à quibus nimiùm laxatis intellectus obscuratur, adeóque veritas enucleari non potest, cùm judicium per inordinatos motus turbatum sit. Debet præterea se libenter permittere instrui, nec videri sibi solus sapere. Humilitas etiam necessaria est, quæ sciat alteri campum cedere. *Honor est homini*, ait Sap. Prov. 20. *qui separat se à contentionibus, omnes autem stulti miscentur contumeliis*, vel, ùt 70. habent, *Omnis autem stultus talibus implicatur.*

SECTIO VI.

De operibus Caritatis.

HOmo, cujus animam Caritas possidet, ab omnibus abstinet, quæ Proximum vel cogitatione, vel verbo, vel opere, vel moribus, vel quocunque alio modo offendere possunt. Cor habet tenerum, benignum, & promptum ad succurrendum auxilio vel consilio, ubi ubi potest: *Justi*, ait Sap. Prov. 13. *misericordes sunt & miserantur.* Dicunt cum S. Job. Cap. 31. *Ab infantiâ meâ mecum crevit miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum.* Et hoc est, quod à suis exigit Corinthiis S. Paul. Cap. 3. *Induite vos sicut Electi Dei, Sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, modestiam, patientiam.* Super quæ verba advertit S. Chrysost. Paulum non dicere: exhibete aliis misericordiam; sed; *induite*, innuens, quod sicut vestis totum corpus tegit, & omni loco eam circumferimus; sic & deeamus toti quanti à capite ad calcem misericordiâ esse induti, nec in ullo loco sinè operibus misericordiæ consistere; quia autem fieri idipsum nō potest, si passiones & inordinatos animi motus non frenemus, si nos non humiliemus, multáque tædia & molestias devoremus; hinc subdit idē Apostolus, ut induamus, *benignitatem, modestiam, patientiam.* Et hi tales, misericordes vocantur à S. Paulo Rom. 9. *Vasa misericordiæ*, hoc est, in quæ Deus misericordiam suam effudit eum in finem, ut & ipsi præclarum hoc balsamum pleno alveo in alios effundant. *Isti sunt filii olei*, ait de similibus Za-

Qui Deum Amant, misericordes in alios sunt.

Misericordes quomodo in S. Scriptura vocentur.

Zachar. Cap. 14. hoc est impleti sunt balsamo amoris & oleo misericordiæ, quod in eos infudit Spiritus S. quódque per oculos, aures, manus, os, omnésque corporis & animæ potentias in Proximum denuo derivant.

Derivant hoc oleum per suas preces, jejunia, mortificationes aliáque pia opera in omnes homines, imò omnes creaturas, petendo à Deo, ut iis, quæ sunt ad eorum salutem & incolumitatem. Derivant hoc oleum in Peccatores, Deum deprecando, ut eos, ex misero, in quo versantur statu, eripiat; in omnes Justos, ut magìs & magìs in virtutibus crescant; in Superiores tàm Ecclesiasticos quàm sæculares; in Concionatores & Confessarios, ut Deus iis assistat ope & gratiâ suâ, ut officio satisfaciant; in Afflictos & Tentatos, in Infirmos, in Agonizantes, in Benefactores, in Inimicos, in Hæreticos, in Infideles, gratiam pro omnibus implorando, ut eos roboret, soletur, assistat, remuneret, ignoscat, convertat, illuminet.

Modus quo aliis benefaciunt.

Sequamur in hoc vestigia Redemptoris nostri. *Cujus natura*, ùt ait Leo Serm. 2. de Nativ. Dom. *Bonitas, cujus opus misericordia est. Cujus miserationes sunt super omnia opera ejus.* Ps. 144. Cujus proprium Insigne, *Misericordia* est. Misericordia est, quæ ùt ait S. Greg. Nyss. Cap. 15. Orat. Catech. denotat. in homine latere aliquid Divinum; éstque genuina Dei imago, Homo misericors. Vis calamitoso, quærit idem Nyssenus, esse Deus? succurre eidem in miseriis. Et si in exercitio Caritatis quædam suboriatur difficultas & tædia, generosè superandæ sunt; nec iis de-

deterreri debemus à tam sancto opere; & licèt alium indè fructum non reportaremus, is sufficiens est, quòd Deo per hoc efficiamur similes. Si quis impedire te conatur à benefaciendo, dicens: Hic vel ille beneficiis tuis indignus est, non est talis, qualem existimas &c. hic talis audiendus non est, sed forti animo pergendum; meliùs est, hoc in puncto decipi, quàm immisericordem probari. *Caritas non se multùm dolet errare, cùm bene credit etiam de malo.* ait S. Aug. in Ps. 147. Laudabile est, hoc modo decipi & errare. Sic S. Laurent. Justini. ùt in ejus vita legitur apud Surium 8. Januar. maluit decipi, quàm scrupulosè investigare, an hic vel ille pauper eleemosynâ dignus sit. Sic & B. Tordanus, secundus Dominicanorum Generalis, postquam pauperi tunicam dedisset, & non nemo eidem dixisset, Pauperem istum eleemosynâ hac minùs dignum, & malè eleemosynam impensurum; respondit: *Malo me amisisse tunicam quàm pietatem.* Si Deus nemini beneficium impertiret, quàm digno; nemini gratias daret; nisi quem sciret, iis bene usurum, Deus bone! quid de nobis fieret? possemusne vel minimum gratiæ exspectare? omni die, horâ, & momento, innumera tàm corpori quàm animæ beneficia Deus confert infidelibus, Judæis, Hæreticis; cum tamen sciat, his ipsis beneficiis, ùt armis ad se irritandum, impios hos usuros.

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECT. VI.

Indifferenter omnibus bene faciendum est.

LIB. III. PARS I. CAP. X. SEC. VII.

SECTIO VII.

Effectus Caritatis est unitas & concordia.

Unitas parit tranquillitatem, divisio confusionem

Quemadmodum Deus unus est, & per hanc unitatem æternus & immutabilis est; sic & unaquæque res, quò magis ad unitatem accedit, eò Divinitati conformior & in suo esse immutabilior est; sicut econtra per divisionem res mutatur & perit. Ideo, ùt ait Greg. Nazianz. divisio omnium confusionum, quæ in hoc mundo sublunari eveniunt, causa est. Divisio causat tonitru, gelu, grandines, tempestates, motus terræ, exundationes aquarum, bella in Provinciis, seditiones in Urbibus, discordias in Familiis, morbos in corpore, & peccata in animâ. Econtra unitas & consonantia aerem conservat in quiete, terram in firmâ stabilitate; mare intrà terminos; regna, civitates, familias in pace; sanitatem in corpore, &Dei gratiam in anima. Unde meritò exclamat Propheta David Ps. 132. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare Fratres in unum.* In unum habitamus, ait in hunc locum S. Aug. quando unum cor, unam animam, & voluntatem habemus.

Primi Christiani per caritatem erant uniti.

Unitas seu concordia est unus ex præcipuis effectibusCaritatis; unde quiCaritatem exercere cupit, totus esse debet in servanda, vel procuranda unitate. Tales erant primi Christiani, de quibus ait S. Luc. Actor. 4. *Erat Credentium cor unum & anima una.* Erant quidem diversi origine, complexione, statu, officio; sed in caritate ità coadunati, ut unus vide-

videretur. Implevit in iis Deus quod promisit per Prophetam Jerem. Cap. 3. *Dabo eis cor unum.* Item quod per Isaiam Cap. 11. *Habitabit Lupus cum agno, & pardus cum hoedo accubabit, vitulus & leo & ovis simul morabuntur, non nocebunt & non occident in universo monte sancto meo.* In signum futuræ hujus unitatis, emissa ex Arca columba cum olivâ pacis rediit, quod futuræ inter Christianos unitatis figura fuit, ùt explicat S. Aug. in Ps. 127. *Non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus neque fœmina; omnes enim vos unum estis in Christo JESU.* Paul. ad Galat. 3. Ità Christianos in omnibus actionibus suis, & operibus rationi non contrariis convenire & unanimes esse oportet. Sicut lapides in ædificio coadunati & compacti sunt; ità & Christianos vinculo Caritatis compingi decet. *Instructi Caritate,* ait idem Apost. ad Coloss. 2. vel, ùt alia versio habet, *compacti.* Per amorem & animorum unionem ità ad amussin & regulam coadunati & compacti debent esse Christiani, ùt lapides celeberrimi templi in Cizico, de quo Plin. 36. c. 15. quod in eo lapides exactissimè politi, aureo filo coadunati fuerint. Eâdem similitudine lapidum utitur S. August. serm. 236. de Temp. *Credendo,* ait, *quasi de sylvis & montibus ligna & lapides præcinduntur; cum vero catechizantur, baptizantur, formantur, tanquam inter manus fabrorum & opificum dotantur, collimantur, complanantur; veram tamen domum Dei non faciunt, nisi quando caritate compaginantur;* Pergit S. August. illos ipsos lapides Ecclesiæ, in qua concionabatur, in testimonium adducens:

Quomodo oporteat Christianos unum esse.

ducens: *Ligna ista & lapides, si non certo ordine cohærent, si non se pacificè innecterent, si non se, invicem cohærendo sibi, quodammodo amarent; nemo hac intraret. Denique quando vides in aliquâ fabricâ lapides & ligna bene sibi cohærere, securus intras, ruinam non times.* His positis sanctus Doctor ità concludit: *Volens ergo Dominus Christus intrare & in nobis habitare, tanquam ædificando dicebat: Mandatum novum do vobis, ut & vos diligatis invicem: mandatum inquit novum, do vobis; veteres enim eratis, domum mihi nondum faciebatis, in vestrâ ruinâ jacebatis; ergo ut eruamini à vestræ ruinæ vetustate, vos invicem amate.*

Adhuc majorem Christus requirit, quàm inter conjunctos lapides est, à Fidelibus suis animorum unionem; & talem quidem, quæ similis sit illi, quâ inter se unum sunt, tres in sanctissima Trinitate Personæ. *Pater sancte* ait *serva eos in nomine tuo. Rogo ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me & ego in te: Ut & ipsi in nobis unum sint. Ut sint unum sicut & nos unum sumus. Ut sunt consummati in unum, & cognoscat mundus, quia tu me misisti.* Hæc sparsim apud S. Joann. cap. 17. 11. 21. 22. 23. Nihil ergo gratiùs nobis sit, quàm unitas. *Ante omnia*, ait S. Petrus 1. Ep. 4. *mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes. Si qua consolatio in Christo*, scribit S. Paulus suis Philippensibus cap. 1. *si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes idipsum sapientes, nihil per contentionem.* Vult S. Paulus suis Philippensibus dicere: si mihi obsequium pro

multis vobis impensis laboribus præstare velitis, vos invicem amate. In eundem fere modum hortatur idem Apost. suos Ephesios c. 4. *Soliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ, unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. O Fili Regni*, exclamat S. Aug. in ps. 147. *O Cives Hierusalem, quoniam in Hierusalem visio pacis est, & omnes qui habent & amant pacem, benedicuntur in eâ, ipsam sectamini, ipsam desiderate, ipsam in domo, ipsam in negotio, ipsam in uxoribus, ipsam in filiis, ipsam in servis, ipsam in amicis, ipsam in inimicis diligite.*

SECTIO VIII.

Alius fraternæ Caritatis effectus est, Proximi defectus patienter sufferre.

Nemo hominum fuit vel erit plenè in mundo perfectus.

PAtiens sit oportet, qui Caritati satisfacere cupit: *Caritas* enim, ùt ait Apostolus 1. cor. 13. *patiens est.* Ad clariorem hujus rei intelligentiam sciendum est, nullum in orbe terrarum hominem adeò ex omni parte perfectum inveniri, ut nulla omnino in eo imperfectio inveniatur. Soli hæc perfectio Cœlo reservatur, in quo omnia ad summum perfectionis gradum elevata sunt. Sacra Scriptura & SS. Patres, multos quidem adducunt præstantes & perfectos viros; sed loquuntur de perfectione, qualis in terris possideri; qualémque capere potest mortalis infirmitas, quæ nunquam est sinè omni imperfectione. Docent Philosophi rem posse esse dupliciter perfectam, mathematicè & physicè;

mathe-

LIB. III. PARS I. CAP. X. SEC. VIII.

mathematicè res perfecta est, si ne minimum quidem defectum habeat; physicè, si notabili quidem defectu careat, non tamen omni. Sic Terra physicè tantum rotunda est, non mathematicè; dantur enim varii in hoc globo terrestri montes, variæque exstantiæ, quæ quidem rotunditati nonnihil officiunt, non tamen figuram sphæricam ità impediunt, quo minùs rotunda dici possit; montes enim præcelsi, & profundæ valles, respectu tantæ machinæ, qualis totus Mundus est, pro re minimâ habentur. Cœlum verò mathematicè, & juxta Matheseos regulas perfectè rotundum est: sicut ergo Cœli rotundi sunt perfectè, talísq; figuræ, per quam omnigena perfectio denotatur, Terra verò etiam in suo genere rotunda, non tamen ità, ut Cœlum, perfectè. Ità etiam æterna beatitudo in Cœlis sola est, quæ omni caret imperfectione: hîc in Terris sinè imperfectione non vivitur; hîc sunt rosæ mixtæ spinis, dies nocti, luci tenebræ: & quis est hic, quantumcunque sit pius & sanctus, qui se agnoscere non debeat peccatorem? *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est* Joan. 1. c. 1.

Patienter ferendi aliorum defectus, quibus Deus hominem semper

Ex his facilè deducitur conclusio, quòd in cohabitatione cum Proximo semper aliquid patiendum, & ex defectibus ipsius jam hic jam ille sufferendus sit. Cui hæc mundi & mundanorum imperfectio displicet, judicans hominem aliter creari debuisse; hic Divinam culpat Providentiam, ejúsque dispositioni ausu temerario se opponit. Nos debemus

subjacere voluit.

bemus nos huic Providentiæ accommodare, non illa nobis. *Optimum est*, ait Seneca Epis. 108. *Deum, quo authore omnia reguntur, sinè murmuratione comitari.* Idem Epis. 75. *Placeat homini, quidquid Deo placet.* Nisì enormiter errare velimus, captivare debemus intellectum nostrum, eáque omnia grata & rata habere, quæ Deus disponit & ordinat; quod in ordine ad Proximum meliùs fieri non potest, quàm mediante caritate; hæc enim est, quæ cor hominis disponit ad Proximi defectus patienter & mansuetè tolerandos. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, monet suos Galatas S.Paul. cap.6. Quæ autem hæc lex est? non alia quàm caritatis. *Qui portant invicem onera sua?* quærit S. Aug. in ps. 12. respondet: *Qui habent caritatem: qui non habent caritatem, graves sunt sibi; qui autem habent, portant se.*

Portandus igitur Proximus in suis imperfectionibus corporis vel animæ, in moribus duris & asperis. Dum mater prolem parit deformem, non illico abjicit; sed ornat, comit, polit modo optimo quo potest, ut denegatam à naturâ formam adscititio decore nonnihil resarciat: sic nec Proximus à conversatione excludendus, esto subjaceat quibusdam imperfectionibus; sed debemus bono exemplo, exhortatione opportunâ, suavibúsque verbis ejus emendationem procurare; illius gestus, mores, actiones minùs ordinatas, nobísque contrarias sinè tædio ferre; si suo importuno loquendi modo, & continuis contradictionibus molestus sit, ne propterea perdamus caritatis thesaurum,

nec

nec ad impatientiam & tædia moveamur; multò minùs cum indignatione importunum repellamus; sed pacifico animo hilarique fronte patienter audiendus est, humaniter eidem respondendum, & petitioni, si fieri potest, deferendum: Iræ motus, quibus concitatur, in meliorem partem sumendi, & ùt naturæ illius vitia & defectus tolerandi. Quid non facit in corpore nostro unum membrum pro alio? quomodo unum non supportat aliud? sic & nos, qui membra unius corporis sumus, supportare nos invicem debemus. *Cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientiâ supportantes invicem cum caritate.* Ad Ephes. 4. Quantâ patientiâ ipse Deus tolerat gravissimos peccatores! & cur nos terræ vermiculi non toleraremus eos, qui nobis similes sunt, quos ipsa tolerat infinita Majestas? respectu cujus nos vix atomus sumus. Quantâ patientiâ non toleravit peccatores, cum inter homines conversaretur, Redemptor noster! Hanc patientiam S. Cyprianus Lib. de bono Patientiæ in hunc modum describit: *In Judæis tolerandis æquanimitas quanta, quanta patientia! incredulos ad fidem suadendo flectere, obsequio ingratos fovere, contradicentibus respondere leniter, superbos sustinere clementer, humiliter persequentibus cedere, Prophetarum interfectores, & adversus Deum semper rebelles, usque ad Crucis & passionis horam velle colligere. Judam potuit usque ad extremum longâ patientiâ sustinere, cibum cum inimico sumere, hostem domesticum scire, nec palam ostendere, traditionis osculum non negare.*

Exemplo Christi.

SECT.

SECTIO IX.

Alius effectus caritatis est Zelus animarum.

Zelus animarum, quàm excellens opus.

EXcellentissimum sanè opus, & præcipuus fraternæ caritatis effectus est, in aliorum salutem procurandam magno & indefesso studio incumbere; excellens, in quam, opus; quia finis ejus est, vel æterna inferni supplicia à suo Proximo avertere, vel summam in Cœlis gloriam eidem comparare. Proximum verè diligere, est, ei bonum velle; &, si fieri potest, hoc votum opere ipso explere; ex quo sequitur, amore intensiori nos Proximum diligere non posse, quàm si in eo toti simus, ut eum vel inferno subtrahamus, vel in cœlo collocemus; summum siquidem malorum infernus; summum bonorum cœlestis Paradisus. In præsenti sectione aliquæ afferentur rationes, quibus excitari possumus ad opus hoc ter sanctum magno animo aggrediendum, quarum

Ad Zelum animarum movere debet ipsa operis excellentia.

Prima est, ipsa operis excellentia. *Nullum* ait Dionys. Areopag. cap. 3. Cœlest. Hierarch. *omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est Zelus animarum.* Rationem hujus dat D. Thom. Lib. 4. contra gentes cap. 55. quia nihil sublimius & excellentius inveniri in mundo potest, quàm Zelus Animarum; Anima enim inter res creatas primum locum sibi vendicat: Anima decus & ornamentum est totius naturæ, opus excellentissimum omnipotentis Dei, vivàque ejus imago; quam ex æternis incendiis eripimus, in excellentiâ conservamus, ex abysso omnium

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECT. IX.

calamitatum extrahimus, ut omnium bonorum particeps fiat, iísque fruatur.

Secundò operis utilitas.

Secunda ratio est, quia Zelus animarum opus utilissimum & maximè meritorium est. Si opera misericordiæ corporalia v. g. largitio eleemosynæ, tanti apud Deum meriti sit, ut de eâ Raphael ad Tobiam dicat, Tob. 12. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, facit invenire misericordiam, & vitam æternam.* Si, inquam, Eleemosyna corporalis, tanto in pretio apud Deum, in quanto erit eleemosyna spiritualis? *Si magnæ mercedis est*, ait in prætactum locum Tobiæ S. Gregor. *à morte eripere carnem, quandoque morituram, quanti meriti erit à morte animam liberare, in cœlesti patriâ sinè fine victuram?*

Tertiò Amor in Christum.

Tertia ratio, quæ præ omnibus aliis ob suam excellentiam movere nos debet ad Zelum animarum, est amor in Christum Redemptorem nostrum, cujus præcipuus effectus est Proximi salutem procurare. Cùm Christus Dominus Petrum & in eo omnes animarum Zelatores Joannis 5. instrueret, quærit ab eo: *Simon Joannis diligis me plùs his?* Respondebat Petrus: *Etiam Domine, tu scis quia amo te.* Ad quod Christus: *Pasce oves meas*: q. d. Infallibile tui in me amoris argumentum erit, si pascas oves meas. Qui Christum amat, amat & animas, earúmque salutem quærit; recogitat enim, quanti Christo steterint, quanto eas labore quæsiverit, quanto pretio redemerit; perpendit, quòd hæc ipsa anima, si inferno subtrahatur, Christo in æternum laudes & gratias sit decantatura; si in infernum trudatur, in æternum

sit

sit blasphematura; ut ergo primum fiat, & secundum evitetur, verus Christi amator nihil minùs facere potest, quàm ut toto in id studio incumbat, ut hæc in æternum gloria Christo asseratur, & æternæ maledictiones evitentur. Nec huic sancto exercitio verus amor suas præponit devotiunculas, consolationes, contemplationes, internámque animi quietem; sed si necessitas exigit, his omnibus relictis ad Proximo succurrendum citissimè se accingit; sciens quòd ipsi faciat Christo, quod facit Proximo; Christus enim est, qui in Proximo patitur. Et certè præposterum omnino foret, privatis cum interiori animi quiete intendere, & Proximo jam jam perituro manum subtrahere, essétque talis similis illi, qui videns amicum suum in cloacam vel foveam prolapsum, coram eo se sisteret, miserum ejus statum dolens & ingemiscens aspiceret, bonis verbis pasceret, auxilium promitteret, &c. Nunquid congrueret magis, ut opere ipso patientem juvaret, omniáque possibilia adhiberet remedia ad eum è lacu eripiendum? Sic & amori in Christum nequaquam satisfit, si eum in Proximo patientem, infirmum, de salute periclitantem aspiciamus, eíque compatiamur, vitámque nostram, relicto Proximo, in contemplatione aliísque internis suavitatibus consumamus. Omnia tempus habet, unum oportet facere, aliud non omittere; destinata est his exercitiis tota æternitas, abunde in illa tempus iis vacandi dabitur; hujus verò temporis, potissima saltem pars, danda est Proximi saluti.

Bonum proprium posthabendum proximi saluti.

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECT. X.

SECTIO X.

Adducuntur media ad salutem Proximi promovendam conducentia.

Quibus potissimum mediis, proximi salus promovenda.

PRæcipua Proximum juvandi ejúsque salutem promovendi media sunt; Verbum Dei prædicare, Confessiones excipere, ignorantes instruere, Sacramenta administrare, Missas celebrare, aliáque id genus opera, quæ immediatè & ex suâ naturâ hominem ad Deum perducunt, gratiámque impertiunt. *Secundò*, bona exempla, oratio, eleemosyna, mortificatio, aliaque pia opera, quæ quis in ordine ad salutem Proximi procurandam, facit. *Tertiò*, per preces & media tam spiritualia, quàm corporalia iis assistere, qui aliorum saluti incumbunt: tales participes fiunt eorum meritorum, quæ illi acquirunt, qui Proximi salutem quærunt; dicit enim Christus Matt. 10. *Qui recipit Prophetam in nomine meo, mercedem Prophetæ accipit.* Cujus rationem dat S. Gregor. hom. 20. in Evang. *Qui alimentum Prophetæ propter hoc, quod Propheta est, tribuit, Prophetæ illius vires ad loquendum dedit.* Comparátque idem Gregor. eos, qui verbi Dei Prædicatoribus hoc modo cooperantur, ulmo, cujus mentionem facit Deus apud Isaiam cap. 41. *Ponam in deserto abietem, ulmum, & buxum simul.* Ulmus fructus ex se non producit, frugiferam tamen vitem sustentans, ejúsque botros unà cum vite portans, fructuum vitis participem se facit. *Sæculares viri*, inquit S. Greg. loc. cit. *intrà sanctam Ecclesiam, quamvis spiritualium virtutum dona non habeant; dum tamen sanctos*

Viros

Viros donis ſpiritualibus plenos ſuâ largitate ſuſtentant, quid aliud quàm vitem cum botris portant?

Nemini ergo media deeſſe poſſunt juvando Proximo opportuna. *Nemo* ait idem Greg. Hom. 16. in Evang. *dicat: Admonere non ſufficio, adhortari idoneus non ſum; quantùm potes exhibe, vobiſcum alios trahite, in via Domini ſocios habere deſiderate; ſi ad Deum tenditis, curate ne ad eum ſoli veniatis; ſicut etiam ſcriptum eſt: Apoc. 12. Qui audit, dicat: veni.* Ità fecit Propheta David Pſ. 33. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum. Sapientia,* ait in hunc loc. S. Auguſt. *habet amatores ſuos, ſed quid dicit Amatus ejus? Magnificate Dominum mecum; nolo ſolus magnificare Dominum, nolo ſolus amare, nolo ſolus amplecti. Excitate ergo in vobis amorem, fratres, & clamate unicuique veſtrorum & dicite: Magnificate Dominum mecum: ſi amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei, qui vobis junguntur, & omnes qui ſunt in domo veſtra.*

Nullus eſt, qui non poſſit ſuo modo, ſalutem proximi promovere.

Sponſa in Canticis Canticorum vocatur ſœpe Columba; cujus ratio ex præcipuis una eſt, quam notavit S. Baſil. Ep. 175. ſcribens, olim in more fuiſſe, alas columbarum certis unguentis inungere & ſic dimittere, ut hoc odore alias columbas ad ſe attraherent, ſecumque ad columbarium reduces, adducerent. Talis Columba ſit oportet verè amans Anima; Verbis, operibus, exemplis, fugitivas columbas, fugientes à Chriſto animas ſuavi virtutum odore reducat. Plùs certè hoc in puncto poſſumus, quàm apprehendimus; nemo eſt, cujuſcunque tandem ſtatûs & originis ſit, qui non poſſit multùm opera-

ri boni, si se à Deo duci, & datæ gratiæ fideliter cooperari cupit. Sic Monica convertit virum suum Patricium; Natalia maritum Adrianum; Cœcilia Valerianum: Imò non paucæ fuerunt fœminæ, quibus suam de Deo agnitionem & fidem, debent integra Regna, integræ Nationes. Jugunda ad Dei agnitionem & fidem duxit Gothos in Hispania; Theodolinda Longobardos in Italia; Christina paupercula famula integram trans mare nigrum, habitantem nationem; suam conversionem Anglia debet progenitæ ex Gallorum sanguine Reginæ Berthæ; Gallia Clotildi Regis Clodovæi uxori. Sic quilibet pro suo modulo in Proximi salutem incumbere potest. Quia verò Deus quosdam ad hoc munus specialiter vocat, in sequentibus videbimus, quibus illi potissimùm instructi esse debeant virtutibus. De quo sit

SECTIO XI.

Quales debeat habere virtutes, qui ex officio, saluti animarum intendere debet; ubi primò de Amore erga peccatores, eorúmque salutem.

Sicut ad debitam humani corporis proportionem constituendam, membra requiruntur officio & forma diversa; sic ad formandum ex omni parte perfectum animarum Pastorem diversæ eique propriæ requiruntur virtutes; & quemadmodùm in humano corpore, non omnia membra paris excellentiæ & necessitatis sunt; sic & virtutes,

tes, quas in viro Apostolico elucere convenit, non ejusdem sunt utilitatis vel necessitatis; aliæ sunt necessariæ ad meliùs, aliæ ad simpliciter esse.

Prima Apostolici viri virtus debet esse, amor erga peccatores.

Prima & præcipua virtus est, singularis in Peccatores amor, & fervens illorum salutis procurandæ zelus. Sicut amor omnium aliarum affectionum primum movens est, omnésque potentias excitat, ut in actum exeant; sic & in Viro Apostolico amor erga peccatores prima & præcipua causa est, omnium illorum operum, quæ ad salutem Proximi molitur & exequitur. Opus ergo ante omnia est, ut illum amoris ignem in pectore suo suscitet, quo Christus in summo gradu exarsit; qui tantus fuit, ut de eo S. Aug. dicat Tract. 49. in Joan. *Si peccatores non amaret, de cœlo ad terram non descenderet.*

Nunquid amare est, ob salutem peccatoris naturam assumere humanam? ipsos triginta tres annos consumere in laboribus continuis, & demum ignominiosissimam pro illo subire mortem?

Amor Christi in Peccatores quantus.

Hunc suum in peccatores amorem luculenter ostendit illis apud S. Matthæum verbis; ex commiseratione & intimo doloris sensu pronuntiatis. *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos sub alas & noluisti?* Matth. 23. Hæc civitatis Hierosolymitanæ repetitio significat, ùt advertit S. Chrysost. Hom. 75. in Matth. maximâ commiseratione & amore suavissimum Christi Cor tactum fuisse, quod significantius expressit

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECT. XI.

Describitur à simili.

pressit per affectuosam illam de gallinâ similitudinem, cujus in pullos amor insolitus & stupendus. Quid enim non molitur? quæ non aggreditur ex amore in pullos gallina? cura & continua solicitudine exhauritur & debilitatur; non solùm sub alas abscondit, sed magnâ eos, ut ità dicam, teneritudine pectori apprimit, quasi de novo illos eidem inclusura; eos calefacit & per hunc calorem vires dat & vitæ vigorem; curam gerit indefessam pabuli; & ut ad hoc eos commodiùs invitet, vocem naturalem mutat in tristem & gemebundam glocitationem; unguibus terram sulcat, jam hîc, jam ibi inventa rostro probat, an aptum pro pullis sint nutrimentum; si quid invenerit, lætabunda & canenti similis eos convocat, & adinventas miculas, quas sibi ipsi subtrahit, sumendas invitat; contra omnes incursus ità defendit, ut, licèt sit naturæ infirmioris, generosè tamen accipitri cæterísque prædatricibus unguibus sese opponat; & quod mirandum magìs, ipsos adeò strictos non metuat acinaces audacter se armato viro objiciens, eligátque potius in frusta secari, quàm permittere, ut aliquid eveniat caris suis pullis. Hæc est elegans quidem, imperfecta tamen amoris Christi, quo in hominem exarsit, figura: percurre hîc vitam, actiones, molestias, sudores & labores Christi, nec aliud invenire, vel cogitare poteris, quàm infinitam esse illius in nos homines caritatem. Hanc imitare, & cogita vel unius animæ jacturam tantam esse, ut majoris facienda sit, quàm quatuor elementorum, totiúsque mundi destructio & subversio;

verſio ; ſi omnia viventia corpora mortem paterentur pro unicâ , optimè hæ mortes locatæ eſſent.

LIB. III. PARS I. CAP. X. SEC. XI.

Adducuntur amoris in Proximum proprietates.

Habeat perfectus viri Apoſtolici in Proximum amor trinam illam dimenſionem , quam amori Divino appropriat S. Paul. ad Epheſ. 3. qui per *Latitudinem* omnes homines cujuſcunque tandem conditionis & nationis ſint, includat: per *Longitudinem* ſit continuus nec ad menſem vel annum tantùm durabilis, ſed ad mortem uſque : per *Altitudinem* dirigatur ad finem ultimum , Dei ſcilicet gloriam & Proximi ſalutem: per *Profunditatem* ſe ad inferioris fortunæ homines inclinet, humilia & vilia non dedignetur, pauperes in Xenodochiis , captivos in carceribus viſitet, deſolatos pauperculos ſoletur , rudem plebeculam ſalutari doctrinâ inſtruat.

In converſatione cum proximo, nulla ſit perſonarum diſtinctio.

Hoc ut cum fructu & gaudio fiat , ante omnia obſervandum & ſtudiosè curandum eſt, ut vir Apoſtolicus ea in homine intueatur, quæ intus ſunt, & animam concernunt ; non quæ corpus , nec ea quæ corpori circumſtant , cæteroquin impenſus labor ex maximâ parte irritus erit & ſinè fructu, multi defectus irrepent , & periculo gravioris lapſûs animam ipſe ſuam exponet ; exponet, inquam, ſi indiſcretam & imprudentem perſonarum faciat diſtinctionem ; unius ſollicitam, cum magnâ mentis inquietudine, alterius, vel exiguam vel nullam curam gerat ; ſi divitibus affabilē ſe præbeat, pauperes econtra vix obliquo oculo reſpiciat, ſi cum iis, qui Familiâ, conditione, ſanguine, & officio præ-

 cellunt,

cellunt, libenter converſetur & multùm agat; inferioris vero conditionis homines (cùm tamen hos ipſos curæ ſuæ ſpecialiùs commendatos habere oporteret) vel negligat, vel cum nauſeâ brevibus verbis expediat. Certè punctum hoc ſummè notandum eſt, & omnes periculoſæ familiaritates & privatæ amicitiæ ſtudioſiſſimè vitandæ; quas heu dolor! multi nimiùm amârunt,& miſerrimè periêrunt. Medicis, Pharmacopolis, Chirurgis incumbit ex officio cura circa corpus & morbos; Animarum verò Curatores non corpus, ſed per corpus interiora animæ contemplari debent, multò quàm Medici accuratiùs & ſtudioſiùs; à ſalute enim animæ omnia dependent, & Anima eſt, quæ hominem elevat ſuper omnes viſibiles creaturas. *Nemo iſtorum*, ait Seneca, *quos divitiæ honoréſque in alto faſtigio ponunt, magnus eſt: quare ergo magnus videtur? cum baſi illum ſuâ metiris: parvus pumilo licèt in monte conſtiterit, coloſſus magnitudinem ſuam ſervabit, etiamſi ſteterit in puteo. Hoc laboramus errore; ſic nobis imponitur; quòd neminem æſtimamus eo quod eſt, ſed adjicimus illi,& ea quibus ornatus eſt.* Chriſtus invitatus ad Filium Reguli,ut eum accederet & ſanaret, ire eò recuſavit, ſanavit tamen illum longiùs à Filio poſitus: econtra ſervum centurionis in perſonâ acceſſit & curavit. Per quod, ùt notat S. Greg. Hom. 18. ſuper Evang. *Superbia noſtra retunditur, qui in hominibus non naturam, quâ ad imaginem Dei facti ſunt, ſed honores & divitias veneramus, Redemptor verò noſter, ut oſtenderet, quia, quæ alta ſunt hominum deſpicienda ſunt, & quæ deſpe-*

cta

cta sunt hominum, despicienda non sunt; ad Filium Reguli ire noluit, ad servum Centurionis ire paratus est. Increpata est superbia nostra, quæ nescit pensare homines propter homines, sola quæ circumstant hominibus pensat; naturam non aspicit, honorem Dei in hominibus non agnoscit.

Ante omnia igitur curandum est viro Apostolico, ut solam respiciat latentem in corpore pretiosam animam, quæ excellentissima est creatura, gloriâ & honore coronata, Dei imago, Angelorum soror, lucrum & pretium pretiosi Christi Sanguinis. Corpus clausis oculis transeundum, ùt frustulum abjectæ terreæ massæ, sordium receptaculum, præda mortis, esca vermium; éstque adeò parum ad corpus reflectendum, quasi homo, quo cum agit, ne corpus quidem habeat, constétque puro spiritu.

SECTIO XII.

Alia virtus Viro Apostolico necessaria, est Prudentiâ, quâ Zelum moderetur.

Secunda Apostolici viri Virtus debet esse discretio.

UT animarum Zelus Deo gratus acceptúsq; sit, necessariò eidem adjungenda discretio & prudentia est. Hæc est fax, quæ exercendis virtutibus lucem præfert, rectâque docet viâ incedere: hac econtra face exstinctâ, non possunt non interdum cespitare etiam ii, qui bonæ alioquin sunt voluntatis. Hæc discretio & prudentia, vel ex eo capite indispensabiliter requiritur, quòd Zelus per se sit res vehemens, ardens, audax, adeóque summè egeat à discretione regi & gubernari; circa quod tria potissimum notanda sunt.

Primò,

LIB. III. PARS I. CAP. X. SEC. XII.

Proximus juvandus, sed sinè periculo salutis propriæ.

Primò, ut circa salutem Proximi vir Apostolicus ità se occupet, ne animæ propriæ jacturam faciat; ità alium ex inferno eripiat, ne se substituat; imprudentia est, alii post naufragium tabulam cedere, se ipsum suffocare; alium incendio subtrahere, se ipsum comburere.

Et quid quæso proderit, si totum mundum lucreris, animæ verò tuæ detrimentum patiaris? Omnia quæ à Deo originem habent, ordinata sunt: unde ordo exigit, ut priùs curemus animas nostras. Quod adeò verum est, ut, si per propriam damnationem totum possem humanum genus salvare, abstinendum tamen esset ab hoc indiscreto amore, non tantùm ob gravissimum, quod mihi accerso detrimentum, sed quia per hoc gloria Dei non augeretur, sed minueretur; augmentum enim Divinæ gloriæ, non tam consistit in salvatione totius mundi, quàm in expletione suæ sanctissimæ voluntatis, quæ est, ut ante omnia propriæ animæ curam habeam. Nec hîc objici potest votum S. Pauli, quo Anathema cupivit esse pro Fratribus suis; hoc enim dixit per hyperbolen, volens summum ostendere desiderium, quo in salutē Proximi ferebatur. Et esto verè ità putâsset Sanctus Doctor, ùt locutus est, excepit tamen peccatum, quod omnia inferni tormenta enormitate & gravitate superat.

Vir Apostolicus habendo curam salutis pro-

Hanc veritatem, qui bene ponderaverit, singularem quidem salutis Proximi curam geret; ità tamen, ut majorem gerat propriæ; nec patietur solitis suis pietatis exercitiis v. g. orationi, mortificationi, recollectioni, &c.

&c. quidquam detrahi : his siquidem ùt mediis maximè conducentibus & suam & Proximi sui salutem plurimùm promovere potest; Zelus enim animarum multò erit ferventior, conciones & admonitiones efficaciores, omniáque circa Proximum negotia feliciùs expedientur, si hæc & similia exercitia adjuncta habeant; certum siquidem est, exempla nudis verbis multò esse potentiora; hæc feriunt tantùm aures, illa cor penetrant; his arbor tantùm nonnihil concutitur, illis in terram prosternitur; sinè bono exemplo nihil proderunt cætera; dat etenim experientia, virum egregiis licèt talentis carentem, exemplari vitâ sua plurimùm efficere boni; parum verò vel omnino nihil, qui talentis præditus insignibus, exemplo non prælucet. Sol unus plures effectus producit, quam omnes stellæ; quia majorem quàm omnes stellæ simul, emittit calorem; ità & unicus vir Orationi, humilitati, aliísque virtutum exercitiis deditus, fructuosiùs laborabit, quàm centum alii his destituti.

priæ, maximè promovet salutem proximi.

Secundò. Vir Apostolicus illi se muneri indefesso studio applicet, ad quod maximè aptus invenitur; non omnes ad omnia officia idonei sunt : uni data est gratia concionandi, alii catechizandi, alii cum viris Principibus, alii cum Plebeis salubritĕr conversandi, alii peccatores convertendi, &c. In hoc ergo se quisque studiosè exerceat, ad quod naturaliter quodammodo inclinare se sentit, & cui proportionatum à Deo talentum accepit; hoc modo omnis labor Deo erit gratior; quia ejus exe-

Cui functioni se debeat maximè vir Apostolicus applicare.

qui-

LIB. III. PARS I. CAP. X. SEC. XII.

quitur voluntatem, quam per communicationem hujus vel illius gratiæ intimavit; levísque erit omnis molestia; libenter siquidẽ facimus, in quod quasi à naturâ propendemus. Sed prô dolor! ità comparati sumus, ut seposito sœpius officio, viribus & talentis nostris optimè convenienti, splendidis & coram sæculo magnis avidè inhiemus; quod tamen nihil aliud est, quàm voluntatem Dei ejúsque dispositionem velle evertere, gratiæ vim inferre, & multis Proximum bonis privare, quorum particeps factus fuisset, si officio, cui nos Deus per gratiam datam adaptaverat, functi fuissemus; ex hac confusione ulteriùs sequitur, quod, utpote Divinæ voluntati refractarii nihil feliciter vel incipiamus, vel finiamus; caremus enim gratiâ ad illud faciendum, quod ex voluntate propriâ inchoamus; fitque interdum, quòd, qui egregius Divinæ gloriæ & salutis Proximi promotor habitus fuisset, si intrà talentorum sibi desuper datorum sphæram mansisset, quòd, inquam, ille coram omnibus existimationem amittat, & quisque agnoscat, eum virum illum non esse, qui ad hoc vel illud perficiendum idoneus sit.

Ad quid Religioso Proximi curam habenti potissimũ attendendũ.

Tertiò. Apostolici viri (si Religiosus sit) fervor, semper ad Superioris sui nutum respiciat, & statui sit conformis; unde si quis sinè transgressione Regulæ hoc vel illud ad salutem Proximi conducens negotium expedire, hujus vel illius personæ curam gerere non possit; nequaquam eisdem applicare se debet; sed ad alia ipsi licita, zelus & fervor convertenda; salus enim & prosperitas or-

dinis

dinis sui gratior ei esse debet, quàm quidlibet aliud, magísque curare debet, ut per obedientiam ipse bonus fiat Religiosus, quàm ut alios religiosos & bonos efficiat. Per hanc discretionem multùm Proximo prodest; manente enim in flore, suo ordine, multis ordo adferet animabus salutem, quam non adferet, si per indiscretum alicujus fervorem à primævo vigore deflecteret; & ille ipse multò plùs proderit Proximo, eritque omne illud, quod alteri præstat, multò efficacius, si vir sanctus & sacræ Regulæ suæ observans fuerit. Ramus in arbore, ut fructus ferat, debet manere conjunctus arbori, & è radice succum attrahere: si Religiosus fructuosè agere cupit cum Proximo, debet intimè per sanctam & religiosam conversationem manere unitus suo Ordini, suorúmque Superiorum voluntati, itáque ex iis, velut ex radice, gratiam, quam cuique Ordini Deus propriam dedit, ad se attrahere, quámque liberalissimus Deus per Ordinem & Ordinis Superiores, tanquam per canales in ipsum derivat.

Has tres conditiones si vir Apostolicus zelo suo sociaverit, audacter Proximi saluti intendat; certus quod nullum periculum subiturus sit; conservabit in medio conflictu pacem, in medio mundi animi recollectionem, in plenis negotiis devotionem, in medio Peccatorum innocentiam. Talem Deus ipse per suum Prophetam Isaiam c. 43. animat: *Noli timere, cum transîeris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te; cùm ambulaveris in igne, non consumeris, flamma non ardebit in te;*

Cum

Cum enim Voluntatem meam tuo fervori comitem elegeris, nec aliud quæras, quàm meam gloriam, omnipotentia mea te proteget, & in omni loco te defendet.

SECTIO XIII.

Alia Apostolico Viro necessaria virtus, est Oratio.

Tertia virtus Apostolico Viro necessaria, est Oratio.

CErtissimum est, quòd, sicut salus propria, ità & Proximi plurimùm dependeat ab Oratione; sinè hac in salute Proximi frustra laborabitur; Oratio enim hominem unit Deo, & mediante hac unione, ad magna & ardua pro Deo & Proximo perficienda disponitur. Si utiliter adhiberi debeat instrumento, debet idipsum ab operante dirigi immediatè, si mediante v. g. filo aliquo, tantùm operanti adsit, sicque dirigatur, vel parum vel nihil instrumentum efficiet. Oratio nos Deo conjungit, si igitur ùt instrumenta Deo conjuncta, sinamus nos regi & moveri ad motum Principalis Agentis, Deo in magni momenti negotiis expediendis cooperari possumus; sinè hac unione in salute aliorum procurandâ Deo nulli emolumento erimus: indè est, quod sæpius viri aliàs doctissimi, qui hoc modo & medio Deo conjuncti non sunt, vix quidquam apud Proximum proficiant; simplices econtra Idiotæ, & mulierculæ Deo per Orationem unitæ plurimùm. *Vanum est vobis ante lucem surgere*, canit Psalmista ps. 126. *surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris*, q. d.

q. d. frustra vos ad laborem accingitis, priusquam à Deo illuminati estis; qui ergo in Vinea Domini laboratis, & molestias & difficultates innumeras velut panem manducatis; laborate, postquam per orationem in quiete sedistis, & lucem à Patre Luminum hausistis.

Oratio est, quæ virum Apostolicum instruit: hæc petit & impetrat à Deo gratiam & artem cum Proximo fructuosè agendi, eum per rectam salutis semitam deducendi, in amore Dei accendendi, animi & conscientiæ secreta penetrandi, verum à falso secernendi, diaboli fraudes detegendi, &c. quod nemo faciet unquam sinè oratione. Fit interdum, quod Deus hanc vel illam personam modo singulari & occulto, viáque extraordinariâ ad se trahere & ad sublimem perfectionis gradum deducere intendat; ponamus in hoc casu personam hanc reddi perplexam, hærere anxiam & nesciam, an via, qua ambulat, recta vel curva sit; ponamus, illam à viro prudente consilium exquirere, eíque cordis secreta pandere: si vir hic, cœteroquin prudens, per orationem Deo conjunctus non sit, nec Theologiæ mysticæ peritus, magìs personam hanc confundet, & non raró se & alium æternæ salutis perdendæ periculo imprudenti consilio exponet. Possunt quidem Viri docti in materia v. g. Fidei aliísque Theologiæ scholasticæ materiis eruditè discurrere, & imperitos instruere; sed si in Theologia mystica deficiant; apti non sunt ad regendum animas, quas Deus extraordinario modo ad singularem se-

Qui Orationi deditus non est, alterius profectum in spiritu non promovebit.

secum unionem sublimare desiderat; & ità per ignorantiam directoris Deus privatur gloriâ, Ecclesia utilitate. Scientia rerum spiritualium ex propria nascitur experientiâ; qui plura non scit, quàm ea, quæ ex libris legit, jejunè & frigidè de spiritu discurret, oriuntur enim ex mortuâ radice. Si inflammare & accendere debeat alios hæc sanctorum scientiâ, necesse est ut procedat ex corde Spiritus Sancti igne inflammato & accenso. Et licèt is, qui orationi mentali deditus est, non experiatur tales gratias, quales Deus solet dare iis, quos intimiùs amat; redditur tamen habilis ad alios juvandos, ponéque saltem hoc modo religiosæ vitæ fundamentum, & si non à sole, saltem ab aurorâ aliquod lumen hauriet, assistétque Deus facienti quod in se est, ut cum fructu Proximum regere eíque prodesse possit. Unius quadrantis oratio majorem Peccatori impetrat gratiam, quàm diu protracta exhortatio; ratio hujus in promptu est; à solo enim Deo gratia conversionis exspectari debet, quam gratiam efficaciori modo impetrare ab eo non possumus, quàm Oratione; unde meritò Viro Apostolico plus in oratione confidendum est, quàm in alio quocunque opere; nam per Orationem immediatè cum eo agit, in cujus manu salus Proximi est, & à quo solo efficaciter cor peccatoris tangitur, emollitur, & convertitur.

SEC-

SECTIO XIV.

Quarta virtus Viro Apostolico necessaria, est mortificatio & patientia.

Quarta virtus Viro Apostolico necessaria, est Mortificatio.

MOrtificatio Orationis individua comes esse debet apud eos, quibus salus Proximi curæ est; nec ulla conditio vel status hominum est, cui exercitium mortificationis ità proprium esse debeat, quàm conditioni eorum, qui Proximo in salutis negotio adesse cupiunt. Perpetuum igitur bellum corpori & sensibus indicendum, inordinati affectus supprimendi, naturæ appetitus domandi, amor proprius & voluntas jugulanda, si quis cum fructu agere cum Proximo desideret. Soli Passioni, Cruci, & morti Christi suam debet redemptionem totum genus humanum, nec Christo nomen Salvatoris priùs datum est, quàm dum in circumcisione sanguinem effundere inciperet; & reipsa Salvator factus non est, nisì postquam ad ultimam usque guttam illum profudisset. Sic & nos pati, omnísque generis difficultates & tædia subire oportet, si animas lucrari, earúmque suo modo redemptores esse cupiamus; sinè virtute mortificationis, quæ plures alias virtutes includit; is qui saluti aliorum intendit, multa faciet, quæ non deberet; multa non faciet, quæ deberet. Labores & molestias in visitationibus, itineribus, vigiliis, frigore, æstu, &c. occurrentes, sub prætextu infirmitatis, vel sub alio excusationis pallio recusabit; & gravabitur se aliorum negotiis sibi molestias creando salubriter

immiſcere. Si intemperans ſit, quomodo jejunabit? Si ſuperbiâ inflatus ſit, quomodo ſe humiliabit? ſi iracundus, in millenis occaſionibus iram prodet; &, quia inordinati affectus non ſubjugati, intellectum obſcurant, memoriam confundunt, voluntatem ſeducunt, non poterit non aliter eſſe, quàm ut multa loquatur & agat, quæ Proximo, quocum agit, ſpiritualis ruinæ cauſa ſint.

Quinta, eſt Patientia.

Mortificatione igitur opus eſt, ut omnia in ordinem redigantur, timor inordinatus, quo multi à moleſtiis & difficultatibus abſterrentur, ſupprimendus; quod ut faciliùs fiat, obarmandus ferreâ patientiâ animus eſt, ſinè qua nunquam magni aliquid præſtabitur. Si rem ex voto cadere deſideremus, Proximi defectus patienter tolerandi, cum eo hìc & nunc diſſimulandum, nec ægre ferendum, ſi interdum cum confuſione & injuriâ repellamur; moleſtiæ, quæ ſinè numero in converſatione cum Proximo occurrent, ſinè ullo exterioris doloris vel nauſeæ ſenſu excipiendæ, cæteroquin præda è manibus elabetur. Hæc in ſe ipſo expreſſit S. Paul. in Epiſt. ad Cor. 4. *Maledicimur & benedicimus; perſecutionem patimur & ſuſtinemus; blaſphemamur & obſecramus, tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus omnium peripſema uſque adhuc.* Et alio in loco 2. Cor. 12. *Signa Apoſtolatûs mei facta ſunt ſuper vos in omni patientiâ, in ſignis & prodigiis.* Quantâ, ordinariè loquendo, opus eſt patientiâ, inceptum pro ſalute Proximi opus inter tot maledicorum hominum contradictiones ad finem perducere! Quantâ patientiâ opus eſt, ut extrahamus è

cœno peccatorum, qui per plures annos illi immersus jacuit! Quantâ patientiâ opus, annosas inveteratásque consuetudines ex aliorum animis eradicare! Opponent se huic sanctæ nostræ intentioni & perversi homines & Diaboli, faciéntque nos experiri, quàm iis displiceat hanc à nobis illis præripi divitem prædam. Ad patiendum ergo paratissimum inveniri oportet Virum Apostolicum. Miles abjecti animi, cui pulveris nitrati odor, hostísque aspectus terrefaciunt, nihil laude dignum aget; ità & Vir Apostolicus, cutis suæ nimiùm amans, terrorem animarum hostibus non incutiet, & vix quidquam è prædâ reportabit; non debet esse difficultas adeò gravis, quæ eum terreat, quo minùs continuò in præcinctu & excubiis stet paratus ad sanguinem suum pro Dei gloria & salute Proximi profundendum. *Exhibeamus nosmetipsos*, hortatur se & suî similes in vineâ Domini operarios S. Paul. 2. Cor. c. 6. *sicut Dei ministros in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, &c.*

SECTIO XV.

Præter enumeratas virtutes Viro Apostolico necessaria est Humilitas, & contemptus terrenorum.

Sexta, Humilitas.

UBicumque Deus propriè & divinè operaturus est, nullo ad hoc opus habet, nisi nihilo; Nihilum enim operationis ejus, quàm quodlibet aliud, capacius est. inquit Tauler. serm. de assumpt.

LIB. III. PARS I. CAP. X. SEC. XV.

D. Mariæ. Nihilum hoc, est anima viri perfectè humilis ; mira & stupenda per eam Deus sæpius operatur, nec in ullo loco meliùs & efficaciùs vim suam Divina gratia exserit, quàm in humili, & ab omni propria æstimatione depuratâ animâ ; in ea siquidem nihil est, quod Divinæ ejus potentiæ resistat; quod solùm ad magna agenda satìs est. Sicut per superbiam homo incitatur, ut se Deo opponat, ità per humilitatem, superbiæ contrariam, se Deo, ut instrumentum in omnes partes versatile subjicit, quo Deus pro libitu omni loco & tempore uti potest ad suam gloriam & hominum salutem.

Quâ semper est opus, sivè quis cum fructu, sive sinè fructu, cum Proximo agat.

Sinè humilitate, periculo exponet animam suam, qui animas lucrari intendit ; vel enim talis functiones suas hierarchicas, ut sunt conciones, exhortationes, administrationes Sacramentorum, &c. obit cum plausu, vel sinè illo ? Si cum plausu ; fundamento opus habet profundæ humilitatis, ne in lubrico hoc præcipitio cæspitet, ne vanæ gloriæ vento abreptus ambulet in mirabilibus super se, singulares inter suos exceptiones quærendo, debitámque eisdem reverentiam & obsequia subtrahendo. Profundâ opus est humilitate, ne laudibus & æstimatione hominum (in quod pro dolor ! à naturâ propendemus) capiatur, & ità laboris sui fructu, multorúmque operum meritis miserè spoliatus, nihil aliud metat quàm vanum gloriæ fumum in hac, in alterâ autem vitâ severi Judicis indignationem & graves pœnas. Sinè solidâ humilitate quietè non fruetur ; contingere enim & potest & sæpe

so-

solet, quòd ad singulas ejus actiones studiosè attendatur, ejus intentioni non obsecundetur, imò prohibeatur id exequi, quod ad salutem Proximi putat plurimùm conducere: In hoc rerum statu ab irâ, indignatione, murmuratione contra superiores vix se temperabit, nisi humilitate contra hæc & similia firmissimè animus sit obfirmatus, & hoc medio supprimantur periculosæ scintillæ. Si verò sine plausu sua peragat, nec adsint laudatores, vel alius illi præferatur, humilitate iterum est opus, ut cum patientiâ hæc excipiat, maneátque animo erecto & constanti; humilitate est opus, ne invidiâ erga illos stimuletur, qui altiori in gradu, & æstimatione habentur; humilitate est opus, ut æquis auribus eorum laudes excipiat, nec dolosis machinationibus eos circumveniens à gradu & æstimatione dejiciat, &c.

Humilitas animorum magnes est.

Humilitas Viro Apostolico necessaria est, quia nihil ità ad trahendos in suas partes homines efficax, nihil ità salutare, quàm in moribus, actionibus, & verbis humilitatem coram aliis præ se ferre. Sicut odiosus est omnibus superbus, sic omnibus est gratus humilis. De S. Bernardo in ejus vitâ legitur: *Quò humilior, eò semper utilior fuit Populo Dei in omni doctrinâ salutari.* Si quis vult emollire adamantem, comminuere priùs adamantem debet, & alteri emolliendo applicare; ità & si quis cor adamantinum peccatoris frangere intendit, se ipsum prævié per humilitatem conterat & confringat, quâ suî humiliatione imaginem Jesu Christi in alterius adamantino corde facili labore insculpet. Sola fuit humi-

militas, quæ Sanctum Paulum talem ac tantum fecit Verbi Dei Præconem. *Paulus*, ait S. August. serm. 47. de Temp. *primò Saulus, hoc est primò superbus, postea humilis: prostravit Christus unâ voce Saulum, erexit Paulum; hoc est, prostravit superbum, erexit humilem; prostratus est persecutor, erectus est prædicator.*

Septima Contemptus periturorum.

Præter has jam enumeratas virtutes animarum Zelator, generosâ resolutione contemnere debet, quidquid terrenum est. *Si diligis me* dicebat Christus Petro Joan. 21. *pasce oves meas*, q.d. ùt explicat S. August. *Si me diligis, non te pascere cogita, sed oves meas; sicut meas pasce, non sicut tuas; gloriam meam in eis quære, non tuam; lucra mea, non tua.* Certè potentissimus in promovenda Proximi salute est is, qui ea, quæ mundi sunt, despicit. Talis dicere claudis potest: *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.* Act. 3. Moyses, ùt putat S. Ambros. in ps. 118. poterat esse in regno successor, & sceptri Pharaonici hæres; maluit tamen cum Christo, quem suum Redemptorem in spiritu prævidebat, esse pauper, quam omnia Ægypti bona possidere; *sed fugiendo potentia potentior factus est*, ait in loc. cit. S. Ambros. *factus est enim in Deum Regi Pharaoni: Rex erat Pharao, sed Deus non erat; Moyses factus est illi Deus; hoc est, Regi ipsi terribilis, quem Rex metueret & timeret; sed hæc erat potentia sanctitatis; Et si tu vis Deus peccatoribus esse terrori, Regibus reverentiæ, & tanquam Deo tibi videantur esse subjecti, quia operaris in Dei nomine, contemne quæ sæculi sunt, & Dominicæ Passionis opprobrium contende omnibus præferre divitiis.*

Hæc

Hæc sufficiant de virtutibus, quibus instructi esse debent, qui salutem Proximi quærunt; quia vero in communi omnes ea concernunt, qui quocunque tandem modo saluti aliorum student; ex superabundanti aliqua addentur pro iis, quibus ex officio incumbit saluti aliorum inservire; quales sunt Superiores, Concionatores, Confessarii. Sit ergo

---

SECTIO XVI.

Quàm difficile, arduum, & plenum periculis sit officium Superioris.

Difficultas regiminis animarum explicatum.

ARs *est artium regimen animarum.* ait S. Gregor. Mag. Pastor. 1. p. c. 1. causam ibidem assignat, faciens comparationem inter curam corporis & curam animæ; dicitque longè hanc illâ esse excellentiorem, propter eminentiam illius quod curatur; & difficiliorē, ob occultos defectus, qui oculos fugiunt. Cura corporis versatur circa materiam terream, fœdam, & fœtidam, morti seriùs vel citiùs succubituram; cura animæ circa rem spiritualem, immortalem, & Divinæ participem Essentiæ. Qui in corpore malè habet, medicinam quærit, amaras potiones non abhorret, exserúntque medicinæ applicatæ naturalem suam virtutem sinè resistentiâ. Medicinæ econtra, quæ animæ applicantur, difficulter & non sinè resistentiâ effectum producunt; quam resistentiam causant proprius amor & perversa voluntas; quæ adeò miserum patientem dementant, ut vulnera sua non sentiat, imò iis ità delectetur, ut gra-

LIB. III. PARS I. CAP. X. SEC. XVI.

tior ei sit morbus quàm sanitas: Accedit, quòd sœpius oculis corporeis, quod in corpore morbidum est, videri possit, adeóque facilè sanari; animæ verò infirmitates deprehendi hoc modo nequeant; & si manum medicam adhibere tentemus, non rarò cum invisibilibus hostibus acerrimè confligendum sit. Difficultas hujus spiritualis artis ex eo augetur, quòd homo sit Microcosmus, seu parvus, imò potiùs magnus, in parvo mundo, Mundus, adeóque totius Mundi regimen ei incumbat, qui vel unum regere debet hominem; tótque habeat humeris impositos Mundos, quot sibi subditos habet homines. *Imposuisti homines super capita nostra*, ait Propheta David ps. 65. Super capita, ait, non super humeros, onerum cæteroquin proprium locum: ut ostendat, omnes superioris curas, intentiones, studia, ad regendum debitè subditum dirigi debere; imò oportere, ut Superior suorum per indefessum laborem fiat servus, minister & subditus.

Hæc clarè patent ex Epist. D. Pauli ad Hebr. cap. 13. in qua, postquam subditos monuisset, ut suis pareant Superioribus, hæc, hujus obedientiæ assignat motiva: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Terribilis sententia! quæ meritò Superiorum corda contremiscere facit. Duo ex mente S. Pauli superioribus incumbunt: *Vigilare*, &, *Rationem reddere.* Primò ait, *Pervigilant*, non nudè: *Vigilant*: q. d. *Vigilant*, sed non modo ordinario, verùm indefesso, & planè extraordinario, si suo velint officio satisfacere. Et licèt vitæ innocentiâ

Quanta à Superioribus adhibenda cura in animarum regimine.

An-

Angeli essent Subditi, nec aliâ re quàm temporali occuparentur; curam nihilominus extraordinariam illorum gerere deberent Superiores: Ast ordinariè homines Angeli non sunt, & quamdiu vivunt, ex mundano pulvere nonnihil sordent: præterea cura rei non domesticæ & temporalis; sed spiritualis & æternæ est, quæ superiorem gravat & premit; unde in hoc negotio sudandum, laborandum, vigilandum. Secundò dicit S. Paul. L. c. *Quasi pro animabus vestris rationem reddituri. Hoc est maximum periculum* ait D. Thom. Aquin. in illum loc. *hominem de factis alterius rationem reddere, qui pro suis non sufficit.* Et S. Greg. Lib. mor. 24. c. 16. *Qui regendis subditis praeest, reddendæ apud Deum rationis tempore, ut ità dicam, tot solus animas habet; quæ nimirum cogitatio, si assiduè mentem excoquit, omnem superbiæ tumorem premit.* Et quidni tremeret Superior verba recogitans, quibus illum Deus alloquitur Reg. 20. v. 39. *Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus.* Audiet Superior in illa decretoria die, quod legitur apud Hierem. c. 13. 20. *Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Quid dicis cum visitaverit te? tu enim docuisti eos adversum te & erudisti in caput tuum. Nunquid dolores apprehendent te quasi mulierem parturientem?* Quid respondebit Superior, si suo in officio deses gregem pati penuriam passus fuerit? Nunquid vindictam clamabunt, neglectæ ab eo oviculæ? quòd in virtutibus non profecerint, quòd ad perfectionis gradum, quem consequi potuissent, non pervenerint, quòd eæ gratiæ & auxilia iis de-

Officium Superioris periculosum.

denegata fuerint, quibus Deus ditâsset illos, si debito modo à Superioribus directi fuissent. Nunquid ergo meritò sub tanto & tam tremendo onere, instar mulieris parturientis superiores gemunt & tremunt? *Durissimum judicium his, qui præsunt, fiet.* Sap. 6.

Ex his satìs colligi potest, eos, qui superioritati inhiant, vel omnino cœcos, vel, si Superiorum pericula agnoscant, exiguam suæ salutis curam gerere. Vel probissimus premitur & coangustatur ex propriis delictis, onúsque grave est, vel minimum peccatum, ut certè opus non sit advocato aliunde onere, proprium augere. Certum est multos ardere in inferno, qui æternum gauderent in Cœlo, si Superiores non fuissent; nimis quàm verum est illud Eccles. 8. *Interdum homo homini dominatur in malum suum.*

SECTIO XVII.

Vocati à Deo ad munus regendi, pertinaciter non recusent.

Licèt multæ & magnæ difficultates sint officio Superioris annexæ, occurrántque in illo pericula, plura quàm dici queat; debitè interim ad munus regendi vocati, pertinaciter non recusent; sed humeros animosè supponant; ne, dum Deum offendere timent in officio, graviùs offendant per indiscretam repugnantiam, Deíque amittant gratiam, quam præpostero studio conservare contendunt. Si verò ex humilitate quis se indignum æstimaret, ideóque regiminis onus subire recuset, audiat loquentem hac de

re

re S. Gregorium Past. 1. c. 6. *Tunc humilitas ante Dei oculos vera est, cum ad respuendum hoc, quod utiliter subire præcipitur, pertinax non est: neque enim verè humilis est, qui superni nutûs arbitrio, ut debeat praeesse, intelligit, & tamen præesse contemnit.*

Ex amore proprio officium superioris recusandum non est.

Alii sunt, qui ità vitæ contemplativæ addicti, ut ejus amore, officiis, quibus ea turbari possit, immiscere se nolint; sed id inordinati amoris proprii est. Si suo tempore hi delicatuli coram severo statuantur Judice, invenient se tot peccatorum reos, quot per bonum regimen impedita fuissent, eorúmque meritorum participatione privatos, quæ per laudabilem officii administrationem colligi ab aliis fecissent. Servus fidelis obsequi debet voluntati Domini sui, ejúsque commodum suo præponere. Dominus, quem habemus, bonus, fidelis, justus, & præstitorum obsequiorum æquus censor, servi sui non obliviscetur illiúsque salutem inter turbas & negotia promovere non omittet. Et quomodo quæso, gratiam, robur, & auxilium Deus denegabit nobis, si ejus gratiâ nostrammet utilitatem & commodum negligentes, perdendæ propriæ salutis periculo ex ejus amore nos exponamus?

Ille, qui ex amore nostrî animam suam pro nobis in mortem dedit, dignatus est Petrum, & in eo omnes Prælatos alloqui: *Petre amas me? pasce oves meas.* Quis ergo adeò refractarius erit, qui ei respondeat: non faciam; non pascam, nec periculoso huic officio me applicabo, ne ipse peream: nunquid impudenti hoc responso, satìs indicaret;

quòd

LIB. III. PARS I. CAP. X. SEC. XVII.

quòd intensiùs se, quàm Deum amet. Verus Christi amator mavult cum S. Paulo anathema esse, quàm recusare officium, quod Deus subire jubet. Ubi amor est, ibi salutis periculum nullum est. Posito, nos in multis ex ignorantiâ vel humanâ fragilitate defecturos, certi tamen sumus, quòd Caritas (cujus actum per officii susceptionem pro bono Proximi exercemus) operiat multitudinem peccatorum. Unde ad munus regendi vocatus, humiliter se illi subjiciat, nec dubitet de adfuturo sibi desuper auxilio. Non vocatus autem nullo modo se ingerat, ne pereat. Summè mirandum est, ait S. Chrysost. hom. 34. in Ep. ad Hebræ. quòd vel unus ex Superioribus salvetur; qui se vel vi vel occultis machinationibus intrusit: si enim hi, qui inviti ad Superioratûs locum coguntur, vix à lapsu absunt, quid de iis fiet, qui ambitiosè prensant, & se ipsos Superiores per adhibita omnis generis media faciunt. Aaron ad Pontificatum expresè à Deo vocatus, in summum incidit salutis discrimen; quia per conniventiam populo permisit aureum vitulum adorare; sic & Moyses Aaronis frater, ob quosdam leves defectus Terrâ Promissionis licèt multos, ut eam intraret, labores subiîsset, exclusus est. Saul à Deo ad regimen expresè vocatus occuluit se; cúmque ægre tandem illud admisisset, & non secundum Dei voluntatem perfectè administrâsset, à Deo (utinam non etiam in æternum) abjectus est. Ex his sapiant, qui indiscretè officia & superioratus ambiunt; cùm ipsis adeò malè res ceciderit, qui à Deo vocati erant. Et

Superioratus ambiendus non est.

quia

quia exemplo Saulis ad munus regendi etiam vocati, sœpe periculo se exponunt, quia officio non funguntur, ùt deceret, hinc aliqua proponentur documenta, quibus Superiores ad evadendum salutis discrimen in suam, suorúmque salutem uti poterunt.

SECTIO XVIII.

Superiori necessaria est vita exemplaris & oratio.

Superioris officium & obligatio.

SIt Rector, ait S. Greg. Past. 2. p. c. 3. *operatione præcipuus, ut viam subditis vivendo denuntiet, & grex, qui Pastoris vocem moresque sequitur, per exempla meliùs, quàm per verba gradiatur; qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere; hic eâdem necessitate compellitur summa monstrare.* Superior quodammodo est anima familiæ, qui eidem vitam vigorémque tribuit. Est horologium, secundùm quod omnia vel bene vel malè diriguntur. *Secundùm Judicem Populi, sic & ministri ejus, & qualis est Rector Civitatis, tales & inhabitantes in eâ.* Eccles. 20. Unde, ùt docet S. Chrysost. *tenetur lucere, quem Dominus voluit habere officium lucernæ:* quod si omittat, non sinè fundamento timere potest, à se tanquam à fonte subditorum oriri defectus. Si Superior ipse deficiat v.g. in humilitate, in patientiâ, fervore, amore, zelo, cæterísque Superiorem decentibus virtutibus; si ipse Regulam Ordinis transgredi non timeat; nihil efficient exhortationes, quibus ejusmodi transgressiones prohibet; quia exemplum deest. Aptum in hanc rem suggerit Superioribus documentum

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECTIO XVIII.

tum S. Petrus 1. Ep. c. 3. *Non dominantes in Cleris, sed forma facti Gregis*; q. d. non convenit, ut Superiores solâ suâ authoritate subditis imperent; sed ante omnia bono exemplo ad bene operandum invitent. Similem dat suo discipulo Timotheo instructionem S. Paul. 1. ad Tim. 4. *Exemplum esto Fidelium in verbo, in conservatione, in Caritate, in fide & castitate.* Eadem ferme insinuat suo Tito c. 2. *In omnibus te ipsum prabe exemplum bonorum operum.* Vel, ùt græca versio habet: *Typum. Sis instar archetypi sive primariæ formæ:* hoc est, ùt explicat S. Hieronym. *Ex quo viva virtutum simulacra lineamentis vitæ honestæ in se translatis exprimuntur.* Talis erat teste S. Bernardo S. Malachias Episcopus Hiberniæ: *Erat Regula Fratrum, legebant in vitâ ejus, quomodo conversarentur.*

Superior addictus debet esse Orationi: & quare.

Alterum Superiori necessarium est, Oratio: Hanc ùt occupationem primariam Superioribus in societate præscribit Constit. Part. 4. cap. 10. & Reg. 1. Rect. *Oratione ac sanctis desideriis totum collegium velut humeris suis sustineant.* Salomon ædificaturus Altissimo templum, sapientiam à Deo petit, qua adjutus illud dignè exstruat. *Mitte illam,* ait Sap. 9. *de cælis sanctis tuis, ut mecum sit & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud Te.* Si sapientiam petivit Salomon pro coordinandis debitè inanimatis lapidibus; quàm illa petenda erit pro regendis hominibus, ratione & libero arbitrio præditis; ut fiant sanctissima Divinæ gratiæ vasa, perpetua gloriæ instrumenta, digna Divinæ Majestatis tabernacula; in quibus perpetuò laudetur & glorificetur, non per

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECTIO XVIII.

per ſanguineas irrationabilium animalium mactationes, ſed per innocua bonorum affectuum & ſanctarum cogitationum ſacrificia. Hoc ſpirituale tabernaculum ut ædificetur, ſapientia à Deo neceſſariò efflagitanda.

Hominum genia diverſiſſima ſunt: aliqui trahuntur verbis, alii exemplis; aliqui indigent calcaribus, alii frœno; unus excitatur per laudes, alius iiſdem extollitur, nec poſſunt humiliationes ſinè periculo omitti; apud aliquos verbum blandius omnipotens eſt, apud alios proficit ſola auſteritas, & quidem apud hunc in publico, apud alium in privato; unus non movetur correctione nisì acri; alius acrimoniam, nisì dulciariis miſceatur, cum indignatione reſpuit; huic errores omnes minutatim enumerandi; alii vix exponendi, ſed diſſimulandi, quaſi non animadverſi, nequit enim ob infirmitatem groſſiores bolos concoquere. Quis non videt in tantâ animorum diverſitate ſummâ opus eſſe ſapientiâ & diſcretione? ne deſtruatur quod ædificare, ne periclitetur quod ſalvare cupimus. Medium inſtar funambuli, Superiori ſemper tenendum eſt, nec nimium in unam partem declinandum. Hanc univerſalem ſcientiam quis ſibi appromittere audeat, nisì detur ab eo, qui hominem fecit cum affectibus & propenſionibus ſuis? ſe ipſum, ut Superior cognoſcat, quanto labore eſt opus? & alium quomodo cognoſcet, nisì deſuper detur? non autem dabitur ſinè ferventi, & ſœpe repetitâ oratione.

Præterea quæ non quotidie ferme eveniunt Superiori enodanda difficilia? quæ

non

LIB. III. PARS I. CAP. X. SEC. XIX.

non intricata solvenda? sœpe talia, ex quibus expertissimus vix se extricabit. Quo fugiet ità perplexus, nisì ad orationem? à qua solâ petendum in rebus dubiis auxilium, subsidium, & consilium. *Hoc quotidie boni Rectores faciunt*, ait S. Greg. Moral. 23. cap. 12. *cùm se res dubias discernere non posse cognoscunt; ad secretum, velut ad quoddam tabernaculum revertuntur, divinâque lege perspectâ quasi coram positâ arcâ Dominum consulunt.* Sic fecit S. Bernard. de quo in ejus vitâ apud Gaufrid. Lib. 3. vitæ cap. 1. *Crebrâ experientiâ persuasus de omni re magìs fidens orationi, quàm industriæ propriæ vel labori.* Idem ferè S. Bonav. scribit de S. Francisc. in vita ejus cap. 10. *Erat oratio oranti præsidium in omnibus, quæ agebat, de suâ diffidens industriâ, & de supernâ pietate confidens, per ipsius instantiam totum in Domino cogitatum jactabat.*

SECTIO XIX.

Aliæ Superiori necessariæ virtutes sunt, Humilitas, Morum gravitas, Amor, Mansuetudo, Patientiâ.

POsuerunt te Rectorem, ait Sap. Eccles. 32. *noli extolli; esto in illis, quasi unus ex ipsis.* Et iterum cap. 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus. Qui major est in vobis*, suadet æterna Sapientia Matt. 20. *fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator; sicut filius Hominis non venit ministrari, sed ministrare.*

Superior debet esse humilis.

Plana ad dignitatem regiminis obtinendam via, certum ad illam conservandam me-

medium, est humilitas. Superbia est, quæ impedit quò minùs ad illam perveniatur; vel si per ambitionem perventum sit, Superbia regimen abbreviat. *Saul*, ait S. Gregor. Lib. 26. moral. c. 19. *per humilitatem prælatus est, per superbiam reprobatus, Domino attestante qui ait: Nónne cum esses parvulus in oculis tuis, Caput te constitui in Tribubus Israel? Miro autem modo cùm apud se parvulus, apud Dominum Magnus; cùm verò apud se magnus, apud Dominum parvus fuit.*

Humilitate Superiori opus, ne ex fastigio, ad quod elevatus est, corruat; si enim in valle timenda est mentis elatio, quantò magìs in apice? Humilitate opus est, ut regimen Subditis tolerabile & suave reddatur; debétque Superior ex consilio P. Balthasaris Alvarez sœpius recogitare, quòd non sit Dominus imperans servis & mancipiis; sed magni Regis, Dei scilicet, Filiis & Principibus; quòd quidem aliis sit præpositus, ingenuis tamen hominibus, qui ex amore Dei sanctæ & religiosæ servituti se subdiderunt; quorum animæ Christo cœlesti sponso copulatæ à Spiritu sancto inhabitantur. Cogitare debet; quòd, licèt aliis sit præpositus, illis tamen ex hoc capite melior non sit. Et sicut non sequitur eum, qui navem dirigit, nobilitate generis præsentes alios in nave superare; sic & non sequitur eum, qui in religiosa domo officii authoritate præcipuus est, alios quoque virtute antecellere: potéstque fieri, & sœpe fit, quòd Superiores eos, quos in vita authoritate regiminis præcedunt, in æternitate subsequi debeant.

Qui superior est, hoc ipso non est aliis melior.

LIB. III. PARS I. CAP. X. SEC. XIX.

Gravitatem humilitati jungere debet.

Præter humilitatem Superiori necessaria est morum gravitas: humilis sit Superior, non tamen abjectus; sed modestâ discretione humilitatem moderetur: *Ne dum immoderatiùs custoditur humilitas*, ùt ait S. Greg. Moral. lib. 26. c. 19. *solvantur juga regiminis, & dum Prælatus quisque plùs se, quàm decet, dejicit, subditorum vitam stringere sub obedientiæ vin ulo non possit.* Ità ergo temperata sit humilitas, *Ut & de authoritate nostrâ, quod formident, videant; & de humilitate, quod imitentur, agnoscant.* Humilitas Præsidis per authoritatem sit reverenda, duarúmque harum virtutum conjunctio amorem & timorem in Subditorum animis erga Superiorem conciliet. *Esto gravis*, scribit S. Bern. Lib. 4. de consid. ad Eugen. Papam, *sed non austerus, non dissolutus neque severus; sed inter ea mediocritatem tene; ut neque de severitate sis oneri, neque de familiaritate contemptui: austeritas fugat infirmiores, gravitas reprimit leviores. Utilis est semper custodia oris, quæ tamen familiaritatis gratiam non excludat: ille convenientior habitus, si actu severus, vultu serenus, verbo serius.*

Triplex funis, quo suis Superior debet conjungi.

Denique præter enumeratas jam virtutes necessaria Superiori est Caritas, Mansuetudo, & Patientiâ: hoc triplici fune suis debet subditis Superior conjungi. Sit erga suos ùt pater, cujus nomen gerit, omnem eis exhibens benevolentiam, promptéque indulgens, quod nec contra Deum, nec Regulam, nec salutem est; defectus illorum patienter ferat, desolatos soletur, pusillanimes excitet, infirmos roboret, majorémque sibi Commissorum, quàm suî ipsius in victu & amictu,

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECT. XIX.

mictu, aliísque necessariis curam gerat; ut reipsa subditi experiantur, se à Superiore amari, neminem ab illo odio haberi vel contemni; sit amor hic purus & ad omnes æqualis. Præseferat in omnibus suis singularem mansuetudinem, inordinatis passionibus, maximè iræ, nullum locum dando; in Mansuetudine, ut in centro, non secus ac piscis in aquâ quiescat, nec inde egrediatur: & si, re ità exigente, irascendum sit, ira sancta sit, & ità sub rationis imperio, ut præ libitu ad debitam temperiem redigi possit. *Ut corporum,* ait Senec. de Benef. cap. 3. *ità animorum vitia molliter tractanda sunt. Nullum animal morosius est,* ait idem Lib. 1. de Clement. c. 17. *nullum majori arte tractandum, quàm Homo, nulli magìs parcendum: quid enim stultius, quàm in jumentis quidem & canibus erubescere, iram exercere: pessimâ autem conditione hominem esse? morbis medemur, nec irascimur; atqui & morbus animi mollem medicinam desiderat, & ipsum medentem minimè infestum ægro. Agat Princeps curam non tantùm salutis, sed etiam honestæ cicatricis.* Superior mansuetus, ad iram non pronus, miro modo omnium ad se corda rapit, æstimatur, colitur, amatur ab omnibus: Superior econtra tetricus, austerus, iracundus, animos à se alienat, à subditis contemnitur, ineptus ad alios regendos judicatur, utpote qui se ipsum regere non valeat; talis in consiliis est improvidus, in loquendo arrogans, in agendo confusus; liber accessus ad heteroclitum illud caput membris non patet, timent ne veniant tempore opportuno, quo minùs est dispositum: ex quo affli-

LIB. III. PARS I. CAP. X. SEC. XIX.

ctis sœpe additur afflictio, redditurque jugum Domini & onus ordinis gravius molestiúsque. Mansuetudini ergo studeat Superior eò magìs, quò faciliùs contra hanc peccari potest inter tot occurrentes occasiones; sœpe, dum odiosis & intricatis negotiis distinetur & implicatur Superior, venit jam hic, jam alius, jam hoc, jam illud petentes &c. quibus in occasionibus non ità facilè erit insurgentes iræ motus comprimere, nisì sœpius prævié contra illos se armârit. Ob Subditorum excessus ad iracundiam non moveatur; cogitet, quod in hoc mundo velut in Xenodochio vivat; in quo qui degit, assuetus esse debet, videre defectus, & cum ægrotis sinè nausea agere; post deplorandum illum naturæ humanæ lapsum aliter esse non potest, quàm quòd innumeri in humanam conversationem & vitam irrepant defectus. Superior à suis nec exspectare, nec exigere prudenter potest, ut omnia ad amussin sinè ullo errore quàm accuratissimè faciant: Parens volens filium instruere in progressu, cum filio tardiùs progrediente, tardè progreditur manúque ducit; non festino gradu properans illum post se relinquit; sed exspectans dat morã; sequi aliàs nullo modo posset. Indignatio & impatientia ob defectus subditorum concepta, facit, quòd superior plures committat defectus, quàm Subditus; Superior enim impatiens facilè à Subdito concipit aversionem, minoris illum æstimat, contemptim habet, nec magnam illius curam habet. Contra impatientiam ergo, ùt multorum malorum causam magno animo certan-

certandum; & dum Subditorum defectus occurrunt, occasionem ex eis sumat Superior se in patientia, mansuetudine, & amore exercendi, omnem Subdito affabilitatem & humanitatem exhibendo.

LIB. III. PARS I. CAP. X. SEC. XIX.

Superioris defectus à subditis tolerandi.

Notent interim Subditi, ut, si Superiorem à mansuetudine interdum deflectere advertant, eum excusent; & Superior homo est, & vix possibile, ut semper inter tot tædia & occurrentes continuò molestias animo idem sit: Sol in cœlo non semper diffundit clarè radios propter obstantes nubes; & quomodo hoc à fragili homine exspectabis? Et hi ipsi Superioris defectus ordinariè à subditis ortum habent, dum eos ob in obedientiam, teporem, & in observandis regularibus negligentiam per austerum Superioris regendi modum Deus castigat, & justissimo suo judicio permittit, ut à Superioribus Subditi malè regantur: non dat iis lumen & sapientiam, quibus instructi debitè subditos in dubiis instruere, eorum defectus cognoscere, in tentationibus roborare, & ad bonum excitare valeant. Jam hunc jam illum committunt in regimine errorem, quod non raròin maximum vergit detrimentum communitatis. *Regnare facit Hypocritam propter peccata Populi* Job. 34. Et iterum Oseæ cap. 14. *Dabo tibi Regem in furore meo.* Quæ verba considerans S. Greg. Moral. 26. c. 14. ait: *Sic ergo secundùm merita subditorum tribuuntur personæ regentium, ut sæpe qui videntur boni, accepto mox regimine permutentur.* Sunt hac in re judicia Dei mirabilia & terribilia. *Ut sæpe pro malo gregis, etiam verè boni delinquat vita*

Malus superior subditorum pœna est.

Pastoris. Idem Greg. Fítque ex mente sancti Doctoris sœpe, quod magnos & enormes committat circa regimen errores Superior; & tamen pro suâ personâ non peccet; quia facit quod potest; licèt enim Deus gratiam eidem subtrahat quantùm ad regimen, non tamen subtrahit, quantùm ad propriam Superioris personam. *Nullus*, pergit S. Greg. l. c. *qui talem Rectorem patitur, eum, quem patitur, accuset; quia nimirum sui fuit meriti, perversi rectoris subjacere ditioni; culpam ergo proprii magìs accuset operis, quàm injustitiam gubernantis.* Ex his omnibus patet, quòd, sicut ad bonam Subditorum vitam plurimùm contribuit exemplaris Subditorum conversatio; sic & multùm vel ad bonum vel ad malum regimen Superiorum, vita mala vel bona conferat Subditorum.

SECTIO XX.

Quomodo Subditorum defectus corrigendi.

Salus proximi sœpe pendet à correctione.

CONstat ex sacris literis tàm veteris quàm novi Testamenti obligari unumquemque hominem, ut delinquentem Proximum suum corrigat, ubi & quando utiliter id facere potest. Sœpe quis innumeris constanter immersus hæret defectibus, quia non est qui corrigat; peritque ob defectum correctionis, qui correctus æternum vixisset in cœlis. Connivere, nec velle latrare, ubi opus est, Caritas non est. Crudelitatis non Caritatis esset, Proximum periculo perdendæ vitæ ex-

expositum, non liberare, si facilè fieri posset: majoris crudelitatis est, qui Proximum è peccatis per salutares admonitiones eripere potest, nec tamen facit. Filium, Famulum, aut Vicinum tuum, non amas ut oportet, si defectus dissimulas, eorùmque vitam, si mala sit, admonendo emendare omittas. *Non est ista Caritas, sed languor*, ait S. Aug. in Ep. 1. Joan. tract. 7. *Fel columba non habet, tamen rostro & pennis pro nido pugnat, sinè amaritudine sævit: amor sævit, caritas sævit, sævit quodammodo sinè felle more columbino, non corvino.*

Si ergo cuique homini mandatum sit de Proximo suo, quantò magìs Superioribus, qui ad hoc non tantùm ex caritate, sed ex officio etiam obligantur, quíque à Deo constituti sunt, ut, quæ corrigenda in subditis vident, sinè morâ emendare festinent. Mansuetudo, ut paulò antè dictum est, Superiori necessaria est, sed ea sit virilis, seria, animosa, non effœminata, & sinè omni aculeo: vix suo officio satisfaciet Superior, nisì mansuetudini aculeum suo loco & tempore prudenter jungat. *Cunctis Rectoribus*, ait S. Greg. Lib. Moral. 19. c. 12. *utraque summopere sunt tenenda, ut nec in disciplinæ vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursum in mansuetudine districtionem deserant disciplinæ. Regat ergo disciplinæ vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.* Idem Lib. 30. Moral. *Miscenda est lenitas cum severitate, faciendúmque quoddam ex utrâque temperamentum, ut neque multâ asperitate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate solvantur.*

Superior severitatem jungere debet mansuetudini.

tur. Præter tabulas legis & manna asservabatur etiam in Arca veteris Testamenti, Virga; ut ostendatur: *Si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis: hinc etiam David ait: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt: virgâ enim percutimur & baculo sustentamur; si est ergo districtio virga quæ feriat; sit & consolatio baculi, quæ sustentet: sit amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immodicè sæviens; sit pietas, sed non plùs quàm expediat, parcens,* S. Greg. loc. cit.

Ordinis sui splendorem Superior curare debet.

Sacer Ordo, suo cuique Superiori commisit suam regulam & statuta, suum honorem & æstimationem & quasi vitam ipsam, ut in iis conservandis totus sit: hoc ab ipso expectat Ordo, hoc est, quod ipsi mandavit, & de quo strictam suo tempore supremo Judici rationem dabit. Omni proinde studio connitendum Superiori erit, ut obligationi suæ constanter & generosè satisfaciat. Non est quòd timeat aliorum machinationes & terriculamenta; Deus pro ipso est, à quo potestatem & authoritatem regendi accepit.

Quod ex timore omittere non debet.

Noli quærere fieri judex, alloquitur Deus Superiores Eccles. 7. *nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne fortè extimescas faciem Potentis, & ponas scandalum in æquitate tuâ; noli esse pusillanimis in animo tuo.* Si vel uni contumaci cesseris, insurgent paulò post plures, & te sibi, cum maximo obedientiæ & regularis observantiæ dispendio, subjicient; contra hos severitate utendum: *Necesse est ut Rectores à Subditis timeantur, quando ab eis Deum minimè timeri deprehendunt; ut humanâ saltem formidine peccare metuant, qui Divina judicia non for-*

formidant. S. Greg. Past. 2. p. c. 6. Instandum apud similes opportunè & importunè, siquidem à debitâ correctione plurimùm eorum salus dependet; quæ correctio si omittatur, & subditus perit, & ab integra sœpe communitate ob defectus & mala exempla nimiùm dissimulata gratiam Deus subtrahit, cum magno tam spiritualium quàm temporalium bonorum detrimento.

SECTIO XXI.

In correctionibus primas habeat benignitas.

Superior pronior sit ad benignitatem, quàm ad rigorem.

SI nonnihil acriùs Subditus coërcendus sit, semper primas sibi vendicet mansuetudo. De Deo ait Psal. 32. *Misericors & justus, & Deus noster miseretur.* Bis mentionem facit misericordiæ, semel justitiæ. *Gemino septo inclusa est misericordia*, ait S. Ambros. de obitu Theodos. ictúmque justitia inferre non potest, quin à dextris & à sinistris à misericordiâ sufflaminetur. Exemplo ergo Dei ad misericoıdiam & lenitatem pronior sit Superior, quàm ad rigorem; & si medium in correctione ægre invenire possit, satius est declinare ad misericordiam quàm ad rigorem. *Fratres*, ait S. Paul. ad Galat. 6. *etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Tangat memoriam*, ait S. Aug. lib. 2. de serm. Dom. in monte, *communis fragilitas, ut reprehensionem aut objurgationem, non odium, sed misericordia præcedat.* Superior verè spiritualis, qui à Spi-

ritu ſancto regitur, nunquam ad nimium in correctionibus deſcendit rigorem; hic enim Spiritus, eſt Spiritus dulcedinis, Spiritus benignitatis, qui animam, quam poſſidet mirâ replet dulcedine & manſuetudine. Et hæc manſuetudo ex doctrina S. Pauli, ut putat Cajetanus in ſecund. ad Timot. 4. eſt nota, quâ bonus Superior à malo diſtinguitur: unde diſcipulum ſuum Timotheum Paulus monebat: *Argue, obſecra, increpa, in omni patientiâ*; & quia ex natura ad iram propendebat Timotheus, hinc S. Paulus verbis illis: *Gratia & pax*, quæ omnibus aliis epiſtolis ſuis præfigebat, addidit in epiſtola ad Timotheum: *Miſericordia*: quo innuere voluit, miſericordiam præcipuum eſſe Superioris ornamentum. *Officii eorum* (Superiorum) dicit Rupertus in 2. ad Tim. *ſummum & neceſſarium decus eſt, Miſericordia.* Per quod non dicitur omnem à correctione abeſſe debere ſeveritatem, ſed ità miſcendam; ut nunquam benignitatem ſupprimat & ſemper ſeveritas à recta ratione gubernetur. Zelus in correctione ardeat, ſed moderatè & modeſtè, velut lumen in lampade, cujus flamma ab oleo vitam & nutrimentum habet. *Bona correctio piè ſolet ſævire, patienter iraſci, humiliter indignari.* S. Bern. Ep. 2. Et ante hunc S. Greg. Lib. mor. 20. cap. 28. *Iraſcitur* (bona correctio) *& amat*; *ſævit & tranquilla eſt.* Si ſeveritas in correctione prævaleat, ſubditum magìs exacerbabit, dejiciet, & onus Religionis, in ſummum verborum Chriſti præjudicium, qui dicit jugum ſuum ſuave & onus leve, intolerabile reddet: omnem deponet

ſub-

subditus indiscretè correctus erga Superiorē confidentiam, serviliter timebit, præsentiam exhorrescet; cùm tamen cum Superiore agendum Subdito sit ùt Patre, defectúsque illi candidè aperiendi, & arduum salutis negotium cum ipso tractandum sit; quod non fiet, si acerba nimiùm correctio Subditi animum vulneraverit. Ut correctio cum fructu fiat, suaviter instillanda. Si membrum à corpore separandum sit, solet ídipsum prævіè per medicinam, Narcoticum dictam, insensibile reddi, ut resecetur cum minore sensu; sic & corrigendus, nonnihil priùs laudandus, & coram eo contestandum, quod ex corde ei bene optemus, ut itá disponatur ad secuturam correctionem æquiori animo excipiendam. Deinde non ad singulos defectus statim correctio adhibenda, quædam interdum dissimulanda. *Sunt nonnulla*, ait S. Greg. Lib. mor. 22. cap. 7. *quæ in ipsa quoque familiarium conversatione corripi nequeunt sinè culpâ corrigentis; atque ideo magnâ magisterii arte dissimulanda sunt, ipsáque hac dissimulatione toleranda.* Hoc modo Subditus continetur in filiali timore, ne excedat nimiùm, & justam Superiori irascendi causam tribuat. Si continuò ad minimos defectus correctio adhibeatur, redditur correctus pusillanimis, tetricus, obstinatus, duræ cervicis, & tandem ad omnes correctiones insensibilis. Arbustum terræ infossum, si spinis nimiùm coarctetur, in deformem excrescet truncum, à quo vel nullos vel paucos fructus colliges. Libertas, filiis Dei competens, subditis relin-

Quid in correctione observandum.

quenda

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECTIO XXII.

quenda est, & optimos ferent fructus in tempore opportuno.

SECTIO XXII.

Prudentissimo Divinæ Majestatis regimini, Superior suum conformet.

Perfectiones Divini regiminis enumerantur.

PErfectius bene regendi exemplar, Superioribus proponi non potest, quàm Divinum, quod infinitâ instituitur sapientiâ & & perfectione. Præcipuæ, quæ in regimine Dei clariùs elucent perfectiones, sunt sequentes. *Prima.* In regimine omnium creaturarum, inprimis hominis, sublimem & excellentem finem sibi præfigit, qui non est alius, quàm propria sua gloria & salus hominum, quos ad hanc ducit per media sanctissima, & modo planè divino. *Secunda.* Creaturas regit maximâ sapientiâ, maturâ præmeditatione, omni præcipitantiâ sepositâ. *Tertia.* Quod semel decrevit, constanter & efficaciter exequitur. *Quarta.* In omnibus procedit secundum exactissimam justitiam, nec ulli vel minimum de suo jure subtrahit. *Quinta.* Omnibus se affabilem, mansuetum & benignum exhibet, neminem à se repellit; sed liberrimus cuique patet aditus, datúrque plena facultas gravamina, pericula, molestias, tentationes, &c. liberè proponendi; & si ita expedit petitionis suæ consequuntur effectum: omnibus in omnibus se accommodat, cujusque viribus onus attemperat, unum non plùs gravans quàm alterum, à malo absterret, ad bonum excitat, lau-

laudat, bene operantes remunerat. *Sexta.* Cura illi est de omnibus, ne vermiculum quidem ab eâ excludit. *Septima.* Insuperabili patientiâ infinitas propemodum injurias ab ingratis hominibus sibi illatas tolerat, non illico ad rigorem justitiæ descendit, sed tempus indulget, ut, si velint, converti possint; gratias & auxilium ad hoc offerendo. *Octava.* Si ad castigandum cogatur, semper misericordiam superexaltat Judicio, immissásque pœnas ad eorum dirigit salutem. *Nona.* Inter tot negotia, inter tot jam hîc jam ibi irrogatas sibi injurias in executione pœnarum, semper manet unus & idem in quiete suâ internâ imperturbatus.

Ad quod regimen Superior respicere debet.

Hoc perfectissimum archetypon, quilibet Superior in se exprimat. Et si, cùm fecerit omnia, quæ à bono Superiore fieri & desiderari possunt, nihilominus à Subditis patiatur contradictiones, murmurationes, calumnias &c. in mentem revocet non esse in mundo Superiorem, contra cujus regimen tot moveantur querelæ, quàm contra regimen ipsiusmet Dei; esto tale sit, ut melius, æquius & sapientius esse non possit: pauper libenter esset dives, dives doctus, infirmus sanus, &c. nemo suo contentus est, nemo qui conditionem suam, si optio daretur; non mutaret. Quemadmodum verò Deus non attentis ejusmodi insanis querelis & murmurationibus, suo pergit modo orbem regere, & exequi quod sapienter decrevit; sic & Superior in suo ad Dei gloriam & voluntatem incepto regimine se turbari vel mutari non sinat,

ani-

animo non cadat; sed constanter, quod bene cœpit, ad finem perducere studeat.

SECTIO XXIII.

Qualis debeat esse Concionator.

DEbet Concionator ante omnia esse vitæ exemplaris, & facem evangelicæ veritatis magìs moribus, quàm verbis circumferre. Mores sancti & vita ad normam Evangelii instituta, plura efficient quàm innumera verba; pleniùs enim docetur opere, quàm sermone. Si aliquâ in arte instrui cupis, talem ex mente Senecæ quærere debes magistrum; *quem magìs admireris cùm videris, quàm cùm audiêris.* Ep. 53. Concionator Auditorio virtutes non persuadebit, quibus ipse præditus non est. Movere seipsum priùs Orator debet; priùs ipse ardere; quàm alios moveat, alios inflammet. Qui alteri vult dare, priùs habere ipse debet, quod alteri daturus est.

In concionatore vita sit exemplaris.

Sublime munus est, munus Concionatoris; conformis ergo sit sublimi officio, vita sublimis. Tres habet Christus generationes: una est æterna in sinu Patris; altera in tempore; tertia in corde hominum. Origo primæ, est Pater æternus; secundæ purissima Virgo Maria; tertiæ Concionator, cujus officium est, Christum parere in cordibus audientium; & qui cum S. Paulo concionatore perfectissimo dicere potest ad Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Sicut ergo infinitæ perfectionis est causa primæ generationis Pater Cœlestis;

lestis; & maximæ sanctitatis causa secundæ generationis, Beatissima Virgo; sic & debet Concionator in virtutibus, perfectione, & vitæ sanctitate, utpote tertiæ generationis causa, præcellens esse.

Hæc vitæ sanctitas & præcellentia, quia multis deest, hinc fit, tot doctissimarum etiam concionum, fructum esse vel exiguum vel nullum. Unde S. Theresia dicere solita, unum integræ vitæ & laudabilis conversationis Concionatorem plus efficere, quàm amplum aliorum numerum. Pauci Apostoli exquisitis naturæ talentis non præditi totum mundum converterunt: cogitet ergo quis, ait S. Chrys. hom. 47. in Evang. quanta debeat esse nostra vel malitia vel negligentia, quòd nos in tanto jam numero exiguam illam mundi partem ad meliora reducere non valeamus: cùm tamen, si numerum spectes, ad mille mundos convertendos sufficientes essemus. Quod Apostoli numero pauci mundum Christo subjugârint, non tàm miraculis, quàm vitæ illorum sanctitati adscribendum est; quæ sanctitas, si illis defuisset, & econtra inordinatis passionibus agitati, divitiarum cupidi, voluptatum amatores extitissent; esto millenos ad vitam mortuos revocâssent, non talem, qualem modò miramur, fructum fecissent. Joannes Baptista, ùt legimus Joan. 10. nullum signum fecit; attraxit tamen ad se totam Judæam, & in convertendis ad Deum hominibus planè extitit admirabilis. Sancta ergo vita est, quæ tàm super Concionatorem, quàm Auditorem, Cœ-

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECTIO XXIII.

Orationi debet esse addictus Concionator.

lestem debet benedictionem desuper attrahere.

Debet ante omnia Concionator addictus esse Orationi. *Vita activa*, docet D. Thom. 3. p. q. 40. a. 1. ad 2. *præsupponit abundantiam contemplationis; prædicando enim contemplata tradit.* Et alio in loco. 2. 2. q. 188. a. 6. *Prædicatio ex plenitudine contemplationis derivatur; unde Greg. ait, quod de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur: Memoriam abundantiæ suavitatis eructabunt.* Si Concionator cœlestis gratiæ dulcedines per orationem priùs senserit; magnâ de cœlestibus emphasi loquetur, & Auditorum corda majori intus flammâ accendet, quàm qui ex libris tantùm speculativam divinorum scientiam hausit. Debet præterea Concionator per preces & Sacrificia sua Deo se, & suos Auditores recommendare; *Nisi enim intus sit, qui doceat; doctoris lingua exteriùs in vacuum laborat.* S. Greg. Hom. 30. in Evang. Doctus concionator auditorium suum in materia fidei optimè instruere potest; sed sinè Dei auxilio ad pœnitentiam, ad amorem Dei & Proximi, ad humilitatem, &c. non movebit; hi enim similésque motus, cùm supernaturales sint, nonnisi à supernaturali agente causari possunt, quòd ut fiat, preces & bona opera adhibenda. Unde ait S. Aug. de Doct. Christ. c. 4. *Pietate magìs Orationum, quàm oratorum facultate se posse non dubitet; ut orando pro se ac illis, quos est allocuturus, sit Orator antequam Doctor; priusquam exserat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem; ut eructet quod biberit, vel quod impleverit, effundat.*

SECT.

SECTIO XXIV.

Qualis debeat in Concionibus proponi populo Doctrina.

Doctrina populo proponenda simplex & recta.

DOctrina, quàm Concionator proponit, sit sancta, intelligibilis, & moralis, quæ apta sit ad intellectum Auditorum illuminandum, & voluntatem ad virtutis studium inflammandum, excerpta ex S. Scripturâ, Sanctis Patribus, piisque Authoribus, rarissimè ex Ethnicorum scriptis: nec est quòd Concionator multùm laboret de exquisitâ sermonis elegantiâ; ornanda est Concio ùt honesta matrona, non ùt dissoluta & vagans meritricula, quæ adscititio ornamentorum fuco ad luxuriam se ornat. *Prudentibus*, ait S. Prosper, *non placent phalerata sed fortia*; *Bonorum ingeniorum*, juxta S. Augustinum, *insignis est indoles; in verbis verum quærere non verba; quid enim prodest clavis aurea, si aperire, quod volumus, non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est.* Idem hac de re fert judicium Seneca Ep. 115. ad Lucillium. *Nimis anxium esse te circa verba & compositionem, mi Lucilli, nolo; habeo majora quæ cures; cujuscunque orationem videris solicitam & politam, scito animum quoque non minùs pusillis occupatum. Magnus ille remissiùs loquitur & securiùs; quæcunque dicit plùs habent fiduciæ quàm curæ; nôsti quamplures juvenes barbâ & comâ nitidos, de capsulâ totos; nihil ab illis speraveris forte, nihil solidum. Oratio vultus animi est; si circumtonsa & fucata*

& manufacta, ostendit illum quoque non esse syncerum, & habere aliquid fracti: non est ornamentum virile concinnitas.

Objicitur nobis, ait S. Ambros. Lib. 1. Epis. 1. Scriptores nostros non servare Rhetorices regulas, sœpiúsque ab iis contra eas peccari: *Nec nos obnitimur, non enim secundùm artem scripsere, sed secundùm gratiam, quæ super omnem artem est. Prædicatio Christiana*, ait idem in 1. Cor. cap. 1. *non indiget pompâ & cultu sermonis; ne videatur esse ex versutiâ & calliditate humanæ sapientiæ, non ex veritate.*

Sermones & Conciones de Christo ejúsque doctrinâ, debent quandam cum ipso habere similitudinem. Quid in tota vita Christi ab extrà videre fuit præter paupertatem, humilitatem, contemptum, crucem, & passionem? Hic ipse tamen Christus ab intrà gloriâ & honore coronatus, & Divinitate repletus erat; sic & constituta sit doctrina, quæ de eo traditur; absit luxurians cultus, recta sit & simplex; ab intrà verò spiritu sancto & virtute Christi repleta. *Idoneos nos fecit*, ait S. Paul. 2. Cor. 1. *Ministros novi Testamenti, non literâ, sed spiritu.*

Quando adhiberi possit rhetorica.

Per hoc interim nequaquam prohibetur, quò minùs Concionator adhibeat subsidium Rhetorices; sed cavendum, ne sit affectatum; uti eo cum fructu potest, si quodammodo sponte in mentem, calamum, & orationem influat, sítque materiæ, quam tractamus, omnino accommodatum, & quasi connaturale: ità miles in medio conflictu inveniens gladium pretiosis lapidibus undequaque ornatum, eundem arripit, & utitur; non

non quia pretiosa sunt, sed quia arma sunt. Licèt ergo Concionator talentis abundè instructus, elegantem facilè sermonem ex regulis Rhetorices concinnare possit, meliùs tamen faciet Populo proponere talem, qui spiritu plenus moveat, qui ex purâ intentione ad gloriam Dei & Proximi salutem promovendam procedat; qui unicus Concionum debet esse finis. Elegantes sermones auribus quidem placent; sed fructum, qui potissimum spectandus est, non faciunt. Aurum & gemmæ gladium ornant, sed solum acumen juvat ut secanda penetrem.

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECTIO XXIV.

Quis optimus sit Concionator.

Quàm hoc in puncto erroneè judicat sæpe plebs & indoctum vulgus! ille, qui fucatis grandesonantium verborum, troporum, & figurarum phaleris & parergis sua profert, æstimatur, laudatur, suspicitur, & vix non adoratur: apud Deum econtra optimus est, qui solius Dei gloriam spectat, nihili æstimans sive laudetur, sive vituperetur, dummodo peroret cum animarum fructu & lucro. Arbores altissimæ non semper producunt optimos fructus, & ad nihil aliud prodest eis proceritas, quàm ut vehementiùs à ventis impetantur: econtra pomi, pyri, ficus, quæ non ità excrescunt, tutiori sunt loco, melioresque afferunt fructus. Unicus finis concionum esse debet, lucrari animas; hunc finem qui assequitur, optimus Concionator est; sicut optimus sagittarius est, non qui aureâ utitur sagittâ, sed qui punctum metæ proximè tangit.

LIB. III. PARS I. CAP. X. SEC. XXV.

SECTIO XXV.
Documenta pro Confessariis.

Excellentia officii Confessarii.

EXcellentiſſimum officium eſt, quo funguntur Confeſſarii, vi cujus & portæ inferni obſerantur, & Cœli aperiuntur; vi cujus è ſervitute Diaboli homo eripitur, & in ſortem filiorum Dei aſſeritur; vi cujus homo à peccato, quod ſolùm verè malum dicendum eſt, quod ſolùm profeſſus Divinæ Majeſtatis hoſtis eſt, quod hominem plùs deturpat, quàm quidquid ſordidum, quidquid turpe eſt, abſolvitur; vi cujus datur homini gratia ſanctificans, quæ entitas ſupernaturalis eſt, & radius Divinitatis, per quam ſupra omnem creatam pulchritudinem homo ornatur. Per nullum officium hierarchicum, ſolo Miſſæ ſacrificio excepto, Deus magìs honoratur, Angeli magìs lætificantur, mundus magìs ornatur, quàm per adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ. Debet igitur hoc ſuũ miniſteriũ magni Confeſſarius facere, certus, ſe tempus nulli exercitio ſalubrius, excepto Sacrificio, impendere poſſe, quàm exceptioni Confeſſionũ; & quia ordinariè, quod excellens eſt, non unam poſt ſe trahit difficultatẽ, oportet ut omnes occurrentes moleſtias, & tædia invicto animo perrumpat, & ſuperet, ſi ſuo hac in parte ſatisfacere velit officio.

Quænam ſcire debeat Confeſſarius.

In quem finem ſcire debet diverſitatem peccatorum, debet in promptu habere media pro exigentiâ rei pœnitenti ſuggerenda, magnâ debet ſe puritate cordis armare; ne dum alios è ſordibus extrahit, ipſe in eas prolabatur; unde, cùm Chriſtus ſuis Diſci-

pulis daret poteſtatem remittendi peccata, dicebat Joan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum.* Opus præterea eſt magnâ diſcretione, ut quemque pro ſuo genio & diſpoſitione naturæ gubernare, inſtruere, & ducere poſſit. Diverſiſſimæ ſunt hominum conſcientiæ, & indoles; unus peccata ſua excuſat; alius enumerat per multas ſuperfluas ambages detinens tam Confeſſarium quàm Confeſſuros: alii ſunt conſcientiæ nimis anguſtæ & ſcrupuloſæ, alii laxæ: alii ſunt melancholici, tetricis implicati cogitationibus & ferme deſperantes; alii audaces & frontis perfrictæ, qui cum ipſo etiam Confeſſario diſputare non erubeſcunt; alii obſtinati nullum dantes pœnitentiæ & doloris ſignum. Ut hos ſimileſque pœnitentes bene regat & inſtruat Confeſſarius, magnâ opus eſt diſcretione & patientiâ. Ante omnia curare debet, ut per adductas (breviter tamen) rationes & motiva ad dolorem ſuaviter excitet; omnibus verbis aſperis & acribus abſtineat; Sacramentum enim Pœnitentiæ, eſt Sacramentum & tribunal miſericordiæ, in quo peccator quietem inveniat, non autem magìs affligatur & angoribus profundiùs immergatur.

Attendere præterea debet Confeſſarius, ut omnes ſeu divites ſeu pauperes; ſeu nobiles ſeu ruſticos æquali excipiat amore & promptitudine. *Nulla erit diſtantia perſonarum*, mandat Dominus Deuteron. 1. *ità parvum audietis ùt magnum, nec accipietis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt.* Major ſœpe inſtructionis fructus ſperari poteſt à rudi plebeculâ, quàm doctis & divitibus;

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECTIO XXVI.

Confessario confessiones excepturo quid faciendum.

non enim tot & tanta intercurrunt impedimenta in plebe quàm in doctis.

Ingressurus confessionale animo perpendat dignitatem muneris, recogitans se laturum judicium, quod magno illo decretorio die, cùm Dominus ad judicandum venerit, ratum & gratum habebitur; quodque paucis verbis majora patraturus sit miracula, quàm olim Moyses admirabili virgâ suâ. Hoc facto Deum oret, ut ad ejus gloriam & beneplacitum dignè hoc officio fungatur, ut talia eidem verba suggerat, quibus cor Pœnitentis tangat & emolliat. In quem finem orationem multis Confessariis familiarem præmittere poterit, quæ hîc apponitur: *Domine Deus omnipotens, qui non vis mortem peccatoris; sed magìs ut convertatur & vivat, propitius esto mihi peccatori, & suscipe orationem meam, quam pro famulis & famulabus tuis peccata sua confiteri cupientibus, ante conspectum clementiæ tuæ humiliter offero, ut eos pariter & à peccatis exuas, & in futuro ab omni crimine illæsos custodias.* Per Dominum &c.

SECTIO XXVI.

De exemplari Conversatione.

INter ea, de quibus provisum esse debet ei, qui ex officio saluti aliorum intendere debet, non ultimum est, exemplaris vita & conversatio; plurimùm apud Proximum valet, eúmque ædificat vita alterius bona; sicut & destruit plurimùm vita mala & inordinata. Unde admonet Sanct. Petrus omnes Christianos: *Conversationem inter gentes habentes bonam.* Et S. Paulus suum

Ti-

LIB. XII. PARS I. CAP. X. SECTIO XXVI.

Timotheum: *Exemplum esto fidelium in verbo & in conversatione.* Nec mirum, quod hoc ab Apostolis ità urgeatur; conversatio enim bona amorem apud omnes conciliat, omnibus est grata & accepta, obtinétque dominium in corda hominum: cum Viro exemplaris conversationis libenter agimus, libenter loquimur, libenter illum audimus, confidenter secreta cordis pandimus, libenter & promptè ejus consilia sequimur. Debet hæc conversatio esse similis conversationi Christi, quando inter nos in terris corporaliter vivere dignatus est; debétque nihil terrenum, sed omnia cœlestia & sancta in moribus & vita elucere; ut quodammodo Dii habeamur. *Tales convenit esse Dei cultores & servos, mansuetos, graves, prudentes, pios, irreprehensibiles, immaculatos; ut qui viderit eos, stupeat, & admiretur & dicat: Hi homines sunt Dii, quorum talis est conversatio.* S. Aug. De Vitâ Christian. Conversatio ergo nostra debet esse honesta finè præsumptione, dulcis finè tædio & amaritudine, urbana finè affectione, obsequiosa finè repugnantiâ, candida & syncera finè fraude. Cor interim non omni homini revelandum, sed pro qualitate societatis plùs vel minùs: præsumptuosis & impudentibus animus non est patefaciendus; cum synceris agendum syncerè. Melancholicis non esto familiaris, sed tantùm partem animi tui iis crede; suspiciosum enim solet esse hoc hominis genus, & quælibet in sinistram partē amat interpretari. Hæc omnia dividemus in conversationem urbanam & delectabilem; prudentem & utilem.

Qualis debet esse nostra Conversatio.

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECTIO XXVII.

SECTIO XXVII.

De Conversatione urbanâ & delectabili.

Conversationi delectabili studendum.

QUia homo animal sociabile est, hinc laborandum est, ut unus alteri conversationem suam reddat gratam; quod adeò necessarium est, ut Aristoteles 8. Ethi. cap. 5. judicet, impossibile ferme esse vel uno die morari apud hominem tetricum, à quo exulat omnis urbanitas & morum suavitas; unde concludit S. Thom. 2. 2. q. 12. art. 1. quod quis à naturâ obligatus sit, *ut aliis delectabiliter convivat*: nisi hîc & nunc contrarium fieri debeat, adsítque sufficiens causa, ex fraterna caritate aliû contristandi.

Lingua ad conversationem delectabilem plurimùm contribuit.

Lingua in primis, quæ plurimùm ad conversationem delectabilem confert, bene instruenda, & cura eidem adhibenda omnino singularis. Nam ùt ait Eccles. c. 6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis in bono homine abundat. Sapiens in verbis se ipsum amabilem reddit*: idem Eccles. cap. 20. Item de Sponsa dicitur Cant. 4. *Favus distillans labia tua Sponsa, mel & lac sub linguâ tuâ.* Qui hoc melle & lacte linguam condire potest, certus sit, gratissimam aliis futuram esse suam conversationem, séque multa mira in conversatione cum aliis patraturum: ùt enim ait Cice. Offic. 1. *Difficile dictu est quantopere conciliet animas hominum comitas affabilitásque sermonis. Popularis & grata est omnibus comitas*, juxta S. Ambros. 2. Off. cap. 7. *nihílque quod tam facilè illabatur humanis sensibus: & si mansuetudine morum, ac facilitate ani-*

mi;

mi ; moderatione præcepti, & affabilitate sermonis, verborúmque honore, patienti quoque sermonum vice, modestiaq; adjuvetur gratiâ, incredibile quantùm procedit ad cumulum dilectionis.

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECTIO XXVII.

Inurbanitas conversationi & bono proximi nocet.

Sunt multi viri egregii, qui magno in animarum lucra, desiderio feruntur, quique magno affectu, verbo & opere Proximo adsunt; sed quia adsunt rudi & modo inurbano, tantùm utilitatis ex laboribus & obsequiis impensis non resultat quantùm resultâsset, si cum affabili morum urbanitate & comitate obsequia impendissent. Amori urbanitas ùt individua comes jungenda; hæc enim dat vim, vigorem & decus amori. Si Viri aulici singulari cum aliis urbanitate conversentur, cur non & famuli Regis æterni? & hoc non tantùm, quia urbanitas res per se honesta est; sed etiam quia plurimùm conducit ad salubriter cum Proximo agendum.

Errant in hoc puncto quamplurimi enormiter, dum in honesta societate constituti, putant sibi loqui non licere, timentes ne impingant; sed hi tales ob hanc nimiam & indiscretam cautelam nocent tum se ipsis, dum animum quodammodo suffocant, & ad officia fraternæ caritatis prorsus inhabiles se reddunt; tum Proximo; dum eum privant variis bonis, quibus ditari posset, si affabiliter cum eo ageret & loqueretur.

A quibus in conversatione abstinendum.

Vitandi in conversatione & colloquiis sunt præsumptuosi, audaces, impudentes gestus, imperiosus loquendi modus; abstinendum ab omni propria laude, à verbis contumeliosis, detractoriis, irrisoriis, lo-

quendum

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECTIO XXVII.

quendum de omnibus bene, exteriúsq; prodendum, quod quemque secundùm conditionem statûs & officii æstimemus & honoremus. Stulta imaginatio est, qua non rarò sibi quis persuadet, temerariam suam in loquendo licentiam non malè sumendam; certè omnibus per fatuos & ingenuè educato indignos sermones odiosum se reddit. Noli erga ullum irreverens esse, & te reciprocè omnes reverebuntur. Cum irreverenti ordinariè agitur irreverenter. *Deferre humiliter aliis honorem*, ait S. Bonav. in Spec. c. 16. *caritatis est fraternæ, fomentum conscientiæ bonæ, illustrísque animi evidens argumentum; vix, nisi socio deferas, cum ipso proficies.*

Conversatio quomodo læta esse debeat.

Ut conversatio suam assequatur perfectionem, debet, quantùm honestas & modestia permittit, esse læta & delectabilis, longè remota à tetrico melancholicorum phantastarum modo, qui tristibus continuò immersi cogitationibus, quidquid proferunt, amaro & lamentabili Væ condiunt. Non interim intelligitur hîc dissoluta illa & vaga levitas, insulsi sales, excussi risus, stultiloquia, pueriles & ludicræ historiunculæ, sermones vel à longè venerem sapientes; sed lætitia illa, quæ gravis & simul sancta sit: quæ, ùt ait S. Bernard in Cant. serm. 85. oritur ùt effectus à suâ causa, ab interiori animi decore & tranquillitate, *Quæ diffundit per membra & sensus, quatenus omnis inde reluceat actio, sermo, aspectus, incessus, risus; si tamen risus mixtus gravitate & plenus honesti: horum & aliorum profectò actuum, sensuúmque motus, gestus & risus, cum apparuerit, serius, purus, modestus, totius expers inso-*

insolentia atque lascivia, cum levitatis tum ignavia expers erit. Candidè ergo, syncerè & audacter procedendum sinè omni tamen temeritate & præsumptione. De S. Cypriano in ejus vitâ sic legitur: *Tantum sanitatis & gratia ex ore lucebat, ut confunderet intuentium mentes gravis vultus & latus, nec severitas tristis, nec comitas nimia, admixta utrimque temperies, ut esset ambigere, vereri plùs an diligi mereretur, nisì quòd & vereri & diligi merebatur.* Hunc Virum imitare, & multum fructum afferes omnibus carus: *Labia enim justi considerant placita, & os impiorum perversa.* Proverb. 10. 32. vel, ùt 70. habent: *Verba Virorum justorum distillant gratias: os autem impiorum pervertit.*

SECTIO XXVIII.

De conversatione prudenti & utili.

Estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut columba, ait Christus Matt. 10. Animalia illa ab Echeziele in spiritu visa cap. 10. quæ erant figura Sanctorum, *erant plena oculis antè & retrò. Quia Sanctorum actio*, ùt ait S. Greg. hunc locum explicans, *omni parte circumspecta est, bona desideria utiliter prævidens, & mala solerter cavens.*

Primum ad Conversationem prudentem requisitum.

Observandum ergo, ut conversatio prudens sit, *Primò*, ne Deus in aliquo offendatur; nulla in Conversatione nostra adeò generalis regula dari potest, quæ non patiatur interdum exceptionem, hæc sola excipitur: *Nil contra Deum.* Nullam hæc regula admittit glossam; sed strictè, ùt verba jacent, accipienda;

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECTIO XXVIII.

pienda; esto urbanus, esto affabilis, esto obsequiosus & hilaris; sed cave, ne quid contra Deum. Sicut Deus unica omnis justitiæ regula est; sic omnia, quæ huic regulæ non concordant, quantumcunque coram oculis hominum recta & speciosa videantur, grossa, crassa, & distorta haberi debent.

Secundum

Secundò observandum est, ut conversatio correspondeat ætati & statui nostro; aliqua sunt, quæ sæcularem non dedecent, sed religioso non conveniunt; gestus nonnihil liberiores quadrare possunt juveni, non ità seni; viro docto multa loqui licet, non ità ignaro, &c.

Tertium.

Tertiò attendendum ad personas, quibuscum conversamur: Vix duos reperies ità sibi similes, ut uno eodémque modo fructuosè cum iis agi possit. Optimum hac in parte dat consilium S. Paul. ad Coloss. cap. 4. *Sermo vester semper in gratiâ sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuiqe respondere.* Quem locum S. Ambros. ità explicat: *Ideo hac monet; aliter enim cum Potentibus mundi, aliter cum Mediocribus, & aliter cum Humilibus agendum est; aliter item cum Mansuetis, aliter cum Iracundis, quibus cedi oportet.* Ità egit cum proximo S. Paulus, ùt ipse de se testatur 1. Cor. 9. *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucri facerem: & factus sum Judæis Judæus, ut Judæos lucrarer; iis qui sub lege sunt, quasi sub lege eßem, cùm ipse non essem sub lege; ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem: iis qui sine lege erant, tanquam sinè lege essem, cum sinè lege Dei non essem, sed in lege essem Christi, ut lucrifacerem eos, qui sinè lege erant: factus sum in-*

firmis

firmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.

Quartum.

Quartò in converſatione, quam quis utilem & ſalutarem deſiderat, præcipuè obſervandum, ut in cujuſcunque animum & affectum nos inſinuemus, &, quantùm ſancta patitur diſcretio, tempori ſerviamus. Quantùm in hoc puncto non laboratur in aulis Principum; omnem movent lapidem viri politici, ut poſt inſpectas penitiùs alterius affectiones eiſdem ſe accommodent, ſibíque cor & animum alterius ſuffurentur, ut quocunque voluerint, inclinare poſſint: quare ergo in hac ſanctâ animorum captivatione Chriſti famulus deſes eſſet, cujus finis longè nobilior eſt, quàm ille Aulicorum. *Debemus nos firmiores,* ait S. Paul. ad Rom. 15. *imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere; unuſquiſque veſtrum Proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem, etenim Chriſtus non ſibi placuit.*

Quintum.

Quintò attendendum ad occaſiones & tempus. *Fili,* ait Eccleſ. cap. 4. *conſerva tempus;* vel ùt Janſenius legit, *Obſerva tempus. Homo ſapiens,* ait idem Eccleſ. c. 20. *tacebit uſque ad tempus, laſcivus autem & imprudens non ſervabunt tempus: ex ore fatui reprobrabitur parabola, non enim illam dicit in tempore ſuo.* Proficuum & utile ordinariè erit, ut diſcurſus inchoetur, qui ei, quo cum agere intendimus, gratus eſt, ut ità paulò poſt ſermo vertatur ad id, quod alteri utile: non raro expedit, ut alteri mora diſcurrendi relinquatur, ipsíque cum patientiâ attendatur, quidquid tandem proferat; dummodo nil contra

Deum;

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECTIO XXIX.

Sextum.

Deum; pióque artificio discursus spirituales politicis & mundanis connectendi sunt: qui unicus Religiosorum cum sæcularibus conversandi finis esse debet.

Sextò notandum, discursus ad longum protrahi non debere. *In multiloquio* ait Sap. Proverb. 10. *non deerit peccatum, qui autem moderatur labia, prudentissimus est.* Vix possibile est, ut inter protractos discursus unum alterúmve verbum non excidat, ex quo nostri defectus interni, animíque passiones non patefiant; ex quo fit, quòd conceptam de nobis existimationem, ii, quibuscum agimus, deponant, tædium ex conversatione nostrâ hauriant, & itâ parum fructificemus. Legimus de S. Laur. Justiniano Suri. 8. Jan. *Sermone fuit suavi, brevi & pondere pleno.* Imitandum hoc erit volenti fructuosè agere cum Proximo. Esto sint tui discursus suavissimi, si ad nauseam protrahas, desipient. Panis est bonus, mel & saccharum suave, sed nimium vertitur in vitium & nauseam; unde cavendum, ne visitationes sint frequentes, ne tædium, alloquium vel accessus nimiùm repetiti, pariant. *Subtrahe pedem tuum de domo Proximi tui,* vel, ùt Heb. habet, *pretiosum, rarum, fac pedem tuum, ne quando satiatus oderit te.* Unde veræ sapientiæ fundamentum gentiles posuerunt hanc regulam: *Ne quid nimis.*

SECTIO XXIX.

De Modestia.

Materia & forma De mo: destiæ

MOdestia virtus est, cujus officium est, mores & motus corporis secundùm ra-

rationem regere & componere ; materia circa quam versatur, sunt prædicti motus, visus, incessus, sermones, & reliquæ corporis actiones ; forma verò actionibus externis communicanda est, ut modum moribus imponat secundùm cujuscunque officium, senium, dignitatem, negotia, locum, tempus. Ab hoc modo Modestia nomen sortita est, quasi à modo motibus imponendo. Virtus hæc plurimùm ornat eos, qui supra candelabrum positi, aliis lucere debent.

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECTIO XXIX. *modestia quæ ?*

Modestia, ut apud omnes æqualis sit, non convenit; viri maturæ ætatis, multis gravibúsq; negotiis occupati alia debet esse modestia, quàm religiosi novitii ; alia honestæ provectioris ætatis matronæ, quàm juvenculæ virginis &c. quod uni licet, non statim licet etiam alteri.

Modestia duplex est.

Modestia hæc duplex est ; una affectata, éstque eorum, qui, cùm ab aliis videntur, in exterioribus valde mortificati & modesti sunt, remotis verò arbitris, cùm suis adsunt, omnis modestia evanescit, & per omnes ineptias, nugas, & scurrilitates diffluunt. Alia est semper & ubique constans, quæ nascitur, ùt notat S. Thom. 2. 2. q. 160. art. 2. à modestiâ interiori animíque candore ; de quo ità loquitur S. Petr. 1. Ep. 3. *Qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate, quieti & modesti Spiritûs.* Quæ modestia fundata est in continuâ viváque præsentiæ Dei memoriâ, coram quo, ùt infinitâ majestate, supremóque suo Domino ex magnâ reverentiâ se deprimit & humiliat. Et quia hæc de præsente Deo recordatio multis replet animam suavi-

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECTIO XXIX.

tatibus, eandem ad externa distrahentia effundere non potest. Et hæc est vera Modestia; quæ constans sempérque eadem est, nocte & die, domi, ruri, publicè, privatim; quia Deus, quem hæc Modestia respicit, ubique præsens est, ubique summâ reverentiâ dignus. *Finis Modestiæ*, ait Sap. Proverb. 22. *timor Domini, divitiæ, & gloria & vita.* Sinè hac præsentiæ Dei memoriâ subsistere in longum non potest Modestia; subsistet autem, si hanc memoriæ firmiter impresseris.

Illius effectus.

Effectus hujus virtutis varii sunt; ordinat & ad suam coaptat regulam omnes sensus & motus corporis; ordinat caput, vúltque ut illud erigamus, cum nonnullâ tamen inclinatione, absque omni in quamlibet partem agitatione, ut, si necesse sit, illud modestè cum gravitate vertamus: oculos docet in terram ordinariè figendos, raro, nec altè nimis erigendos; neminem torvis, sed blandis vult oculis quemlibet aspici; frontem sinè rugis & sine latentis iræ vel vindictæ indiciis jubet habere exporrectam: labia vetat nimiùm comprimi vel nimiùm distendi: hianti ore in risum excuti prohibet, nec dentibus vult strideri: verbo; prohibet omnes inordinatos corporis & singulorum membrorum motus.

Modestia in vultu & discursibus relucere debet.

Præcipuè vultûs cura habenda est, cujus singularem semper habuerunt viri sanctitate & prudentiâ eximii, nec quidquam distortum contra Modestiæ regulas in eo, ùt præcipuâ corporis parte omnibus patente, passi sunt. *Sapientia hominis lucet in vultu ejus.* Eccles. 8. *& potentissimus faciem illius commutabit.* Vel, ùt

ùt 70. habent, *Impudens vultu suo odietur.* Et alio in loco Proverb. 17. *In facie prudentis lucet sapientia, oculi stultorum in finibus terræ.*

LIB. III. PARS I. CAP. X. SECTIO XXX.

Modestia modum mensurámque ponit discursibus, ne in loquendo simus vel nimis parci vel nimium prodigi; quod fit, si alterum interpellemus, vel laxatis linguæ habenis discursus ità protractos effundamus, ut aliis nec tempus, nec mora loquendi detur. Suum dat Modestia voci tenorem, ne sit nimium remissa, non fracta, nil fœmineum sonans; sed formam quandam ac regulam, & succum virilem continens. *Ipsum vocis sonum,* monet S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 18. *libret modestia, nec cujusquam offendat aurem vox fortior; ne quid indecorum sermo resonet tuus, nullum verbum inhonestè cadat.* Ità & S. Paul. ad Eph. 4. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus; omnis amaritudo & ira, & indignatio & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitiâ.* Modestia ergo omnes omnium membrorum actiones adeò concinne ordinet & disponat, ut nihil sit, quod jure à videntibus taxari possit.

SECTIO XXX.

Modestiæ studendum, quia nobis & Proximo nostro valde proficua est.

Dives est, juxta S. Ambros. lib. 1. off. cap. 18. *Modestia, quia portio Dei est.* Portio quæ cum Essentiâ Divinâ quandam habet conformitatem; sicut enim Deus omnia or-

LIB. III. PARS I. CAP. X. SEC.XXX.

Modestia facit hominem spectabilem.

dinavit in numero, pondere, & mensurâ; ità & Modestia actionibus hominis modum, mensuram & regulam ponit. Utilissima hæc virtus nobis est; facit enim nos Deo & Angelis caros, toti mundo reverendos. Pretiosa & affabre consuta vestis spectabilem reddit, qui eâ vestitus est; vilis econtra lacernula, despectũ; ità & secundùm Modestiæleges compositi mores sumopere hominem ornant & extollunt; morum econtra grossities facit despicabilem, & apud omnes contemptum.

Et recollectum.

Modestia proficua est recollectioni & interiori mentis devotioni, per modestiam siquidem clauduntur portæ sensuum, per quos sœpius mors in animam intrat. *Per quinque sensus*, ait S.Hieron.lib. 2.in Jovin. *quasi per quasdam fenestras vitiorũ in animum introitus est. Non potest Metropolis & arx mentis capi, nisi per portas ejus irruerit hostilis exercitus, horũ perturbationibus anima prægravatur & capitur, aspectu, auditu, odoratu, sapore, & tactu.* In eundem fermè modũ hac de re scribit S.Ambros.de fugâ sæculi cap. 1. *Respexit oculus & sensum mentis avertit; audivit auris & intentionem inflexit; inhalavit odor & cogitationem impedivit; os libavit & crimen retulit; tactus contigit & ignem adolevit: intravit mors per fenestram, dixit Propheta, fenestra tua est oculus tuus.* Hæc mala ne eveniant, studiosè curat Modestia; ex quo quanti æstimanda sit, abunde colligi potest: hæc siquidem exteriores sensus refrœnat, per quos creaturæ in animam irrepunt, à quibus, si mens occupetur, ex eâ elabitur, quod divinum & spirituale est. Magna inter corpus & animam sympathia est, tantáque in-

in- & exterioris hominis connexio, ut pars una alteri suas qualitates communicet: membra interiora malè affecta mox statum suum minùs prosperum per colorem in vultu pallidum; si verò sint omnia prospera per colorem vivacem produnt: ità etiam, si animus bene fuerit ordinatus, optimo ordine & suavi harmoniâ cohærebunt & dispositi erunt mores externi, séque interior mentis pulchritudo, quæ aliàs soli Deo & Angelis patet, in exterioribus actionibus per evidentia Modestiæ indicia manifestabit; ex vultu enim & exteriori morum qualitate judicatur, num quid veræ virtutis in animo lateat. *Habitus mentis*, ait S. Ambr. 1. off. cap. 18. *in corporis statu cernitur; hinc homo cordis nostri absconditus aut levior aut jactantior, aut turbidior, aut contra gravior, & constantior & purior & maturior æstimatur; itáque vox quædam est animi, corporis motus.* Idem conformat Eccles. c. 19. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus; amictus corporis & risus dentium & ingressus hominis enunciant de eo.*

Ædificat Proximum.

Præter hanc utilitatem nobis propriam, accedit & utilitas Proximi, quæ, si modestiæ studuerimus, infallibiliter consequetur; cùm enim in nobis nihil, nisì quod externum est, videri possit; exterior autem homo secundùm interiorem mentis & virtutum qualitatem se regat & ordinet, facilè colligi potest, quòd, si secundùm interiores virtutes in exterioribus nos Proximo exemplares exhibeamus, eidem ad ædificationem cessura sit corporis nostri compositio; econtra in destructionem, si per inordinatas actiones

& mores contra Modestiam peccemus. Unde optimè dicit S. Amb. in ps. 118. *Pretiosum est, videre virum justum, ut videas eum secundùm imaginem Dei: justi sanat aspectus, & ipsi oculorum radii virtutem quandam videntur infundere; plerisque Justi aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus verò lætitia: quàm pulchrum ergo, ut ardearis & prosis.*

Christus modestiæ exemplum

Admirandum perfectissimæ Modestiæ exemplum, quod nobis omnibus imitandum est, fuit Christus Dominus; in quo sicut omnes virtutes in gradu fuêre excellentissimo, sic & Modestia; quæ ità suaviter affecit S. Paulum, ut si quid petere & infallibiliter à Corinthiis obtinere voluerit, eos rogaverit per Christi Modestiam. *Obsecro vos* ait, 2. Cor. 10. *per Modestiam Christi.* Hunc ergo modestissimum Redemptorem nostrum ante oculos mentis nostræ ponamus, ejúsque contemplemur & observemus modestissimam in alloquio, in incessu, in omnibus corporis membris compositionem, talem in ipso apprehendentes Modestiam, qua major esse non potest, eámque omni studio imitemur, donec Christus formetur in nobis.



LI-

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠ ✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

LIBRI III. PARS II.

De Cognitione & Amore Christi.

CAPUT PRIMUM.

Amor Christi excitat amantem, ut in virtutum studio semper proficiat.

EXcellentia Caritatis tanta est, ut se ipsâ, sibíque propriis actibus nequaquam contenta, in alias etiam virtutes dominium exerceat, imperétque omnibus virtutibus, ut perfectissimo, quo potest fieri, modo, actus suos exerceant: & itá omnia aliarum virtutum opera splendididissimis Caritatis radiis illustrantur. Sicut ergo omnium affectuum & passionum ferventissima & vivacissima est Amor; sic & inflammata amore anima quiescere & feriari non potest, semper operatur, semper progreditur, bona opera continuò multiplicat, sciens, quòd per minimum bonum opus non tantùm Christo novum diadema imponatur, honor promoveatur & manifestum sui amoris argumentum Christo exhibeatur; sed quòd & ipsa per quodlibet opus bonum in gratia Dei, & eâ mediante in Caritate, tam in hac quàm in alterâ vitâ crescat. *Caritas Christi urget nos*, ait Apost. 2. Cor. 5. urget, ut semper pro Dei gloriâ & nostrâ salute boni aliquid operemur.

Amans de virtute pergit in virtutem.

Ità operari Justorum est; *Ibunt de virtut in virtutem*, prædicit de illis David ps. 83. vel, ùt alii apud Lorin. legunt, *de fortitudine in fortitudinem, de opulentiâ in opulentiam, de cumulo ad cumulum.* Patri consentit Filius Salomon Proverb. 4. *Justorum semita quasi lux splendens, procedit & crescit, usque ad perfectum diem.* Ità progreditur Sponsa in Cant. Canticorum, de qua cap. 6. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ùt Luna, electa ùt Sol.* In tribus his Cœli luminaribus tria notanda sunt: *Primò*, quòd eorum motus fiat in Cœlo. *Secundò*, quòd fiat incredibili celeritate. *Tertiò*, quòd ne momento à motu quiescant. Simili motu in virtutibus justi progrediuntur; eorum profectus est in Cælo, non in Terrâ, hoc est, eò collimat omnis eorum labor & industriâ, non ut divitiis, honoribus, & voluptatibus, quæ vana & terrena sunt, potiantur, sed ut majorẽ animi recollectionem, puriorem intentionẽ, vivaciorem Fidem; firmiorem Spem, intensiorem Caritatem, conjunctiorem cum voluntate Dei unionem, cæteràsque sublimes virtutes in gradu excellentissimo consequantur. Hic motus non est tardus & difficilis, sed instar motûs solaris, promptus, expeditus, & velox. Est denique motus justi ne ad momentum temporis quiescens, sed semper desiderat à Sole Justitiæ novis & novis radiis illustrari, in continuo & nunquam interrupto motu usque ad altissimum perfectionis gradum progredi gestiens. Cujus motûs causa *prima* est, quia Dei Spiritus, qui eos ad progrediendum in virtutibus movet, purus est

Quatuor rationes ob quas Justi continuò proficere studeant.

actus, qui semper operatur, quìque animam Justi ad continuos in virtutibus progressus acriter exstimulat. *Secunda*, quia Justi à Deo illuminati ruminant serióque perpendunt, quanti momenti negotium sit, animæ salutem procurare; quantæ qualésque sint divitiæ & deliciæ, quas sibi in æternum parare possunt; quam breve sit tempus, quod pro iis comparandis conceditur; quanta incumbat illis obligatio pro innumeris à Deo acceptis gratiis toto eidem corde, totóque studio deserviendi. *Tertia*, sciunt & agnoscunt ideo tantùm iis vitam prolongari, ut virtutum studio indesinenter incumbendo, se in illis perficiant. *Quarta*, probè nôrunt, & ùt infallibile credunt commune illud inter ascetas: *Non progredi, regredi est. Tamdiu*, inquit S. Aug. Ep. 143. ad Demetr. *non relabimur retrò, quamdiu ad priora contendimus; at ubi cœperimus stare, descendimus, nostrumque non progredi, reverti est.* Sumus, quamdiu vivimus, in statu, in quo nunquam in eodem permanetur; vel fit homo omni momento melior vel pejor: éstque similis navi, quæ, si contra adversum fluvium toto conatu non impellatur, se ipsâ secundum fluvium sequitur, & præcipiti impetu ad inferiora tendit. Ratio hujus est, quòd secundùm communem, homo teneatur actiones dirigere ad honestum finem, nec dentur in individuo opera indifferentia. Et esto hæc doctrina certa omnino non esset, verum tamen manet, quòd, sicut mercator opportunam negotiandi occasionem negligens non exiguum patitur damnum; sic & homo dies, horas & momenta sinè

nè fructu & lucro ſpirituali abire permittens, maximam plurimorum bonorum jacturam faciat.

SECTIO I.

Aliquot præclara, & ad conſequendam virtutem proficua documenta.

Ad conſequendam virtutem requiritur primò virtutis deſiderium.

AD virtutem aſſequendam primò opus eſt magno deſiderio, magnáque animi reſolutione. Hæc duo animum obarmabunt, ut perrumpat quidquid tandem obſtare & ſancto labori remoram objicere poſſet. *Initium illius,* inquit Sap. c. 6. *veriſſima eſt diſciplina concupiſcentia. Facilè videtur ab his qui diligunt eam, & invenitur ab his qui quærunt illam, præoccupant qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat.* Similes deſiderantes beatos prædicat Chriſtus Matt. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Deſiderium,* ùt docet S. Thom. 1. p. q. 12. ar. 6. *quodammodo facit deſiderantem aptum & paratum ad ſuſceptionem deſiderati.* Docuit idipſum ante D. Thomam S. Aug. Tract. 4. in Ep. 1. Joan. *Deſiderando capax efficeris, ut implearis.* Hoc interim deſiderium non debet eſſe frigidum vel tepidum, ſed ardens, quale ſolet eſſe famelicorum ad eſcam, ſitientium ad hauſtum. Tale ſolet eſſe ſtudium rei conſequendæ, quale eſt deſiderium illam habendi; ſi deſiderium remiſſum, erit & ſtudium & labor remiſſus; ſi intenſum, & labor intenſus erit; omniaque perrumpet obſtacula, nec quidquam impedire poterit, quò minùs

nùs contendat assequi, quod firmiter consequi proposuit.

Secundò generosa Resolutio.

Secundò. Opus est, ut alacriter & generosè virtutum exercitium aggrediamur, nec patiamur nos occurrentibus difficultatibus absterreri. Quòd adeò pauci in gradu excellenti perfecti inveniantur, causa est, quia laborem fugiunt, metuúntque difficultates oboriri solitas iis, qui piè volunt vivere. *Volumus esse humiles*, ait Thom. à Kemp. in vita Fratris, *sinè despectione, patientes sinè tribulatione, obedientes sinè coarctatione, pauperes sinè defectu, virtuosi sinè labore, pœnitentes sinè dolore.* Consentit S. Greg. Lib. mor. 7. cap. 12. *Esse humiles & tamen sinè despectu; esse contenti propriis sed sinè necessitate; esse casti, sed sinè maceratione corporis, esse patientes, sed sinè contumeliis volunt; cúmque adipisci virtutes quærunt, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud quàm exhibere belli certamina in campo nesciunt, & triumphare in urbibus de bello concupiscunt.* Continet Virtus excellentias & prærogativas tales ac tantas, ut eas certè deses & piger non mereatur: via quæ ad eam ducit, non rosis, sed spinis strata est. *Regnum Cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Matt. 11. Voluit Deus per ipsum Cœli, quod sursum est; & Inferni, qui deorsū est, situm ostendere nobis, quòd labore, sudore, totóque corporis & animæ annisu opus sit, ut Cœlum scandamus: ad Infernum econtra descendere nullius laboris sit. Montem cum difficultate ascendimus, sed descensus facilis; proprio pondere ad ima trahimur, & sinè labore pigrum corpus ab alto devolvere possumus. Terreri igitur diffi-

culta-

LIB. III. PARS II. CAP. 8. SECT. I.

cultatibus non debet, qui virtuti inhiat. Mercatores, Milites, Studiosi nulli parcunt labori, ut divitias, honores, doctrinam; quæ omnia mera vanitas sunt, sibi comparent; & cur laborem quis fugiet, ut virtutem comparet? cujus unicus gradus omnibus divitiis, honoribus, & scientiis præstat.

Tertiò, contemptus humani respectûs.

Tertiò. Respectus humanus pedibus proterendus. Hic pro dolor! respectus est, qui innumeros à virtutum studio retrahit. Dum hæc vel illa virtutis actum exercendi occasio accidit, timor eos percellit, subítq; animum cogitatio: *Quid dicent homines?* Si hoc facias, audies hypocrita; si hoc, haberis simplex; si hoc, scrupulosus; si hoc; phantasta, &c. Hæc incipientium dicteria, virtutis studioso contemnenda. Et si vano hoc respectu tenteris, ut præmeditato bono opere abstineas; regere tentationi: si bonum hoc opus non faciam, quid dicet Angelus meus custos? quid Deus ipse? quodnam judicium sanius? hominum an Dei? Et licèt ab imprudentibus ob exercitũ virtutis actum contemnereris aliud cogitabunt prudentes, aliud Cœlum, omnésque ejus incolæ. Virtus & gloria inseparabiles sunt sorores, ubi una, ibi & altera, sicut & vitia & infamia. Si virtuti studeas, gloria sequetur; si vitiis indulgeas, infamia præ foribus. Paulum sequere judicia hominum contemnentem: *Mihi*, ait 1. Cor. 4. *pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die, qui judicat me, Dominus est.*

Quartò, contra

Quartò. Animus præmuniendus contra tepidorum exempla, quæ sæpius pusillis & infirmis scandalo esse solent. *Universa quacunque*

cunque videris, monet Caſſian. lib. 4. Inſtit. cap. 14. *minùs ædificationis habentia, velut cæcus non videas, ne animatus eorum, qui hæc agunt authoritate vel formâ, ad id, quod deterius eſt, & quod ante damnaveras, traducaris.* Idem ſuadet Nepoti ſuo Valeriano Eucharius in Ep. ad eum datâ: *Ad negligentiam vitæ non nos negligentium turba perſuadeat, nec ad damnum propriæ ſalutis, alienis ducamur erroribus; quid nobis in illo Dei judicio proderit multitudo, ubi ſinguli judicabuntur? obſecro delictum alienum, ſemper ùt opprobrium reſpice, nunquam ùt exemplum.*

LIB. III. PARS II. CAP. I. SECT. II. *mala exempla animus muniendus.*

SECTIO II.

Veris & ſolidis virtutibus ſtudendum, non Virtutum umbris.

FRequens in virtutum ſtudio error eſt, ut loco Virtutis inhietur tantùm ejus umbræ, cortex curetur, nucleus negligatur. Virtus & vitium proximè ſibi cohabitant; fitque non rarò, ut, dum quis ſibi perſuadet pulſare ſe ad januam Virtutis, vicino Virtuti vitio januam aperiat; quam ingreſſus, errorem ſuum advertit, proprióque damno intelligit, ſe nunquam veram Virtutem vel à limine ſalutâſſe. Triplex hac in re contingere poteſt error: primum committunt hi, qui in ſola ſiſtunt Virtutis ſpeculatione, non obſervantes diſcrimen inter ſpeculationem & praxin: licèt de virtute V.G. Temperantiæ ſubtiliſſimè quis ſpeculetur, temperans tamen dicendus non erit, ſi re ipſa à ſuperfluo cibo & potu non abſtineat: ad ſanitatem

Explicatur triplex error qui ſæpe in virtutum ſtudio contingit.

LIB. III. PARS II. CAP. I. SECT. II.

tem corporis recuperandam satis non est, attendere ad medicinas præscribentem Medicum, sed re ipsa uti medicinis debent, qui sanitatem sibi restitui desiderant. Secundus error committitur ab his, qui quidem nonnihil ulteriùs quàm præcedentes progrediuntur, & à cognitione & speculatione ad amorem Virtutis perveniunt; in amore autem sistunt, putantes rem per hoc confectam, séque Virtutem plenè & planè possidere, si Virtutem ament: at sciendum magnam esse differentiam inter affectum ad Virtutem, & Virtutis actuale exercitium. Facile est amare V. G. Obedientiam, Humilitatem, Patientiam, &c. sed diffiile similes virtutes opere ipso exercere ob difficultates in earum praxi occurrentes. Tertius committitur ab his, qui ulteriùs adhuc progredientes, non tantùm agnoscunt & amant, sed opere ipso exercent quod cognitum & amatum est: sed in hoc errant, quod inordinatè nimis inhient internis consolationibus & suavitatibus, quas eisdem Deus ob exercitum virtutis actum communicat, virtutum soliditatem vix quidquam æstimantes; quod nihil aliud est, quàm accidentia virtutum æstimare, substantiam negligere; súntque hi similes pueris, qui saccharum & butyrum è pane delingunt, panem non curantes, cùm tamen saccharum cum butyro ideo pani inspersum, ut panis cum saccharo sumatur. Virtuti ergo ob ipsam Virtutis excellentiam & naturam, non ob suavitates & consolationes Virtutem comitantes studendum.

Triplex est

Triplex est Virtutis gradus, ùt docet Aristo-

LIB III. PARS II. CAP. I. SECT. II.

Virtutis gradus.

ristoteles ; *Primus* vocatur, Continentia ; quando quis Virtutis quidem actum exercet, sed non sinè luctâ hominis inferioris contra Superiorem ; ex quo fit, quod talis operetur cum difficultate. *Secundus* vocatur Virtus perfecta ; quando quis Virtutem exercet delectabiliter, & pars inferior perfectè & sinè contradictione superiori subest & obedit. *Tertius* vocatur Virtus heroica & divina; éstque eorum, qui tantâ cum perfectione operantur, quæ ordinariam hominis perfectionem superat. Gradu infimo contenti esse non debemus, sed ad supremum colluctandum est. *Æmulamini*, ait Apost. 1. cor. 13. *Charismata meliora.* Quisque ad summum statui suo competentem gradum ascendere conetur. si Novitius es, habe te, ùt perfectum Novitium decet; si Sæcularis, exemplaris esto Sæcularis, exercendo te in virtutibus, quæ statum ornant Sæcularem, &c. *Ab omnibus modis*, ait S.Bern. ad Fratres de Monte Dei, *perfectio exigitur, sed non uniformis ; sed si incipis, incipe perfectè ; si jam in profectu es, & hoc ipsum jam perfectè age ; si autem aliquid perfectionis attigisti, te ipsum in te ipso metire, & dic cum Apostolo : Unum autem, quæ quidem retrò sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis.* Operæ sanè pretium, ut hoc à S. Bernardo præscripto modo in virtutum studio nos habeamus ; magnus enim Dominus, cui servimus ; cui infinitis titulis obligati sumus, & in cujus Majestatis comparatione omnia nostra servitia, obsequia, opera, nimis tenuia, exigua, & abjecta sunt.

Ob-

LIB. III. PARS II. CAP. I. SECT. III.

Obſervandum poſtremò eſt, quod, dum alicui in particulari virtuti ſtudetur, animus non debeat multùm occupari & immiſcere ſe aliarum virtutum actibus; ſed tantùm intentus eſſe virtuti illi, cujus ſtudio pro nunc incumbit: excepto tamen exercitio præſentiæ Dei, conformitatis cum Voluntate Divinâ, & puræ intentionis; harum enim virtutum exercitium, cùm fundamentum aliarum ſit, continuò practicandum eſt.

SECTIO III.

Unusquiſque in excellenti gradu Virtutem aſſequi poteſt, dummodo ſtrenuè pro eâ obtinendâ laboret, velítque oblatæ Dei gratiæ ſedulò cooperari.

MAgno nobis ſolatio eſſe debet, quòd, dummodo ipſi ſeriò velimus, omnibus virtutibus, modo prorſus eximio, excellere, & inæſtimabiles nobis gratiæ & gloriæ theſauros comparare poſſimus. *Dilata os tuũ,* mandat cuique Deus per Davidem pſ. 80. *& implebo illud. Effundam Spiritum meum*, promittit per Prophet. Joel. *ſuper omnem carnem; ſed & ſuper ſervos meos, & ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum.* Deus ùt infinitum & eſſentiale bonum, infinitè deſiderat ſe nobis communicare, & liberaliſſimè dona in nos ſua effundere. Apparuit aliquando Patri Balthaſari Alvarez Chriſtus Dominus manus habens plenas omnis generis donis & gratiis, ſimul dicens, unicè deſiderare ſe hoc pondere exonerari, eſſéq; ſibi gratiſſimum, ſi

Promptiſſimus Deus eſt ad dandum nobis gratias, ſi nos ad eas rite diſponamus.

si quis accederet hoc eum onere liberans; non tamen thesauros hos deponebat, cum non inveniret locum vel vas, ubi cœlestia hæc munera deponeret. Ex quo sequitur Deum quidem paratissimum esse ad nos ditandos, sed & nobis incumbere per sedulam cooperationem beneficiis & gratiis parare locum & vas. Deus paratissimus est dare, sed actualiter tantùm dat iis, qui sunt ad recipiendum dispositi; & quia infinita Bonitas est, quantùm est ex se, paratus est dona nobis communicare in infinitâ abundantiâ. *Non enim ad mensuram dat Deus.* Joan. 3. quia verò ea quæ dantur, secundùm mensuram & dispositionem dantur recipientis, non dantis; sic & Deus gratias suas dat hominibus non alio modo, quàm juxta hominis dispositionem. *Deus*, ait S. Hierony. in cap. 2. ad Ephes. *cujus magnificentiæ non est numerus, non dat spiritum ad mensuram, sed juxta mensuram vasculorum infundit liquorem, tantùm muneris largiens, quantum potest ille, cui donatur, accipere.* Si sigillum diversæ materiæ imprimatur, datur quidem suppositis materiis forma sigilli, sed non eodem modo; defectus verò ille adscribi non debet sigillo; quantum enim est ex se, sinit se totum imprimi subjectæ materiæ; omnis difformitas impressionis oritur à difformitate materiæ; si materia sit pura & nitida, alienâ figurâ non præoccupata, perfecta erit sigilli expressio; si materia econtra sit dura, & sordida, etiam deformis & inordinata erit expressio.

S. Ignatius Societatis JESU Fundator, ùt refert Ribadeneira in ejus vitâ, putabat,

vix ullum esse, qui rectè intelligat vel cordi sumat, quæ & quanta sint impedimenta, quæ gratiæ Divinæ objicimus, & quibus impedimus, ne magna in nobis benignissimus Deus operetur. Legitur in vita B. Agnetis de Fulignio, Christus aliquando eidem apparuisse, & dixisse: Amor, quo feror in animam me amantem tantus est, ùt si quis moderno tempore, quo prô dolor! fides infirma & debilis est, me amaret, eo amore, quo me natura humana auxilio meæ gratiæ adjuta amare potest, plures ei gratias quàm ulli ante hac Sanctorum, promptissimè darem. Nostra ergo tepida & pigra præparatio est, quæ influxum gratiarum impedit. Ex immenso mari eò plùs aquæ haurire possum, quò amplius & capacius vas est, quo haurio; ex Solis radiis eò plùs participo, quò magìs removeo, quod subintrantes ejus radios impedit; sic ex immenso gratiarum mari plùs gratiarum, ex splendidissimo Justitiæ Sole plùs luminis haurire possumus, quo vas afferimus capacius ab omni creaturarum & periturorum amore vacuum, & quò plùs removemus peccata, vitia & imperfectiones, quæ radios Divinitatis in animam nostram intrare prohibent.

Juxta dispositionem recipientis dantur à Deo gratiæ.

Vult Deus nos ad sublimem perfectionis gradum promovere, sed nos tepidi acquiescimus mediocri. Raro, imò, audacter dico, nunquam fit, quod aliquis eum Sanctitatis & perfectionis gradum ascendat, quem ascendisset, si oblatis à Deo gratiis studiosiùs magísque impigre usus fuisset, quas vel omnino neglexit, vel obiter tantùm in suum spiritua-

Magnus inter homines Divinarum gratiarum abusus.

le

le commodum vertit. Omnia peccata quæ committimus, oriuntur ex eo, quia gratiæ Divinæ non cooperamur; qua positâ negligentiâ infallibiliter sequitur peccatum; quia enim gratia & auxilium Dei indispensabiliter necessarium nobis est, ut peccata vitemus & bonum operemur, hinc certum est, quòd si Deus suo loco & tempore hoc auxilium & gratiam denegaret, bonum facere, & malum omittere non possemus, adeóque ad culpam imputari non posset; quia ergo sœpe peccamus, necessariò sequitur, quod oblatam Dei gratiam toties repellamus, eóque perfectionis gradu nos privemus, ad quem Deus nos promovisset, & quem certò attigissemus, si gratiæ cooperati fuissemus.

Gratiis datis sedulò cooperandum.

Quidquid ergo potest manus nostra, instanter operemur, & Deo ità fideliter pro salute nostrâ laboranti collaboremus; æquissimum certè est, ut & nos per cooperationem grandi salutis nostræ operi manum applicemus. Gratia se solâ nihil operatur, unde si eam adesse advertimus, generosâ utamur resolutione, & magno animo, ad quod moveri nos sentimus, aggrediamur; si gratiæ cooperati fuerimus, salvi & sancti erimus. Verum quidem est, nonnihil interdum difficultatis cooperationi subesse; interim non minùs verum est, quòd ea, quæ consequitur merces, impensum laborẽ optimè mereatur. Claudat hanc sectionem S. Bernard. qui de propositâ materiâ serm. de Ascens: alloquens suos Religiosos ità disserit: *Omnes quod bonum est nôstis & viam per quã incedere, & quomodo in ea incedere debeatis, sed voluntas non una est: quidam enim*

ad omnia hujus viæ, & vitæ hujus exercitia non solùm ambulant, sed & currunt, imò potiùs volant, ut eis & vigiliæ breves, & cibi dulces, & panni suaves, labores non solùm tolerabiles, sed etiam appetibiles videantur: alii autem non sic; sed corde acido, & affectione recalcitrante vix trahuntur ad hæc, vix gehennali timore impelluntur. Sunt iterum multi inter nos, qui de uno pane comedunt nobiscum, dormiunt nobiscum, cantant nobiscum, laborant miseri & miserabiles, utpote socii tribulationis, consolationis non ità. Nunquid abbreviata est manus Domini, ut omnibus dare non possit, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione? quid ergo in causa est? illud omnino quòd non sint cum Christo. Sub onere aut opprimuntur & succumbunt; aut quodammodo in inferno sunt, ut nunquam ad plenum respirent in luce miserationum Domini, nec in libertate spiritûs, quæ sola facit jugum suave & onus leve. Voluntas eorum nondum purgata est, nec bonum sic volunt sicut noverunt, à propriâ concupiscentia abstracti graviter & illecti: amant enim carne suâ terrenas consolatiunculas, sive in verbo, sive in signo, sive in facto, sive in aliquo alio, & si hæc interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt. Et quantò magìs illis evacuabitur, tantò magìs istis implebitur; si multùm, multum; si parum, parum; vel certè si magìs probas, nunquam ista illis misceri poterunt in æternum, quia ubi vasa vacua non invenit, oleum stare necesse est.

SEC-

SECTIO IV.

Ex quo colligi possit, an hæc vel illa virtus acquisita sit.

QUamdiu in carne vivimus, res spirituales, inter quas, & virtutes sunt, plenè cognoscere, nisi ex signis exterioribus, non possumus: si ergo scire cupis, an hanc vel illam virtutem assecutus sis, examina ejus virtutis opera. Si v. g. nulla Obedientiæ, Temperantiæ, Humilitatis, vel Patientiæ exerces opera, virtutibus his cares; si enim his præditus esses, utique eorum exerceres opera; & quamvis prædictis virtutibus instructus esses, certum tamen est, si in earum actibus non exercearis, diu virtutes has in suo esse non permansuras; ab eo enim res in esse conservatur, à quo habet ut sit: sic ignis necesse est ut extinguatur, nisi per adjectam materiam foveatur.

Indicium primum, ex quo colligi potest, virtutem esse acquisitam.

Secundò colligi potest, an quis virtutem adeptus sit, si virtus à suo adversario fortiter impugnata, non succumbat. Si Humilitas impugnetur à superbiâ, Patientia per iracundiæ motus, Paupertas per necessariorum defectum, Castitas per carnis illecebras, non tamen hosti cedatur, sed generosè repellatur, virtutes hæ radices egisse censendæ sunt. Quod virtutes concernit morales, certa regula est, virtutem, quæ tentata non fuit, veræ virtutis nomen non mereri. *Unde possum scire;* quærit Senec. Lib. 1. de Provid. c. 4. *quantùm adversus paupertatem tibi animi sit, si divitiis diffluis? Unde possum scire quantùm ad-*

Indicium secundum.

versus ignominiam & infamiam odiúmque popu-lare constantiam habeas, si inter plausus senescis

Ex his liquet, quàm moderno tempore infirma inter homines virtus sit; primo in prælio ordinariè succumbit, multis insultibus non valens resistere. Mites & mansueti sumus, si omnia ad nutum succedant; obedimus in iis, quæ ad gustum sunt; humiles sumus, quamdiu non humiliamur. Si experiri cupimus an vas plenum sit, pulsandum est, si tinnit, inane est; si plenum, silet, nullum edens sonum: homo veris solidísque virtutibus plenus, esto pulsetur per adversa illíque contraria, manet in quiete absque sono, murmure, & contradictione; si virtute destitutus sit, umbram tantùm virtutis habens, altè resonabit, & se vacuum virtutibus esse, manifestè prodet.

Tertium.

Tertium acquisitæ virtutis indicium est, si ejus actus promptè cum gaudio sinè difficultate, ex quadam quasi consuetudine, & cum ordinariis Dei auxiliis exequamur; notanter dico: cum ordinariis Dei auxiliis; de speciali enim gratiâ, quæ sœpe datur Deo servire incipientibus, & per quam ad opera virtutum ità excitantur, ut cum maximo gaudio & gustu summè etiam ardua peragant, hîc sermo non est.

Unde oriatur Religiosorum imperfectio post multos annos

Quæri hoc loco non incongruè potest, unde lamentabilis illa miseria inter tot Religiosos oriatur, quòd post viginti, triginta & plurium sœpe annorum consumptam in statu religioso vitam, maneant æquè imperfecti, imò sœpius multò imperfectiores, quàm erant in Novitiatu; unde oriatur quòd

iis jugum Christi, quod ipsa Veritas suave & leve prædicat, indies gravius fiat, omnísque virtus instar absynthii amara videatur? Ad quod responderi potest, causam esse, quòd nunquam vera & perfecta virtutum opera peregerint, sed tantùm hæserint in extremo cortice, ipsum virtutis nucleum negligentes; ad hoc enim ut in hac vel illâ virtute proficiam, necesse est, ut ejus actus, ex motivo illi virtuti proprio exequar, contrahámque laudabilem consuetudinem, ut cum debitis circumstantiis, ea quæ agenda sunt, perficiam. Nunquam eleganter quis scribere discet, si semper malè scribat; sed si satagat concinnè characterum apices efformare. Oritur deinde hæc miseria, ex eo, quòd similes Religiosi non vitârint opera virtutibus contraria, ob quæ in incurabilem teporem sensim sinè sensu prolapsi sunt. Et quia agenda semper egerunt obiter, rebellioni voluntatis & intellectûs non restiterunt, sensualitati frœnum laxârunt, preces & alia pietatis exercitia voluntariè distracti peregerunt, constanter impatientes, inobedientes, murmurantes &c. Hinc consuetudinem contraxerunt, quæ per tot frequentatos actus in naturam transiît, humano modo vel arte, vix aut ne vix quidem vincibilem,

CAPUT II.

Amor Christi excitat ad fugam peccatorum venialium.

AMor Christi, ùt jam dictum est, forte est ad virtutes exercendas & ad omnem

nem justitiam implendam incitamentum. Hujus justitiæ duæ sunt partes, his Davidis verbis comprehensæ psal. 36. *Declina à malo, & fac bonum.* Agetur in primis de primâ hujus sententiæ parte, de fugâ scilicet peccatorum: Et quia jam in secundo libro de peccatis mortalibus actum est, modò de venialibus, quæ præcipuè Religiosos, eósque concernunt sæculares, qui virtuti impensiùs student, agemus, eorum naturam & effectus declaraturi, simúlque remedia, quibus contra ea uti poterimus, explicaturi.

Quod peccatorum venialium naturam concernit, sciendum est, peccata venialia esse vera & realia peccata, quorum natura consistit in deliberata deordinatione cogitationum, verborum, operum, contra rationem, justitiam, Dei voluntatem ejúsq; mandata. Differunt à mortali, quod illud sit magna & notabilis deordinatio contra rationem & voluntatem Dei, veniale autem minor. Deordinatio peccati mortalis directè contrariatur fini, qui homini propositus est, fitque tum ex mente D. Thom. 2.2.q.88. art. 1. quando homo sibi modo inordinato ponit ultimum finem creaturam, qui finis alius esse non potest, nec debet, quàm solus Deus. Deordinatio peccatorum venialium non contrariatur fini, sed tantùm mediis, quæ ad finem ducunt; si nempe homo inordinatè erga creaturam afficiatur, non quidem ùt suum finem, utatur tamen illâ non ùt debito medio & instrumento verum finem assequendi; & ità committit deordinationem & Deum offendit, qui omnes creaturas

Differentia inter peccatum mortale & veniale.

ideo

ideo tantùm creavit, ut iis homo utatur pro assequendo fine, qui ipse solus est.

Certissimum est, quòd, licèt notabilis adeò deordinatio non sit peccatum veniale, quàm mortale, damna tamen è veniali emergentia adeò gravia & grandia sint, ut eorum minimum sanæ mentis hominem, rem seriò perpendentem movere facilè possit, ad minimum maximo studio fugiendum. Mala hæc nonnihil tam in hac quam sequenti Sect. elucidabimur.

Effectus peccati venialis primus.

Primò. Per peccatum veniale Deus verè offenditur. *Singuli illiciti animi mei motus*, conqueritur S. Bern. Epist. 42. ad Henr. Archiep. Senn. *sunt quædam in te Deus meus convitia; ut puta iracundiæ motus in tuam mansuetudinem, invidia in caritatem, turpitudinis in castitatem, & innumera his similia, quæ de cœnoso lacu prurientis pectoris mei, etiam nunc incessanter ebulliunt, inundantes & impingentes in serenitatem præfulgentis vultûs tui.*

Indè est, illud Sap. 14. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Quod non tantùm de mortali, sed & veniali peccato intelligendum est. Ex hoc fundamento Theologi inferunt melius esse Cœlum & Terram cum omnibus creaturis destrui, quàm ut unicum peccatum veniale committatur v. g. unicum inutile & otiosum verbum proferatur: ratio est, quia minimum malum Creatoris, majoris æstimandum, quàm omnia mala creaturarum. Mallent Sancti in Cœlo deturbari in infernum, & privari omnibus, quibus fruuntur gaudiis, quàm minimum committere veniale.

LIB. III. PARS II. CAP. II.

Secundus.

Secundus peccati venialis effectus est, quod animam maculet. *Illis peccatis* (venialibus) *licèt occidi animam non credimus, ità tamen eam velut quibusdam pustulis & horrendâ scabie deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius Sponsi cœlestis, aut vix aut cum grandi confusione venire permittat.* S. Aug. Serm. 11. de Sanctis.

Tertius.

Tertius effectus. Peccata venialia impediunt in via virtutis progressum, unde comparantur à Sanctis Patribus calceamentis plumbeis admodum ponderosis, quibuscum progredi quidem possum, sed valde difficulter. Richard. de S. Victore explicans illa Sponsæ verba Cant. 5. *Pessulum ostii mei aperui Dilecto meo.* ait: *Replicat Sponsa quomodo, ut Dilecto fruatur, minimas negligentias caverit, quæ offensam ipsius provocare potuerunt, in locutione scilicet inutili vel cogitatione, in commodo corporali vel libertate vagâ; quæ per pessulum, id est, seram intelligi possunt; sera enim cùm parva sit & angusta, latitudinem tamen ostii concludit, ut nisi illâ reseratâ patere non possit: ità hæc minima nisi rescindantur, non dignatur Dilectus ità venire ad animam, ut perfectè ad eam intret, & perfectâ gratiâ eam repleat; parvæ negligentiæ obscurant animam, & impedimentum faciunt amplioris gratiæ.*

Dantur multi homines, qui nunquam perfectè sani sunt, semper valetudinarii, licèt comedant, dormiant, ambulent, &c. ùt sani; occulto enim defectu vel in pulmone, vel jecore, vel renibus laborant: ità & dantur multi, qui orant, communicant, legunt & audiunt multa sancta, manent tamen in vita spirituali infirmi, quia sunt huic vel illi defe-

ctui

Enumerantur peccata venialia periculosiora.

ctui & peccato veniali habituali obnoxii, quod non conantur pro posse exterminare. Hoc autem intelligendum non est de defectibus & peccatis venialibus, quæ committuntur per subreptionem, meram infirmitatem & inadvertentiam, quibus etiam viri sancti non caruerunt; sed de iis quæ committuntur ex deliberata voluntate; ùt sunt protracti inutiles discursus & confabulationes, mendacia officiosa, judicium temerarium, contemptus Proximi, aversio animi, invidia, gaudium de alterius confusione, contumeliæ, detractiones, murmurationes contra Superiores; intellige hæc omnia in materiâ levi: deinde inveterata & in consuetudinem versa socordia in excludendis extravagantibus cogitationibus sub oratione; frequens quidem, sed tepidus multísque scatens imperfectionibus accessus ad sacram synaxin; vana & occulta suî ipsius existimatio, nimis tenera sub pallio necessitatis tecta cura corporis, amor proprius, qui vult in omnes nostras actiones dominium exercere: hæc omnia perfectioni & virtuti valde præjudicant, ídque ex ratione, quam assignat S. Thom. 3. p. 87. art. 1. ad 3. quia prædicti defectus consistunt in aliqua deordinatione & affectu inordinato ad creaturas, qui impedit, quò minùs anima liberè & purè ad Deum se levare possit.

SEC-

SECTIO I.

Quibus gratiis per peccata venialia privemur, & quantis malis propter illa involvamur.

Explicatur gratia Dei actualis, qua per peccatum veniale privamur.

PRO clariori rei intelligentiâ explicari priùs debet, quanta & qualia sint bona, quibus nos spoliant peccata venialia; quantitas enim & qualitas jacturæ desumi debet à pretio rei amissæ. Res hæc pretiosissima, qua per peccatum veniale privamur, est Dei gratia actualis & auxilium, quæ Deus homini concedit, ut salutem suam operetur. Hæc gratia, ùt fusè deducit Lessius lib. 3. de perfectionibus Divin. cap. 12. & quæst. 8. Disp. de statu vitæ eligendo: Hæc, inquam, gratia actualis tria continet. *Primò*, internam piam excitationem seu animi motionem. *Secundò*, gratiæ præsidium. *Tertiò*, securam manuductionem.

Explicantur effectus gratiæ excitantis.

Pia excitatio seu motio tres habet effectus circa tres præcipuas animæ Potentias; scilicet circa Intellectum, dum eidem per internas illuminationes, salutares cogitationes & lumina suggeruntur, quæ apta sunt ad voluntatem ad bonum amplectendum movendam: circa Imaginationem, dum eam per gratiarum efficaciam intrà certos constringit terminos, ne evagetur, sed recollecta in bonis cogitationibus permaneat: circa Voluntatem dum eandem movet, ut pias motiones amplectatur. Ut posita veritas meliùs intelligatur, sciendum est, quòd non tantum Intellectus peccatoris, sed etiam hominis justi, den-

densis adeò tenebris involutus sit, ut Divina & spiritualia omnino imperfectè & rudi modo cognoscat,& si in iis nonnihil detinere se velit, fit idipsum cum maximâ difficultate; spiritualium enim & Divinarum rerum excellentia, cùm sit intellectui improportionata, hinc ejus vires superat. Quod potentiā imaginativam concernit, vana hæc & vaga omnino est, & volupe illi est, si se subtiliter subducere, & fugitivi instar totum mundum oberrare, ejúsque minimas latebras scrutari possit. Voluntas etiam admodum difficulter ad spiritualia mobilis est, omnis ei virtus ardua & difficilis, & si tandem moveatur, priùs à tyrannico sensuum exteriorum jugo expedire se debet, qui sensus undíque decipulas & insidias ei struunt, suísque incantationibus seducere moliuntur. Præterea maximo conatu Intellectui laborandum & sudandum, ut modo certo & voluntati grato, spiritualia eidem proponat: Pictura debitæ luci opponi debet, si artificium quis advertere velit; si debitum desit lumen, nihil videre est præter confusos colores: sic & virtus, licèt in se pulchra sit, tantùm tamen ex se virium non habet, ut Voluntatem moveat,sed ab intellectu velut lumine certo modo voluntati proponi debet, qui modus & mensura soli Deo nota sunt. Ex his patet indispensabiliter necessarium esse ut per gratiam in primis vaga illa vis imaginativa constringatur; deinde intellectus ad salutarem spiritualium rerum cognitionem illuminetur; denique Voluntas mediante hac intellectûs illuminatione ad virtutem amandam & am-

ple-

plectendam moveatur & pelliciatur. Hæc autem gratia non consistit in unica tantùm intellectûs illuminatione, sed debent esse benè multæ sibi invicem succedentes, cætero- quin tam intellectus quàm voluntas, unicâ illâ illuminatione recedente in naturalem relabentur infirmitatem, & se terrenis, ad quæ per sensus exteriores invitantur, denuo immergent.

Effectus assistentiæ seu divini præsidii.

Secundum, quod gratia Dei includit, est assistentia seu præsidium, quo Deus ab homine removet, quidquid eidem nocere posset, tribuítq; ea, quæ ad salutem consequendam conducere possunt; præcipuè Diabolum constringit intrà angustos terminos, ne ultrà vires hominem tentet; tanta verò est Diaboli potentia, dolus, experientia & tam perversa voluntas, ut, si Deus non prohiberet, quemlibet etiam sanctissimum, in æternam perniciem secum pertraheret. Benignissimus interim Deus, ità eum catenæ innexum tenet, ut ne capillum sinè ejus licentiâ nobis lædere possit; & ità malitia ejus quasi infinita est, sed potentia valde limitata; consistit ergo præsidium Divinæ gratiæ in eo, quòd Diaboli vires frangat, intentata arma, vim & ictus ità sufflaminet, ut, si ipsi nollemus, lædere nos non possint. Multas præterea tentationes à nobis avertat, quæ in hoc vel illo loco, in hac vel illa occasione & societate nos invasissent, nisì per gratiæ suæ præsidium misericorditer impedivisset; quibus tentationibus attentâ nostrâ infirmitate & hostis fortitudine infallibiliter succubuissemus, si Deus permisisset, ut ventum esset ad pu-

gnam;

gnam; itâ tamen per gratiam suam omnia disponit & ordinat, ut illis tentationibus vel non impetamur, vel si impetimur, sinè damno contingat; dum tempore pugnæ animus noster quasi invincibilis & impenetrabilis, quodammodo indormiscit, vel insensibilis de re nullâ cogitat, vel si intentatum ictum sentiat, statim declinat alias cogitationes assumens, iisque tamdiu immoratur, donec tempestas deferbuerit, & tentatio evanuerit.

Quid conferat Dei manuductio.

Quod manuductionem concernit, quam gratia includit, consistit hæc in eo, quòd hominem apprehensâ veluti manu per viam rectam ducat, labores alleviet; obstacula, ad quæ offendere posset, removeat; econtra occasiones in virtutibus se exercendi ad manum det, fortitudinem donet, ne occasionem negligat, sed debitè eâ utatur. Hæc jam tria enumerata scilicet *piam motionem*, *præsidium*, *& manuductionem* includit gratia Dei actualis.

His tam excellentibus donis & gratiis privamur tam per peccata venialia quàm mortalia, dum scilicet ad numerum peccatorum, magìs magísque imminuuntur. Quod tamen intelligendum non est, de gratia sufficienti, cum qua quis operari potest, sed non operabitur; sed de illâ sinè qua re ipsa nunquam salutem operabitur. Unde non communicat Deus homini, sinè remorsu peccata venialia committenti, tot pia lumina, tot inspirationes, tôt salubres cogitationes; Vis imaginativa, ùt equus indomitus sinè frœno huc illúcque abripitur, jâm his jam illis inutili-

Explicantur nocivi effectus peccatorum venialium.

bus

LIB. III. PARS II. CAP. II. SECT. I.

bus cogitationibus implicata & occupata. Voluntas amittit rerum Divinarum gustum, solatia quærit à creaturis, exercitia spiritualia nauseat, fiuntque ipsi molesta, gravia & insipida omnia, quæ spiritum concernunt. Præsidium gratiæ suæ, non tam copiosè ut ante impertit, specialem illius curam non habet, sed communi debet esse contentus, Diabolum non ità constringit, sed nonnihil plùs indulget libertatis ad hominem talem tentandum, non subministrat congruentia pro pugnâ arma; verbo, relinquit Deus ipsum sibi, ut eat in adinventionibus suis. Quod tamen ità intelligendum non est, quasi Deus totaliter similem hominem relinquat, & ad bonum non excitet, sed totus defectus est in homine; ità enim illius intellectus ab hac vel illa cogitatione est occupatus, voluntas tali affectione depravata, ut hæc admonitio, hæc pia motio, hæc inspiratio, hæc bona cogitatio, quibus quidem salutem operari posset, in his tamen circumstantiis effectum non sortiatur; quia in his circumstantiis admonitio, pia motio, vel inspiratio nimis est infirma.

A peccato veniali pendere potest salus nostra.

Notandum hîc, salutem hominis sæpius dependere à re parvi momenti, quæ si à Divina bonitate non removeatur, actum de homine est & sinè dubio peribit. Homo non tantùm occidi potest gladiis & fustibus, sed etiam vermiculis, & sæpe suffocatur re minimâ, bolo panis. Contingit v. g. quòd aliquis peregre proficiscens incidat in bivium; subsistit, utrámque viam contemplatur, & quia via ad sinistram ei recta videtur, eam ingredi-

Explicatur à simili.

greditur; sed deducitur hac viâ ad nemus, in quo à latronibus occiditur; si tenuisset viam dextram, latrones & vitæ periculum evasisset. Similes casus contingunt indies in negotio salutis innumeri, quos plurimis modis Deo notis evadere potuissemus, nec pluribus opus ad hoc fuisset, quàm unâ immissâ à Deo inspiratione, sed eam Deus justè negat, quia indignos nos eâdem ob peccata venialia reddidimus; & ità defectus unius bonæ cogitationis causa potest esse nostræ æternæ damnationis.

Peccata mortalia etiam confessa quomodo nocere possint.

Tantæ & tam horrendæ cladis causa sœpissime sunt peccata venialia, præsertim ista, quæ deliberatâ voluntate committuntur, quæ in consuetudinem abiêrunt, & ad quæ eradicanda labor non impenditur; sunt etiam hujus mali sœpissimè causa peccata mortalia, non tantùm ea, quibus actualiter fœdati sumus, sed etiam jam confessa; licet enim Deus infallibiliter remittat culpam, & pœnam æternam convertat in temporalem, imo etiam interdum purgatorii pœnam remittat, si peccator se ad hanc gratiam rite disponat; non tamen sequitur, quòd simul remittat pœnam spiritualem, quæ consistit in eo, quòd gratia & auxilium Dei in anima imminuantur, omnis generis econtra scrupulis & anxietatibus implicetur, intellectus obscuretur, voluntas induretur. Rex aut Princeps excedentem famulum post delictum sœpe in gratiam recipit, quamvis prior illa gratia singularis & familiaritas cesset, nec tam benignis, ùt antè, oculis famulus respiciatur. Viri sancti peccata sua continuè

LIB. III. PARS II. CAP. II. SECT. I.

tinuò planxerunt, esto certi essent de remissione, planxerunt, inquam, tum quia Deum infinitè bonum offenderant, tum ut gratias, quibus privari justissimè meriti fuerant, recuperent. Unde nemo nimiùm fidat, sed salutem in timore operetur, orationes, jejunia, & alia pœnitentiæ opera multiplicet, ut recipiat gratias illas, quibus se per priora peccata indignum reddidit.

Peccata venialia ducunt ad mortalia.

Ex jam dictis conclusio deducitur certissima, quòd peccata venialia sternant viam ad mortalia, quia per venialia, si non subtrahatur, saltem multùm infirmatur id, quo subtracto non potest non labi mortalis infirmitas, scilicet gratia Dei ad vitanda mortalia adeò necessaria. Quam ergo graviter hallucinantur, quantóque se exponunt periculo, qui peccata venialia velut aquam bibunt, pericula in illis latentia non ponderantes. *Noli illa contemnere*, monet saluberrimè S. Aug. *quia minora sunt, sed time quia plura sunt, quotidiana sunt ista, quæ dico, sed tamen peccata sunt, & non sunt levia quia plura; quia verò quotidiana & plurima, timenda est ruina multitudinis non magnitudinis.* In hunc fermè modum loquitur etiam S. Gregor. Past. 3. p. admon. 34. *Si despiciunt timere dum pensant, debent formidare dum numerant; altos quippe gurgites fluminum parvæ, sed innumeræ implent guttæ pluviarum, & hoc agit sentina latenter excrescens, quod patenter procella sæviens.*

Indiscretè non debet dejici, qui sæpius in

Hanc peccatorum venialium periculosam gravitatem, si quis debitè perpenderit, non poterit non totus ad minimum exhorrescere; cavendum tamen, ne timor hic sit

nimius

nimius & ad desperationem vergens; *In hujusmodi namque quasi inevitabilibus & negligentia culpabilis est, & timor immoderatus* S. Bern. serm. 1. in cœna Dom. Quod iis dicitur, qui bonæ sunt voluntatis deliberata venialia caventes, ex humanâ interim fragilitate sœpe labuntur. *Dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possumus, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati aut curiositati, plùs quàm oportet, cedat animus vel ad horam; in multis enim offendimus omnes.* S. Bern. loc. cit.

venialia labitur.

Quomodo venialia peccata expiari possint.

Hæ venialium peccatorum sordes detergi possunt variis mediis. *Primò*, per omnia Sacramenta, quæ vi suæ institutionis per gratiam sanctificantem omnia & singula peccata venialia tollunt, & quæ aliam in suscipiente intentionē non requirunt, quàm ut ea suscipiat, ut salutaria contra peccata remedia, vel eo fine ad quē instituta sunt; debet tamē suscipiens esse sinè affectu ad hoc vel illud peccatum veniale. *Secundò*, tolluntur per contritionem, attritionem, & actus amoris Dei; imò per quemcunque virtutis actum in gratiâ exercitum; debet tamen in actu virtutis, per quem peccatum veniale delere cupimus, aliquid reperiri, quod vel peccato veniali contrarietur, ùt v. g. contrariatur actus humilitatis peccato veniali superbiæ; vel quod per præviam intentionem eo tantùm fine peragatur, ut venialium remissionem consequamur: cùm enim quilibet virtutis actus æquè in animâ simul cum peccato veniali stare possit, quàm gratia sanctificans & amor Dei; hinc sequitur venialia ex anima expelli non posse per actum virtutis, nisi quid con-

tineat peccato contrarium; ubi enim talis contrarietas non est, unum ab altero expelli non potest. *Tertiò.* Venialia delentur per Sacramentalia, qualia sunt: aqua benedicta, oratio dominica, Confessio generalis, Eleemosyna, tunsio pectoris, & similia; quæ venialia delent, vel ex virtute propriâ, ità ut nihil alterius requiratur, quàm ut iis utamur; vel (quod probabilius est) quia per eorum usum à Deo nobis pia animi motio conceditur v. g. subitus de peccatis dolor, vel alterius virtutis actus, vi cujus peccata venialia expelluntur.

SECTIO II.

De exstirpatione vitiorum & defectuum.

UT prima Christianæ perfectionis pars (quæ consistit in fuga peccatorum) perfectè claudatur, restat ut nonnihil dicatur de vitiorum exstirpatione ejúsque modo.

Intellectus plurimùm juvare debet ad cognitionem vitiorum.

Voluntas, potentia per se cœca, nequaquam exstirpare hoc vel illud vitium potest, nisì ab intellectu fax eidem proferatur, ut videat & cognoscat quodnam præ reliquis oppugnandum sit: opus igitur est, ut natura, affectus, propensio, consuetudo, & vitia cognoscantur, cæteroquin nemo suo malo medebitur; hæc cognitio, ut obtineatur, sæpe clamandum cum S. Augustino: *O Domine noverim me*; cordis intima sæpe scrutanda, & si quis deprehendat se per inordinatos animi motus ad hunc vel illum defectum tentari, sæpiúsque in illum labi, concludat certè, se

hoc

hoc vitio laborare. Quamdiu vivimus, vitiis & defectibus subjacemus. *Non est homo*, ait Salom. 3. Reg. 8. *qui nos peccet.* Consentit S. Joa. 1. Jo. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi non seducimus, & veritas in nobis non est.* Licèt per gratiam sanctificantem peccatum tollatur, fomes tamen & depravatæ naturæ fragilitas in hac vita non tollitur, cœlo tantùm hæc felicitas reservatur.

Nota, esse distinctionem inter vitia, peccata, imperfectiones, perversas inclinationes, & consuetudines. *Vitium*, est radix mortis, & omnium malorum origo. *Peccatum*, est cogitatio, verbum, vel opus rectæ rationi & voluntati Divinæ repugnans: *Imperfectio*, est motus primò primus, qui in actum non exit, potéstque esse sinè peccato, si ei non consentiatur; imperfectiones tamen ejusmodi sunt defectus, quia sunt abortus corruptæ naturæ, trahúntque suam originem ex anima minùs bene constitutâ. *Perversæ inclinationes*, sunt quidam naturalis ad illicitum impulsus. *Consuetudo*, est expedita alacritas & promptitudo hoc vel illud peccatum committendi.

Hæc cognitio adhibenda est vitiis, quibus quis laborat.

Ad nullum ex his malis magìs attendendum, quàm ad vitium, utpote radicem omnium aliarum imperfectionum; quales sunt in uno homine v. g. superbia; in alio amor proprius; in illo ira, in altero tepiditas, inconstantia &c. Horum igitur vitiorum natura, effectus, & emergentia ex iis incommoda probè cognoscenda sunt. Labore quidem nonnullo constat hæc salutaris cognitio, sed labori non parcendum, quia alias

 sci-

LIB. III. PARS II. CAP. II. SEC. II.

scientias, quibus tantopere studemus, & quæ vix ad salutem consequendam quidquam prosunt, longissimè sui ipsius cognitio & scientia superat. Oppugnanda igitur sunt animi nostri vitia, toto studio & toto annisu, donec radicitus evellantur. Cùm Dominus Deus destructionem idolorum mandaret Israelitis Deuter. 21. simul & modum mandabat dicens loc. cit. *Dissipate aras eorum, & confringite statuas, lucos igne comburite, dissipate nomina eorum de locis suis.* Sic & dissipanda, confringenda, comburenda, quæ latent in animo vitia, ne nos ab iis dissipemur, & cum irreparabili animarum nostrarum jactura æternùm confringamur; in quem finem omnia nostra exercitia, jejunia, lacrymæ, & orationes dirigenda, & virtus vitio contraria sœpe exercenda, per quod paulatim & virtus acquiritur, & vitium superatur. Duo præcipuè in hoc puncto notanda sunt. Primum, ut in virtutis vitio contrariæ exercitio constanter pergamus, nec ulla debent impedimenta esse adeò gravia, quæ nos ab eo absterreant. Secundum, ne animo cadamus, si post unius vel alterius diei laborem impensum, vix quidquam in exstirpando vitio nos profecisse advertamus; res illa joco & exiguo labore non agitur, res præstantissima virtus est, quæ certè laborem & sudorem meretur. Emuntur grandi pretio, & indefesso studio conquiruntur res vanæ, inutiles, & brevi perituræ; quidni & virtus, ex qua incomparabiles in animam confluunt thesauri? Tempus & moram vitio exstirpando necessariam, quod concernit, attendendum non

Quid circa exstirpationem alicujus vitii notandum.

est

eſt ad futurum; ſed ſemper ad præſens, nec de die craſtino tibi cura ſit, ſed dies & tempus præſens vitio evellendo ſtudioſiſſimè impendendum. Qui prudens eſt, ante tempus ſe miſeriis & moleſtiis non gravat.

LIB. III. PARS II. CAP. IX. SEC. II.

Convenientiſſimum pro exſtirpandis vitiis medium.

Accommodatiſſimum pro vitiis exſtirpandis medium, eſt examen particulare, quod circa vitium, quod eradicare ſtatueramus, inſtituitur; in quo examine diſcutitur, quoties quis vel triumphaverit vel ſuccubuerit, numerus defectuum commiſſorum notatur, & talis adhibetur pœnitentia, quæ vitio medelam efficacem allatura cenſetur: & ſi de impugnatore ſœpe triumphes, non à te factũ reputa, ſed ſoli Deo da gloriam; nec te in poſterum occaſionibus, in quibus olim cecidiſti, præſumptuosè ingeras, credens te plenè de hoſtibus triumphâſſe, ſed ſemper time; vires per reſiſtentiam tuam vitio nonnihil tantùm attritæ ſunt, ſed radix in hac vitâ perfectè evelli nequit. *Credite mihi*, ait S. Bern. ſerm. 28. in Cant. *& putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur exſtincta, & ſopita denuo excitantur; parum eſt ergo ſemel putâſſe, ſæpe putandum eſt, imò, ſi fieri poſſit ſemper, quod putari oporteat, ſi non diſſimulet, inveniet. Quantumlibet in hoc corpore profeceris, erras, ſi vitia putas emortua, & non ſuppreſſa; velis nolis intrà fines tuos habitat Jebuſæus: ſubjugari poteſt, non exterminari.* Hæc de prima Chriſtianæ perfectionis parte, quæ eſt: *Declina à malo.* Modo ad ſecundam, quæ eſt: *Fac bonum.* progredicmur.

CAPUT III.

Amor Christi excitat nos, ut opera nostra quotidiana cum debitis circumstantiis obeamus.

INter multa & mira, quæ amor Dei in amante animâ operatur, non postremum est, quod suavi violentiâ eam inclinet, ut opera quæcunque illa sint, seu ex se bona seu indifferentia, perfectè & cum debitis agat circumstantiis, ut per ea Dei gloriam promoveat, & se in gratia magìs & magìs stabiliat. Punctum hoc in vita religiosa magni est momenti, & dignum, ut de eo nonnihil fusiùs agatur. Hac sectione in primis quædam motiva adducentur, quæ ad opera nostra exactè facienda inducere nos possunt.

Amor in Deum movere quemque debet, ut opera sua debitè faciat.

Primum horum tenet se ex parte amoris in Deum; cùm enim unumquódque bonum opus cedat ad singularem Dei gloriam, per illud debitè factum, ut per evidens argumentum & manifestam probam, affectum & nostram in Deum observantiam testata facimus, ei suavem gustum creamus, ejúsque sanctam voluntatem implemus: voluntas enim ejus est, ut, quod agimus, bene agamus: in quem finem dat nobis suam gratiam, & pro illo tempore, quo hoc vel illo opere occupati sumus, nihil à nobis aliud requirit, quàm ut hoc, quod præ manibus habemus, bene faciamus: si non facimus, Deum injuriamus, voluntatem ejus contemnimus, nec illius desiderio satisfacimus. Iis, qui sua tepidè peragunt, jure exprobrat Deus, quod

olim

olim Judæis apud Isai. c. 1. *Calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta; laboravi sustinens.* Et iterum apud Malach. c. 2. *Maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis: Ecce ego projiciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.*

Perfectio in eo consistit, ut agenda agantur bene.

Secundum motivum est, quia perfectio nostra in eo consistit, ut opera, quæ vocatio à nobis exigit, debitè & cum singulari fervore faciamus. Vocatus es ad statum religiosum? fac ea sedulò, quæ à te Regula, & statuta requirunt. Si Sacerdos Domini es; fac ea, quæ status adeò sublimis exigit, cum industriâ & spiritûs fervore. Si ad matrimonium vocatus es, ea age bene, quæ bonus maritus, bona conjux. Hoc modo persuadere nobis certò possumus res nostras optimo apud Deum esse loco, quia ea bene agimus, quæ à nobis bene vult fieri, illa verò bene à nobis vult fieri, ad quæ facienda nos vocavit. Si perfectio consisteret in sublimibus contemplationibus, continuis jejuniis, corporis castigationibus, &c. multis media ad perfectionem veniendi adempta essent, qui excusare se possent, vires ad tam ardua & extraordinaria sibi deficere; cui querelæ modò nullus esse potest locus: quod ipsum magno nobis debet esse solatio, & simul stimulo, ut toto conatu ad perfectionem & vitæ sanctitatem eluctemur, quam infinita Dei sapientia & bonitas constituit in mediis adeò facilibus.

Minimum bonum o-

Tertium motivum desumitur ab excellentia cujusque operis in gratiâ Dei facti, quæ

LIB. III. PARS. II. CAP. III.

pus quanta sit excellentia.

quæ tanta eſt,ut nullo intellectu comprehendi poſſit : ità ut minimum in gratia Dei factum opus, quia à gratiâ, ùt radice provenit, nobilius ſit & ad majorem Dei gloriam cedat,quàm omnia omnium creaturarum opera ex viribus puræ naturæ facta. Unde ſi in una lance ponerentur omnia regna, omnes dignitates, divitiæ, & omnia mundi bona; in alterâ vel minimum opus bonum v. g. expreſſio nominis JESU cum debita reverentia, recitatio devota unius *Ave*, efformatio ſigni ſanctæ Crucis, motio pedis vel digiti ex bona intentione, &c. Hæc minima opera in altum ſuſtollent lancem omnibus mundanarum rerum ponderibus oneratam. Si tanti ponderis hæ minutiæ, quanti erunt opera majora, quæ cum difficultate & labore incipiuntur, continuantur, abſolvuntur?

Hîc breviter notandum, vix quemquam eſſe, cui non incumbat indies hoc vel illud opus neceſſariò perficere; quis enim eſt, qui non indies aliquid precum perſolvat, Divinis interſit, Sacrum audiat, vel alia faciat, quæ ſtatus & conditio exigunt, ſi non ex ſe bona, ſaltem indifferentia? Debemus indies loqui, ire, ſtare, ſedere, comedere, dormire, &c. quis ergo hæc & ſimilia non rite obibit, ſi tantos & tam grandes colligere ex iis valeat theſauros? nunquid conſultiſſimum eſt, ut id, quod facere neceſſariò debemus, ità faciamus, ut potiùs cedat ad Dei gloriam, quàm ad injuriam, potiùs nobis ad ſalutem, quàm in perditionem? plùs temporis non inſumitur, ſive malè ſive bene operemur; nec aliâ re opus, quàm exiguâ curâ & atten-

tione,

tione, quæ licèt sub initium nonnihil videatur habere difficultatis, fiet tamen cum tempore levis labor, & attentio delectabilis. Operæ certè pretium est, hanc sub initium oriri solitam difficultatem subire, pro tantis quæ inde resultant bonis. Quàm sunt in suis laboribus indefessi opifices, Aurifabri, Pictores, &c. Sic & tu cogita, te aurifabrum: indiésque sis occupatus in parandâ tibi ex bonis operibus pro totâ æternitate coronâ, quam eò facies excellentiorẽ & splendidiorem, quò plura præmiseris in tempore ad æternitatem opera, rite & cùm debitis circumstantiis facta; quod non tantùm de operibus arduis & majoris momenti, sed etiam de minimis intelligendum est.

SECTIO I.

Quæ conditiones requirantur ad opus meritorium.

Ut opera sint meritoria, quid requiratur.

Ut opus quodpiam meritorium sit, ex communi Theologorum sententiâ, requiritur, ut actus sive opus illud imperetur ab aliqua virtute; quod si non fiat, sola manet exterior operi apparentia & cortex. Deinde debet opus fieri cum debitis circumstantiis, quarum si vel una deficiat, perfectè meritorium esse opus non potest: unde illud inter Doctores axioma: *Bonum ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu.* Ex amissione digiti aut oculi, non sequitur quidem, hominem non manere hominem, est tamen homo non perfectus, quia deest membrum, quod

quod ad perfectam hominis integritatem requiritur.

Secundò. Ut opus reddatur meritorium, indiſpenſabiliter ex Doctorum ſententiâ requiritur gratia ſanctificans, ùt fundamentum tantæ prærogativæ & meritorum. Sunt qui putant, gratiam ſanctificantem ſecundùm ſe ſufficere ad hoc, ut opus meritorium fiat, nec opus eſſe ut alio intermediante actu vel intentione ad deum dirigatur; cùm enim quis per gratiam ſanctificantem fiat quis Dei amicus, imò filius adoptivus, omnia ejus opera, ajunt, per gratiam hanc nobilitantur, & æternæ vitæ redduntur meritoria. Alii ſentiunt contrarium, docentes gratiam per ſe non ſufficere; ſed debere per actualem amoris actum opus ad Deum dirigi, & per illum abſolvi, cui gratia dederat initium. Alii mediâ viâ incedunt, quorum opinio videtur probabilior, & dicunt, actus virtutum ſupernaturalium ut Fidei, Spei, Caritatis, &c. eſſe ſinè actu caritatis prævio, vitæ æternæ meritoria, quia habent eſſe ſuum ſupernaturale æquè ac cœleſtis gloria, adeóque ipſi eſt proportionata; actus autem virtutum acquiſitarum dicunt per actum amoris ad Deum dirigi oportere. Alii adhuc in alia ſunt ſententiâ, quam tenent S. Thomas & S. Bonaventura, qui docent actus virtutum in gratia Dei facta æternæ vitæ non fieri meritoria, niſì vel per actualem, vel ſaltem virtualem amoris actum ad Deum referantur. Digna relatu ſunt verba S. Bonaventuræ, quæ in hanc rem adducit in 2. Diſp. 14. art. 3. 43. *Notandum eſt ad hoc, quod aliqua actio ſit meritoria, non oportet,*

quod

quod semper quis eam actualiter referat in Deum, sed sufficit relatio habitualis; habitualem autem relationem dico, non quia habet caritatem per quam sit habilis ad referendum, sed quia in primordio operationis illius vel alterius, ad quam illa consequenter se habet, intentionem habet ad Deum directam. Unde si aliquis intendat dare pro Deo centum marcas, incipit dare & cogitat de Deo in primâ marcâ, & in aliis non cogitat; nihilominus omnes dationes illæ sunt ei meritoriæ & fructuosæ; si autem opus alterius inciperet, oportet quod intentio renovaretur, ad hoc ut opus esset meritorium. Per hunc etiam modum intelligitur esse in viris Religiosis, qui in principio ex caritate devoverunt portare Religionis pondus: quidquid enim faciunt, quod ad suæ Religionis observantiam spectat, ex primâ intentione est èis meritorium ad salutem: nisi fortè, quod absit, contraria sententia superveniat, in aliis autem quæ ad Religionem non spectant, secus est, quia illa intentio non se extendit ad illa habitualiter.

An ante quodlibet opus renovanda bona intentio.

Huic sententiæ, utpote excellentium vitæ spiritualis Magistrorum magna adhibenda fides. Quæri hîc potest; quid ergo faciendum ut totius diei opera meritoria sint: antè quodlibet opus intentio renovanda? an sufficiat generalis illa de manè facta, sed de die non repetita? ad quod respondendum, quod necessariò opus cum intentione debeat habere connexionem, & ab intentione mane factâ vivificari, ità quidem, ut opus ab intentione tanquam à radice & fonte profluât, & intentio in opus ità influat, ut ab ea totum suum esse morale habeat. Ut ergo v.g. ambulare, bibere, loqui, &c. sit meritoriũ,

LIB. III. PARS II. CAP. III. SECT. II.

non debet fieri ex recreatione & joci gratiâ, ſed ex impulſu & motivo intentionis; unde ante hæc & ſimilia opera, ſi debeant eſſe meritoria, debet ſemper intentio renovari. Huic quidem doctrinæ adverſantur duæ priores ſententiæ paulò antè relatæ, ſed contraria tutior atque adeò multò meliùs erit, ſe accommodare in tanti momenti negotio, in quo de infinitis theſauris agitur, illi ſententiæ, quæ certior eſt.

Sublimis intentio, quam operibus præfigere poſſumus.

Tertiò. Opera noſtra meritoria efficere poſſumus per duos admodum ſublimes operandi modos, quorum Primus eſt, ut nos velut inſtrumenta Divinæ Majeſtatis manibus, ejúſq; voluntati totos committamus, ut in nobis, & per nos, & nobiſcum operetur, quod ſibi placitum fuerit. Secundus, ut Chriſto qui in nobis, ùt in ſuis membris eſt, nos ſimiliter totos cum omnibus noſtris actionibus conſecremus, humiliter petentes, ut iis utatur ad ſuum beneplacitum, & ad gloriam & honorem æterni Patris ſui: ſicut Chriſtus ſuâ humanitate uſus eſt non ſolùm in terris, ſed etiamnum in æternitate utitur ad continuam gloriæ Patris ſui cœleſtis promotionem; ſic & quamlibet conjunctionem, quam nobiſcum habet, eò dirigit, ut nobis tanquam ſuis membris utatur ad ejuſdem Patris ſui majorem laudem & gloriam.

SECTIO II.

Quid faciendum, antequam opus quodpiam inchoemus.

SCiendum eſt, ait S. Greg. Lib. 1. moral. cap. 19. *quòd bona noſtra tribus modis hoſtis inſequitur;*

quitur ; ut videlicet hoc, quod rectum coram hominibus agitur, in interni Judicis conspectu vitietur. Hæc quidem Sanctus vir loquitur de operibus ex se bonis : interim ad ea etiam opera, quæ nec mala nec bona sunt, extendi possunt. *Aliquando námque*, pergit S. Gregor. *in bono opere intentionem polluit, ut omne quod in actione sequitur, eò purum mundúmque non exeat, quo hoc ab origine perturbat.* Statim ergo sub initium actionis eò collimat diaboli astutia, ut sinè omni intentione ex sola consuetudine opus perficiamus : scit enim optimè nequam ille spiritus ex hujus defectu nec Deo gratum, nec homini proficere ad salutem : conatur itaque mentem distrahere, oculos grato quodam objecto pascere, memoriam, imaginationem, sensus & cogitationes ità seducere, ut ad operis pretium & excellentiam non reflectant. Si id non succedat, conatur omni studio, ut efficiat intentionem minùs puram, per vanam gloriam, lucrum temporale, vel aliud proprium commodum; si & hoc non succedat, laborat, ut opera nostra saltem faciamus non ex optima intentione, sed ut intercurrat multùm negligentiæ & teporis.

LIB. III. PARS II. CAP. III. SECT. II.

Defectus bonæ intentionis, & distractiones vitiant opus sub initiū.

Huic infensissimo nostro hosti in ejusmodi præliis generosè obviandum est, animúsque præmuniendus per salubres cogitationes, recogitando, opus quod præ manibus habemus Deo singulari futurum honori, nobis utilitati, Deíque voluntatem esse, ut toto in illud studio seclusis omnibus aliis cogitationibus incumbamus; si animus his & similibus cogitationibus occupatus sit, ad rem ipsam

Quomodo illis obviandum.

LIB. III. PARS II. CAP. III. SECT. II.

ipsam veniendum. Ante opus intentio præmittenda non quælibet, sed optima & maxime heroica, quò enim purior & excellentior intentio, eo gratius erit Deo opus. Attendendum præcipuè, ne intentionis factæ puritas per astutiam corruptæ naturæ nostræ polluatur: putamus sæpe nos operari ex bona intentione, sed proprio commodo intentio infecta est. *Conveniat unusquisque seipsum*, monet S. Hierony. adversus Luciferian. *& in omni vitâ inveniet, quàm rarum sit fidelem animā inveniri, ut nihil ob gloriæ commoditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat: difficile est Deo tantùm judice esse contentum.*

Quid sub ipso opere faciendum.

ALiquando intentionem boni operis, pergit S. Greg. Loc. cit. *vitiare non prævalet, sed in ipsa actione se, quasi in itinere opponit, ut cum per propositum mentis securior quisque egreditur, subjuncto latenter vitio, quasi ex insidiis, perimatur.* Has diaboli fraudes expertus est S. David, ùt lamentatur ps. 141. *In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Si intentionem malignus spiritus per adhibitas fraudes intentionem nostram vitiare non potuerit, ad occultos, quos sub ipso struit opere, dolos se convertit, & eò rem deducit, ut, nisì sedulò vigilemus, meritum operis per vanam gloriam nobis suffuretur. *Sæpe enim*, ait S. Greg. loc. cit. *bono opere, dum laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ quamvis quæsita non fuerat, tamen oblata delectat. Sicut pro necessitate quidem*, idem ait Lib. ult. moral. cap. ult. *cibus sumitur, sed in ipso esse, dum fur-*

Sub bono opere vitanda vana gloria.

tim gula subrepit, edendi delectatio permiscetur; *unde plerúmque contingit, ut refectionem corporis, quam salutis causâ cœpimus, causâ voluptatis expleamus.* Si hoc modo turbare opus non possit, injicit omnis generis distractiones, tædia, tristitiam, impatientiam, & ità seducit, ut citò citiùs opus absolvamus, ut molestiis prætactis liberemur.

Quomodo illa sit vitanda.

Ne igitur sub opere vanâ gloriâ seducaris, irretorto ad Deum oculo respiciendum est, qui solus remunerabitur bona, & castigabit opera mala; laudent vel contemnant homines, quantùm volent, felicem vel infelicem per hoc te non efficient: sola Dei gratia vel disgratia est, quæ nos vel exaltat vel deprimit. Sufficere nobis debet, quod Deus sciat, quid boni agamus: Unde ad hominem æquè minùs respici debet, ac si homo in rerum natura nullus esset.

Soli præsenti bono operi intendendū, ut bene fiat.

Ne distractiones opus vitient, animus recolligendus, ut solùm præsenti opere se occupet. Quare olim Romanis Sacrificulis in ministerio suo acclamabatur: *Hoc age.* q. d. dum hoc agis, cætera linque, uni huic tuo ministerio intentus. Memoriæ, intellectui, voluntati nostræ identidem sub opere inclamandum: *Hoc age.* & ità constringenda, ne ad alia exteriora opera se effundant, & si quid aliud se insinuet, continuo repellendum, cùm à Deo, quod præter id, quod præ manibus habemus, incidit, esse non possit, qui vult ut opus præsens, cum omni attentione & diligentiâ pro ipsius gloriâ exequamur. Unde monet Christus Luc. 17. *Attendite vobis, videte vosmetipsos, videte, vigilate.* Sed

LIB. III. PARS II. CAP. III. SEC. II.

prô dolor! infirmitas noſtra tanta eſt, ut parum præſentes ſint intellectus, memoria, voluntas, ſi quid pro gloriâ Dei agendum; afficimur in bonis tædio, de alio negotio circumſpicimus, ſperantes, nos in eo inventuros quod delectet: ſub oratione cogitamus de ſtudio, ſub ſtudiis de recreatione, ſub recreatione de alio extravaganti, ſúntque ità cogitationes noſtræ affixæ rei nondum præſenti, ut futura contingentia attentionem præſentibus ſubripiant, occupéntque vivaciùs & tenaciùs animum futura, quàm præſentia; quæ certè palpabilis illuſio eſt. Felicitas memoriæ in hoc conſiſtit, ut Dei, & eorum, quæ Deus à nobis requirit, in præſenti reminiſcatur & in iis ruminandis occupetur: Intellectûs felicitas, ut cogitationes ad Deum dirigat, & attendat, ut benefiat, quod Deus fieri vult: Voluntatis felicitas, ut velit, quæ vult Deus, ſe cum eo uniat, & mediante hac unione eum poſſideat, quæ omnia debitè fieri non poſſunt, niſì opus præſens bene & attentè agatur. Excludenda ergo penitus eſt cogitatio de futuris, omníſque in ſuavi Dei Providentiâ fiducia ponenda; aderit illa ſuo tempore, nec deſeret eum, qui ex amore Dei animo ejecit, quod impedire poterat, quo minùs gratum Deo opus redderetur.

Non reflectendum ſub opere præſenti, ad actiones futuras.

Monuit Chriſtus Dominus Apoſtolos & Martyres, ne ante tempus ſolliciti eſſent, quid in ſynagogis, coram Regibus, & Tyrannis loquerentur; *Dabitur enim vobis*, ait, *in illâ horâ quid loquamini.* Dicit: *In illâ horâ*; non diu antè, non citiùs. Idem intelligendum de actionibus, quibus nos occupamur, nec reflecten-

flectendũ ad futuras, firmitérq; credendum, quod Deus ad actiones illas, quas modò animo ejicimus, suo tempore obeundas, daturus sit nobis gratias abundantes, quas nobis ante opus promittere non possumus; ad quid enim essent utiles, si ante tempus darentur? gratiæ tantùm dantur ad opus præsens, non futurum, bene faciendum; ex quo capite similes gratiæ vocantur gratiæ actuales. Martyres ante martyrium, ùt ex historiis liquet, erant timidi & debiles; sed adveniente horâ passionis, erant instar leonum, fortes in prælio, ridebántque ad exquisitissima tormenta, ad cruces, ad ignes, ad ossium confractiones &c. Quia illâ horâ ditabantur copiosè actualibus gratiis, quibus ante passionem carebant; eo enim tempore gratiæ inutiles fuissent.

Intentio sub bonis operibus sæpe renovanda.

Ut teporem, impatientiam, & tædia, sub operibus oriri solita, vincamus, sœpe intentio prima renovanda, & quidquid aggredimur, magna animi promptitudine aggrediendum. Tristari, lamentari, tædere diabolo cum suis asseclis convenit; sed iis, quibus ob virtutes constanter exercitas Cœlum paratum est, quódque certò eos manet; gaudere & exultare debent. *Lætetur cor quærentium Dominum.* Ps. 104.

Quid post factum opus agendum.

ALiquando Diabolus, pergit S. Greg. L. c. *nec intentionem vitiat, nec in itinere supplantat, sed opus bonum in finē actionis illaqueat.* Hi laquei Davidem non latuerunt; unde conqueritur ps. 55. *Ipsi calcaneum meum observa-*

LIB. III. PARS II. CAP. III. SECT. II.

bunt. *Quia enim*, ùt hunc locum explicat S. Greg. L. c. *in calcaneo finis est corporis, quid per hunc nisi terminus signatur actionis.* Ut ergo diabolus actionem in fine merito fraudet, tres tentat insultus. *Primò*, ingerit menti inordinatum & vanum de bono opere gaudium, ex quo resultat nostrî æstimatio, quâ gloriam nobis attribuimus; imò non raro præsumptuosa ea subit cogitatio: *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Deut. 3. *Secundò*, conatur ad vanam nos pertrahere jactantiam, ut ubique divulgemus opus, quod credimus benefactum. *Tertiò*, tentat persuadere, ut in posterum quiescamus, satìs jam laboratum esse, sat multos in cœlis thesauros comparatos, loco securo jam omnia posita, nec quidquam periculi ab ullo imminere. *Primus* vani gaudii insultus ut frangatur, eliciendus vivæ Fidei actus, certóque credendum, omnia, quæ bene agimus, procedere à gratiâ & auxilio Dei cooperante, dicendúmq; cum Davide ps. 117. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me.* Gratiæ Deo pro impensâ ope agendæ, omnísque ei gloria transcribenda. Insultum secundum frangemus, si opus, quod benefecimus, occultemus; quamdiu occultatur, remanet in securitate; periculum subit, si manifestetur: si sinè tuâ culpâ propaletur & lauderis, cogita, quanta insit hominum laudibus vanitas, qui sœpe laudant, quod esset contemnendum: ignorantia illorum est, quod operantem laudent, nesciunt enim, quanta sit hominum in rebus bene agendis sinè Dei auxilio infirmitas: æquum

Quibus modis quærat bonum opus, postquam factum est, Diabolus vitiare.

Quomodo contra illum pugnandum.

certè de re judicium hæ talpæ ferre non valent, quia quod in opere bonum est, internum est, adeóque oculos fugit; de nullo autem, quod videri nequit, rectè homo judicabit. Ut tertius eludatur insultus, & ne facto opere senescamus, revocandum in mentem est exemplum S. Pauli, qui de se ità scribit ad Philip. 3. *Fratres ego arbitror me non comprehendisse; unum autem, quæ retrò sunt obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens me ipsum ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis.* Comparat se sanctus Apostolus in his verbis currentibus in stadio ad bravium; hi singula totius corporis membra aptant cursui, nunquam respiciunt ad spatium quod emensi sunt; sed anteriora spectant; nec quiescunt, donec ad locum, in quo bravium eos exspectat, pervenerint. Sic currere debent, quibus curæ est negotium grande salutis. *Nunquam justus*, ait S. Bernard. Epist. 253. *arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit: satìs est, sed semper esurit,* sititque justitiam. *Tria sunt hominum genera*, ait S. Aug. de novo Cant. c. 4. tom. 9. *quæ Deus odit, Remanentem, Retrocedentem, Aberrantem. O malum retrospicere! Uxor enim Loth, quæ liberata est à Sodomitis, contra præceptum retrospexit, quod evaserat, perdidit; nec immeritò in statuam salis repente conversa est, ut fatuos suo etiam exemplo condiret. In salem*, ait idem alio loco de Verb. Domini serm. 29. *conversa est, ut prudentes condiret exemplo. Memores estote, uxoris Loth,* monet Redemptor noster Luc. 17. q. d. Nolite respicere retrò, ne idem vobis eveniat, quod uxori Loth.

CAPUT IV.
De bonâ intentione, & quanti ea momenti.

Opera minima, ex se indifferentia, bona intentio facit meritoria.

EX ſententiâ ſanctorum Patrum bona Intentio operum noſtrorum eſt anima, ex qua ſuum eſſe, pretium & dignitatem hauriunt; ità quidem ut opus ſit vel maxime, vel parum, vel nihil meritorium, ſecundùm qualitatem & intenſionem intentionis. Opera in ſpeciem maxima, ſinè bonâ intentione nulla ſunt; opera minima cum intentione bonâ, maxima. Quid vilius hauſtu aquæ frigidæ? & tamen de eo ait Chriſtus, Luc. 10. *Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Cum brutis nobis commune eſt, comedere, dormire, bibere &c. Adeóque in ſpeciem hæc ſunt abjecta opera; ſed ea ante thronum Divinitatis ſtatuit Intentio, reddítque æternæ vitæ meritoria. *Animus eſt*, ait Senec. Lib. 1. de Benef. cap. 6. *qui parva extollit, ſordida illuſtrat, magna & in pretio habita dehoneſtat.*

Lucerna corporis tui eſt oculus tuus, ait Chriſtus Matt. 6. *ſi igitur oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Quibus verbis, ùt notant Interpretes, ſignificare Redemptor noſter voluit, quantæ ſit efficaciæ, vel ad bonum vel ad malum Intentio. Sicut oculus corporis membra in actionibus regit, ſic & dirigit opera noſtra Intentio. Oculus ſimplex eſt Intentio bona, oculus nequam Intentio mala. Ex oculorum qualitate corporis ſanitatem vel infirmitatem colligi poſſe, docet Hipocrates Lib. 6. Epidem. ſect. 4.

ſic

ſic & metiri operum noſtrorum valorem poſſumus ex qualitate intentionis. Unde Sponſus in Canticis volens Sponſæ ſuæ pulchritudinem extollere Cant. 1. laudat ejus oculos, id eſt, intentionem: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum*: comparat ſuæ Sponſæ oculos, oculis columbarum ob tres cauſas; ùt notat Alphonſus Oronzæus in hunc locum. *Primò*; quia olim, ùt aliqui tradunt, columbæ pro ſacrificio oblatæ, oculi à ſacerdote luſtrabantur; ſi inveniebantur clari & puri, tota columba, ùt pulchra, ſacrificio deſtinabatur. *Secundò*; quia columba Symbolum eſt ſimplicitatis, puritatis, & amoris, quæ tria ſimiliter in pura intentione inveniuntur. *Tertiò*, quia vox hebræa, quæ ſignificat columbam, à tali verbo derivata eſt, quod idem ſignificat ac rapere; unde aliqui vertunt: *Oculi tui rapientes, deprædantes, vim inferentes*. q. d. Sponſus: Chariſſima mea dum oculos tuos voco, oculos columbarum, intelligo per hos operum tuorum candidam ſimplicitatem, & intentionem, qua me ad te trahis, cor meum deprædaris, & affectui meo vim infers.

Qualis eſt intentio, tale eſt & opus.

S. Greg. lib. moral. 28. cap. 6. explicans illa Jobi verba cap. 38. *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt*; maximam docet eſſe bonæ Intentionis utilitatem: *Baſes*, ait, *uniuscujuſque animæ ſunt intentiones ſuæ; nam ſicut fabrica columnis, columnæ autem baſibus innituntur, ità vita noſtra in virtutibus, virtutes autem in intimâ intentione ſubſiſtunt*. Et paulò poſt: *Non ergo penſandum eſt, baſes quid ſuſtinent; ſed ubi ſuſtinentur; quia profectò humana corda divinitus per-*

 ſcru-

ſcrutantur, non ſolùm, quid faciunt, ſed quid in operibus quærunt. Ejuſdem ſententiæ ante S. Gregorium fuit S. Aug. præfat. in pſalm. 31. *Bonum opus intentio facit: non valde attendas, quid homo faciat; ſed quid, cum facit, aſpiciat, quo lacertos optimæ gubernationis dirigat.*

SECTIO I.

De diverſitate intentionum quæ operi præmitti poſſunt.

Triplicis generis ſunt Intentiones.

POſſunt Intentiones bonæ eſſe in triplici differentia. Prima vocari poteſt terrena, & eſt, quando quis v. g. orat, jejunat, eleemoſynam largitur, ut Deus det bonum aliquot temporale. v. g. Sanitatem, felix iter, felicem litis ſucceſſum, &c. Hæ intentiones bonæ ſunt, ſi cum plenâ reſignatione Deo rem committamus: quia tamen pro objecto habent merè terrena, ſunt infimæ. Secunda eſt cœleſtis, qua quæruntur bona cœleſtia, æterna ſalus, ſpirituales gratiæ, ut dum v. g. jejunamus, ut remiſſionem peccatorum obtineamus, Juſtitiæ Divinæ ſatisfaciamus, ut hanc vel illam tentationem ſuperemus, &c. Hæ intentiones prioribus meliores ſunt, quia reſpiciunt bonum excellentius. Tertia eáque præſtantiſſima eſt Divina, quæ non reſpicit quod terrenum, nec quod cœleſte; ſed purè Deum, ejus amorem, honorem, & voluntatis ipſius adimpletionem. Primi generis intentiones ſunt quodammodo cupreæ; ſecundi, argenteæ; tertii, aureæ. Quo puriùs & ſimpliciùs homo cũ Deo agit, quò minùs in ejus ſervitio ſuum proprium commodum quærit, eò magìs accreſcit lucrum,

có-

eòq; majorem potest exspectare remunerationem. Unde Christus monebat S. Catharinam Senensem, ùt in ejus vitâ legitur, ut de illo semper cogitaret, omnia operaretur ad ejus gloriam, eámque semper & ubique quæreret; de cætero omnia illi committeret. Ego, ajebat, te ducam, defendam, animabo, perficiam, de hostibus tuis triumphare te faciam, & tandem post multorum meritorum cumulum, te ad me transferam.

Optima intentio in quibus consistat.

Hæc ultima & optima Intentio potissimùm consistit in tribus, scilicet, in amore Dei, promotione ejus gloriæ, & voluntatis illius adimpletione: Si ad hæc tria vel ad unum ex istis intentiones nostras dirigamus, certi esse possumus, quòd Deum in veritate quæramus, synceré cum eo agamus, quódque opera nostra eidem maximè placitura sint. Hæc intentio hoc vel simili modo fieri potest: Faciam hoc opus Domine Deus meus ex amore tuî; scis quòd per hoc nihil aliud quæram, quàm ut per hoc tibi placeam. Unicè desidero, ut tantùm per hoc glorificeris, quantùm, te glorificant, glorificârunt, vel in æternum glorificabunt omnes creaturæ in Cœlo vel in terra.

Interdum sinè ullâ præviâ intentione opus totum Deo reconsignandum, cum adjunctâ petitione, ut ille omnia in eo & circa illud disponat & ordinet, sicut ipsi maximè placet. Vel operari possumus eum in finem, ut liberemus animam ex purgatorio, quæ liberationi proxima est, ut citò liberata nostrî loco Deũ laudet, glorificet, & voluntatem ejus adimpleat pro nobis, qui adeò perfectè in

terris hæc præstare nequimus, ùt vellemus.

Intentio admodum sublimis, quomodo ante quodlibet opus facienda.

Has jam dictas intentiones longè superant, súntque sublimissimæ illæ, quas Deus ipse habet, dum nobiscum ad hoc vel illud opus ponendum concurrit. Pro quo sciendum, quod necessariò Deus ad omne opus quod agimus, concurrere debeat; creaturæ enim, ùt causæ secundæ, sinè primâ agere non possunt. Hic concursus duplex est, naturalis & supernaturalis; naturalis, per quem Deus concurrit v. g. cum Sole, Luna, stellis, animalibus, plantis, &c. ad producendos suos effectus. Supernaturalis est, si Deus, ùt causa prima gratiæ, nobiscum ad hoc vel illud virtutis opus exercendum concurrat per gratias actuales, quas nobis Redemptor noster amarissimâ suâ passione & morte promeritus est. Si igitur nobiscum concurrat ad operationes sive naturales sive supernaturales eliciendas, certum est, quòd in utrisque sublimissimam sibi Deus præfixerit intentionem, cùm enim aliam intentionem habere non possit, nisì eam, quæ suam decet Majestatem, sic sequitur omnes illius intentiones infinitè puras, perfectas, & sanctas esse. Si quæras, quales tandem hæ intentiones sint? Respondeo; parum referre, idipsum scire, cùm enim sciamus Divinas esse, hoc ipso scimus esse perfectissimas: sunt tamē ordinariè triplices: ad promovendā suam gloriam, ad eliciendum actum amoris, ad implendam suam voluntatē. Ut igitur sublimissimam, & planèDivinam operibus nostris intentionem præmittamus, ante quodlibet opus hæc vel similia corde vel ore promenda: Domine

Deus meus hoc opus perficiã eo fine, ad quem tu mecum idipsum operaturus es: Tu quæris in eo tuam gloriam, tuî amorem, & tuæ voluntatis adimpletionem; & hic ipse meus est finis, quem in hoc opere intendo; Tu da gratiam, ut ità perfectè agam, ut agere cupio, & Tu dignus es. Hac intentione si utamur, non possunt non maximè meritoria reddi omnia opera nostra sive parva sive magna.

SECTIO II.

Alia bona intentio, consistens in eo, quòd opera nostra operibus Christi uniamus.

Opera nostra operibus Christi unienda.

FIT hæc unio, si sub opere actuale habeamus desiderium & intimum affectum, ut opera nostra vilia, & contemptibilia cum operibus Christi, quæ à summo usque ad infimum infiniti sunt valoris, uniantur; deinde Deum Patrem & Filium instanter oremus ut in hanc unionem consentiant. Et quia per hos similésque affectus merita Christi speciali modo nobis appropriamus, illiúsque sanguine conspergimus; hinc etiam modo speciali, nostra opera Christi operibus conjungimus, per quam unionem mirum in modum decorantur & summo in pretio habentur. Certum quidem est, quòd per illam generalem conjunctionem, quam opera cujuscunque justi habent cum operibus Christi absque speciali etiam intentione, valde excellentia sint, per hanc tamen modò dictam intimiorem & specialem unionem longè fiunt præstantiora; non secus, ac, si quis in liquefactum aurum manum immittat, manum to-

tam

tam auream extrahit. Hanc intentionem docuit Christus Beatam Gertrudem, ùt in ejus vitâ legere est, Lib. 4. c. 16. quando eidem apparuit stipâtus Joanne Evangelistâ; qui scripturus calamum intingebat in atramentum, quod manibus gestabat, scribebátque atris characteribus; paulò post, calamum intingens Christi vulneribus rubros formabat Characteres; per quam visionem Christus sanctæ Virgini significabat, per nigros characteres intelligi opera ordinaria, quæ ab animâ devota peragi solent; per rubros verò ea opera, quæ in unione suæ passionis & mortis fiunt, monebátque Christus Dominus, ut tam illa quàm reliquæ sorores omnia jejunia, vigilias, labores, molestias suis unirent jejuniis, vigiliis, laboribus, molestiis; quæ ille ad Cœlestis Patris sui gloriam & humani generis salutem in terris positus subiîsset & pertulisset. Hoc ergo præstantissimo ad perfectionem consequendam medio solicitè utamur; cogitationes nostras cogitationibus Christi, verba verbis, somnum somno, vigilias vigiliis &c. uniamus, ut hoc modo ex vili & abjecto suo, quod habent, esse, ad sublimem dignitatem & pretium illa evehamus.

Mandavit olim Exod. 20. Deus erigi sibi altare de terrâ & in eo offerri sacrificia: per hoc Altare intelligunt S. Gregor. Beda, Glossa ordinar. & alii Christum Dominum, in quo sacrificia nostra æterno Patri offerre debemus; in quo altari victimæ & oblationes nostræ ponuntur, cùm in unione operum Christi opera nostra Deo Patri offerimus, quæ

sub

Ex qua unione opera nostra Deo fiunt gratiora.

ſub hac unione non poſſunt non ipſi grata eſſe. *Victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo.* Iſai. 56.

Patriarcha Jacob Geneſ. 27. ex inſtinctu matris odoriferas ſenioris fratris ſui veſtes induens, accedebat ad lectum Patris ſui Iſaac: bonus Senex ob caligantes oculos non valens diſcernere, quis filius eſſet, an primò vel ſecundò genitus; odorans veſtimentorum fragrantiam, ſpiritu exultans præſenti; ſub alieno habitu, dabat Iſaac benedictionem, dicens. *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus; det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini, eſto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ.*

Si & nos piæ matris Eccleſiæ admonitionem ſequamur, & meritis primogeniti fratris noſtri Chriſti Domini mediante prædictâ intentione, & unione operum noſtrorum cum Chriſti operibus nos veſtiamus, odorabit cœleſtis Pater virtutum unigeniti Filii ſui fragrantiam, v. g. fragrantiam perfectiſſimæ obedientiæ, qua Patri obedivit uſque ad mortem, fragrantiam zeli, quo Patris honorem quæſivit; fragrantiam amoris, quo filius in humanum genus exarſit &c. Dicétque nobis in ſpiritûs exultatione, ab imperfectionibus noſtris oculos avertens: jam adverto dilectiſſimi Filii mei odorem, quem in vitâ & morte, mihi ad honorem, & homini ad ſalutem de ſe ſparſit; atque ità intuitu ſuaviſſimi hujus odoris dabit nobis copioſam tam temporalium, quàm ſpiritualium bonorum benedictionem, faciet nos in cœleſti

gloriâ

LIB. III. PARS II. CAP. IV. SEC. II.

gloriâ ſublimiori conſedere loco præ fratribus noſtris, aliis hominibus, qui hac ſe veſte in vita non contexerunt. Cum vice quadam S. Gerdrudis, ùt in ejus vita Lib. 3. cap. 31. legitur, quædam opera exerceret, eáque per Filium æterno Patri ad gloriam offerret, eidem revelabatur, quòd omne illud, quod hoc modo Deo offerretur, ipſi gratiſſimum eſſet, ſimúlque declarabatur, quòd, ſicut ea quæ per rubrum vel viride vitrum aſpicimus, rubra vel viridia apparent; ſic & ea, quæ in unione operum Chriſti Patri Cœleſti offerimus, plurimam participent ex operibus Chriſti excellentiam.

Quid circa bonas intentiones obſervandum.

Hi aliíque, de quibus paulò antè, intentionum modi, ut fructuosè inſtituantur, debent *Primò*, tempore matutino offerri Domino Deo omnia opera in communi, deinde in particulari, maximè opera præcipua v. g. Sacrum, Orationes, ſtudium, comeſtio, recreatio &c. *Secundò*, intentio ante opera longiuſculè duratura, renovanda eſt. *Tertiò*, renovari eandem convenit breviſſimè tamen omni horâ, animúſque nonnihil recolligendus, reflectendum obiter ad præterita, dolendum de erroribus commiſſis, de bonis gratiæ agendæ, deinde in virtute Intentionis manè factæ, de novo omnia ſequentis horæ opera peragenda.

CAPUT V.

Religiosus accuratè debet servare sui Ordinis Regulam

Amor in Christum, Religiosum ad Regularum observantiam movere debet.

EAdem motiva, quæ amantem excitant, ut Amato exhibeat, quidquid tandem honoris, obsequiorum & officiorum potest; eadem & Religiosum excitare debent, ut Regulam suam, juxta quam Professionem emisit, ad amussim servet. Non una quidem causa est, quæ ad hoc ipsum obligat, sed præcipua & efficacissima est, fervens in Deum amor; cum constet sufficienter Religioso maximum se Deo, per accuratam Regularum suarum observantiam, obsequium præstare. *Qui timent Dominum*, ait Eccles. cap. 2. *replebuntur lege ipsius*, vel, ùt alii legunt apud Vatabl. *plenam legi operam navabunt*. Vel, ùt iterum alii. *Cura disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum illius est.* Hæc custodia & cura debet esse prompta, integra, ex corde optimo, non coacta. Quo minor obligatio est, quam mandans operi mandato adjungit, eò laudabilior voluntas ejus est, qui imperata promptè exequitur; per hoc enim ostendit summopere desiderare se, mandanti placere, dum adeò promptè id præstat, ad quod non adeò strictè obligatus erat. Ad Regulas sui Ordinis observandas ordinariè Religiosus sub gravi peccato, & sœpe ne veniali quidem, adstrictus est; unde si eas accuratè servet, manifestum præbet sui amoris in Deum argumentum. Filius bene educatus non ex-

spe-

spectat, donec Parens hoc vel illud sub gravi pœnâ mandet; sed cùm primùm adverterit opus Patri placere, præsto est, illúdque cum magnâ animi promptitudine exequitur.

Sinè observantiâ Regularum, nemo dici potest Religiosus.

Secundum motivum, quod ad Regularem observantiam excitare Religiosum debet, est vitæ sanctitas & perfectio, quæ dependet plurimùm ab accuratâ Regulæ observantiâ. Homo tum est verus homo, si secundùm leges naturæ vivat; si præter has assumat, servétque præcepta Dei & Ecclesiæ, fit homo Christianus: sic & Religiosus, tum fit verè Religiosus, si servet Regulas, quas Ordo, quem profitetur, præscribit. Ex hoc capite vocantur, qui sub certâ Regulâ vivunt, Regulares; id est, homines qui secundùm certam Regulam, vitam moréfque dirigunt & gubernant. Unicuique Religioso Deus juxta statum suas dedit Regulas, ùt aptissima & simul efficacia media eum finem assequendi, qui Ordini, ad quem vocatus est, specialiter proprius & præstitutus est; sinè suâ Regulâ hunc finem non assequetur, ordinis officia debitè non obibit, & Deum honore, quem ab ipso exigit, maximâ ex parte privabit; tam parum enim possibile est sinè congruentibus mediis fini proportionatis finem assequi, quàm parùm possibile est, ex uno loco ad alium pergere per viam, quæ ad locum, quò tendimus, non perducit. Nec unquam Religiosus in quibuscunque tandem operibus se exerceat, perfectionem sui statûs acquiret, nisì observando Regulam, ad quam omnes suas actiones & verba, velut ad amussim dirigat & ordinet. Licèt per opera bona con-

Sinè hac perfectionem non assequentur.

contra Regulam facta, aliis interdum possit prodesse, iísque esse causa salutis; non vult tamen Deus, ut ille pro suâ personâ hanc viam teneat; sed vult, ut vitam & actiones secundùm Regulam, ad quam ipsum vocavit, componat. De similibus operibus, aliis quidem utilibus, sed quæ sunt contra Regulam, dici potest, quod olim S. Augustinus de operibus Gentilium: *Magni passus, sed extra viam.*

SECTIO UNICA.

Solvuntur quædam objectiones, quæ contra Regulæ observantiam moveri possent.

PRima quorundam contra ea, quæ modò dicta sunt, objectio est. Quod vota concernit & materiam alicujus momenti, extra omne dubium magni refert Regulas exactè servare; quod minora concernit, operæ pretium non erit se ratione illorum multùm affligere, possunt hæc, vel negligi vel observari sinè magno vitæ spiritualis detrimento, cùm in his perfectio non consistat. Respondetur; periculosiùs vix quidquam in Communitatem religiosam irrepere posse, quàm existimare minimarum rerum observantiam parvi, vel nihili faciendam; posse sine hac ad perfectionem veniri; futurum tandem phantastam qui in his studium poneret. Hoc, inquam, sentire, valde periculosum & perniciosum est; ex hoc enim ut pessimâ radice pessimi pullulant fructus; ex hoc paula-

LIB. III. PARS II. CAP. V. SECTIO UNICA.

Ex neglectâ observantiâ Regularum quanta mala, & quare observanda.

tim fervor intepescit, deficit tã in- quàm externa mortificatio, animus dissipatur, cor distrahitur, in exteriora effunditur, sensualibus frœna laxantur; verbo, omnia in pejus abeunt, vitáque ducitur religioso nomine indigna. Constanter igitur asseritur, nullam in nulla Religione Regulam esse parvam, vel exigui momenti; sed omnes magni æstimandas. *Primò*, quia veniunt à Deo inspirante, à quo ob infinitam ejusdem Majestatem nihil parvi æstimandum, provenire potest. *Secundò*, quia Fundatori multo labore, orationibus, vigiliis, jejuniis, &c. steterunt. *Tertiò*, quia optima sunt & aptissima media, ad consequendam cujusque statui convenientem perfectionem. Et quomodo parvum vel futile dici potest, per quod in hac vitâ acquiritur tranquillitas conscientiæ, magni meritorum thesauri, & magnum gloriæ in Cœlis incrementum? Sinè cujus econtra observantiâ pax animi turbatur, peccatis venialibus anima fœdatur, gravissimásque purgatorii pœnas quis promeretur? &c. Qui verè amat, nunquam dicit: Res hæc minimi momenti est: timet enim magìs minimam Amati offensam, quàm mortem ipsam.

Præterea maximi Regularum observantia æstimanda est, quia earum transgressio magnorum periculorum causa, per quæ non semel tota Communitas in confusionem pertracta est; dum enim una Regula non observatur, fit transitus ad aliam, ex hac in tertiam, crescitque ex iteratis tot vicibus animus majora tentandi, *Certissimum est*, ait S. Anselm. Epist. 6, ad Monach. Cisterc. *quod*

expe-

experimento didicimus; quia in Monasterio, ubi minima custodiuntur, ibi rigor Monachorum inviolabilis manet; ibi pax inter Fratres: ubi verò minimi excessus negliguntur, ibi totus ordo paulatim dissipatur & destruitur.

LIB. III. PARS II. CAP. V. SECTIO UNICA.

Ob materiæ levitatem non sunt contemnendæ Regulæ.

Certè inexcusabilis Religiosus est, qui minima hæc negligit, & per horum neglectum & se & Ordinem suum tantò periculo exponit. Quam quæsò de Regula sua non rite observatâ adferet excusationem? fortè hanc? Res levioris momenti sunt, quæ à Regula vel præcipiuntur, vel prohibentur; eas transgredi, vel non exequi parvi interest. Sed hæc ipsa excusatio arguit te, & pœnâ dignum, si Regulas non serves, declarat; si enim res leves sunt quæ præcipiuntur, eò faciliori labore servantur; si res forent, quæ magno labore & sudore comparandæ, posset esse excusationi aliqualis locus, modò nullus. Si gloriareris quod amicum tuum intimè ames, eidem interim maximâ necessitate presso, ne obolum, ad repetitas etiam instantias, licèt facillimè posses, pro sublevamine porrigeres; essétne hoc amoris indicium? essétne rationi conforme in hoc casu respondere Amico: Res hæc, qualis obolus est, nullius est momenti, ideo nolo tibi dare? sed ob hanc ipsam rationem dare deberes promptiùs; cœteroquin manifestè prodis, quòd amor tuus sit vanus, consistátque in fucatis & inanibus verbis.

Non solùm Juniores & seniores ad Re-

Objicitur secundò: Si tanta Regularum observantia in Ordine religioso necessaria sit, erit potissimum necessaria Novitiis & Tyronibus; iis, qui per plures annos pondus

 dici

gulas teneantur.

diei & æstûs portârunt, liberior nonnihil vita & aer congruunt; & sinè culpâ nonnihil respirare licebit iis, qui splendido admoti officio vel præstanti doctrinâ insignes sunt; non ità hi, ùt Novitii inter minutiarum regularium angustias constringendi. Ità est; decet omnino, ut his, qui viribus deficiunt, onus, quoad labores corporales & onera externa allevietur; sed eximi eos à communi Regularum observantiâ & virtutum exercitio nec licet, nec decet: & vel ex hoc ipso capite, quia senes sunt, etiam esse deberent excellentiores in observandis regularibus, & alios, ùt ætate, ità humilitate, patientiâ, cæterísque virtutibus superare. Quò diutius quis in Ordine est, eò in virtutibus debet esse excellentior; quia plures, quàm Juniores, recepit à Deo gratias & auxilia, & se diutius in Oratione, Confessione, Communione aliisque virtutum operibus exercuit; si hoc factum non sit, ad quid est in Religione? ad quid alterius locum occupat? Res certè miseranda est, Religiosum sæpe inveniri, numerantem multos annos conversionis, cùm sit exiguus vel etiam nullus fructus emendationis. Res indigna nimis, quòd cùm maxima reliquerimus, minutiis & quisquiliis ità animum in Religione affigamus; ut, quæ ad animam spectant maxima, non curemus. Appositè in hanc rem S. Cæsarius: *Propter amorem Domini nostri ad relinquendos dulces affectus & cara pignora fortissimi sumus, jucundissimos piissimorum vultus Parentum, quasi odissemus, fugimus; bellum quodammodo pietati indiximus, & nunc ad declinandas negligentias, ad expugnanda*

pugnanda levissima vitia infirmi & desides sumus. In eundem ferme modum S. Eucherius hom. 9. ad Monachos. *Videte*, ait, *vocationem vestram Fratres; venire ad Religionem summa perfectio est; non perfectè vivere in eremo summa damnatio est: quid prodest, si in loco quies & silentium sit, & in habitatoribus vitiorum tumultus, & colluctatio passionum; si exteriora serenitas teneat, & interiora tempestas? solemus annos nostros, & temporum spatia, quibus nunc vivimus, supputare; non te fallat, quicunque ille numerus dierum, quos hic relicto corporaliter sæculo consumpsisti; illum tantùm diem vixisse te computa, in quo voluntates proprias abnegâsti, in quo magìs desideriis restitisti, quem sinè ullâ Regulæ transgressione duxisti.*

LIB. III. PARS II. CAP. V. SECTIO UNICA.

Vis boni exempli in Senioribus.

Accedit, quòd ad Regularum observantiam eò magìs Seniores adstricti sint, quò fortius eorum est exemplum, vel ad malum pertrahendum, vel ad bonum alliciendum. Lux cuique objecto tribuit splendorem, sed majorem ei, cui jam antè suus splendor fuit, unde ad lucem solis vivaciùs splendet aurum, quàm lignum, quia prævìè in se ipso jam fulgorem aurum habuit: ità & lucet quidem in Novitiis splendor virtutum; sed magìs in iis, qui prævìè, vel ex senio, vel officio, vel insigni doctrinâ lucis aliquid habuerunt; qua duplici luce fulgentes, incredibile est, quàm fortiter ad virtutis studium alios non tam ducant, quàm trahant: si verò hi, senio, doctrinâ, vel officio insignes viri, in varias easque laxas eant vias; quam tandem tenebunt viam, qui incipiunt, quique in via perfectionis inexperti, nesciunt

LIB. III. PARS II. CAP. VI.

quæ via tenenda ſit? Erat in veteri Teſtamento Exod. 28. ora veſtimenti ſummorum Sacerdotum inſtructa coronatis malis granatis & parvis tintinnabulis; Regulæ etiam minimæ ſunt coronata mala granata & præſtantiſſimi perfectionis fructus, quæ merentur augmentum gratiæ & coronam gloriæ; ſunt tintinnabula, quæ ſuaviſſimè reſonant, præſertim, ſi inveniantur apud ſummos Sacerdotes, qui vel ætate, vel officio, vel ſcientiâ alios ſuperant.

CAPUT VI.

Caritas Chriſti facit, ut in rebus Fidei modo excellenti nos exerceamus.

DIximus hucuſque in communi, quòd caritas Chriſti ad virtutum exercitium animos ſtimulóſque amanti addat; agemus jam nonnihil de virtutibus præcipuis in particulari. Primò de Fide, de qua dicit Apoſt. ad Cor. 1. cap. 13. *Caritas omnia credit.* Qui amat, omnibus iis, quæ amatus dicit, plenam adhibet fidem. Dicetur igitur *primò* qualis virtus ſit Fides; *ſecundò*, in quo ejus conſiſtat eſſentia; *tertiò*, quas habeat conditiones; *quartò*, de actuali ejus exercitio; *quintò*, de ejus utilitate; *ſextò*, de tentationibus contra illam.

Definitio Fidei ex S. Paulo, ejúſque explicatio.

Fides definitur à S. Paulo ad Hebræos 11. *Quòd ſit ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Dicitur primò, quòd ſit ſubſtantia, ad denotandum, quòd, ſicut accidentia ſuſtentantur in ſubſtantia, & ædificium in fundamento, ſic totum vitæ ſpiri-

ſpiritualis ædificium innitatur fundamento Fidei; ſinè qua non ſecus ac ædificium materiale ſinè fundamento, omnes virtutes nullius ſunt roboris, & non poſſunt non corruere. Deinde Fides, ùt verbum græcum cum majori emphaſi reddit, & cum S. Chryſoſtomo Theodoretus explicat, eſt ſubſtantia ſperandarum rerum; hoc eſt, cœleſtis gloriæ, quam necdum poſſidemus, ſed exſpectamus; dat enim Fides, rebus quæ necdum ſunt, anticipatum eſſe & præſentiam, & cum tanta fiduciâ cœleſtem gloriam nobis dandam confidimus, quaſi eâ jam actu frueremur. Tantum ergo operatur Fides in nobis, vi ſuæ infallibilis certitudinis; ut nobis id, quod adhuc futurum eſt, quaſi præſens exhibeat: Unde prætacta Apoſtoli verba modo loquendi Syris uſitato ità habent: *Fides eſt perſuaſio & certitudo de iis rebus, quæ ſunt in ſpe, perinde ac ſi exiſterent actu.* Rem hanc aptâ ſimilitudine declarat S. Thom. Aquin. dum ait: *Res ſperandæ ſunt in Fide, ſicut arbor in ſemine, quæ per fidem quodammodo jam exiſtunt in nobis, ſicut arborem modo quodam tenemus in ſemine.* Huc ſpectat verbum *Amana*, quod apud Hebræos fidem ſignificat, quod eſt derivatum à quodam verbo, quod ſignificat, aliquid in adeò ſolidâ baſi ac fundamento locare, ut nullâ vi moveri ac everti poſſit. Dicit ulterius S. Paulus in definitione Fidei: *Argumentum non apparentium.* Hoc eſt, ùt explicat S. Thom. omnimodus aſſenſus Myſteriorum, quæ Fides credenda proponit.

Objectum materiale hujus Fidei eſt omne,

LIB. III. PARS II. CAP. VI. SECT. I.

Objectum Fidei quodnam.

quod Deus credendum proponit, vel immediatè per se, vel mediatè per sua instrumenta, quæ sunt Apostoli, Prophetæ, & Ecclesia, quæ in suo capite Romano Pontifice, vel in suo corpore in œcumenicis Conciliis consistit. Motivum est authoritas Dei dicentis & revelantis. Fides hæc in Sacramento Baptismi infunditur omnibus; sed in multis valde est infirma, quia fidei non respondet vita; in aliquibus valde heroica, quæ vocatur Sap. 3. *Fidei donum electum.* His præsuppositis de Fidei proprietatibus pauca dicentur, sit ergo

---

SECTIO I.

Quasnam conditiones Fides nostra debeat habere.

Prima conditio Fidei, est firmus assensus.

PRima est firmus assensus omni dubio excluso, ità quidem ut Fidei articulis firmiùs assentiamur, quàm cuicunque factæ ex lumine naturali conclusioni, vel quibuscunque principiis lumine naturali notis; quale est: *Totum est majus suâ parte, &c.* quamvis enim hæc infallibilia & certissima sint, sunt tamen Mysteria Fidei adhuc certiora; scimus enim ea ex tali principio, quod fallere non potest; hoc est, ex revelatione divinâ: alia econtra quæ vel intellectu conspicimus, vel sensu percipimus, decipere nos possunt; cum procedant vel à sensibus, qui sœpe fallunt; vel ab intellectu convincente, qui tamen intellectus multis involutus tenebris, facilè in judicio labitur, ut album nigrum, & malum judicet bonum. Unde in tota natura

nihil

nihil adeò firmum & certum est, cui adeò firmum præbere possim assensum, quàm Mysteriis Fidei. Agnoscebat hoc Patriarcha Abraham, de quo S. Paul. ad Rom. 4. scribit: *In spem contra spem credidit, ut fieret Pater multarum gentium; informatus est Fide, nec considerare corpus suum emortuum, cum ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ: in repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est Fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere.* Abrahæ adjungi ex novo Testamento potest Comes Elzearius, qui de se fatetur, tam firmo assensu Fidei articulos se credere, ut si in contrarium se movere conarentur celeberrimi tum temporis Theologiæ Doctores, tam parum effecturi essent, ac si os non aperuissent.

Secunda, est assensus simplex sinè curiositate.

Secunda Fidei proprietas est, ut credamus simpliciter instar innocentis pueri, nec temere præsumamus Mysteria Fidei curiosè discutere; sed gaudeamus potiùs de ignorantia, quod intellectus noster ea penetrare non sufficiat, eundem in obsequium fidei promptè captivantes: si in rebus his abstrusis nimiùm intellectui credamus, seducet nos, ùt solet non raró in tenebris ad devia viatores seducere ignis fatuus. *Nobis*, ait Tertull. Lib. de Præscript. c. 8. *curiositate opus non est post Christum, nec inquisitione post Evangelium. Sentite*, ait Eccles. Sap. 1. *de Domino in bonitate, & simplicitate cordis quærite illum, quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum: perversæ enim cogitationes separant à Deo.*

 Et

Et paulò post: *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sinè intellectu.* Hic firmus & simplex assensus in eo fundatur, quòd rationi conforme sit, ut alicui adhibeatur tanta fides, quantâ dignus est; eò autem majori quis fide dignus est, quantò certiùs scit verum esse, quod verum esse asseverat: Deo igitur æternæ Veritati, qui modo infinitè infallibili cognoscit verum esse quod nobis credendum proponit, firma, simplex, & indubitata fides adhibenda est. Hæc bene ponderata non possunt non fidem facilitare, eóque animam permovere, ut si Deus eidem diceret, quòd in mundo non esset, omnino id crederet; nullam enim in iis, quæ credenda proponuntur, facit differentiam, clausis oculis ùt verissimum credens, quod ei proponit æterna Veritas, quæ fallere non potest. S. Theresia firmam adeò & simplicem Fidem habuit, ut fassa sit, se eò libentiùs & alacriùs credere, quo minùs luminis in rebus Fidei inveniret ad captum intellectûs, invenire etiam se in hoc cæco credendi modo majorem quietem, majorémque animi devotionem. Nunquam desiderabat scire rationes, dummodo diceretur, quod Deus credendum hoc vel illud proposuisset. Unde maximi æstimabat sacros Ecclesiæ ritus, cerimonias, aliásque ex præscripto Ecclesiæ benedictas res, v. g. rosaria, numismata, &c. Præter hanc Dei infallibilitatem assensum maximè etiam facilitant, externa signa credibilitatis, de quibus aìt Psalm. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Joannes Picus Mirandula de his

testi-

testimoniis sic loquitur: *Magna insania est Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, Dæmones confitentur.*

Tertia, ut Fides sit viva & operans.

Tertia Fidei proprietas est, ut sit viva & operans. *Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsâ.* Et iterum: *Fides sinè operibus mortua est.* Jacob. c. 2. *Accedamus*, monet S. Paul. ad Hebr. 10. *cum vero corde in plenitudine Fidei.* Hoc est, ùt explicat D. Thom. in hunc locum: Non tantùm firmiter mysteriis Fidei credamus, sed & opere ipso exequamur, quod credimus. *Fides*, ùt docet S. Aug. præfat. in psal. 139. *sic est in animâ, ùt radix bona, quæ pluviam in fructum ducit.* Et alibi serm. 137. de Temp. *Credere in Christum fides vocatur; difficile est, ut malè vivat, qui bene credit: fides appellata est ab eo, quia fit quod dicitur: duæ syllabæ sonant cum dicitur* FIDES: *prima syllaba est à Facto, secunda à Dicto. Interrogo ergo te, utrum credas? dices: Credo. Fac quod dicis & fides est.* In eundem sensum loquitur S. Greg. Hom. 26. in Evang. *Ille verè credit, qui exercet operando, quod credit.* Constat experientiâ, quòd, si quis certus sit, de quodam alicubi abscondito thesauro, certitudo hæc illum excitet, animétque, ut adhibitis quibuscunque tandem mediis thesaurum inveniat. Quid dico de certitudine? sola probabilitas de thesauro abscondito sufficit, ut quis labore improbo quærat. Quid mercatorem trahit ad ultimas usque mundi plagas? sola spes lucri. Quid militem in sexcenta trudit vitæ pericula? sola spes promotionis & glo-

LIB. III. PARS II. CAP. VI. SECT. I.

riæ, quæ tamen sæpe fallit, & in fumos abit. Quid ergo non efficiet apud nos Fides viva & infallibilis, cujus promissa non sunt de bonis terrenis, sed æternis? Quos non addet animos ad arripienda media, quæ ad consequenda hæc infinita bona conducere possunt.

Quarta, ut sit depurata.

Quarta proprietas est, ùt Fides nostra sit depurata, hoc est, ut non nitatur consolationibus, apparitionibus, naturalibus sive supernaturalibus probationibus, scientiâ, cognitione, nec ullâ aliâ re; sed solâ authoritate Dei revelantis & ad credendum proponentis. Hoc unicum & solum fundamentum est, cui firmissimè Fides innititur, & sinè metu in mediis tenebris clausis oculis progreditur. Hoc solo fundamento nixa Fides, vocatur heroica, magnanima, meritoria, & depurata; quò enim minùs intelligimus, quod vir sapiens & verax dicit, eò purior, & generosior est fides, quæ ejusdem dictis adhibetur. Indè occasionem sumpsit S. Greg. dicendi hom. 26. in Evang. *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.* Hæc depurata Fides tutissima est, & ab omni illusione Diaboli maximè libera. Hæc illa Fides est, quæ plùs quàm quæcunque alia media animum aptum reddit & disponit ad unionem cum Deo: cùm enim juxta Philosophorum doctrinam inter finem & media debeat esse proportio; consolationes verò, apparitiones, revelationes, inspirationes, & omnes demonstrationes, cum Deo, ùt ultimo fine debitam proportionem non habeant;

beant; cùm Deus nihil eorum sit, quæ prætacta adjumenta nobis exhibent, sed infinitè aliud præstantius; hinc sola Fides nobis Deum exhibet, ùt in se est. Est Deus unus in essentia, trinus in Personis, est bonus, pulcher, sapiens, & imò Bonitas, Pulchritudo & Sapientia ipsa; & talis nobis proponitur & exhibetur à Fide, sub inevidenti quidem, certissimâ tamen cognitione, quæ cognitio planissima ad Deũ veniendi via est. Abjicienda ergo sunt adscita aliundè, quæ decipere possunt, media, & devia relinquenda; atq; in tutâ Fidei, soli revelationi & authoritati divinæ innixæ, viâ ambulandum; in hac per tenebras ad lucem gradiendum, & per caliginem oculi illuminandi; manet námque certum, illud Isaiæ c. 7. *Nisi credideritis, non intelligetis.*

SECTIO II.

De actuali Fidei exercitio.

HAbete Fidem Dei, dicebat olim suis Apostolis Christus Dominus Marc. 11. id est, ex modo loquendi S. Scripturæ usitato: Habete Fidem sinè dubio firmam, sinè discussione simplicem, cum operibus vivam, sinè probationibus, quæ vel ex cœlo, vel terrâ, vel aliunde adhiberi possent, depuratam; Fidem habete, quæ solùm certitudine in Dei infallibilitate fundatâ, vestita est; habete Fidem magnam; non quæ Mysteria clariùs cognoscat, sed quæ in obscuritate firmiùs credat.

Ut

LIB. III. PARS II. CAP. VI. SEC. II.

Ut ergo perfectissimo modo Fidei actus eliciantur, infinitam certitudinem in Dei verbo & cognitione fundatam, quæ rem aliter cognoscere, nec aliter de eâ, quàm in se est, loqui potest, perpendere debemus; hanc Dei perfectionem, maximi æstimando. Propter hanc actum Fidei firmissimum elicere, omniáque indubitatè credere debemus, quæ vel per se, vel sua instrumenta revelavit. Actus Fidei cum singulari fructu & merito elici possunt.

Quando & circa quæ actus Fidei sæpius eliciendi.

Primò. Cùm dicitur symbolum Apostolorum, non, ùt fieri assolet, obiter sinè attentione; sed cùm fide vivâ, mente & corde in Deum elevatis, cùm contestatione, quòd omnia & singula hoc symbolo comprehensa credamus. Unum hujusmodi *Credo*, mille aliis obiter recitatis præstat.

Secundò. Actus Fidei exerceri debent præcipuè circa tales articulos, quorum repetitio maximè saluti & profectui in spiritu conducere potest: quales sunt de quatuor Extremis, Morte, Judicio, Inferno, cœlesti Gloriâ. v.g. de morte: Credo Domine futuram aliquando horam illam, à quâ dependebit æternitas, & ego separatâ à corpore animâ moriturus sum: credo hoc Domine fide æquè firmâ, ac eâ, qua credo Te esse qui es, Deum verum summum & unum. Et ità de aliis Extremis. Hi Fidei actus sæpe repetiti hominem salubriter terrebunt, & eò disponent, ut rarissimè, & non nisì ex fragilitate peccaturus sit. Majori cum fructu hi similésque actus exercebuntur; si elicito de hac vel illâ fidei veritate actu, moralis inde do-

ctrina

ctrina excerpatur v. g. ex actu elicito de Morte ſemel ſubeundâ diſcendum, ne cor animúmque inordinatè perituris affigamus, cum tandem aliquando nolentes volentes relinquere debebimus creaturas, quas amamus.

Tertiò, Præter hos de quatuor Extremis Fidei actus, cum maximo fructu elicientur actus de ultimo Fine & beatitudine noſtrâ, quam in ſolo Deo eſſe credimus & profitemur, dicendo: Credo Domine quòd Tu ſolus ſis ultimus Finis meus, tota felicitas mea in hac & in altera vita, quòd Tu ſolus ſis qui ſatias, quódque in nullo nisì in Te ſolo ſit ſolida quies & verum gaudium. Item de Dei præſentia in omni loco; de Dei ſublimitate; noſtrâ vilitate; de Dei Providentiâ; venerabili Sacramento. Ut eliciti de his veritatibus Fidei actus magìs animent, & efficaciùs excitent, diverſo modo inſtitui poſſunt: interdum paucis verbis uti poſſumus dicendo: Credo Domine hunc articulum, quia Tu dixiſti & ità eſſe revelâſti. Aliquando nos ipſos interrogare poſſumus, quærendo: Nunquid credis Deum eſſe unum in eſſentia, & trinum in Perſonis? Nunquid credis eum in omni loco præſentem? eſſe tuî ſollicitum? opera tua bona remuneraturum, mala caſtigaturum? &c. Et reſpondere: Credo, Domine, credo. Interdum imaginari nobis poſſumus Chriſtum nobiſcum agere, ùt olim egit cum Martha; poſtquam ei Chriſtus dixiſſet Fratrem Lazarum reſuſcitandum Joan. 11. ſi modò crederet, quærebat ab ea: *Credis hoc?* ad quæ promptè Mar-

Varii modi quibus actus Fidei elici poſſunt.

Martha respondit: *Utique Domine ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi.* Simili modo quis Christum se interrogantem sibi repræsentet: Credísne quòd ego sim Deus tuus, unicum & summum bonum tuum? Credísne quod tuî causâ factus sim homo, ex tuî amore crucifixus & mortuus? & respondeat: Utique Domine ego credo. Possumus etiam per modum petitionis per infinitam ejus veritatem omni fide dignissimam Christum adjurare, ut in gradu excellenti hanc nobis Fidei virtutem communicet, dicendo cum Apostolis: *Domine adauge nobis Fidem.* Fac ut indies mea Fides crescat & intendatur, fiátque simplicior, vivacior, firmior, & ab omni eo, quod eam inficere potest, emundata.

SECTIO III.

Illi sunt optimi Fidei actus, qui in opus exeunt.

Vita ducenda est qua elicitis Fidei actibus conformis sit.

POssunt quidem modo sectione præcedenti insinuato, Fidei actus elici cum singulari fructu; præcipuus tamen fructus est, si quod credimus, actu practicemus, talémque ducamus vitam, quæ Fidei, quam profitemur, conformis sit. *Quid proderit Fratres mei*, inquit S. Jacob. cap. 2. *Si Fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat. Tu Fidem habes, ostende mihi fidem tuam ex operibus. Fidem tuam*, ait S. Bern. serm. 24. in Cant. *dilectio animet, probet actio.* Fidei firmitas per opera probari debet. *Vosmetipsos tentate, si estis in Fide; ipsi vos probate*, scribit suis Corinthiis S.

Paul.

Paul. Ep. 2. cap. 12. Facillimè dicitur: *Ego Credo:* sed per hoc res confecta non est; proba, & vide, an non aliud in opere pateat, quàm in verbo jactas. Credis te moriturum, credis te judicandum, credis infernum paratum malis, cœlum bonis, credis Deum ubique præsentem &c. súntne huic tuæ fidei conformia opera? súntne talia, ut ex iis colligi possit, fieri illa ab homine, qui verè & syncerè credat, futura aliquando, quæ in ante dictis articulis comprehenduntur. Timendum, ne longè aliter se res habeat; si enim verè hæc credis, quomodo possibile erit, tam exiguam te salutis curam gerere, & præsentissimo periculo animam toties exponere. Certè, si crederes ùt oporteret, longè plura faceres, quæ jam omittis; plura omitteres quæ modò facis, esto maximo labore constarent. Si certus esses te per numeri unius erogationem, per unius Orationis Dominicæ recitationem immensos thesauros comparare posse, certè ista facere non omitteres, éique succenseres, qui adeò te stolidum judicaret, quod neglecturus esse tanta bona pro tam vili pretio emere: hanc tamen stultitiam quoties non committimus? Unde hoc? quia frigidè credimus, nec opere ipso exequimur, quod nos credere ore profitemur.

Post elicitum actum Fidei quid faciendum.

Quamprimum ergo aliquem Fidei actum elicuisti, te ipsum excitare, & aliquot actui conformia opera exequi debes, & curare, ut fructus ex hoc semine pullulent, dicendo v. g. post elicitum de Dei præsentiâ actum: Quia ergo vivaciter credo, Deum me in omni loco & angulo speculari, studiosissimè at-

tendam ad verba, opera, cogitationes, ne quid indignum tantæ Majestatis oculis committam. Post elicitum actum de excellentia hujus vel illius boni operis, dic: Quia credo minimum bonum opus tanti à Deo æstimari, tantámque mihi ex eo comparare gloriam posse; per omnem vitam meam, maximè per hunc diem, tot quot possum opera bona faciam. Post elicitum de veritate præsentiæ Christi in Eucharistia ità protestare: Ut coram Angelis, Hominibus, Dæmonibus tester, me verè credere, quod tu Deus meus cum corpore & animâ sis in venerabili Sacramento præsens, sic honorifico te, adoro te, in genua procido, oculos ex reverentia dejicio, & in omnibus quàm religiosissimè me habeo coram te.

Veritates speculativæ & practicæ in rebus Fidei quid sint.

Pro coronide notandum in rebus Fidei & veritatibus divinis alias esse veritates speculativas, alias practicas. Speculativæ sunt, quæ concernunt intellectum, quales sunt; Deum esse unum & trinum, pro nobis incarnatum, remunerationem probos, damnationem manere impios &c. Practicæ sunt, quæ concernunt voluntatem, secundùm quas vitam morésq; dirigere debemus; quales sunt, quòd homo, quamprimum ad usum rationis pervenerit, debeat vitare peccata, servare Dei præcepta, virtutibus studere, Superioribus obedire. &c. Sicut ergo inter veritates speculativas quædam sunt difficiles, dum eas intellectus capere non potest, diceretque esse falsa, si ductum & instinctum sensuum exteriorum sequeretur; sic & inter veritates practicas quædam sunt difficiles v. g. ve-

g. ve-

g. verè divitem esse, qui divitias spernit, honores consistere in contemptu, salutem in tolerantia adversitatum, beatos, qui persecutionem patiuntur &c. In quarum virtutum exercitium multam experitur voluntas repugnantiam. Sunt interim tam speculativæ quàm practicæ veritates infallibiles, quia procedunt à primâ & æternâ Veritate. Quemadmodum ergo in veritatibus speculativis captivamus intellectum in Fidei obsequium; sic & omnis ex voluntate rebellio & resistentia expugnanda, & veritates practicæ generosè amplectendæ & opere ipso exercendæ.

LIB. XII. PARS II. CAP. VI. SEC. IV.

Speculativa ab Intellectu; practica à voluntate amplectendæ sunt.

SECTIO IV.

Quæ & quanta in animam bona redundent ex generosis Fidei actibus.

SÆpius in Fidei actibus eliciendis exercere nos convenit, nec decet virtutem hanc in nobis otiosam esse. Ad actus hos frequentandos excitare nos debet ipsa Fidei excellentia; nostra propria utilitas & salus; honor deinde & amor Dei.

Fides generosa nobilitat intellectum.

Excellentia Fidei ex eo colligi potest, quòd per eam intellectus nobilitetur, purgetur, & ad summum perfectionis apicem, qui ascendi hîc in terris potest, elevetur: per hanc talium rerum acquirit scientiam, qualium per continuum studium vel subtilissima ingenia nunquam assequi potuerunt. Fides evidens est magni animi argumentum. *Fides est fortitudo vel generositas nostri intellectûs*, ait Wilhelm. Parisiens. in Volum. 4. Evang. Lib. de fide cap. 1. *manifestum est enim quòd*

LIB. III. PARS II. CAP. VI. SECT. IV.

Magna fides magni animi indicium.

credere improbabilia fortitudinis est atque vigoris nostri Intellectûs, sicut amare damnosa, molesta & ignominiosa, fortitudinis nostra Voluntatis. Consentit Leo Magnus serm. de Ascens. *Magnarum hic vigor est mentium & valdè fidelium est lumen animarum, incunctanter credere, qua corporeo non videntur intuitu, & ibi figere desiderium, quo nequeat inferre conspectum.* Falluntur ergo qui generositatem intellectûs in eo sitam esse existimant, si res Fidei curiosè scrutetur, Ecclesiæ cerimonias ad censuram & examen vocet, illud rejiciens quod capere non valet, nullámque aliam Fidei probam & regulam admittens, quàm manus & oculos. O vilis homuncio! quomodo instar aquilæ ad solis radios te sustollere posse existimas, qui maximæ caligini immersus cæcutienti deformíque noctuæ non absimilis es? Quid magni est credere, quod cuilibet grosso rustico verum esse clarè patet. Nunquid majus est credere, quod sensibus incredibile & intellectui inconceptibile videtur? Hic enim opus, hic labor est, ut Intellectus sibi ipsi vim inferat, & generosè sensum superet.

Quàm utile actus Fidei sæpe elicere.

Deinde utilissimum nobis est in Fidei actibus eliciendis sæpius occupari, dant enim vigorem & fortitudinem contra omnes hostium insultus: *Hac est victoria, qua vincit mundum, Fides nostra* 1. Joan. 5. Sicut ignorantia mysteriorum Fidei omnis mali origo est; sic viva eorundem cognitio & consideratio, fons vivus est omnis boni; animat ad virtutes exercendas, vitia fugienda, tentationes superandas. Fidem, proinde ùt optimum ad Diabolum superandum medium suggerit S.

Petrus

Petrus 1. Petr. 5. *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide. In omnibus*, monet S. Paulus suos Ephes. cap. 6. *sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Utilissimum præterea est in eliciendis actibus fidei frequentem esse; quia Fides confert animo singularem illustrationem, & tenebræ mutantur in lucem; quò enim quis simpliciùs in materia Fidei procedit, & quò minùs intelligere cupit, eò se capaciorem & digniorem reddit ad recipiendum radios, quibus similes Dei liberalitas solet illustrare. Expertus id est S. Anselm. unde de se scribit Prosol. cap. 4. *Gratias Tibi bone Domine, gratias Tibi, quia quod priùs credidi Te donante, jam sic intelligo Te illuminante, ut si Te esse, nolim credere, non possum non intelligere.*

Per actus Fidei Deum honoramus.

Denique exercere nos frequenter debemus in eliciendis Fidei actibus, & ad id excitari, quia id cedit ad singularem Dei gloriam, dum tanti ejus veracitatem, sapientiam, potentiam, & ejus verba facimus, ut omnem & plenam fidem eis habeamus. Honorificandus ergo Deus noster per repetitos Fidei actus, quamdiu in hoc mortali corpore in viâ sumus; in patriâ cessat; ubi cessante fide fructibus ejus, visione beatificâ æternum fruemur. Si verè Deum amamus, ipsi sublimia ad credendum nobis proponenti difficile non erit credere; inter omnes enim amoris probas, ferè præstantissima est, simpliciter credere, quod nobis dicitur ab Amato; patétque ex promptâ fide, quanta sit in animo nostro Dei æstimatio. Si quis à me peteret,

LIB. III. PARS II. CAP. IV. SEC. V.

ret, ut in signum mei in eum amoris crederem solem esse corpus lucidum & splendidum, magnam certè gratiam non mererer, quid enim magni est credere, quod toti mundo patet? at si peteret, ut in ejus gratiam crederem, solem non lucere, atque hoc ità verè esse; certe manifestum darem mei in illum amoris & summæ æstimationis argumentum, & reipsâ testarer, quanti facerem ejus judicium & visum, dum meum judicium & oculos tam simpliciter ejusdem subjicio.

SECTIO V.

De Tentationibus contra Fidem.

TEntationes contra Fidem quod concernit, quibus non pauci infestantur, sciendum est, illas, licèt molestæ sint, non tamen adeò periculosas esse; molestia enim, quam in his sentimus, certum indicium est, nos eisdem repugnare, quod opus meritorium est, & semen fertile æternæ gloriæ. Gaudere de iis magìs decet, quàm tristari, eóque majori animo oportet nos cum illis confligere. *In quo exultabitis*, ait S. Petrus 1. Ep. c. 16. *modicùm nunc, si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestræ fidei multò pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem & gloriam & honorem, in revelationem Jesu Christi.* Rex terrenus majori honore & præmio afficiet ducem suum bellicum, qui præcipuam quandam regni civitatem inter multas oppugnationes strenuè defendit, quàm eum, qui sinè oppugnatione & ho-

Gaudendi causam habet tentatus in materiâ Fidei.

stium

ſtium incurſu Regi urbem ſervat: ſic & Deus majori mercede remunerabitur eum, qui in materia Fidei ſœpe oppugnatus hoſtes generosè repulit, & cor ſuum inexpugnatum Deo ſervat, quàm eum, qui myſteria Fidei clarè cognoſcens, firmitérque credens, nullas hac in re tentationes paſſus eſt.

Remedia contra tentationes in materiâ Fidei.

Ut inſultus hos feliciter repellamus, conſiderandum eſt, Deo omnia eſſe poſſibilia, quòdque ea ipſa myſteria, quæ ſplendore ſuo oculos noſtros excœcant; eſſe opera, non ejus manuum, ſed tantùm trium digitorum. Beatiſſima Virgo audiens ab Angelo ſe Virginem ſimul & matrem futuram, ideóque rationabile dubium ſuboriretur, ſtatim illud depoſuit, cùm audiret mentionem fieri de Dei omnipotentiâ. Deinde in ſimili tentationum conflictu recurrendum ad humilitatem, agnoſcendo, incapacitatem & inſufficientiam diſputandi cum tam potenti hoſte in materiâ adeò intricatâ. Si diſputaveris, argumentis in ſpeciem certiſſimis ſinè ſpeciali Dei aſſiſtentiâ te decipiet. Sancto Franciſco Saleſio ad mortem decumbenti, Diabolus tam forte, ùt Saleſio videbatur, argumentum objecerat in materia concernente Euchariſtiam, ut ejus ſimile nunquam vel legiſſet vel audiviſſet; ſed victor evaſit Franciſcus, ùt poſtea recuperatâ ſanitate faſſus eſt, eò quòd reſpondere noluerit, ſed tantùm in corde nomen JESUS devotè invocaverit. Certè ad reſiſtendum tam potenti hoſti debiles nimis & infirmi ſumus, occulto potiùs dolo quàm apertâ vi debellandus eſt: debemus nos coram eo quodammodo hu-

miliare, arma abjicere eíque campum cedere, dicendo: ſtupiditas & infirmitas mea pati non poteſt, ut animum occupem tam ſublimibus cogitationibus; ruminent & diſcutiant res Fidei ii, quos Deus Eccleſiæ ſuæ præfecit, meum tantùm eſt illis cœcè & promptè obedire; iſti ſunt à Deo ad me erudiendum poſiti, hos ſequendo non erro. Et licèt tentatus ipſe doctus ſit, hoc nihilominus remedio uti debet; ſunt enim myſteria Fidei ex natura ſua non tantùm caligine circumdata; ſed præterea tentatio intellectum denſis tenebris replet, & ità cerebrum confundit, ut veritatem videre non poſſit, nec ſuam ſibi poſſit doctrinam in ſubſidium adhibere: gerere ſe debet ùt infirmus medicinæ Doctor, qui ſuæ diffidens ſcientiæ, ſe alii committit, ſic & doctus qui in materia Fidei tentatus, ad alios confugiat, eorúmque directioni ſe ſubjiciat. Si non obſtante hoc medio tentatio pertinaciter continuet, animum recurrentia identidem dubia moleſtent, ſubeâtque continuò cogitatio, quòd hic vel ille Fidei articulus non ſit verus, quódque æterna ſubſecutura damnatio ſit, ſi eidem fides adhibeatur; hoc caſu, ut quis ſemel pro ſemper ſe hac moleſtiâ liberet, ad amorem Dei confugiat, dicátque: Ut ut res ſe habeat, meâ non intereſt, & nolim multis diſcutere; amor quo feror in Deum meum, eò me impellit, ut omnino reſolvam, velle me in hac meâ Fide vivere & mori, fiat de reliquo de me, quod Deo placitum fuerit, gratum mihi erit, ſi hoc modo, ùt amoris victima cum ipſo peream.

CA-

CAPUT VII.

DE SPE.

C*Aritas omnia sperat.* 1. Cor. 13. Virtus hæc amœnissima & longè gratissima mirâ dulcedine & solatio in omni tribulatione hominem replet. Unicum afflictorum solatium spes est; sinè hac miserrimi essent, similes in inferno damnatis. Spes inter virtutes Theologicas in ordine secunda est, vi cujus voluntas nostra certa redditur de obtinendis à Deo necessariis bonis. Habet pro objecto primario omnia illa bona, quæ à Deo sperare possumus & expectare; temporalia, æterna, corporalia & spiritualia. Pro objecto secundario causam & motivum excitans & movens ad sperandum à Deo prædicta bona; quod motivum est Omnipotentia & Bonitas Dei. Duæ bases, quibus Spes innititur; duo pedes, quibus insistit; duæ alæ quibus ad optatum bonum volat, sunt promittentis *Posse & Velle*. His fulcris sublatis non potest non Spes corruere. Nemo sperat mille ducatos à suo amico, qui ob paupertatem non habet *Posse*; nec ab Imperatore, qui non habet *Velle*. Præter hanc potentiam & bonitatem, quibus Deus potest & vult nobis benefacere, sunt adhuc alia duo motiva nos excitantia & moventia ad sperandum; infallibilis scilicet Dei in promissis fidelitas, & infinita unigeniti ejusdem Filii Salvatoris nostri merita. Ut interim spes nostra ordinata & justa sit, debet sperantis vita esse Christiano digna, & conversatio laudabilis. Hæc de Spei natura.

Objectum Spei.

Quibus Spes innitatur.

LIB. III. PARS II. CAP. VII. *Conditiones Spei.*

Spes duplex est; una omnibus Christi Fidelibus communis, quæ non amittitur nisì per desperationem; alia est heroica, quæ apud paucos invenitur. Hujus Spei heroicæ conditio prima est, ut sit firma, constans, & ità radicata, ut à nullo moveri, multò minùs subverti possit; similis positæ in medio mari rupi, quæ tam in malacia, quàm tempestate stat immota, nec latum unguem irruentibus procellis cedit. Simili spe animatus David exclamat Psal. 111. ***Paratum cor meum sperare in Domino, confirmatum est cor meum, non commovebitur.*** Alia conditio, priorè perfectior est, ut quis vel parvi, vel omnino nihili æstimet creaturarum auxilium & adjumenta v. g. opes, naturæ dotes, parentes, cognatos, Principes, vel Reges, solâ nixus spe cœlesti; apprehendátque ad vivum maximam illam virium humanarum imbecillitatem, in quibus qui confidit, fragili se committit arundini. Per hoc tamen non prohibetur moderatus & ad finem assequendum accommodatus creaturarum usus, cùm hic à Deo nobis permissus sit; sed adhibendus tantùm, ex eo motivo, quia ità Deus vult, nec ultimate in eo usu spes & fiducia ponenda est. Conditio tertia sublimissima est, consistítque in eo, ut gaudeamus, quando omni humanâ ope destituti, à parentibus, cognatis, Potentibus, & toto mundo derelicti sumus, si videamus, quòd nec velint nec possint juvare, eóque nobiscum res devenerit, ut nullum ab iis auxilium restet. Si hoc modo deserti de creaturarum ope desperemus, dilatandum eò magìs in his circumstantiis cor est, & eò

altiùs

altiùs ad Deum elevandum, quò profundiùs fortuna novercans nos mersit, & quò longiùs creaturarum auxilium recessit à nobis, magnóque animo cum firma fiducia ad Dei omnipotentiam recurrendum. Ità speravit miseriis obrutus, ab omnibus derelictus, à capite usq; ad plantam pedis vulnere concisus Job. *Etiamsi* ait cap. 13. *occiderit me, in ipso sperabo, & ipse erit Salvator meus.* Ità speravit Patriarcha Abraham jam jam filium suum, in quo longævum semen Deus ipsi promiserat, immolaturus: *Contra Spem in Spem credidit*, ait de eo S. Paul. Rom. 4. *in repromissione Dei non hæsitavit diffidentiâ.* Ità speravit in extremis vel pudicitiæ vel vitæ perdendæ angustiis constituta Susanna: *Flens suspexit in cœlum, erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino.* Dan. 13.

Duo ad Spem concipiendam juvant.

Media veniendi ad perfectissimum Spei gradum præter Divinam gratiam, potissimum duo sunt. Primum omnimoda de viribus nostris diffidentia, quæ oritur ex vivâ nostræ nihileitatis, & vitiatæ naturæ consideratione. Secundum est firma & immobilis fides in infinitam Dei potentiam, summam bonitatem, immensam liberalitatem, infallibilem fidelitatem, & merita Christi, quæ cum infinito eorum valore nobis data sunt, quæ nos certos reddunt, & jus tribuunt ad ea, quæ petimus, obtinenda. *Amen, amen dico vobis*, dicit æterna Veritas, æterna Fidelitas Joan. c. 16. *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Huic fulcro innixa Spes securè clamat cum S. Paulo ad Philip. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Et cum Psalmo-

LIB. III. PARS II. CAP. VII. SECT. I.

grapho: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adjutor & ego despiciam inimicos meos.* Ps. 117. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Eò ascendit Spes eorum, qui suis diffidunt viribus, & plenam in Dei bonitate & potentiâ fiduciam ponunt. Hæc duo prætacta fundamenta, quò profundiùs radicata sunt, eò firmior Spes est; nec timendum, ne nimium sperando per excessum peccemus; sicut enim Deus dignus est, cui infinita adhibeatur fides, quia infinitè verax est; sic & dignus est, ut infinitam in eo ponamus Spem, quia infinitè potens, infinitè bonus est.

SECTIO I.

Circa quæ potissimum Spes exercenda sit.

OBjectumSpei sunt omnia bona, quæ nobis Deus donare potest, utì & liberatio à malis, quæ evenire possunt. Bona alia sunt naturalia, alia supernaturalia; alia temporalia, alia æterna; idem dicendum de malis. Sperare ergo firmiter debemus, quod Deus nos sit liberaturus à malis, & dilaturus bonis.

Spes concipienda circa necessaria Corporis.

Primò, à paternâ ejus providentiâ & bonitate sperare debemus, quidquid tandem ad præsentis vitæ sustentationem, victum, amictum, habitationem, &c. necessarium est. Si Deus curam gerat pecorum nomen ejus non agnoscentium; si hominum, eum negantium, male viventium, blasphemantium, &c. certè non obliviscetur eorum, qui eum amant,

amant, ejúsque mandata observant. Quis sanæ mentis dubitabit rusticum quantumvis grossum & bardum non curaturum pecus suum, cujus labore utitur; & Dominus Deus infinitæ bonitatis, sapientiæ, liberalitatis oblivíscetur servi sui, cujus obsequiis ad suam gloriam promovendam utitur? Apposité in hanc rem loquitur Sponsa in Canticis Cant. 2. dicens: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Per sinistram seu lævam Origen. & Ambros. in Ps. 118. intelligunt bona temporalia; per dextram æterna, vúltque indicare Sponsa, de utrísque bonis sibi abunde à Deo provisum esse; cum hoc tamen discrimine, quod temporalia utpote viliora, det manu sinistrâ; dextrâ verò æterna. *Sinistra ejus* ait S. Aug. serm. 14. in psal. 118. *sub capite meo, non enim me deseret in temporalibus bonis, sed tamen ipsa sinistra sub capite erit, non capiti præponetur, sed sub capite erit; & dextera illius complectatur me, pollicens vitam æternam.* Et si sinistram suam in temporalibus nonnihil subtrahat, & inopiâ premat, contingit idipsum; *Primò* quia nimiùm eisdem affixi temporalia plùs curamus quàm æterna, & accidens præponimus substantiæ, adeóque ob præposterum circa peritura studium iis privamur, nimiáque temporalium cupiditas Deo nobis illa copiosiùs subministrandi adimit facultatem. *Secundò*, quia Deus prævidet hæc vel illa bona temporalia nostræ saluti obfutura, multùm verò inopiam profuturam. Mala ergo probis immissa, Deo, maximè misericordi, placere secundùm se non possunt, nisi in quantùm conducunt

Cur Deus sæpe temporalia subtrahat.

cunt ad animæ salutem, nósque æternorum bonorum capaces efficiant.

Actus Spei circa prædicta potest elici hoc vel simili modo : Omnem spem meam & confidentiam omnino filialem pono in suavi tuâ providentiâ Deus meus, certus quòd plùs quâm paternam vel maternam sis habiturus curam meæ animæ, corporis, victûs & amictûs : quòd me paternè ducturus sis in negotiis, in officiis, in tentationibus, nec passurus, quòd vel capillus de capite pereat.

Spes concipienda circa anima statum.

Secundò. Spes concipienda est in nostris imperfectionibus, passionibus, vitiis, pravis consuetudinibus. Hæ multis quietem animæ adimunt, eámque tristitiâ, pusillanimitate, & ignaviâ replent, dum vident post iterata proposita in easdem se continuò miserias relabi; ex quo fit, quòd omnem ferme ex iis emergendi, non sinè magno spiritualis profectûs detrimento, spem abjiciant : quod tamen omnino cavendum; sed in sexcentis etiam imperfectionibus in Deo confidendum, maximáque in ejus misericordiâ fiducia ponenda, quòd ope suâ adfuturus nobis sit, dummodo ipsi nos, quod possumus, conferamus. Natura nostra valdè quidem vitiata est in omne malum proclivis, sed qui hanc naturam nostram assumere dignatus est, æterni Patris Filius, malum hoc in melius vertere facillimè potest. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient*, Isai. c. 40. Iterum apud Ezech. c. 34. ipse Dominus promittit : *Ego pascam oves meas, quod perierat, requiram: & quod abjectum*

ctum erat, reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat consolidabo. De Christo venturo ità prophetat Isaias cap. 42. *Calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet.* Quem eundem Prophetæ locum adducit S. Evangel. Matthæus cap. 12. *Cunctis,* ait S. Hieronym. hîc, *placabilis erit, & veniam dabit peccatoribus, & qui vicini erant extinctioni, Domini clementiâ servabuntur.* Hanc clementiam & nos sperare possumus; aderit illa, cum spe implorata, ut quod molestum & difficile accidit, generosè vincamus. Tristandum inordinatè non est de miseria & inopia spirituali, paulatim in via perfectionis progrediendum, non conficitur res illa violenter; in suprema parte scalæ perfectio posita est, ad quam gradatim, non uno impetu ascenditur; non accipit corpus humanum suam perfectionem in instanti; sed successivè; sic & unum post aliud vitium exstirpandum, una post aliam virtus acquirenda.

LIB. III. PARS II. CAP. VII. SECT. I.

Inter ipsa peccata sperandũ.

Tertiò. Spes extenditur etiam ad peccata quantumcunque gravia; dum vult, ut in Dei bonitate confidamus, quæ certò certiùs peccata condonabit, si pro eorum remissione fiducialiter instemus. Si secus de illius bonitate cogitaremus, maximâ eandem injuriâ afficeremus. Peccata nostra vel numero vel gravitate bonitatem Dei infinitam nunquam superare poterunt. Ut à peccatis liberaremur, venit Christus in mundum, & lytrum redemptionis nostræ per sanguinem æterno Patri exsolvit. *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus,* ait S. Paul. ad Rom. 5.

In

LIB. III. PARS II. CAP. VII. SECT. I.

In quæ verba ſuaviſſimè loquitur S. Auguſtinus: *Quid miſericordiùs intelligi poteſt, quàm cùm peccatori æternis pœnis damnato; unde ſe redimat non habenti, Pater dicat: Accipe unigenitum Filium meum & da pro te. Et ipſe Filius dicat: Tolle me & redime te: Quid ergo juſtiùs, quàm cui datur pretium majus omni debito, ut peccatum dimittat illi, qui pro debito offert hoc pretium.* Et quam quæſo ſpem de remiſſione peccatorum nō conciperemus, ſi benigniſſimum Redemptorem noſtrum tantâ cum affabilitate, cum peccatoribus in terris olim converſantem, loquentem, eóſque amplectentem intueamur. Credamus igitur ſi in peccata prolapſi ſimus, nobis agendum non cum Tyranno, ſed cum ſuaviſſimo Domino cupiente animitus, ut totos nos ad ſe convertamus.

Actus Spei circa commiſſa peccata hoc modo elici poteſt: Miſericordiſſime Deus, quamvis ob multitudinem & gravitatem peccatorum meorum planè indignus veniâ ſim, confido tamen in Miſericordiæ tuæ abyſſo & in te ſpero Salvator mi ſuaviſſime. Tu ex amore meî moreris & ego deſperem? Peſſimis peccatoribus, publicanis, adulteris, latronibus humaniſſimum te exhibuiſti, & ego ad te confugere pertimeſcerem? Quid per miſericordiam peccatoribus impertitam, aliud voluiſti, quàm ut animos adderes mihi, ut & ego accurram ad Te? Accurro ergo in amplexus tuos ruens, & cum maximâ fiduciâ ingeminans: Jeſu Fili David miſerere meî.

Spes concipienda

Quartò. Extendere ſe debet ſpes noſtra ad æternam prælectionem ad gloriam, ſive præ-

circa prædestinationem.

Prædestinationem, piè & fiducialiter sperando, nos in numero Electorum esse, & per Christum salvandos. Hæc spes apud multos adeò firma & fixa est, ut omne de salute obtinendâ dubium adimat, faciátque ut sepositâ omni mentis inquietudine, quæ ex hac anxiâ consideratione suboriri solet, Divinæ bonitati se totos committant, & ità firmiter de salute sua confidant, ac si jam obtinuissent. Fundamentum & radix, ex quibus hæc moralis certitudo (physica enim extra revelationem hac in re non datur, cùm dubium sit, an gratiis semper cooperaturi simus) oritur, est singulare odium erga peccata etiam minima, firmum propositum Deum non offendendi, etiamsi vita millies profundenda, cor à creaturis abstractum, profunda humilitas, patientia in adversis, plena in voluntatem Dei resignatio, amor singularis in proximum, devotio erga beatissimam Virginem, amor syncerus in Christum, & tandem extraordinaria quædam, & quodammodo sensibilis Spiritûs sancti in corde præsentia, quam præsentiam idem Spiritus per operationes manifestat. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei; si autem filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* ad Rom. 8. Quæ major in terris famulo Dei obtingere felicitas potest, quàm hæc certa fiducia, & fiducialis certitudo? *Comparemus*, ait S. Bern. Epist. 12. ad Henricum Archiepis. Sennonens. *thesauros Regum, & fastigia regnorum cum hujusmodi fiduciâ, nónne cuncta hominum felicitas præ tanti boni divitiis miseria reputabitur?*

Actus ſpei circa prædeſtinationem elici ità poteſt: Sum quidem amantiſſime Domine gratiâ tuâ finali & dono perſeverantiæ planè indignus; ſpero tamen, hæc gratia ſingularis, ùt tuam decet liberalitatem, mihi obtinget. Tam firmam in tua bonitate fiduciam pono, quòd me ſalvaturus ſis, ut videar mihi jam frui, quod ſpero. Hîc notandum, quòd fiducia hæc ſemper adjunctum debeat habere ſalubrem timorem, qui tamen talis ſit, ùt ſpes magìs per hunc acuatur, quàm deſtruatur. Quemadmodum filius bene moratus timet interdum, ne à patre exhæredetur; non tamen timet hoc re ipsâ futurum, quia filius eſt patri per omnia obſequens, & conſtanter hoc velle eſſe ſibi proponit. Et in hac laudabili vitæ probitate ſpes noſtra fundetur, præcipuè tamen in gratiâ & miſericordiâ Dei, ùt primo & præcipuo ſpei noſtræ fundamento.

SECTIO II.

Quædam obſervanda circa Spei exercitium.

Sub actibus Spei quænam animo ſint recolligenda.

UT cum ſingulari fructu actus Spei eliciantur, recolligendus ſedulò animus, & in quiete ruminandæ divinæ Majeſtatis Perfectiones & Attributa; illa præſertim, quibus Spes innititur, qualia ſunt Omnipotentia, Bonitas, Amor, Fidelitas, & pretium meritorum unigeniti Filii ejus. Deinde recollecto animo ruminandæ omnes vires, & deſperata Dæmonum & omnium creaturarum unà cum perversâ eorum voluntate,

con-

consilia & machinationes, quibus in nostram conspirant perniciem; quæ machinationes per totam etiam æternitatem de momento in momentum augeantur: ex altera parte expendenda nostra infirmitas, miseria, ignorantia, ad omne bonum inhabilitas, omnia tam corporis quàm animæ mala; posito etiam has miserias & infirmitates nostras omni momento, ùt paulò antè hostium nostrorum malitiosam potentiam, per omnem æternitatem intendi: certissimum tamen est omnem illam inimicorum nostrorum potentiam & fortitudinem, omnem nostram miseriam & infirmitatem in comparatione Omnipotentiæ Dei esse nequidem instar paleæ, quæ à vento abripitur. Potéstque hæc Dei potentia virium nostrarum debilitatem in tantam convertere fortitudinem, ut omnium creaturarum robur longissimè excedat; & econtra omnium creaturarum potentiam in infirmitatem vertere viribus nostris multò inferiorem; atque ità omnes Angeli, homines, Dæmones, & quidquid in cœlo, in terra, & subtus terram inveniri potest, in comparatione Dei, ne muscæ quidem fortitudinem æquant: sunt enim hæc omnia extra Deum vi suæ essentiæ purum nihilum, nec viribus pollent aliis, nisì iis, quas à Deo acceperunt, retenturæ hoc qualecunq; robur, quàm diu Deus in esse conservat, ne momento diutiùs. *Secundò*, pro certo tenendum, tam intensum esse Dei in nos amorem, ut omnis parentum, cognatorum vel amicorum amor quantumcunque multiplicatus, respectu divini in nos amoris, vix sit amoris umbra. *Tertiò*, consideran-

LIB III. PARS II. CAP. VII. SEC. II.

derandum, fidelitatem Dei in servandis promissis tantam esse, ut potiùs cessaret esse quod est, quàm deficeret in eo, quod promisit. *Quartò* denique merita Christi sufficientissima esse ad impetrandum pro nobis quod petimus. Hæc omnia sinè ullâ dubitatione credenda, & veritates circa hanc materiam toties repetitæ, altissimè cordi, memoriæ & cogitationibus imprimendæ. *Scitote*, ait Sap. Eccles. 2. *quia nullus speravit in Domino & confusus est. Spes non confundit.* Rom. 5. &c. Honori sibi Altissimus ducit, quòd magna ab eo speremus: nunquam Spes ità intendi potest, qua non intensiorem Deus à nobis desideret.

Fiducia omnipotens est.

His modò dictis veritatibus, si intellectus illustratus sit, debet voluntas sequi, à qua desiderium ardens Deum per heroicos Spei actus laudandi & glorificandi, excitandum est. Omnis diffidentia seponenda, quæ ordinariè causa est, quòd non impetremus, quæ petimus: cùm econtra eorum, qui sinè vacillatione in Deo confidunt, Oratio omnipotens sit. Debet esse tanta in oratione nostra fiducia, ut, quod petimus, ità exspectemus, ac si jam haberemus. Hæc Spes & Fiducia Deum cogit, ut petenti condescendat. Hinc non raró peccata hominum castigaturus monuit ejusmodi spe armatas animas, ne se inter peccatores castigandos & ipsum, mediatores per preces statuerent, & hoc modo parata sceleratis flagella avertere ab iis cogeretur. *Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in Te*, orat Propheta David ps. 32. Hoc est, ùt explicat Theodoretus, secundùm mensuram & inten-

tensio-

tensionem spei nostræ; ità ut nostra spes fiat mensura & regula misericordiæ & liberalitatis Dei; si multùm misericordiæ speremus, multùm obtinebimus; si parum, parum; si nihil, nihil. Quod de misericordiâ, idem de aliis beneficiis Dei dicendum. Hac igitur spe muniti & instructi sublimia à Deo petenda sunt; ipsi enim æquè exiguo labore constant magna, ac parva. Petenda v. g. profunda humilitas, singularis gratia orationis, imperturbabilis inter injurias & calumnias mansuetudo, Dei & suî vera cognitio, intensus in Deum & Proximum amor &c. Cuíque petitioni adjungendum, quòd indubitatè speremus, nos petita ab eo impetraturos. Et si ex inscrutabili suo judicio hanc vel illam, quam petimus virtutem, deneget, addet tamen multùm donis & gratiis suis hac nostra in eum fiduciâ & spe motus, quod sinè illa factum non fuisset.

Quænam fiducialiter à Deo petenda & speranda sint.

Ut animus in Spe magìs radicetur, & contra omnem pusillanimitatem armetur, memoriæ mandandæ sunt selectiones ex sacra Scriptura sententiæ, eæque datâ occasione usurpandæ. v. g. *Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in Te.* Psal. 21. *Domine virtutum beatus homo, qui sperat in Te.* Ps. 83. *Lætentur omnes qui sperant in Te, in æternum exultabunt & habitabis in eis.* ps. 5. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo.* ps. 42. *Bonum est confidere in Domino, quàm sperare in principibus,* ps. 117.

SECTIO III.

Adducuntur motiva ad eliciendos frequentes Spei actus nos excitantia.

Ut quid, ait S. Bernard. serm, 19. in ps. Qui habitat. *Si hæc sapimus, cunctamur abjicere spes miseras, vanas, inutiles, seductorias, & huic uni tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei totâ devotione animi, toto fervore spiritûs inhærere? si quid illi impossibile, si quid vel difficile est, quære aliud in quo speres, sed verbo omnia potest. Teneamus*, monet nos S. Paul. Hebr. 10. *Spei nostræ confessionem indeclinabilem; fidelis enim est, qui repromisit.* Quomodo in Deo non sperabimus, qui videtur unicè eò collimâsse, ut per futuræ gloriæ spem in omni tribulatione nos erigat & confirmet. *Quare Dominus*, quærit S. Aug. apud S. Thom. Lib. 2. Grad. princip. cap. 5. *toties nos ad innitendum sibi moneret, si supportare nos nollet; non est illusor Deus, ut se ad supportandum nos offerat, & nobis innitentibus ei se subtrahat.*

Ad Spem movere debet propria infirmitas.

Ad firmam igitur in Deo spem & fiduciam habendam excitare nos debet *Primò* propria infirmitas nostra, quæ quolibet vento minimæ tentationis, quolibet minimæ adversitatis impulsu sterni potest: unde quærendus est adjutor, qui alius esse non potest, quàm Deus. *Sperate in Domino*, monet Proph. Isaias cap. 26. *in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.* Puer necdum valens insistere pedibus, subsidium quærit, à naturâ monitus, quo sustentetur, ne corruat. *Erubescere debet adultus*, ait S. Thom. loc. citat. *si ne-*

nesciat facere, quod naturaliter facit infans. Qui ambulat in tenebris & non est lumen ei, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum. Isai. cap. 50.

Spes Cæli certitudinem facit.

Secundò. Sperare in Deo debemus, quia Spes animam replet salutis æternæ certitudine, quod Prophet. David, paucis, sed suavibus verbis promittit ps. 16. *Salvos facit sperantes in se.* Suum quoque hac de re judicium fert S. Paul. ad Hebr. 6. *Fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Hæc spes est, quæ roborat, & animat ad subeundum generosè omnia, quæ ad sperati boni assecutionem necessaria sunt, unde S. Paul. ad Rom. 12. hæc duo conjungit, *Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Labores non sunt sinè gaudio propter spem, modò nos ipsi labores jucundant & lætos nos faciunt de Spe* S. Aug. in psal. 127.

Spes generosos facit.

Tertiò. Spes animos addit ad omnia ausu generoso pro Deo incipienda, *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion.* Ps. 124. *In Domino sperans non infirmabor*, de se dicit Psalmista ps. 125. De similibus spe heroicâ animatis loquitur S. Bern. serm. 52. in Cant. *Magna audent, quoniam magni sunt, & quæ audent, obtinent; magna siquidem fides magna meretur; & quatenus in bonis Domini fiducia pedem porrexeris, eatenus possidebis, istiusmodi magnis spiritibus magnus occurrit Sponsus, & magnificabit facere cum eis.* Sinè spe vera fortitudo esse nequit. Unde Isaias cap. 20. *In silentio & spe erit fortitudo vestra.*

Quartò, Spes omnia obtinet; quod omni-

LIB. III. PARS II. CAP. VII. SEC. III.

Spes omnia obtinet.

bus manifestare volens David divinam Majestatem ità loquentem inducit Ps. 90. *Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum, clamabit ad me & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.* Certè si quempiam videremus in miseriis, in adjutorio nostro sperantem, certóque sibi persuadentem & promittentem sibi nostrum auxilium, affectum & amorem; esto ab aliis omnibus deseretur, laboraremus sinè dubio pro viribus, ne suâ spe fraudaretur, eíque ope nostrâ adesse studeremus in tempore opportuno. Salomonis natu minor filius Abia debellavit Regem Jeroboam, licèt esset Jeroboam militum numero superior, ùt legitur 2. Paralip. c. 3. Causam felicis hujus pugnæ Scriptura addit, firmam scilicet filiorum Israël in Deo fiduciam. Eò, quòd ait sacer textus, sperâssent in Domino Deo Patrum suorum. E-contra infelix Saulis conflictus, in quo & ipse vitam finivit, diffidentiæ adscribitur. *Eò quòd non speraverit in Domino, propter quod interfecit eum, & transtulit regnum ejus ad filium Isai.* 1. Paral. 10.

Diffidentia Deo displicet. Probatur historiâ.

Legitur in vita S. Ludvvinæ apud Surium 14. April. quòd ejusdem Ludvvinæ Confessarius inter alios de Purgatorio discursus Sanctæ huic dixerit, esse se paratum ad subeundas Purgatorii pœnas tot annis, quot in scypho, qui casu appositus erat, arenulæ; si hoc modo de salute æterna certus esse posset: audiens hæc Ludvvina amicè eum correxit, dicens: non oportet, Reverende, oculos adeo fixos in Dei justitia habere; melius

fo-

foret, si irretorti figerentur in misericordia. Cùm post aliquot tempus, Confessarius, vir cœteroquin probus obiîsset, revelatum fuit S. Ludvvinæ, pœnali eundem carcere per longum tempus ob hos indiscretos sermones, & ob exiguam quam in Domini bonitate fiduciam habuerat, detentum fuisse.

LIB. III. PARS II. CAPUT VIII.

CAPUT VIII.

Amor Christi humiles facit.

C*Aritas non inflatur, non est ambitiosa.* 1. Cor. 13. Ut in hac materia ordinatè procedatur : *Primò* explicabitur humilitatis natura. *Secundò*, quomodo, & ubi exercenda. *Tertiò*, adducentur rationes, quæ ad humilitatis studium excitare nos possunt.

Humilitas quid?

Humilitas juxta S. Bern. grad. 12. humil. *est virtus, qua homo verissimâ suî agnitione sibi ipsi vilescit.* Ad hanc agnitionem, ut homo perveniat, scire debet, quòd homo possit dupliciter considerari. *Primò* secundùm id, quod habet à Deo ; *Secundò*, secundùm id quod habet à se; clara horum duorum cognitio est primum humilitatis principium & certus superbiæ interitus, Homo primo modo consideratus habet à Deo corpus, habet immortalem animam, habet omnia bona naturæ & gratiæ, habet essentiam, habet quidquid in eo, quocunque tandem modo inveniri potest; quidquid habet vel minimam entitatulam, à Deo est, ùt à primo omnium eorum quæ sunt, Principio & Origine. Homo consideratus secundùm id quod habet à se, merum habet nihilum, & quod à nihilo depen-

Quid homo à se, quid à Deo habeat.

LIB. III. PARS II. CAP. VIII.

det, hoc est, perpetuum defectum & omnis entitatis negationem; habet à se, quod habuit ante ducentos vel trecentos annos, quando nec corpus habuit, nec animam, nec vires, nec vitam, nec operationes, nec scientias, nec artes, nec virtutes, &c. sumus ergo à nobis merum nihilum; nihilum corporis, nihilum animæ, nihilum virtutum, verbo, universale & infinitum omnis essentiæ nihilum; ità quidem, ut, sicut Deus essentialiter est Ens à se, nec ab alio originem trahere potest; ità nos simus nihilum, & adeò necessarium nihilum, ut totum esse nostrum, quantumcunque exiguum sit, à Deo provenire debeat. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputata sunt ei.* Isai. cap. 40. vel, ùt Vatablus legit, *Minùs quàm nihilum & inane reputantur præ eo. Ego,* ait Propheta Regius ps. 72. *ad nihilum redactus sum, & nescivi.* Observatu dignissima & simul verissima confessio. Unde oritur, quòd in sublimibus ambulemus, & in mirabilibus super nos, quòd tam facilè abripiamur à vento vanæ gloriæ & elato spiritu? quia nescimus nec penetramus nihilum nostrum.

Ex hoc nihilo nostro necessariò sequitur, *Primò*; quòd sicut ex nobis nihil sumus, sic & ex nobis nihil possimus, nulliúsque frugi simus; illud enim quod alicujus est valoris, prius debet esse aliquid, & plùs quàm nihil.

Effectus peccati originalis.

Secundò sequitur ex hoc nihilo omne peccatum, quorum primum & cœterorum radix, est peccatum originale, in cujus sordibus in utero matris coagulamur, ut scarabæus in stercore; hoc peccatum omnia, quæ in nobis

bis sunt, miserandum in modum confudit, præcipuè quatuor primarias animæ potentias lethali vulnere sauciavit; Intellectum percussit cœcitate, Voluntatem infecit amore proprio, qui omnis mali causa, quíque expeditam illam Deo & cœlestibus intendendi promptitudinem adeò debilitavit, ut exspirâsse censeri posset; amor ille proprius est, quæ appetitum concupiscibilem invitat ad ea, quæ sensui placent, & ad illicita impetuosis motibus exstimulat: irascibili vires adimit, quò minùs ad ea, quæ honesta & laudabilia sunt, aspiret, audacem econtra ad perpetrandum illicita, efficit. Ex peccato originali magno numero sequuntur peccata actualia, quæ toties & tam sæpe, vel fragiles vel malitiosi committimus. Ex his jam dictis sinè difficultate intelligere possumus, quid ex- & à nobis simus: in hoc miserabili speculo nos sæpe contemplari convenit, ut altos ponamus spiritus, & sub omnium pedibus humiliare nos discamus.

SECTIO I.

De effectibus humilitatis in ordine ad Deum.

Sanctus Ambrosius in Epist. ad Episcopum Aurelianensem Constantinum, planam sinè fuco eloquitur veritatem, sic scribens: *Multi habent humilitatis speciem, virtutem non habentes; multi eam foris prætendunt, & intus impugnant: ad fucum præferunt, ad veritatem abjurant.* Ut hoc ad oculum pateat; humili-

LIB. III. PARS II. CAP. VIII. SECT. I.

Verè humilis quomodo se habeat.

tatis effectus nonnihil discutiendi, ex quibus colligemus, quàm rara in terris virtus, vera humilitas.

Joannes Climacus grad. 25. hos enumerat humilitatis effectus & proprietates: Quamprimum regina virtutum humilitas animum hominis occupat, eò adducit, ut opera sua bona tam parvi æstimet, ac si essent deformia monstra, & meræ sordes; gratiæ etiam copiosiùs à manu Dei datæ nulla eidem occasio sunt superbiæ; sed potiùs salutaris timoris, ne fortè iis in perniciem suam abutatur; pro certo habet & firmiter credit, se de die in diem pejorem fieri, & numerum peccatorum continuò adaugere. Humilitas, ait S. Bonav. 6. proces. rel. cap. 22. aperit homini oculos, & clarè demonstrat suam eidem vilitatem, paupertatem, vitia & peccata, unde naturæ & gratiæ donis non extollitur, sed gratâ recognitione in Deum omnis boni authorem refundit: mediante divina illustratione clarissimè cognoscit, quòd à se nihil habeat, nihil valeat, nihil possit; quòd à Deo acceperit omnia, quæ habet, diutius ea non possessurus, quàm placitum sit divinæ voluntati, quæ eum in nihilum, ex quo extractus est, omni momento redigere possit. Agnoscit, quòd vi sui nihili ad omnia vitia propendeat, quòd reipsa peccator Deum indies offendat, quódque indispensabiliter ad resurgendum è peccatis, & ad ea deinceps vitanda, Dei gratiâ indigeat; miratur, quod vel minimâ eum Deus dignetur, cùm post tot commissa peccata omni spoliari dignissimum se agnoscat: omnes in- & externas adversi-

verſitates patientiſſimè, imò cum gratiarum actione tolerat, indubitanter credens, ſe majores eſſe promeritum; ſe ſuáque omnia divino ſubſternit arbitrio, coram toto mundo proteſtans, quòd illum ſolùm Dominum ſuum legitimum agnoſcat, ſyncero corde omnem Deo gloriam & honorem adſcribens.

SECTIO II.

De effectibus humilitatis in ordine ad nos ipſos.

Verè humilis ſe contemnit, & ab aliis contemni amat.

QUia humilis per immiſſas à Deo menti illuſtrationes clarè cognoſcit, quod à ſe nihil, niſì quod defectuoſum & peccaminoſum eſt, habeat, & ob hanc rationem omni honore indignus ſit, ex toto corde ſe contemnit, & à ſe ipſo abhorret. Et, quia quod juſtum eſt, humilis amat, & ſuum cuique jus cupit tribui, unicè deſiderat, ut ſibi omnes conſentiant, de eo abjectè ſentiendo, verbis & operibus huic opinioni & vili exiſtimationi conformibus cum eo procedendo: ſi officii & conditionis ratio hæc non patiantur, manet tamen in corde ad omnem contemptum avidum deſiderium. Honores, præcedentias, prærogativas ſummo ſtudio fugit, & à ſe propulſat, niſì vel ad ea cogatur, vel ſe ad ſimilia acceptanda, exigente ità Dei gloriâ, quam in hac vel illâ dignitate conſtitutus, promovere poteſt, obligatum ſe agnoſcat: in dignitatibus non inſoleſcit; amareſcunt & deſipiunt omnes ſpecioſi tituli, verſatúrque quodammodo per-

perpetuò in ſtatu violento; ſuæ ſibi infirmitatis conſcius, ſuæque diffidens prudentiæ, ingenio, judicio, pietati ſemper metuit, ne, in quæ alii ſœpe peccata labuntur, & ipſe eadem committat, nullum opus aggrediens, ſub quo vel umbram peccati timere poſſit; quò plùs interim ſibi diffidit, eò plùs fiduciæ ponit in Deo, cui ſoli per firmam fiduciam innititur; vera enim humilitas nō eſt mater puſillanimitatis, ſed veræ fortitudinis; non aliâ de causâ cadit animo, quàm ut eundem magìs in Domino firmet: deponit fatuam de propriis viribus æſtimationem, ut induatur virtute ex alto; & hæc eſt cauſa, quòd ad magna expedienda apti ſint humiles; diriguntur enim & juvantur brachio Altiſſimi; quo quia ſuperbi, deſtituuntur, non poteſt non aliter eſſe, quàm ut infirmi ſint, &, quia ſuis fidunt viribus reipſa nullis, enerves mox corruant. Optimè in hanc rem S. Aug. in pſ. 92. *Omnis fortitudo in humilitate, quia fragilis eſt omnis ſuperbia.* Agnovit idipſum vel Ethnicus Seneca Lib. 1. de ira cap. 16. *Omnes*, ait, *quos vecors animus ſupra cogitationes extollit humanas, altum quidem & ſublime ſperare ſe credunt, caterùm nihil ſolidi ſubeſt, ſed in ruinam poſita ſunt, qua ſinè fundamentis crevere, tantúmque abeſt à magnitudine animi, quantùm à fortitudine audacia; à fiduciâ inſolentia; multùm inquam, intereſt inter ſublimem animum & ſuperbum.* De officiis, vel præclarè olim à ſe geſtis nunquam arroganter loquitur, dona naturæ vel gratiæ pro poſſe occultans; tum ut tutiùs lateant, tum ut ſoli Deo ſit gloria: in externis v. g. veſtimentis, officiis, habitatione,

tione, cibo, potu, &c. appetit viliora, non ſolùm quia ob peccata ſua omnibus bonis ſe indignum reputat; ſed etiam, quia viliora & minùs ſplendida, ad conſequendam humilitatem, cui acquirendæ ſtudet, aptiſſima media ſunt. Et cùm excelſi animi humilis ſit, non æſtimat quæ coram mundo & in oculis hominum magna ſunt, ideóque libenter converſatur cum inferioris conditionis hominibus, penſans hominis nobilitatem, non ex iis, quæ homini circumſtant, ſed ex anima.

SECTIO III.

De effectibus humilitatis in ordine ad Proximum.

Quomodo humilis ſe habeat erga Proximum.

QUi verè humilis eſt, neminem unquam contemnit, de omnibus bene ſentit, defectus aliorum excuſat, nemini detrahit, omnes ſecundùm rationem ſtatûs, & conditionis ſuaviter, humaniter & reverenter alloquitur; cum nemine contendit; ſi ſua ſenſa cum diſcretâ modeſtiâ, deprompſit, ſinè omni contentione acquieſcit; qui enim contentioſus eſt, ſuámque mordicus ſententiam ſuſtinens, neſcit opponenti cedere, prodit, quòd ſuum aliorum judicio præferat, deſideretque alteri præponi, quod humilitati planè contrarium eſt, quæ omne ſuum lucrum ponit & quærit in jactura: neminem humilis offendit, nec ſe pluris æſtimat, quàm graviſſimos peccatores, & ſi ſe peccatis magis quàm alios immunem inveniat, non ſibi, ſed Divinæ gratiæ attribuit, à qua ſi deſeretur, in eadem, imò plura ſe lapſurum confitetur.

Hoc modo humilis fuit S. August. qui de se Lib. 2. Confes. cap. 7. scribit: *Domine gratiæ tuæ deputo, quæcunque non feci mala.* Non tantùm se peccatoribus æqualem, sed gravissimis se subjiciens, se omnibus nequiorem humilis judicat, sequitúrque ad amussim doctrinam S. Pauli ad Philip. c. 2. scribentis: *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* Potest ergo & debet quilibet perfectioni & humilitati studens se omnibus deteriorem æstimare, ob has causas.

Ob quas causas se quilibet, etiam sanctus, infra omnes humiliare possit.

Primò, quia, ùt notat Lipoman. in cap. 36. Exod. lect. 1. vix unus est in Universo homo, quem Deus non ornaverit gratiâ aliquâ speciali, quâ alter caret; sic in donis naturalibus unus est ingeniosior, alter prudentior, unus excellit in Eloquentiâ, alter in Poesi, tertius in Philosophia, &c. Eodem modo in supernaturalibus; unus ex toto corde addictus est Humilitati, alius Obedientiæ, tertius Mansuetudini, unus afficitur jejunio, alius Oratione, alter distributione Eleemosynarum, &c. Dum ergo humilis occultos suos, quos in se agnoscit defectus pensat, & aliorum donis & acceptis à Deo gratiis comparat, credit & sinè mendacio dicit, se omnium hominum abjectissimum & maximè inutilem esse. *Aliquis absque falsitate*, ait S. Thom. *potest se credere & pronuntiare omnibus viliorem, secundùm defectus occultos, quos in se recognoscit, & dona Dei quæ in aliis latent.* Præclarè hac de re loquitur S. Greg. Hom. 10. in Ezech. *Non uni dantur omnia, ne in superbiâ elatus cadat: sed huic datur, quod tibi non datur; & tibi datur,*

quod

quod illi denegatur, ut dum iste considerat bonum quod habes, & ipse non habet, te sibi in cogitatione præferat: & rursum dum tu habere illum conspicis, quod ipse non habes, te illi in cogitatione postponas, & fiat quod scriptum est: Superiores sibi invicem arbitrantes. Et paulò post: *Propter hoc ergo necesse est, Fratres carissimi, ut in hoc vobis debeatis semper aspicere quod minùs habetis; in Proximo verò hoc, quod vobis ampliùs acceperunt; quatenus dum super vosmetipsos eos pro bono, quod ipsi habent, & vos non habetis, aspicitis, ad hoc quoque obtinendum, etiam vos ex humilitate crescatis.*

Secundò; potest humilis se maximis etiam peccatoribus viliorem æstimare, quia non sinè fundamento credere potest, quòd Deus peccatoribus, tantas non sit elargitus gratias, quantas illi; & si Deus aliis dedisset tales, quales illi, fuissent meliùs iisdem ad Dei gloriam usi. Ex hac consideratione S. Franciscus notæ sanctitatis & humilitatis vir, maximum se peccatorem dicebat. Idem de se S. Paulus absolutissimum illud perfectionis exemplar 1. Tim. 1. *Christus Jesus venit in hunc mundū peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* hoc est, ùt explicat S. Aug. Serm. 9. de verb. Apost. *Quia omnibus pejor sum.* Alio in loco; ad Ephes. 3. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hac*, vel, ùt textus græcus habet, *minimorum minimo.* Imò abortivum se nominat, qui non sit dignus vocari Apostolus. Ad exemplum hujus Apostoli, & plurimorum in humilitate excellentium Sanctorum, humiliemus nos ipsos, quàm possumus, profundissimè; habemus siquidem rationes multò prægnantiores, quàm illi, qui in viâ

perfectionis tepescimus, & à perfectione quàm longissimè absumus. His suppositis, timere meritò quisque potest, ne sua peccata & defectus, omnium malorum & adversitatum, quæ communitati, cujus ille membrum est, eveniunt, sint causa & origo; & quamvis sciat alios graviùs deliquisse, potest nihilominus te causam dicere, non quasi Deus aliorum peccata dissimulet; sed quod ea vel alio modo in tempore, vel in æternitate castigaturus sit. Deinde potest homo se infra omnes creaturas, tam animatas quàm inanimatas humiliare, ipsísque bestiis pejorem se æstimare, quia Creatorem suum innocentes hæ creaturæ nunquam offendunt; sed sinè ullâ repugnantiâ voluntati Dei se simpliciter accommodant. Imò Dæmonibus ipsis pejorem se quis dicere & credere potest; superant enim hominem naturæ excellentiâ, nec gratiis datis toties, quoties homo, abusi sunt, nec plura, quàm unicum peccatum mortale admiserunt.

Digna sunt relatu verba S. Bern. serm. 37. in Cant. quæ in hanc rem reliquit. *Si, in quonam statu unumquemque nostrum habeat Deus, liquidò cognosceremus, nec suprà sanè nec infrà secedere deberemus, veritati in omnibus acquiescentes, nunc autem quia consilium hoc posuit tenebras latibulum suum, & sermo absconditus est à nobis, ità ut nemo sciat, si dignus sit amore vel odio, justiùs tutiúsque profectò, juxta ipsius Veritatis consilium, novissimum nobis locum eligimus, de quo postmodum cum honore superiùs educamur, quàm præsumimus altiorem, unde cedere mox oporteat cum rubore. Non est ergo periculum, quantumcunque*

cunque te humilies, quantumcunque reputes minorem quàm sis, hoc est, quàm te Veritas habeat: est autem grande malum, horrendúmque periculum, si vel medicè plùs vero te attollas, si vel uni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem fortè parem tibi Veritas judicat, aut etiam superiorem. Quamobrem noli te homo comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Propterea non vel mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltem inter novissimos locum nos Dominus voluit: sed recumbe, inquit, in novissimo loco, ut solus videlicet omnium novissimus sedeas, téque nemini, non dico præponas, sed ne comparare præsumas.

SECTIO IV.

De vitandâ vanâ gloriâ, & quomodo se quis in bonis operibus debeat humiliare.

INter pericula, quæ virtutis & perfectionis studiosus, maximè cavere debet, minimum non est, vana gloria, seu magna bonorum suorum operum æstimatio. Hæc est illa rupes, ad quam plenæ mercibus naves sæpe alliduntur & miserè pereunt; est venenata sagitta, quæ quidquid tangit, penetrat, inficit, & enecat. De qua S. Bern. Serm. 6. super psal. Qui habitat. *Time sagittam, leviter volat, leviter penetrat, sed dico tibi non leve infligit vulnus, citò interficit, nimirum sagitta hæc, vana gloria est.*

Vana gloria expugnatu difficilis.

Hæc vana gloria ità homini quodammodo innata, & adeò firmiter inhæret, ut superatis aliis vitiis, hæc sola maximam exigat

violentiam, ut vincatur. Alia vitia non adeò difficulter successu temporis expugnantur; tum quia vel intrà certæ materiæ terminos constricta, vel quia facilè dignoscuntur; vel tandẽ quia certis tantùm ætatis nostræ temporibus cum iis luctandum est; ast vana gloria malum illimitatum est, omnibus se immiscet, & venenum affricat; subtilissima est & intima cordis subtili agilitate penetrat, tantáque in oppugnando homine utitur calliditate, ut opus quod humilitate cœpimus, superbiâ sœpissimè finiamus: omni vitæ tempore in adolescentiâ, in juventute, in virili & decrepitâ ætate eâ infestamur: vana gloria est, quæ instar aspidis matris viscera depascentis eámque enecantis, omnibus bonis operibus vitam adimit. Hujus venenatæ bestiæ mater, sunt bona opera; gignitur quidem etiam ex operibus malis, sed rarissimè, nec nisì apud eos qui desperatæ sunt salutis.

Remedia contra vanam gloriam.

Ut quis pessimam hanc ex optimâ matre sobolem penitus suffocet, discutienda nonnihil erunt opera nostra; *primò*, quid sint antequam fiant; *secundò*, quid sint dum actu fiunt; *tertiò*, quid sint cum facta fuerint: simúlque discutiendum, quid tandem homo de suo conferat, ex quibus patebit, quàm stolidum sit de operibus suis vanè gloriari & superbire.

Vanè gloriandum non est ante opus bonum.

Sub hujus discussionis initium reflectendum est ad beneficium creationis, ùt fundamentum omnium beneficiorum, vi cujus homo habet, ut virtutum & supernaturalium gratiarum capax sit; accepítque eâ mediante tale corpus, talem animam, tales in- & exteriores

teriores sensus, per quæ aptus redditur ad bona opera exercenda. Præter hoc beneficium creationis, cujus sola consideratio ad vanam gloriam tollendam sufficeret, indispensabiliter ante quodlibet opus bonum necessarium est, ut Deus non tantùm ùt author naturæ, sed etiam gratiæ cooperetur; ut intellectum salutaribus cogitationibus illuminet, voluntatem piis affectibus moveat, ut gratiis aliis prævenientibus hominem excitet quibus motus opus aggrediatur; debet deinde homo per gratiam sanctificantem Deo esse reconciliatus, vi cujus gratiæ efficitur Dei filius, ejúsque opera æternæ vitæ meritoria. De his omnibus necessariò provisum debet esse homini, antequam bonum opus incipiat, si vel unum deficiat, ineptus est ad ponendum actu, vel minimum opus æternæ vitæ meritorium: his omnibus à Deo positis, quid tandem addit homo? nihil aliud, quàm ut in se bonam excitet intentionem, & prævenienti gratiæ piísque motibus consentiat; hæc ipsa tamen tam intentio, quàm consensus speciale Dei donum est.

Nec sub bono opere.

Dum actu homo operatur iisdem iterum Dei donis instructus esse debet, quibus ante opus; tam gratia sanctificans quàm actualis adesse debet, quæ manet sub opere entitativè eadem, sed nomine variatur, dicitúrque Concomitans, quæ ante opus vocabatur Præveniens; intentio & cooperatio quam de suo homo confert, quàm sæpe est frigida! nec gratiâ datâ cum tanto suî commodo & spirituali fructu utitur, quanto posset; & hoc ipsum parum quod vel per intentionem vel co-

LIB. III. PARS II. CAPUT VIII. SECT. IV.

operationem contribuit nova Dei gratia est; gloriari ergo homo non potest de operibus suis, sivè ea consideret, antequam aggrediatur, sive dum actu iis occupatur.

Nec post bonum opus.

Post peractum bonum opus æquè minùs vanæ gloriæ locus esse potest, attento, quod sine speciali Dei revelatione nemo scire possit an sit in Dei gratiâ, quæ necessariò requiritur ad hoc, ut quis meritorie operetur; & esto id sciret, necdum tamen de operis valore constare potest; quamvis enim quàm optimè cum omnibus ad bonitatem moralem requisitis circumstantiis opus suum quis sibi persuadeat fecisse, certus tamen necdum est, se bene operatum: quis enim illi dixit rem ità se habere, ut ille sibi persuadet? Nunquid S. Paulus vir fuit eximiæ sanctitatis? & tamen 1. Cor. 4. candidè fatetur: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est*: q. d. Si ego operum meorum judex essem, suum cuique operi pondus inesse dicerem; sed qui me judicat Dominus est: *Ante cujus oculos Luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ, quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis*? Isai: c. 25. Hi oculi in operibus nostris, quæ perfectissima credimus, innumeros reperiunt defectus. Innumeri atomi oculos nostros fugiunt, si desint solares radii; sic & in intellectu nostro obscurato, in voluntate depravatâ latent innumeri defectus, qui tamen Deo, qui lucem habitat inaccessibilē, clarissimè patent; & quia hi perspicacissimi oculi penetrant & attendunt ad nostrā corruptam naturam, ad propriū profundissimè radicatū amorem, ad

pravos

pravos affectus, inordinatos motus, &c. aliter esse nō potest, quàm quòd multa in operibus nostris distorta, mutila & manca inveniant. *Facti sumus ùt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruata universa justitia nostra.* Isa. 64. Non est hujus viæ & vitæ exacta sinè omni defectu perfectio, felici æternitati hæc beatitudo reservatur. *Quid potest esse*, quærit S. Bern. Serm. 1. in fest. omnium Sanct. *omnis justitia nostra coram Deo? nonne juxta Prophetam velut pannus menstruata reputabitur? & si districtè judicetur, injustitia invenietur, omnis justitia nostra & minus habens.* Job vir sanctus post multa amoris, humilitatis, patientiæ, aliarumque virtutum exempla tamen diffidit sibi, dicens cap. 9. *Verè scio, quòd non justificetur homo compositus Deo; si habuero quidpiam justum, non respondebo, sed judicem meum deprecabor; verebar omnia opera mea.*

Posito tandem, quòd in operum nostrorum executione, nulla in re defuerimus, quid tandem hæc opera erunt respectu operum, quæ fecerunt tot sanctitate vitæ eximii Viri? de S. Antonio refert S. Hieronym. in vitâ S. Pauli; quòd cùm S. Antonius vitam S. Pauli admiratione plenam conspexisset, percutiens pectus dixerit: *Væ mihi peccatori qui falsum monachi nomen fero.* Amittunt certè opera nostra omnem splendorem comparata operibus in maxima perfectione à viris sanctis facta. Quid quæso nostra obedientia, paupertas, amor, patientia, eorum obedientiæ, paupertati, amori &c. comparata? vix bipalmares pumiliones sumus respectu horum gigantium. Eliu apud Job. cap. 33. ait: *Respi-*

ciet homines & dicet: Peccavi. Quæ verba explicans S. Greg. Lib. 24. moral. c. 6. ait: *Ideo nonnulli peccâsse se nesciunt, quia homines non attendunt*; homines scilicet, qui vitam duxerunt omnibus virtutibus insignem. Ideo Eliu ait: *Respiciet homines* &c. q. d. ùt explicat idem l. c. *Sanctorum Virorum exempla conspicit, atque eorum comparatione se pensans, iniquum se esse deprehendit, atque in illorum pulchritudine conspicit fœditatem suam, lucem namque debet conspicere, qui vult de tenebris judicare.*

Licèt denique opera nostra adeò à nobis perfectè fierent, ut majori cum perfectione fieri à purâ creaturâ non possent, nullam tamen de his superbiendi causam haberemus; est enim, manétque verum illud Christi effatum Luc. 17. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

SECTIO V.

Soli Deo debetur honor & gloria post factum bonum opus.

Deo magis quàm nobis ipsis tribuendum, si quid boni fecerimus.

CUm in nullo, quod facimus, bono opere vel unicus sit entitatis gradus, qui non Deo magìs, quàm nobis tribuendus, (est enim ille eorum causa, & si quid ex nostro addimus, ad hoc vires nobis suppeditat:) ipsius sunt omnia, juxta illud Philosophorum: *Quod est causa causæ, est causa causati.* Ex quo sequitur, quòd magìs ad Deum, quàm ad nos ipsos spectent opera nostra, adeóque ipsi, ùt principali Agenti omnis ex iis resultans gloria & honor transscribenda sint. *Quis credat parieti*, ait S. Bern. serm. 13. in Cant. *si se dicat parturire radium,*

quem

quem suscipit per fenestram? aut si glorientur nubes, quòd genuerint imbres, quis non irrideat? mihi liquidò constat, nec de canalibus oriri rivos aquarum, nec de labiis vel dentibus verba prudentiæ: si quæ sanè in Sanctis digna laude vel admiratione video, laudo Deum in Sanctis suis, qui in ipsis manens facit opera. Aperuisti mihi oculos lux, ait S. Aug. Lib. soliloq. *& excitâsti atque illuminâsti me, & vidi quòd gloriari non valeat ante te omnis caro, quia si quid boni est parvi vel magni, donum tuum est, & nostrum non nisì malum est. Quisquis*, ait idem Lib. 9. confess. cap. 13. *tibi enumerat merita sua, quid tibi enumerat nisì munera tua.* Oportet ergo ut continuò ante oculos nostros ponamus infirmitates, imperfectiones, & peccata nostra, cæteroquin in superbiam facilè extollemur alieno splendore illustrati. S. Gregorius ad illa Jobi verba 4. cap. 38. *Ubi eras quando ponebam fundamenta Terræ?* hæc addit: *Ac si justificato apertè Veritas dicat: Virtutes à me acceptas tibi non tribuas: noli contra me de meo munere extolli; recole ubi te inveni, quando meo timore prima in te fundamenta virtutum posui; recole ubi te inveni, quando meo te timore solidavi. Ut ergo in te non destruam quod construxi, ipse non cesses considerare, quod inveni; quem enim Veritas, nisì aut in flagitiis, aut in excessibus invenit.*

LIB. III. PARS II. CAPUT VIII. SECT. V.

Ut ergo vanæ gloriæ periculo nos liberemus, utilissimum erit, ut, si quod opus bonum (maximè si alicujus momenti sit) peregimus, aliquot salutares virtutum actus eliciamus. Quorum primus esse potest vivæ Fidei, indubitatè credendo, à Deo venire quidquid tandem boni in opere invenitur, &

Quinam virtutum actus ad fugiendam vanam gloriam eliciendi.

cum Davide proteſtando : *Dextera Domini fecit virtutem.* Secundus actus gratiarum actionis pro impenſo auxilio, quo adjuti opus abſolvimus. Tertius, ut omnem Deo gloriam, ùt vero operis authori attribuamus. Quartus, ut ex ejus amore omnia emanantia ex opere merita ei reconſignemus, nos omni ad ea jure abdicantes, ità ut iis juxta ſuum beneplacitum utatur, eique applicet, cui voluerit. Quintus, ut defectuum ſub opere commiſſorum remiſſionem humiliter petamus, vix enim poſſibile eſt, quin non unus vel alter irrepſerit, eſto omni conatu quàm perfectiſſimè operari ſtuduerimus.

SECTIO VI.

Quomodo in defectibus & imperfectionibus noſtris nos humiliare debeamus.

RES clariſſima eſt, peccatores ſumus, &, ùt loquitur S. Jacob. Epiſt. 1. 3. *In multis offendimus omnes.* Et S. Joan. 1. Ep. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt.* Ità hac de re loquebantur non vulgaris, ſed maximæ ſanctitatis Apoſtoli. Ex prætactis verbis S. Auguſtinus occaſionem ſumpſit dicendi Lib. 4. de Civit. c. 9. *Sinè peccato qui ſe vivere exiſtimat, non id agit, ut peccatum non habeat, ſed ut veniam non accipiat.* Ut ergo ex defectibus & malis noſtris bonum proliciamus, debemus nos *primò*, coram Deo ex toto corde humiliare, & candidè cum Pſalmiſta pſ. 50. confiteri : *Iniquitatem meam ego cognoſco* : excitandus

dus deinde sœpe de peccatis dolor, & quantâ fieri potest animi demissione, remissio petenda, firmúmque de non peccando in posterum & confessione proximè instituendâ propositum faciendum est. Sola & unica nos humiliandi causa, non est paupertas, non est exilium, non est contemptus, nec ignorantia, nec injuriæ, sed solum peccatum; omniū enim rerum (si tamen res peccatum dici mereatur) est teterrimum, deformissimum, & maximè detestabile, peccatum. Humiliare ergo se profundissimè peccator debet, & candidè fateri, se contemptibiliorem & abjectiorem factum per peccatum fuisse, quàm quod maximè contemptibile, maximè abjectum est. Ad hoc interim attendendum, ne commissa peccata nimiùm conturbent, angant & confundant, atque ità conceptus dolor in anxietates inutiles & pusillanimitatem, ùt multis contingit, degeneret; quæ pusillanimitas communiter provenit à diabolo, qui sœpe plùs laborat, ut in superfluas anxietates, quàm in peccata ipsa, hominem præcipitet: provenit etiam hæc anxietas sœpe ex occultâ superbiâ, qua præfidimus nobis, quasi sinè Dei adjutorio firmo sat pede consisteremus. Anxia hæc pusillanimitas summo studio vitanda, & si lapsi simus, eò majori cum exactitudine opera nostra in futurum obeunda, ut ità per diligentiam & fervorem restauretur, quod desidiâ & tepore destructum fuit. Equus cæspitans, gressum subitò corrigit, & celeriùs incedit; ità præcedentium operum defectus, subsequentium perfectione corrigendus est.

LIB. III. PARS II. CAP. VIII. SECT. VI.

Humiliare nos debemus propter commissa peccata.

Secun-

LIB. III. PARS II. CAP. VIII. SECT. VI.

Correctio, libenter post peccatum acceptanda.

Secundò, post peccatum commissum humiliter correctiones accipiendæ. Certè res admodum mira est, quòd, cùm peccata peccatis addamus, corrigi tamen, & per admonitiones emendari erubescamus. Si facies per maculas fœdata sit, non indignamur monenti, sed gratias agimus. Medico ob reparatam per amaras etiam potiones sanitatem, obligatos nos agnoscimus: cur minùs præstamus ei, qui per acres reprehensiones sanitatem restituit potiori hominis parti; animæ immortali? Si Deus submittat aliquem qui defectus nostros corrigat, non fit hoc ipsum ex amarulentiâ & indignatione; sed quia paratus est, dummodo correctiones suscipere superbè non detrectemus, ad dandum nobis robur & gratiam, ut delicta emendemus & per virtutis vitio contrariæ exercitium, merita & præmia colligamus. Ideò, ùt memorat S. Gregor. Moral. 2. c. 9. primos parentes peccantes ad examen vocavit, ut, si candidè delictum eidem patefacerent, misericordiam & indulgentiam impertiret. Quia verò non ità serpenti Deus affectus erat, eum ad se non vocavit; sed debitâ pœnâ, etiam non auditum, mulctavit.

Correctiones quomodo accipiendæ.

Hæc de correctione dicta clarè patent ex S. Literis. *Qui odit correptionem vestigium est peccatoris, & qui timet Deum, convertetur ad cor suum.* Sap. 21. *Qui diligit disciplinam, diligit scientiam; qui autem odit increpationes, insipiens est.* Proverb. 12. Nec attendendum inter correctiones quæ dantur, an fiant à corripiente, animo pacato an passionibus concitato, discretè vel indiscretè, ex odio vel ex amore

ſed ſolùm id curandum, ut, quod in nobis corrigitur, emendemus. Si in præcipitio conſtitutus, ex inconſideratione lapſui me exponerem, & alius indignabundè accurrens, magno impetu me invadens, jam jam caſurum retraheret, non omitterem gratias agere, eſto animo fuerit commoto, dum me liberavit; ejus enim paſſio mihi fuit ſalutaris, nec ulli nocuit, niſi ipſi indignati. *Vir prudens & diſciplinatus non murmurabit correptus.* Eccleſ. 10. *Noli arguere deriſorem, ne oderit te: argue ſapientem & diliget te, doce juſtum & feſtinabit accipere.* Prov. 6. Hæc inter fatuum & ſapientem diſtinctio eſt, quòd hic libenter, iſte indignabundè corripientem audiat. Correptiones igitur, quocunque tandem animo datæ, benignè accipiendæ, manſuetè, ùt monet S. Bernard. 42. in Cant. reſpondendum, verecundè acquieſcendum, modeſtè obtemperandum, humiliter confitendum.

Humilis defectus ſuos manifeſtat.

Tertiò, Satìs non eſt, ut defectus noſtros non excuſemus, ſed & oportet ut illos motu proprio manifeſtemus; nec debet humilis in hoc puncto minor eſſe quàm ſuperbus, qui ſi vel minimum in ſe advertat laude dignum, egregium agit præconem & buccinatorem, omnium aures opplendo; ſic è contra humilis debet defectus ſuos patefacere, ùt ſuperbus ea, quæ ad gloriam ſuam faciunt.

Quæres, an ergo ſemper humiles ſint, qui ſuos defectus & delicta ultro produnt? Reſpondet S. Greg. Lib. 12. moral. cap. 10. *Plerumque homines & culpas confitentur, & humiles non ſunt: indicia veræ confeſſionis ſunt, ſi, cum quiſque peccatorem dicit, id de ſe dicenti etiam*

alterì

alteri non contradicit. S. Climacus judicat propriam de defectibus confessionem seriam esse, si, quod ipsi de nobis dicimus, ab aliis ratum & gratum haberi non improbemus, promptèque corripientes & castigantes admittamus.

SECTIO VII.

De actuali humilitatis exercitio, & qui potissimùm eo uti debeant.

Actus humilitatis quomodo eliciendus.

UTilissimus nos humiliandi modus est, si Deum præsentem & velut lateri adhærentem intueamur, & ejusdem infinitæ excellentiæ miseriam nostram commensuremus, dicendo v. g. Dei potentia tanta est, ut totum mundum unico voluntatis actu creârit; ego econtra omni meâ potentiâ ne stipulam, ne atomum quidem producere unquam potero. Deus cognoscit omnia, quæ ubicunque terrarum fiunt, & secretissima naturæ ad fundum usque penetrat & intelligit; ego ne vigesimam muscæ aut formicæ partem. Deus adeò dives, ut quidquid cœli ambitu continetur, quidquid in rerũ naturâ est, ad eũ spectet; ego totus inops, totus pauper; imò inopia & paupertas ipsa. Hac ratione nihilum nostrum in Divinâ essentiâ, nostram parvitatem, in immensa illius magnitudine clarè videbimus, & manibus quodammodo palpabimus.

Secundò, considerare possumus, quàm viles, quàm abjecti simus in oculis Dei ; licèt humiliemus nos quantumcunque possumus, & nos ipso nihilo minores esse credamus , sumus

ſumus tamen & manemus incomparabiliter minores, quàm nos per demiſiſſimam humilitatem deprimere poſſumus; nec intellectus noſter per omnem ſuam capacitatem nihili noſtri abyſſum comprehendere aut capere poteſt. Unde non eſt quòd timeamus, ne nos nimiùm humiliemus, etiamſi nos infra vermiculos, fimeta & ſtercora abjiciamus. Et ſi nonnihil pluris à Deo fiamus, ille ipſe cauſa eſt, quia in nobis habemus, quod ab eo emanat, quódque ex hoc ſolo capite magni æſtimandum eſt.

Tertiò, cum admiratione dicere poſſumus: Ego ſcio, quis ſim, ſcio quàm ſœpe Deum injuriâ affecerim; quomodo ergo poſſibile eſt, ut me ſuper alios elevem? ex me nihil ſum, nihil poſſum, nihil habeo, niſi quod larga Dei manus dedit: vas luteum & ſordidum margaritis impletum, eſt & manet abjectum vas. Conducit præterea, ut quis cum pia indignatione in ſe ipſum invehatur, hanc in rem in ſubſidium adhibendo quoſdam S. Scripturæ textus, séque ipſum alloquendo: v. g. *Quid ſuperbis terra & cinis.* Eccleſ. 10. *Ubi eſt gloriatio tua? excluſa eſt.* Rom. 3. *Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* 1. Cor. 4.

Quartò, ad humilitatem conſequendam multùm juvat in exterioribus ſe occupare quæ abjecta & vilia ſunt, officia minùs honorifica in ſe ſuſcipere; nam, ut ait S. Bern. Epiſ. 87. *Humiliatio eſt via ad humilitatem, ſicut patientia ad pacem. Si virtutem appetis humilitatis, viam non fugias humiliationis.*

In his ſimilibúſque humilitatis actibus exer-

In humili

LIB. III. PARS II. CAPUT VIII. SEC. VII.

exercere nos ſœpe & utile & neceſſarium eſt, ut, quæ altas in natura noſtra egit radices, ſuperbiam expellamus. Qua cum omnibus quidem pugnandum eſt, præcipuè tamen tres hominum claſſes ſunt, quibus maximè humilitati ſtudendum, utpote majori ſuperbiendi periculo expoſiti. Primi ſunt, qui egregiis gratiæ & naturæ donis ornati, aliis in honore & authoritate prælati ſunt, hi enim occultâ ſœpe laborant ſuperbiâ, credúntque ſe meliori de luto fictos, formatóſque. Secundi, ſunt potentes & divites, qui ſe æſtimari, coli, timeri, ſuámque gratiam quæri & ambiri videntes, facilè potentiâ & divitiis abutuntur, & ſuperbè ſe aliis præferunt. Unde monet S. Paulus ſuum Timotheum 1. 6. *Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublimè ſapere.* Ut enim ait S. Auguſt. ſerm. 5. de verb. Dom. ſuper Matthæum: *Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet ſuum vermem; alius eſt vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici; vermis divitiarum ſuperbia*, Tertii, ſunt Docti; nam teſte Apoſtolo 1. Cor. 8. *Scientia inflat.* Quia ſcientia inter omnes vanitates pulcherrima & præſtantiſſima eſt, nobiliſſimæ enim hominis partis, intellectûs ſcilicet ornamentum eſt, unde contingit facillimè, ut, niſi ſtudiosè attendatur, ſuperbia ſubintret: docétque experientia, raram eſſe in terris avem, virum eximiè doctum, qui ſimul in humilitate ità inveniatur fundatus, ut non interdum vanè ſibi complaceat, alios præ ſe deſpiciat, aliorum vitam moréſque taxet, ſuum aliorum judicio præferat, ex ſuo vivat arbitratu, alieno ſe

Quibus maximè humilitate exercere ſe debent.

In officiis conſtituti ſublimibus.

Divites.

Docti.

se subjicere imperio detrectet, correctiones animo minùs æquo excipiat, &c. Hi ergo tres hominum classes humilitati præ reliquis studeant, & sibi dictum credant illud Eccles. 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.*

SECTIO VIII.

Primum ad nos humiliandum motivum est, necessitas divinæ gratiæ, quæ ad omne opus bonum indispensabiliter requiritur.

Sine Dei gratiâ homo nihil boni agere potest.

SIcut animal sinè pedibus nequit progredi, nec sinè alis avis volare; sic nec ad Deum homo pervenire potest sinè gratiâ; quod non tantùm de gratiâ sanctificante, sed etiam de auxiliis actualibus intelligi debet; qualia sunt illustrationes intellectûs, pii affectus & motus, per quos voluntas ad bonum suaviter impellitur; sinè his ad cœlum, & Deum nunquam perveniemus; cùm enim inter finem & media debeat esse proportio; finis verò noster sit, Dei visione in æternum frui, quæ visio naturales nostras vires infinitè superat, nulláque inter illa proportio est, sic altior virtus infirmitati nostræ succurrere debet, quæ virtus alia non est, quàm Dei gratia; quæ, quia entitas supernaturalis & divina est, in tali nos statu ponit, qui ad bona cœlestia & supernaturalia promerenda proportionatus est.

Sinè gratiâ ne minimæ tentationi resistere, ne minimum virtutis actum exercere valemus; sed Deus virtutibus tam infusis quàm

acquisitis speciali gratiæ auxilio subvenire debet, cœteroquin nihil agere valent. *Nemo habet de suo*, ait Concil. Arelat. Can. 22. *nisi mendacium & peccatum; si quis autem homo habet veritatem atque justitiam, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in viâ. Epistolam meam*, ait S. Aug. ad Fratres, Ep. 46. *secundùm hanc fidem intelligite, ut neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defendatis, ut à Dei gratiâ separetis, tanquam sinè illâ, vel cogitare aliquid, vel agere secundùm Deum ullâ ratione possimus: propter hoc enim Dominus, cùm de fructu justitiæ loqueretur, ait Discipulis suis: Sinè me nihil potestis facere.* Idem alio in loco de Corrept. & Gratia cap. 2. *Sinè gratiâ nullum prorsus sive cogitando, sive volendo & amando, sive agendo faciunt homines bonum.* Idipsum dudum ante S. Augustinum scripsit Corinthiis S. Paul. 2. 3. *Non quòd sufficientes simus ex nobis, cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra à Deo est.* Idem ad Rom. 9. *Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Non est volentis*, ùt explicat S. Thom. 2. 2. q. 109. ar. 2. *scilicet velle, neque currentis, scilicet currere, sed miserentis Dei. Sicut oculus corporis plenissimè sanus*, ait S. Aug. apud S. Thom. l. c. ar. 9. *nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic & homo, perfectissimè etiam justificatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere.* Homo totus licèt spiritualis, intellectu & voluntate debitè instructis, præditus; nullum tamen opus bonum operari, nullam cogitationem bonam concipere poterit, nisi à Deo eidem

succurratur, & excitante gratiâ adjuvetur.

LIB. III. PARS II. CAPUT VIII. SECTIO VIII.

Gratiâ Dei indigent viri etiam sanctissimi, ut saluti suæ studeant, & peccata evitent. Videt Deus omniscius multas malarum cogitationum myriades, perversas affectiones, & tentationes, quæ in his vel illis circumstantiis infallibiliter nos prosternerent, & desperatissimos efficerent peccatores: hoc malo sola nos liberat gratia, quæ misericorditer prævenit nos; qui tamen in nullo iis meliores sumus, qui in hanc miseriam jamtum corruerunt. Dependemus à filo divinæ gratiæ super abyssum omnium peccatorum, in quam, nisì gratia nos sustineret, pleno impetu laberemur; nec horrendum adeò scelus, quod eâ destituti non committeremus. Ut sal conservat carnes, ne putrefiant, sic gratia nostras animas ne corrumpantur, & in fœtida abeant cadavera.

Egent illâ viri etiam sanctissimi.

Gratiâ Dei indispensabiliter opus est omni tempore. Aer, licèt jam ab aliquot millenis annis à sole sit indies illustratus, non potest absente Sole se ipso lucere; sic nec homo sanctissimus, licèt à multo tempore perfectissimos omnium virtutum elicuerit actus, & ad summum sanctitatis gradum pervenerit; ne minimum opus bonum ex propriis viribus sinè gratiâ faciet, nec minimam superabit tentationem. Egebit itaque, usque ad ultimum halitum, divinâ, qua conservetur & adjuvetur, gratiâ. Veritas hujus rei sole clarior est. Nunquid enim ab experientiâ scimus, quòd hæc vel illa divina inspiratio, hæc vel illa Fidei veritas, quæ hodie totum animum occupat, cor magnâ pietate

Gratia Dei omni egemus tempore.

LIB. III. PARS II. CAPUT VIII. SECT. VIII.

commovet, & tenerrimè afficit, cras eosdem effectus non habeat? quod ad eas Fidei veritates, quas hodie intellectus clarissimè videt & intelligit, cras ad eas instar ululæ cœcutiat, & tenebris involutus caliget? Imò carissimi Dei amici & viri illuminati, interdum ità à Deo ad tempus deseruntur, & ad statum delabuntur adeò miserum & miserabilem, ut omnium prævìè habitarum gratiarum, omníque divinarum illustrationum memoriâ careant, intellectus tenebris oppleatur, voluntas instar lapidis indurescat ad munus suum obeundum, tam in spiritualibus, quàm corporalibus planè inepta. Unde hæc mutatio? à præsentiâ vel absentia divinæ gratiæ. Sunt qui putant se ad omnem pietatem & vitæ emendationem movendos, si in eorum conspectu fierent miracula, cœci viderent, claudi ambularent: sed longè errant. Nunquid olim Judæi viderunt prodigium illud maximum, resuscitationem Lazari? an ex hoc meliorati? tantùm abfuit, ut non post multos dies hunc Taumaturgum infami ligno suffixerint. Externa omnia frustranea, nisi Dei accedat gratia. *Latro pendens in cruce cum Domino*, ait S. Aug. in ps. 39. *agnovit in cruce Dominum; alii non agnoverunt miracula facientem, agnovit ille in ligno pendentem.*

Nec miracula ad meliorem vitam sine gratia movebunt.

Ex necessitate gratiæ quid discendum.

Ex jam dictis moveri debemus, ad nos profundissimè humiliandum, & vanam gloriam ex operibus nostris bonis subortam deponendam, candidè profitendo à divinâ gratia omnia pendere, in esse, fieri, & conservari. Succlamare debemus sœpissime cum antiquis

tiquis Patribus illud Davidicum ps. 69. *Deus in adjutorium meum intende. Hunc versiculum*, ait Cassianus, *in opere quolibet seu ministerio, vel in itinere constitutus decantare non desinas; hunc meditanti tibi somnus irrepat, donec incessabili ejus exercitatione formatus, etiam per soporem decantare consuescas. Hic tibi expergefacto primus occurrat; iste evigilantis cogitationes anticipet universas; iste te de tuo consurgentem cubili curvationi genuum tradat, atque deinceps ad omne opus actúsque deducat.* Secundò ex necessitate divinæ gratiæ discere debemus, ne unquam contemnamus eos, qui in peccata prolapsi sunt, sed potiùs intimè iis compatiamur, certò credentes, nos (esto in ea peccata non ceciderimus) illis nequaquam esse fortiores sed quòd nobis à Deo miserente hac vice à lapsu præservatis, idem cras evenire possit, quòd aliis hodie, nisi per gratiam, manum suam nobis porrigat misericors & miserator Dominus. *Nemo*, monet S.Greg.Lib.24.moral. cap. 19. *se alicujus virtutis æstimet, etiam cùm quid fortiter potest; quia si divina protectio deserat, ibi repente enerviter obruetur, ubi se valenter stare gloriatur.* Certissimum ergo manet, virum sanctissimum, si gratiâ Dei destituatur, futurum pessimum peccatorem, pessimum econtra peccatorem, si gratiâ Dei visitetur, maximum futurum sanctum. *Facile est in oculis Dei honestare pauperem.* Eccles. 11.

Sumus in manu Dei, quod calculus in manu mercatoris, qui modò decem, modò viginti, modò centū, modò mille valet, ad dispositionem calculatoris. Deus de prędestinatione in

 figu-

LIB. III. PARS II. CAPUT VIII. SEC. IX.

figurâ, & sub obscuro sensu de terræ globo ad Prophetam Job. ait: *Indica mihi si habes intelligentiam, quis posuit mensuras ejus si nôsti? vel quis tetendit super eam lineam.* Job. 38. Vult Deus dicere, quòd, sicut per dispositos lapides ager dividitur, & cuique hæredi sua pars assignatur, sic & ille cœlestem patriam à Christo per crucem & mortem nobis comparatam, modo nobis planè occulto dividat; uni magnam, alteri partem assignat exiguam. Hujus discursus Dei cum Jobo hanc rationem dat S. Gregor. Lib. 28. moral. cap. 6. *Quatenus pondus secretorum Dei sollicitiùs penset, dispensationem scilicet hominis, non in humanis viribus, sed in manu consistere Conditoris, ut dum invisibiliter considerat ista, quis agat, suæ virtuti nihil tribuat; nec jam de se audeat aliquid, cum Dei judicia occulta formidat, sed perpendens desuper mensuras & lineas, incomprehensibiliter tensas, tantò magis in humilitate formidinis consistat, quantò magis videt omnia in potestate mensoris.*

SECTIO IX.

Secundum ad nos humiliandum motivum, sunt variæ humilitatis excellentiæ & prærogativæ.

Humilitas est fundamentum virtutum.

Excellentia humilitatis prima & præcipua est, quòd sit spiritualis ædificii fundamentum. *Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas,* ait S. Cyprian. Tract. de nativ. Christi, *nec in cœlo stare potuit superbiæ sublimitas.* Quare autem fundamentum virtutum humilitas sit, ratio est, quia aliis virtutibus qui-

quibuſcunque tandem in anima locum parat; & quidem primò, Fidei, nam, ùt ait S. Aug. ſerm. 36. de verb. Dom. *Non eſt Fides ſuperborum, ſed humilium.* Ut in anima ponatur lapis Fidei, prævie parare debet fundamentum humilitas, & omne illud effodere, quod ſoliditati obeſſe poſſit fundamenti, abjicere debet omnem ſui ipſius æſtimationem, rationem naturalem, ſcientiam, imò intellectum ipſum & omnem rationem in obſequium Fidei captivare. Secundò viam parat humilitas aliis virtutibus, nunquam enim quis virtutes aſſequetur, niſi per humilitatem quis indignum ſe reputet, credàtque merum & gratuitum Dei donum eſſe, eas poſſidere. Unde optimè S. Aug. hom. de humil. in Eccelog. *Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis.*

Etiam virtutum Cuſtos.

Secunda humilitatis prærogativa eſt, quod ſit cuſtos virtutum. Soli humilitati claves theſaurorum ſpiritualium, ne furto ſubducantur, concreditæ ſunt. *Qui ſinè humilitate virtutes congregat, quaſi pulverem in aerem portat.* S. Greg. *Niſi humilitas*, ſcribit S. Aug. in Epiſt. ad Dioſcorum, *omnia quæ benefacimus & præceſſerit & comitetur, & conſecuta fuerit, & propoſita quam intueamur, & appoſita cui adhæreamus, & impoſita quâ reprimamur; jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu ſuperbia.* Nulla virtus eſt, quam diabolus imitari non poſſit; ſola humilitas eſt, quæ omni illuſione caret. Lapis lydius eſt, ad quem omnis vitæ noſtræ ſanctitas probanda eſt. Unde circa perſonas quæ ſublimiori & inſolito utuntur vivendi modo, ante omnia

LIB. III. PARS II. CAPUT VIII. SECT. IX.

examinari debet, an ſint verè & ex corde humiles, an judicio & voluntati propriæ ſint mortuæ, an ſatagant virtutes ſuas abſcondere, an pati poſſint, ſi eisdem reſiſtatur, an iis gratum ſit, ſi per dicteria, per detractiones & calumnias tangantur; ad hæc enim & ſimilia, quæ humilitatem ſapiunt, à Deo impelluntur illo ipſo tempore, quo à Deo elevantur.

Signum Prædeſtinationis.

Tertia prærogativa, quòd, humano modo loquendo, infallibile ſit prædeſtinationis ſignum. *Apertè cognoſcimus*, ait S. Greg. moral. Lib. 24. cap. 21. *quòd evidentiſſimè reproborum ſignum eſt, ſuperbia; & contrà humilitas Electorum. Nolite timere puſillus grex*, ait Chriſtus diſcipulis ſuis Luc. 12. *quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* In quæ verba commentans Venerab. Beda ait: *Puſillum gregem nominat ob humilitatis devotionem, quia Eccleſiam ſuam quantalibet numeroſitate jam dilatatam, tamen uſque ad finem mundi humilitate vult creſcere, & ad promiſſum regnum humilitate pervenire.*

Diſponit ad recipiendas gratias.

Quarta. Animam capacem efficit cœleſtium donorum & gratiarum; dum enim propriâ æſtimatione & ſui ipſius excellentiâ ſublatis vas vacuum redditur, adeſt ſtatim Deus, implétque multis & magnis gratiis, quas effundere non poteſt in animam ſuperbiâ turgidam. *Confluit aqua*, juxta S. Aug. ſerm. 27. de verb. Dom. *ad humilitatis convallem, denatat de tumoribus collis. Cum timore & tremore*, ait idem ſerm. ſecundo de verb. Apoſt. *id eſt, cum humilitate vallem facite, imbrem ſuſcipite: depreſſa implentur, alta ſiccantur. Gra-*

tia

tia pluvia est, quid ergo miraris si Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam? ideo noli altùm sapere, sed time; time ut implearis; noli altùm sapere, ne sicceris. Præ reliquis præsentissimum remedium ad castitatem consequendam & conservandam, humilitas est: cùm econtra superbia gravium tentationum & lapsuum in hac materia sœpissime causa sit. *Multis sæpe*, inquit S. Gregor. Lib. 26. moral. cap. 13. *superbia luxuriæ seminarium fuit, quia dum eos spiritus, quasi in altum evexit, caro in infernum mersit. Sic elati justâ fuerant retributione feriendi, ut quia superbiendo se humilibus præferunt, luxuriando usque ad jumentorum similitudinem devolvantur; hinc est enim, quòd longa continentia repente solvitur, hinc quòd plerumque & usque ad senium servata virginitas vitiatur.....proinde per humilitatis custodiam, servanda est munditia castitatis.*

Illuminat intellectũ.

Quinta. Intellectum illuminat. Testatur hoc æterna Sapientia Prov. 21. *Ubi erit superbia, ibi erit & contumelia; ubi autem est humilitas, ibi & sapientia.* Unde optimè S. Grego. Lib. 3. moral. cap. 10. *Obstaculum veritatis est tumor mentis, quia dum inflat, obnubilat.* Idem in illa Jobi verba cap. 36. *In manibus abscondit lucem*, ait Libro moral. 27. c. 7. *Inanes quippe sunt, qui se claris cogitationibus extollunt, his lux absconditur; quia nimirum superbientibus veritatis cognitio denegatur; unde per semetipsum Veritas dicit: Confiteor Tibi Pater Domine Cœli & Terræ, quia hæc abscondisti à sapientibus & prudentibus, & revelâsti ea parvulis.* Qui ergo contemplationi & orationi addicti sunt, totos tradant se humilitati, seque per hanc lucis

LIB. III. PARS II. CAP. VIII. SECT. IX.

divinæ capaces efficiant, ne per illusiones decepti ad periculosa devia abducantur.

Replet hominem quiete.

Sexta. Perpetuâ & imperturbabili quiete & pace voluntatem replet. Sicut quælibet res in suo centro conquiescit, sic & humilis in humilitate. Quamprimum se in suo centro seu infimo loco, quem ob vilitatem corruptæ naturæ, & peccata sua sibi deberi agnoscit, se locat, inquietari non potest; cùm econtra in continuis perturbationum fluctibus versetur homo superbus; quia ad eum se locum fastuosè elevat, qui ob indignitatem ei non competit. Hanc maximi momenti doctrinam suis Discipulis & toti mundo proposuit Redemptor noster, his apud S. Matthæum cap. 11. verbis: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Omnes inordinatos animi motus, impatientiam, tædia, tristitiam; si penitiùs examinemus, deprehendemus oriri à superbia, à propria nostrî æstimatione, ambitione, vel timore ne ab aliis contemnamur: his per humilitatem sublatis, non potest non in altissimâ pace humana mens solidari.

Est gradus ad honores.

Septima. Gradus est ad honores. *Deus ponit humiles in sublimi*, ait Propheta Job. *Deposuit potentes de sede & exaltavit humiles*; canit Beatissima Virgo Luc. 1. *Qui se humiliat exaltabitur* decernit Christus Luc. 14. *Audisti sententiam*, inquit S. Aug. serm. 36. de verb. Dom. *cave superbiam.* Est, & manebit in æternum verissimum illud S. Augustini Tract. 104. in Joan. *Humilitas est claritatis meritum, claritas humilitatis est præmium.* Cùm ergo à natura ità comparati simus, ut honoribus a-

vidè

vidè inhiemus, humilitati studeamus, quæ plana ad honores via est, tam in hac quàm in altera vita.

SECTIO X.

Tertium ad nos humiliandum motivum, est exemplum Christi.

Solus Christus Dominus verè se humiliavit.

CHristum Dominum Redemptorem nostrum se profundissimè humiliâsse, res clarissima est. Novissimus virorum vocatur ab Isaia cap. 53. Humiliavit se quoad Divinitatem adeò profundè, ut in omnem æternitatem admirari satìs hanc exinanitionem non poterint omnes cœlestes Spiritus & beati in Cœlo. Ille solus dici potest se verè humiliâsse; nam solus ille est qui se humiliare potest, cùm solus essentialiter magnus sit. Ut homo se humiliet, nihil aliud requiritur, quàm ut locum occupet, qui ei ob suum nihilum debetur. Humiliet se, quantùm voluerit, nunquam se adeò profundè humiliabit, ùt profundum est nihilum, ex quo in sui creatione extractus est. Divinitas verò Christi infinitè humiliavit se, dum humanam naturam assumpsit, & tam arcto eam vinculo sibi copulavit, ut Deus homo, & homo Deus factus sit; atque adeò se creaturam, nihilum & filium fecit Peccatoris Adæ. *Semetipsum exinanivit*, ait S. Paul. ad Philip. 2. Infinita magnitudo se profundissimè abjecit; summa Majestas stupendo modo splendoris & gloriæ suæ radios fœtido cœno occultavit. Vide vilis homuncio Cœli Terræque Dominum ad pedes scelerati Judæ procumbere, cól-

LIB. III. PARS II. CAPUT VIII. SEC. X.

eósq; divinis manibus suis lavare & tergere; vide quomodo homicidæ Barrabæ postponatur; vide quomodo inter scelestos medius, ut scelestorum scelestissimus nequam, & latronum coryphæus crucifigatur. De hac suâ humilitate ipse loquitur Psal. 21. *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis. Veram & voluntariam humilitatem*, ait S. Leo. apud S. Bern. de grad. humilit. *Dominus Jesus ab utero matris usque ad supplicium crucis pro omni fortitudine & elegit & docuit.* Leoni consentit S. August. serm. 7. de Epiph. *Cùm Christum nomino, fratres mei, maximè humilitas nobis commendatur.*

Christus Dominus se humiliavit, ut nos humilitatem doceret.

Quid admirandâ hac sua humilitate Christus Dominus aliud intendit, quàm ut ad suî imitationem nos pelliceret? Ità sentit S. Aug. l. c. *Dominus Jesus Deus homo, humana apud nos humilitatis exemplum est, ut magnus tumor noster, majore contrariâ medicinâ sanaretur; magna est enim miseria superbus homo, sed major misericordia humilis Deus.* Quam suaviter ad imitandum humilitatis suæ exemplum nos ipse invitat, Matt. 11. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* De hoc Christi exemplo egregiè discurrit S. Bern. Epist. 42. ad Henricum Archiep. Sennonens. *Author & dator virtutum Christus, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi; in quo omnis quóque plenitudo Divinitatis habitat corporaliter. Nónne tamen & ipse de humilitate tanquam de summâ sua doctrina suarúmque virtutum gloriatus est? Discite, ait, à me, non quòd sobrius aut castus, aut prudens, aut aliquid ejusmodi, sed quia mitis sum & humilis corde. A me inquit, discite,*

non

non ad doctrinam Prophetarum, non ad Prophetarum libros ego vos mitto, sed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Inviderunt mihi altitudinem, quam habeo apud Patrem, & Angelus & Fœmina, ille potentia, ista scientia; vos autem æmulamini charismata meliora, discentes à me, quia mitis sum & humilis corde. Hoc ipsius Dei stupendum humilitatis exemplum ad illius studium rebelles nos compellat. *Quid magìs indignum,* ait S. Aug. serm. 1. de nativit. Domini. *Quid detestandum ampliùs, quid graviùs puniendum, quàm ut videns Deum cœli parvulum factum, ultrà apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis impudentia est, ut ubi sese exinanivit Majestas, vermiculus infletur, & intumescat.*

CAPUT IX.

Caritas animum replet salutari timore.

Quis timor sit ordinatus.

Absolutis iis, quæ ad humilitatis commendationem faciunt, agetur jam de Timore, ùt individuo amoris comite; nemo enim amat, qui non etiam timeat, secundùm illud: *Res est solliciti plena timoris amor.* Non omnis tamen timor amori sociari meretur, sed solùm sublimis ille & bene ordinatus, quem describit his verbis Cassianus collat. 11. c. 13. *Quisquis fuerit in hujus Caritatis perfectione fundatus, necesse est, ut ad illum sublimem timorem, gradu excellentiore conscendat, quem non pœnarum timor, neque cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo; quo vel filius indulgentissimum patrem, vel fratrem frater, vel amicum amicus, vel conjugem conjux, sollicito reveretur affectu, dum ejus non verbera, neque con-*

vitia; sed vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solùm actibus, verùm etiam verbis attonitâ semper pietate distenditur, ne erga se quantulumcunque fervor dilectionis intepescat. Aptissimè ad rem discurrit S. Augustinus explicans illa Davidis verba: *Confige timore tuo carnes meas.* In quem locum commentans, timorem dividit in filialem, & servilem, utrumque describens his verbis: *Timor quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, quia carnalis est, & ideò non crucifigit carnem; vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas; timore autem casto ipsa, quæ hunc timorem foras mittit, peccare timet caritas, etiamsi sequatur impunitas; quia nec impunitatem judicat secuturam, quando amore justitiæ peccatum ipsum deputat pœnam.* Ut sanctus Doctor rem ad oculum explicet, adducit hanc similitudinem in ps. 127. *Pone aliam fœminam castam timentem virum; aliam pone adulteram, & ipsa timet virum: casta timet, ne discedat vir; adultera, ne veniat. Quid si amabo absentes sunt? ista timet, ne veniat, illa, ne tardet.*

Timor medius inter servilem & filialem.

Inter hos duos timores, filialem scilicet & servilem, mediat timor quidam tertius, non adeò quidem, ùt timor purè servilis, perversus; nec adeò purus, ùt esse debet timor filialis & perfectus; sed de utroque participat: timet quidem pœnam ùt sibi malam; non tamen adeò timet causam pœnæ, scilicet peccatum; ità tamen, ut peccatum non committeret, etiamsi pœna timenda non esset. Hic timor bonus est & donum Dei; ùt docet Trid. sess. 6. cap. 6. & can. 3. vocatúrque principium amoris, & dispo-

LIB. III. PARS II. CAP. IX.

disponit ad Dei amorem, qui si subintraverit, timor cedit, dátque soli amori locum : non secus ac acus, quæ priusquàm filum pannum penetrat, non verò manet, sed egrediens post se filum relinquit. Ad hunc timorem excitamur variis Sacræ Scripturæ locis. Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* De hoc timore dicitur Eccles. 34. *Timentis Dominum beata est anima. Beatus homo qui semper est pavidus.* Iterum Proverb. 28. *Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei* : Refrœnat hic timor pronam in lapsum naturam, ne corruat. Unde ait Psalmista ps. 88. *Posuisti firmamentum ejus formidinem*, vel, ùt legit S. Hieron. *posuisti munitiones ejus pavorem.* q. d. Pavore circumdedisti hominem, ut munitîssimo vallo, ne tentantibus se hostibus locum det, & te offendat.

In negotio salutis timendum.

Oportet ergo ut in causa salutis salubriter timeamus juxta S. Pauli monitum : *In metu & tremore salutem vestram operamini.* Ità salubriter timuit Propheta David, dicens de se ps. 118. *A judiciis tuis timui.* vel, ùt vertit S. Hiero. *Horripilavit à timore tuo caro mea.* Ità timuit Proph. Job. cap. 31. dicens : *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* Quæ verba S. Greg. Moral. 22. cap. 16. expendens, ait S. Jobum timore Dei correptum omnia à se abjecisse, quæ impedire poterant, quò minùs littus æternæ felicitatis attingeret : non secus ac mercatores, qui subortâ tempestate in periculo constituti, pretiosissimas merces

in

in mare projiciendo navem alleviant, nihili omnia æſtimantes, dummodo ſalvâ vitâ ad portum pervenire valeant.

Aliqua ad hunc ſalutarem timorem conducentia motiva adducemus: cùm autem varias eáſque terribiles fidei veritates complectantur, ex quibus infirmus intellectus plùs mali, quàm boni haurire poſſet; quemadmodum oculus malè affectus ex ſolis radiis non meliùs, ſed pejùs habet: hinc nonnihil priùs eas dulcorabimus, ut ità ſuaviter in animum tranſmiſſæ, ſalutarem conſequantur effectum.

SECTIO I.

Deus verè & ſyncerè deſiderat, omnes homines ſalvos fieri.

Ab homine pendet ſalus & damnatio.

MAgno certè cuilibet ſolatio eſſe poteſt, ſi recogitet, quòd infallibiliter, ſi ipſe modò velit, ſalvus eſſe, & infallibiliter inferni pœnas evadere poſſit, dummodo ipſe motu proprio in eas ſe non præcipitet: res enim tota pendet à Deo & ab ipſo; ſi ergo quis ipſe velit, faciátque quod poteſt, cœli aditus patet; Deus enim quantùm eſt ex ſe omnino contentus eſt, & intensè illud deſiderat. *Deus*, ùt ait S. Paul. 1. Tim. 2. *vult omnes homines ſalvos fieri.* Vult, non tantùm *voluntate ſigni*, quæ eſt ipſius divinæ voluntatis declaratio per aliqua ſigna extrinſeca, quorum communiter à Theologis quinque numerantur, ſcilicet: Præceptum, Prohibitio, Conſilium, Permiſſio & Operatio, ſeu oblatio concurſûs

sûs ad actum. Quæ omnia comprehenduntur hoc versu:

Præcipit aut prohibet, permittit, consulit, implet.

Hæc omnia vocari solent voluntas Dei; quando enim Deus aliquid permittit, signū est illud nolle impedire, cùm posset, si vellet. Per Tò *implet* intelligitur Dei operatio: nam quando operatur aliquid, sive per se solū, sive cum causâ secundâ, signum est, id velle; aliàs si nollet, non ageret. Vult, inquam, Deus omnes homines salvos fieri, non hac *voluntate signi* tantùm, sed etiam *voluntate Beneplaciti*: vi cujus Deus verè & propriè, & quantùm est ex se, absolutè vult, & syncerè desiderat, ut ità fiat; adeò quidem ut si nihil, quàm se attendat, velit & intensè desideret, ut ipsi etiam reprobi salvi fiant: si verò ad peccatores eorúmque attendat peccata, tum tandem quasi coactus resolvit, eos damnare. Vult ergo, ùt loquuntur Theologi, omnes homines salvos fieri *Voluntate Antecedente*, quæ absque prævisis meritis vel demeritis à Deo solo procedit; cujus voluntatis motivum aliud non est, quàm amor in homines. Quod autem hominem velit absolutè damnare, fit per *Voluntatem consequentem* post prævisa demerita; ità quidem, ut, quamvis Deus, quantùm est de se, efficaciter & magno desiderio omnium salutem cupiat, velit tamen præterea (quod justissimum planè est) ut de suo homo contribuat, & summa illa æternáque bona adhibito suo studio sibi comparare conetur. Si id negligat, justæque huic voluntati refractariè resistat, per repetita scelera vim ipsi Deo quodammodo inferendo; sen-

Deus vult omnes homines salvos fieri.

Quomodo Deus decernat hominis damnationem.

LIB. III. PARS II. CAP. IX. SECT. I.

sententiam fert æternæ damnationis. Hujus duplicis in Deo voluntatis etiam meminit S. Chrysost. quam nos dicimus *Antecedentem*, vocat ille *Primam*; quam nos *Consequentem*, ille *Secundam*. Et cùm nonnulla hac de re eruditè disseruisset, addit; quòd nemo hominum tanto in creaturam aliquam ferri possit amore, esto præ amoris magnitudine insaniret, quanto Deus amore & desiderio cupiat, ut omnes salvi fiant.

Ex Dei bonitate colligitur, quod suâ culpâ homines non damnentur.

Et quid quæso aliud is, qui infinitè bonus est, desiderare potest; & qui non punit, nisi per scelera provocatus? Qui divitias Bonitatis suæ pro dispositione subjectorum sinè ullo ætatis vel conditionis respectu effundit? si multum capere potes, multùm effundit; si parum, parum. Non secus ac Sol, qui ex natura sua ità comparatus est, ut rem unam magìs illustret quàm aliam, prout aptior est ad radios solares debitè excipiendos. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Sap. 1. Certè maxima ipsi injuria infertur, dum creditur culpâ illius accidere, quòd tot hominum milliones in extremum ruant exitium & damnationem. Contra quod ipse protestatur Ezech. 18. *Nunquid voluntatis mea est mors impii, dicit Dominus, & non ut convertatur à viis suis & vivat?*

Deo injuriosum est, illi adscribere hominum damnationem.

Accedit quòd nihil eorum odio habeat, quæ fecit. *Diligis omnia quæ sunt,* ait Sap. 11. *& nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Et si Deus aliquid eorum odisset, se ipsum odisse dicendus esset: quælibet enim creatura Divinitatis illius radius est, & de perfectionibus Dei participat. Amat Deus hominem, ùt Pater filium;

&

& hanc ob causam tantum in proles parentibus indidit affectum, ut per hunc amorem, suum in nos declararet; qui tamen longè excellentior est, quàm ullorum unquam parentum fuit, aut esse possit.

Ex quibus colligatur, quod Deus velit omnes salvos fieri.

Quid clamat acerbissima Christi passio, ignominiosa mors, & continuus triginta trium annorum labor, quem subiît ex amore nostrî? quid clamant, nisì: *Vult Deus omnes homines salvos fieri*? Quid clamant prædicatio Evangelii, instituta à Christo Sacramenta, Superiorum instructiones, inspirationes, Angelorum custodia & plura alia, per quæ occultè salutis nostræ opus promovet; quid clamant hæc aliud, quàm: *Deus vult omnes homines salvos fieri*? His cur in salutem nostram non utimur? Si ab hostibus impugnemur, & in pericula peccandi incidamus; dat nobis gratiam sufficientem, ut inimico resistere, peccata non committere possimus; quod adeò certum est, quàm ullus Fidei articulus certus esse possit; si hoc enim auxilium Deus denegaret, nec peccatum omittere, nec tentationi resistere, nec bonum operari; consequenter nec ad rationem vocari; nec desuper puniri possemus. *Si hoc adjutorium*, ait S. Aug. Libr. de corrept. & gratiâ, *vel Angelo vel homini, quamprimum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sinè divino adjutorio posset manere si vellet, non utique suâ culpâ cecidisset: adjutorium quippe defuisset, sinè quo manere non posset.* Sicut ergo omnibus & singulis auxilium infallibiliter subministratur; ità nostrum est eo rectè uti, & sollicitè cooperari. Deus toties, quoties necessitas re-

 qui-

quirit ad adjuvandum paratus est; imò ipse priùs manum operi admovet. *In omnibus*, ait S. Aug. de Spiritu & Litera cap. 34. *misericordia ejus prævenit eos; consentire autem vocationi Dei, vel ab eâ dissentire propria voluntatis est.*

Ex jam dictis clarissimè evincitur Deum verè & propriè desiderare, ut omnes homines salvi fiant, quódque idipsum sit in nostra potestate. Si pereamus, nostrâ culpâ perimus. Coram toto mundo id Deus declarat Oseæ c. 13. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* q. d. Si pereas, ex te peris; si saluti tuæ incumbas & salvus fias, meæ gratiæ & auxilio, ùt veræ salutis causæ, id adscribendum est. Illo decretorio die, quo stabimus ante tribunal, Deus rationem & seriem prædestinationis & reprobationis quodammodo creaturis suis exhibebit: nullus ex damnatis erit, qui sibi ipsi damnationem suam imputaturus non sit. Imò ipse Antichristus fateri debebit, se potuisse, si modò voluisset, piè & sanctè vivere: fatebitur ergo coram Angelis & hominibus suam culpam, Deo dabit gloriam, & dicet: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.*

SECTIO II.

Prima timoris causa est, exiguus salvandorum numerus.

Figura damnandorum.

Licèt Deus Opt. Max. unicè desideret, ut omnis homo salvus fiat; non tamen omnes hac felicitate donabuntur. Pro omnibus Cœlum ædificatum est, sed pauci eò pervenire student. *Multi sunt vo-cati, pauci verò electi,*

cti, ait æterna Veritas, Matt. 20. Quod non tantùm de Gentilibus, & Hæreticis; sed & de veris Christi Fidelibus intelligi volunt S. Aug. contra Crescon. 3. c. 66. & S. Gregor. Hom. 19. in Evang. Ast quot sunt, qui ex hoc numero æternum peribunt? solus Deus novit. Hoc scitur: pauci, pauci admodum erunt. Figuræ in sacrâ Scripturâ in hanc rem expressæ paucos salvandos luce clariùs demonstrant. Cùm Deus immundum mundum diluvii undis mergeret, ex tot hominum millionibus octo in arca servati, mortem evaserant. 2. Pet. 2. Ex depluo de Cœlis igne, qui Pentapolin absumpsit, solus cum suis evasit Loth. Gen. 19. Solus Josue & Caleb ingressi sunt terram Promissionis ex centenis & sex millibus; senibus, mulieribus & parvulis demptis. Num. 14. Hæ figuræ sunt olim salvandorum. *Et erit*, ait Isai. cap. 24. *Sicut congregans in messe quod restiterit, & brachium ejus spicas leget, & erit sicut spicas legens in valle Raphaim; & relinquetur in eâ sicut racemus, & sicut excussio olea duarum vel trium olivarum in summitate rami, &c.* S. Hierony. hunc locum explicans ait: *Tanta erit Sanctorum paucitas, de quibus Dominus loquitur in Evangelio: Multi vocati pauci electi: ut eorum paucitas baccis rarissimis comparetur; quæ cùm excussa fuerint atque demessa, vix pauca remaneant in ramorum cacumine, & quomodo cùm fuerit finita vindemia, solent pauperes, egestate cogente, vacuas circuire vites & pauca uvarum grana colligere.*

LIB. III. PARS II. CAP. IX. SECT. II.

Si quæras, quomodo possibile sit, quòd Deus, qui hominem adeò intensè amat, eo-

Si homo non salve-

rúmque salutem avidissimè desiderat; his non obstantibus, plerosque condemnet. Ad quod respondendum, quòd Dei in nos amor multò adhuc sit intensior, quàm vel sibi quis imaginari, vel exprimere possit. Nunquid Christus dicit Joann. 3. *Misit Deus Filium suum in mundum, non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* ? Nunquid quod quisque fecit multóque emit pretio, servare studet? Nunquid terreni Regis magnificentia & splendor eò major est, quò plures latus Regis stipant Aulici & Ministri? Ità & Deus desiderat servare, quos condidit; suorúmq; cœlestium Aulicorum numerum se in æternum laudaturorum augere. Sciendum interim voluntatem Dei homines salvandi, esse conditionatam, hoc est: vult salvare, si ipsi velimus gratiis oblatis cooperari, & mandata ejus servare: quod rationi omnino consentaneum est. *Primò.* Quia fieri facilè potest, & omnibus ad id præstandum mediis instructi sumus. *Secundò.* Quia Deus supremus noster Dominus est, cui omnis debetur reverentia, & obedientia: deinde mandata ipsius justissima sunt, naturæ humanæ & rationi conformia, promittítque ea servantibus infinita bona. *Tertiò.* Inconvenientissimum esset summis velle deliciis in æternum frui, & exiguum in tempore pro iis comparandis fugere laborem. Quid esset hoc aliud, quàm Deo ejúsque mandatis illudere? Cùm ergo rationi omnino conforme sit, ut Dei præcepta serventur; sic sequitur non minùs rationi conforme, dignum justúmque esse, ut transgressores debitâ pœnâ mulctentur;

...tur, non sit ex defectu divinæ bonitatis, sed nostræ cooperationis.

Velle salvari, & nolle bene vivere, inconvenientissimum est.

&

LIB. III. PARS II. CAP. IX. SECT. II.

& obedientes remunerentur. Mos in omnibus Rebuspublicis usitatus est, ut sua sint Bonis præmia, Malis supplicia.

Peccata condemnant.

His positis circumspice, & numera, si potes, vitia, peccata, & scelera, quibus homines immersi Deum Superósque spernunt. *A minore ad majorem omnes avaritiæ student, & à Propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.* Jerem. 6. & mirari desines majorem fore numerum Reproborum quàm Electorum. Fraus, avaritia, luxuria, superbia, injustitia toti ferè mundo dominantur, & mandata supremæ illius Majestatis, quæ tamen gravia non sunt, malitiosè minùs, quàm petulanter pedibus proteruntur.

Contra rationem esset, si Deus ad Cœlum vi cogeret.

Sed quid vetat, dicet aliquis, quò minùs nos Deus vi compellat in Cœlum, nec permittat, ut adeò miserè in æternum pereamus? Fatuum sanè dictum, quod à nemine Prudentum probari potest vel debet. Providentiæ divinæ munus & proprietas non est, ut naturam creaturarum destruat; sed ut in suo esse relinquat, nullámque voluntati hominum, eorúmque libero arbitrio vim inferat. *Vult Deus*, ait S. Amb. in cap. 2. 1. ad Tim. *omnes salvos fieri, sed si accedant ad eũ; non enim sic vult, ut nolentes salventur.* Nec inter homines is probaretur mos, quo invitati ad splendidum convivium hospites, baculis & fustibus ad mensam compellerentur: ducerent certè invitati sibi exiguo honori, si parato convivio coacti frui deberent. Solet quidem contra voluntatem quis puniri, sed longè aliter res se habet cum præmio; qui vult remunerari, debet priùs mereri; si verò mereri

cupiat, promptè & voluntariè faciendum est, quod ad meritum requiritur. Qui peccavit & condignâ pœnitentiâ peccatum non diluit, damnabitur, velit nolit: nemo verò in Paradisum intromittetur, nisi voluerit, & digna tantæ gloriæ merita voluntariè posuerit. Ad quæ proinde generosè exstimulemus nos illo Christi effato Luc. 13. *Contendite intrare per angustam portam.* Exerceamus practicè, quod monet S. Petrus 2. Epist. 1. *Satagite Fratres, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Res valde dubia & incerta est circa electionem nostram; nititur enim fundamento fragili & infirmo, cooperatione scilicet, propriæ nostræ voluntatis cum gratiâ Dei; quæ voluntas ob naturalem suam inconstantiam, vehementes corruptæ naturæ tentationes, & continuas hostium impugnationes negotium hoc valde incertum, periculosum, & dubium reddit. Si timuerit S. Paulus Vas illud electionis ad Cor. 1. 9. dicens: *Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Si, inquam, timuerit tantæ sanctitatis Apostolus, quàm contremiscere debemus nos infirmi peccatores, qui Deum toties offendimus, & indies adhuc offendere non cessamus!

Incertitudo nostræ salutis ex quibus oriatur.

SECTIO III.

Secunda timoris causa est, certus peccatorum numerus.

Cùm constet ex sacrâ Scripturâ Sap. 11. servare Deum in operibus suis pondus, nu-

numerum & mensuram; hæc utique maximè servabit in rebus majoris momenti, in quibus agitur de honore & gloriâ nominis sui: Unde dubium esse non potest, quin certum cuique homini statuerit peccatorum numerum, quem permittere eidem decrevit; similiter certum gratiarum, quem cuique ad salutem obtinendam dare statuit. De gratiis agetur in sectione sequenti, in præsenti dicetur de peccatis.

Certus peccatorum numerus à Deo homini positus est.

Dico ergo cum S. Scripturâ & Theologis, quòd Deus certum peccatorum numerum Peccatori misericorditer statuerit remittere; ità ut damnatio ab ultimo peccato numeri completivo dependeat, quod ubi commissum est, de salute illius irrevocabiliter actum est. Cùm Deus Terram Chanaan Israëlitis promisîsset, non statim promissa executus est, sed per quadringentos annos distulit: rationem hujus dilationis dat Gen. 15. *Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum* (ob quas è Terra Chanaan expellendi erant) *usque ad præsens tempus.* Iterum cùm Patriarchæ Abrahæ revelâsset se Sodomam & Gomorrham igne consumpturum, dicebat ipsi, ùt hunc locum legit S. Aug. de vita Christi cap. 3. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum completus est, & peccata eorum magna vehementer completa sunt.* Gen. 18. Similem habent sensum illa Christi verba Matth. 23. *Implete mensuram Patrum vestrorum.* Non quasi juberet, ut peccent; sed quod permissurus sit, ut peccatorum mensuram ad summum impleant. Ità dixit Joan. 13. Judæ se proditturo: *Quod facis, fac citiùs.* In quæ verba ait

LIB. III. PARS II. CAP. IX. SEC. III.

S. Leo Serm. 7. de Pass. *Vox hac non est jubentis, sed sinentis.* Si hac de re sanctorum Patrum sententiam exquiramus, ea omnium una est, veritatem hanc omnino esse indubitatam. S. Augusti. cap. 4. Civit. de vitâ Christi, ait: *Esse certum peccatorum modum atque mensuram Dei, ipsius testimonio comprobatur, & quia unusquisque vel celeriùs vel tardiùs, prout peccatorum suorum modum expleverit, judicetur, evidentissimè demonstratur.* In hujus probationem adducit exemplum Sodomitarum; ex quo sic concludit: *Quo exemplo manifestissimè instruimur & docemur, singulos secundùm peccatorum suorum plenitudinem consummari, & tamdiu, ut convertantur, sustineri, quamdiu cumulum suorum non habuerint delictorum consummatum.*

Quis ille numerus sit, non scitur.

Si quæras, quantus ergo sit numerus, & peccatorum mensura? Responderi ad hoc non potest aliter, quàm quòd sit secretissimum mysterium; tantùm scitur in generali, numerum hunc apud unum esse minorem, apud alium majorem. Angelos & Adamum stravit peccatum unicum; certúmq; est plures modò ardere in inferno ob unicum mortale. Incolis Damasci numerus datus fuit major. De quibus ait Deus apud Prophet. Amos c. 1. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum.* Majorem assignavit Israelitis Terram promissionis ingressuris, ait enim Deus Moysi Num. 14. *Tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua juravi Patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam.* Ex quibus patet nume-

numerum peccatorum esse dissimilem & mensuram inæqualem. Dominus habens duos famulos, uni plùs indulget, quàm alii, prout Domino libitum est.

Completo peccatorum numero, quid homini eveniat.

Notandum deinde non requiri ad perditionem, ut peccatum statuti numeri completivum, cæteris gravius sit; sed satìs esse, si sit ultimum. Ultimum horæ minutum, non est longius præcedentibus, & tamen eo completo laxantur rotæ, & hora auditur; sic & in naufragio interdum contingit, quòd procella ultima, qua navis mergitur, sit minor quàm præcedentes. Completo igitur peccatorum numero, unum ex duobus infallibiliter peccatori evenit; vel in momento vindex Dei manus miserum arripit & ad tartara mittit, ùt contigit rebellibus Angelis, & hodiedum multis peccatoribus; vel, si Deus longiorem vitam, ùt ordinariè fit, indulgeat, ab ipso completi ultimi peccati momento, Deus illum deserit, gratiámque subtrahit; ex cujus defectu ex uno peccato in aliud labitur, & iniquitatem velut aquam bibit. Et si per suppeditatum gratiæ auxilium post lapsum resurgat, non diu stat; sed paulò post de novo cadit, fit de die in diem pejor, donec tandem à morte improviso correptus ad inferos migret. Terribile auditu est, quod de his & similibus apud Isaiam loquitur Deus cap. 14. *Non ampliùs remittam peccata vestra.* Vel, ùt versio 70. habet: *Defeci miserans. Ut ostendat*, commentatur in hunc locum S. Hieron. *se nequaquam ultrà misereri.* Hoc interim ità intelligendum non est, quasi Deus omnem subtrahat gratiam, ut simpliciter & absolutè

pec-

LIB. III. PARS II. CAP. IX. SEC. III.

peccator salutem suam operari non possit: dat enim Deus gratiam sufficientem, quâ si uti velit (quod tamen reipsa nunquam facturus est; cùm gratia efficax, quam Deus nemini dare tenetur, & qua se indignum reddidit, justè denegetur) salutem consequi potest.

Vigilandum ergo, vigilandum studiosissimè omnibus est, & peccatum mortale ipsâ morte pejus fugiendum. Quis enim scit, an non peccatum, quod commissurus es, apud Deum ultimum sit? Nec tibi persuadeas in negotio salutis tuæ adeò immisericorditer non agendum; quod enim sæpissimè factum, cur non & tibi evenire potest.

Post commissa plura peccata inordinatè non est timendum.

Quæstionem hoc loco peccator obmovere posset hujusmodi: Ego peccator sum, & certus sum, quod multa mortalia admiserim; si numerum compleverim, de salute mea actum est, nec unquam ad cœlum perveniendi spes superest. Ne quæstio hæc periculosè implicet & turbet infirmum intellectum, attendendum est, ut suborta statim suffocetur, & in eo studiosè laborandum, ut si quis in statu gratiæ sit, in eo constanter se conservare studeat; peccata mortalia, imò & venialia, quæ facilè ad graviora viam sternere possunt, quàm diligentissimè vitet: si mortalis conscius sibi sit, indilatè pœnitentiam agat; hoc si fecerit, confidere potest, se necdum numerum sibi præstitutum complevisse; hoc enim completo, tam salutari inspiratione Deus illum non dignaretur, nec adeò benignum se illi exhiberet. *Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum,*

ait

ait S. Auguft. Lib. 2. in Lucam. Si autem hac terribili Fidei veritate quis non moveatur, à peccatis non absterreatur; sed peccata peccatis superaddere pergat; pessimum hæc peccandi licentia signum est, causámque timendi talis habet, ne numerus completus sit, & ille in numero reproborum collocatus.

SECTIO IV.

Tertia timoris causa est, certus gratiarum & auxiliorum numerus.

Ad datas à Deo gratias studiose attendendum.

QUod præcedenti sectione dictum est de certo numero peccatorum, idem dicendum est de numero gratiarum, quas cuique Deus dare decrevit; ità quidem, ut si iis cooperetur, salvus fiat; si rejiciat, æternæ damnationis se reũ efficiat. Id intelligitur de gratiis Prævenientibus, Comitantibus, & quibuscunque aliis supernaturalibus auxiliis; sunt enim præstantissima dona, quæ comparata nobis sunt per acerbissimam Domini passionem & mortem. Præcipuè tamen intelligendum est de excellentioribus gratiis v. g. singularibus inspirationibus, singularibus intellectûs illustrationibus, vehementíque gratiæ impulsu; quibus suavi quadam violentiâ ad meliorem vitam & ad vitanda peccata impellimur, & quodammodo trahimur. Has gratias attentâ mente oportet observare & maximi facere: non expenduntur carismata hæc, manu prodigâ, sed parcâ, dependétque ab earum admissione æterna salus nostra. Obtulerat has gratias sæpissimè Salvator noster civitati Jerosolomitanæ; sed rejecit semper, unde cæcitatem ejus

LIB. III. PARS II. CAP. IX. SECT. IV.

ejus Christus deplorat Matt. 23. *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos sub alas & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Sic & se res habet in reprobatione peccatoris, cui æquè Christus exprobrare potest: Quoties per datas tibi gratias te ad me convertere volui, sed noluisti? Ecce relinquetur domus tua, anima tua deserta, & in prædam daberis inimicis tuis.

Oseæ cap. 8. mandavit Deus huic Prophetæ, ut uxorem fornicariam duceret; ex qua genuit Oseas tres proles, primam vocare jubebatur *Israel*, quod secundùm explicationem Hieronymi significat, *Semen Dei*. Prolem secundam volebat Deus vocari; *Absque misericordiâ: quia non addam ultrà misereri Domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum.* Proli tertiæ infelicius assignabatur nomen; vocatáque est: *Non populus meus.* q.d. Quia non vult esse populus meus, nec ego ero eorum Deus; projiciam eos à facie mea, justáque rebelles hos vindictâ castigabo. Voluit Deus per hæc prolibus Oseæ indita nomine indicare nobis, quòd peccatori, quem ad se convertere desiderat, det prævie gratiam suam velut *semen*, excitando pias animi affectiones & motus, subjiciendo conscientiæ remorsum &c. si semen hoc à peccatore conculcetur, nec fructum afferat, subtrahit Deus obstinato misericordiam, fítque peccatori terribilis *absque misericordiâ*, gratiam ei efficacem subtrahendo, post cujus subtractionem ità excœcatur & obduratur, ut ad eum convertendum totus non sufficeret mundus, atque

ità

ità rejicitur in eorum numerum, de quibus Dominus dicit: *Non populus meus. Considera opera Dei*, *exclamat* Sap. Eccles. 7. *quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit.*

Status peccatoris à Deo deserti.

Peccator qui eò dilapsus est, de nullo cogitat, nisì de vanis & perituris; nullum inter peccata mortalia vel venialia facit discrimen; cumulat peccata peccatis, periculum non advertit; hæret ignorans & cœcus in multis peccatis, quæ tamen ignorantia vincibilis, ideóq; culpabilis est. Priusquam peccata commisit, sat luminis habuit, ut cognosceret illicitum esse, quod patravit, modò lumen ex justo Dei judicio extinctum est, &, quod peccet, non agnoscit. De his loquitur Job. cap. 2. *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.* Hos rebelles Deus operit tenebris, ut videntes non videant, intelligentes non intelligant; credunt tamen se in pleno ambulantes sole, errare in via non posse. O miseranda cœcitas, in quam desertus à Deo peccator cadit. Nec de facta sibi injustitiâ conqueri potest: Nam, ùt ait S. Augusт. *Illa est pœna peccati justissima, ut amittat unusquisq; illud, quo bene uti noluit, cum sinè difficultate posset, si vellet; ut qui sciens rectè non facit, amittat scire, quod rectum est.* Audet non rarò ejusmodi peccator cum obstinato Pharaone quærere: *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus?* Exod. 5. Si paternè à Deo castigetur, fit obstinatior, & longiùs ab eo recedit, dicens illud Proverb. 3. *Verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me, & ego non sensi.* De similibus loquitur Deo Isaias cap. 5. *Percussisti eos &*

non doluerunt, attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti. Nihil efficiunt inspirationes, exhortationes, librorum spiritualium lectiones, conciones, Oratio Ecclesiæ, nec ipsa quidquam efficient miracula; erit inter hæc omnia ùt cœcus & mortuus: vulneretur gravissimè mortuus, non sentit; illuminetur cœcus per centum faces, non videt: sic nec per disciplinas & flagella resuscitabitur, nec per immissas desuper menti illustrationes illuminabitur abjectus à Deo peccator. Si moneatur, monentem irridet, si districtus post mortem severissimi judicis proponatur rigor, ut puerorum terriculamenta hæc rejicit; si scelus quoddam grave, ad quod meritò sanguineæ fundendæ lacrymæ, commiserit, exultat; credens grande quoddam & gloriosum facinus à se patratum; eóque tandem devenit, ut se à peccatis & miseriâ suâ expedire non possit; quod tamen salvâ gratiâ sufficienti (quacum operari potest, sed non operabitur) intelligendum est; manet siquidem ei liberum arbitrium, ut peccare vel non peccare possit; quamvis & hanc gratiam sufficientem, non pauci Theologi sustineant, justissimè à Deo illi denegari.

Induratio peccatoris partim à Deo, partim à peccatore.

Hæc impotentia & extrema miseria peccatori evenit partim à se, partim à Deo: à Deo quia ipsi subtrahit gratias efficaces, quibus se indignum reddidit; in qua subtractione consistit obstinatio peccatoris; habérque se res, ut liquefacta ad ignem cera, cui subtrahitur ignis: substractio ignis est causa, quòd ad

ad suam duritiem cera redeat, non quod ab igne efficienter induretur, sed quod ab eo non ampliùs calefiat: ità & res se habet cum peccatore, qui per culpam suam in adeò misero statu posuit intellectum & voluntatem suam, ut inepta reddita sint ad gratiæ motum cum effectu excipiendum, à quo tamen gratiæ motu paulò ante facilè movebantur; quia enim peccator sœpe lumini refractarius peccavit, indies debilior ad gratiam amplectendam factus est, esto gratia ex se æquè ad movendum cor, vehemens fuerit, quàm præcedens, qua debitè usus fuit. Sic contingere potest, quòd hodie scripturam legere non possim, quam potui herì; non quòd characteres hodie subtiliores sint, sed quòd meus visus debilior sit hodie, quàm heri. Fieri similiter potest, quòd hodie percipere non possim, quæ à loquente proponuntur, quæ potui nudius tertius; non quòd alius modo submissius loquatur; sed quia graviùs audio jam, quàm nudius tertius. Sic & inspirationes, quæ ante hac multum fructum attulerunt, sinè fructu modò evanescunt, quia suâ culpâ ad eas peccator induruit.

Quod explicatur.

Cùm ergo tantæ cœcitatis & miseriæ causa sint oblatæ, sed rejectæ gratiæ; omni possibili studio iis cooperandum, ad vocem Domini studiosè auscultandum, januáque pulsanti confestim aperienda; ne, si aures obturemus & januam occludamus, cum indignatione prætereat, se nobis subtrahat; imò in perniciem & interitum rideat, quem adeo paternè à nobis avertere studuit. Recogitandum, quòd gratias suas Deus distribuat non

LIB. III. PARS II. CAP. IX. SEC. IV.

cumulatim, sed in numero & mensurâ; quòd ab ultima dependeat salus nostra, quódque eâ rejectâ, similem nobis daturus non sit; sed tantùm sufficientem.

Piè viventibus etiam ad gratias attendendum.

Quod hucusque in communi dictum est, applicari in specie potest Religiosis & Sæcularibus iis, qui virtuti præ cæteris student. Sœpe hujusmodi Deus ad altiorem perfectionis gradum per oblatas gratias vocat, vult ut intensiùs illum ament, familiarius cum eo conversentur, ut à creaturis cor pleniùs abstrahãt, in heroicis actibus v.g. humilitatis, patientiæ, obedientiæ, amoris in Proximum se meliùs perficiant. Hi tales si advertant singulares à Deo ad ejusmodi virtutum actus gratias dari, sinè morâ arripiendæ sunt; si cooperentur, ad sublimem sanctitatis gradum ascendent; si negligant, vel Deus eos omnino reprobabit, vel si salvare intendat, à longè adeò paternam eorum curam non geret; sed permittet, ut reliquos vitæ dies in tepore, animíque languore consumant, ut à passionibus exagitentur, à sensualitatibus captiventur, creaturis inhient, & ab iis solatiola hinc inde mendicent; permittet, ùt animus distrahatur, tenebris repleatur; ut in rebus divinis sinè ullo gustu occupentur, nullámque in virtutum exercitio suavitatem experiantur plurimis imperfectionibus involuti. Sequamur ergo monitum Davidis ps. 94. *Hodiè si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Promptissimè quisque cum Jobo dicat cap. 22. *Voca me, & ego respondebo tibi.*

CA-

CAPUT X.

Amor Christi docet nos Patientiam.

CAritas patiens est. 1. Cor. 13. De Patientiâ igitur, ùt virtute in hac vita nobis adeò necessariâ acturi, explicabimus primò ejus naturam; deinde quibus in casibus potissimum exercenda sit.

Quid sit patientia, & quod illius munus.

Patientia est virtus, per quam homo pacato animo accidentes sibi adversitates tolerat. Pro majori hujus intelligentiâ præsupponendum est cum Angelico Doctore 2. 2. q. 136. art. 1. quòd proprium virtutum moralium officium sit, conservare bonum rationis (in cujus recto usu excellentia hominis sita est) contra insultus pravorum affectuum, & contra inordinatorum motuum impetum obfirmare. Hos inter affectus & passiones Tristitia ex pessimis una est, quæ vehementissimè rationem oppugnat, dominium suum in eam maximè exercens. Tristitia est, quæ pusillanimitatem generat, medullam ossium exsiccat, animi robur & constantiam enervat, plurium aliorum malorum fœcunda parens. Necessaria ergo est virtus quædam, quæ Rationi succurrat, eámque contra periculosæ hujus pessimæque Passionis, Tristitiæ, impetus protegat: Hæc virtus alia non est, quàm Patientia; quæ virtutem vigorémque tribuit ad quaslibet adversitates forti invictóque animo perferendas. Patientia est quæ tristitiam, ob rei afflictivæ præsentiam ex natura sua in animo nasci solitam, moderatur, eámque cohibet, ne animum

plùs æquo perturbet, rationem confundat, hominémque eò ſeducat, ut vel loquatur vel agat rectæ rationi difformia.

Circa quæ patientia verſetur.

Quæres; Quænam ſit materia circa quam Patientia maximè verſetur, ℞. Materiam proximam eſſe illud, circa quod dirigendum Patientia immediatè occupatur, nimirum Triſtitiam & tædium ex adverſitate in animo enatum. Remotè verſatur circa opera exteriora, verba & mores, quæ ità reſtringit, ne quid indecens, vel inſulſis verbis, vel inordinatis moribus vel aliis commoti animi indiciis afflictus committat, ſed in omnibus eundem tranquillúmque animum præſeferat. Verſatur deinde aliquo modo circa ipſas, quas patimur afflictiones ùt materiam, non quòd iis rationem noménque virtutis tribuat, ſed quòd hominem regat ad eas debitè tolerandas. Nomine adverſitatum, quas op- & expugnare debet Patientia; intelliguntur omnia mala in genere. *Primò*, externa, ùt ſunt jactura bonorum, parentum, liberorum, benefactorum, honoris; detractiones, calumniæ, illuſiones, contemptus, injuriæ. *Secundò*, mala corporis, morbi, dolores, frigus, calor, fames, ſitis, moleſtia, labores, & aliæ ejuſmodi incommoditates. *Tertiò*, Mala animæ, obſcuratio intellectûs, ignorantia, durities voluntatis, ariditas ſpiritûs, melancholia, labor & violentia, quam ipſi nobis in virtutum exercitio, ut perfectionem & ſalutē aſſequamur, inferre debemus.

Tres Patientiæ gradus.

Patientiæ gradus tres ſunt. *Primus*, ut malum tranquillo animo feramus; hoc eſt, ut contra divinam Providentiam non murmu-

remus, ejus consilia & ordinationes vel taxantes, vel contra illa excandescentes: ut nec in verbis, nec gestibus, nec moribus, erga Deum vel Proximum tetricos austero vultu nos exhibeamus. Prohibitum interim non est lacrymari, de doloribus modestè conqueri, licitáque ad eos mitigandos media adhibere. *Secundus*, ut voluntati divinæ nos nudè resignemus, promptósque exhibeamus ad ferendas tot adversitates, quot placitum fuerit ejus Majestati. *Tertius* utroque sublimior; ut adversitates non solùm resignato in divinam voluntatem animo, sed interiori etiam cordis jubilo toleremus; ut adversa quæcunque utroque amplectamur brachio, non secus ac grandia solatia, beneficia, & delicias. Ad hunc gradum generosè conscendendum monet nos S. Jacob. c. 1. ep. *Omne gaudium existimate Fratres, cùm in varias tentationes incideritis.* Consentit S. Paul. qui de se Corinthiis scribens testatur: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis, pro Christo.* Primus jam dictorum graduum omnibus à Deo præceptus est. Secundus & tertius non sunt præcepti, sed consilii. Tres illos gradus pro instructione nostrâ Christus ipse ascendere in terris dignatus est. Cùm ad Montem oliveti paveret, & tæderet, immensúmque illud acerbissimæ suæ passionis jam jam subeundæ mare oculis conspiceret, & dicebat: *Pater, si possibile est, transfer à me calicem hunc.* Per quod ascendit primum Patientiæ gradum; oravit enim & media quæsivit ad se imminentibus malis liberandum. Ascendit primo

Quos omnes Christus ascendit.

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECT. I.

mo conſcenſo, mox ſecundum, dum ait: *Verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat.* Et quia ſciebat cœleſtis Patris ſui voluntatem eſſe, ut per amariſſimam paſſionem & innumera ſupplicia mortem ſubiret, ad tertium gradum eluctatus eſt, *gaudióque ſuſtinuit crucem confuſione contemptâ* ad Heb. 12. ſolitus de eâ loqui cum ingenti animi jubilo; ùt alio in loco dictum eſt.

SECTIO I.

De Patientia in paupertate.

PAtientia eſt, quæ oppugnat & in debitum ordinem redigit triſtitiam in eo naſci ſolitã, qui ob tenuiorem parentelam pauper, ad vitam ſuſtentandam neceſſariis caret; vel qui, quocunque tandem facto, bonorum ſuorum ante poſſeſſorum jacturam fecit. Hæc paupertas non poteſt non res eſſe dura & moleſta homini, qui in ſuam utilitatem hanc ipſam moleſtiam convertere, & per patientiam eidem obviare neſcit: cùm enim unaquæque res naturaliter in ſuî conſervationem propendeat, ſic cuilibet moleſtiſſimum accidet, ſi iis carere ſe viderit, quæ ad ſuî conſervationem neceſſaria ſunt.

Fatendum nihilominus eſt, paupertatem rem eſſe non adeò abjectam, & moleſtam, qualem ſibi multi vanè & erroneè perſuadent: eſt ſiquidem, ùt eam vocat S. Chryſoſt. Hom. 1. ad Popul. Antioch. locuples theſaurus, innocens hæreditas, ſecurum contra hoſtes aſylum. Longè aliter ſe res habet cum divitiis, ex quibus innumera mala uber-

Divitiæ malæ.

tim emanant. *Radix omnium malorum est cupiditas*, ait S. Paul. 1. Tim. 6. In quæ scelera possidentem non agunt divitiæ? *Quadam*, ait S. Eucharius Epist. 10. ad Valerium, *est societas pene etiam nominis duabus his rebus, vitiis & divitiis.* Quis explicabit curas, angustias, tribulationes, molestias, & labores, quibus premitur & afflictatur tam acquirens, quàm possidens. Unde & inter ipsos Ethnicos fuerunt, qui ut se curis liberarent, divitias à se in mare projecerunt.

Paupertatis elogia.

Paupertas econtra omnis boni inexhaustus fons est, plurimarum mater virtutum, & radix veræ quietis. *Brevissima ad divitias, per contemptum divitiarum via est*, ait Sene. epist. 62. Quid ad commendationem Paupertatis dici potest copiosiùs, quàm quòd ipse Rex gloriæ eâ se vestiverit, in sua persona sanctificaverit, & ità elevaverit, ut regnum cœlorum per eam comparari possit. Quare meritò exclamat S. Aug. serm. 25. de verb. Apost. *Magnæ felicitatis est conditio Christianorum; quibus claritudo regni in paupertate posita est. Possidere quod cum labore acquiritur paucorum est: contemnere, quod cum fructu contemnas, omnium est. Felicitas ergò magna Christianorum, quibus datum est, ut Paupertatem faciant pretium regni Cœlorum.* Quis crederet nihil habere, optimum medium esse ad omnia acquirenda, nisì æterna id affirmaret Veritas? quæ pauperibus spiritu, regnum promittit cœlorum: ait enim Matt. 8. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Quæ verba perpendens Doctor mellifluus Bernardus aculeum exserit serm. 1. in festo omnium

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECT. I.

Sanctorum: *Sic vos*, ait, *insensati filii Adam divitias quaeritis, divitias desideratis usque adhuc, cùm jam beatitudo pauperum divinitus commendata, praedicata mundo, credita sit ab hominibus. Quaerat eas Paganus, qui sinè Deo vivit; quaerat Judaeus, qui terrenas promissiones accipit. Sed quâ fronte magis, aut qua mente Christianus divitias quaerit, postquam Christus beatos esse pauperes praedicavit. Quousque filii alieni quousque vanitatem loquetur os vestrum, ut beatum dicatis populum, cui haec sunt? haec visibilia, haec praesentia? ut filius Dei os suum aperiens locutus sit veritatem, beatos esse pauperes, & vae divitibus.*

Qui Christum possidet ditissimus est.

Si Christum habeas, quem facillimè habere potes, ditissimus es. Quid enim deerit illi, qui fontem penes se habuerit omnium bonorum. *Affatim dives est*, inquit S. Hierony. ad Heliod. *qui cum Christo pauper est, perfectus servus Christi, nihil praeter Christum habet, aut si quid praeter Christum habet, perfectus non est. Videntur pauperes in Christo nihil habere, & omnia habent.* S. Augustinus Tract. 26. in Joan. aptam facit comparationem inter possidentem in arca divitias, & possidentem in corde suo Deum. *Felix ille*, ait, *habet aurum in arcâ, iste Deum in conscientiâ; compara nunc aurum & Deum, arcem & conscientiam. Ille illud habet quod perit, & ibi habet unde perit; iste Deum habet, qui perire non potest, & ibi habet, unde auferri non potest.*

Feramus igitur Paupertatem aequanimiter & patienter; assuescamus ut paucis contenti simus, omenm abundantiam resecantes, & cum Paulo ad Phil. 4. 11. dicentis: *Ego didici,*

in quibus sum sufficiens esse, scio & humiliari, scio & abundare, ubique & in omnibus institutus sum. Nihil, ait S. Thom. in hunc locum, *demonstrat ità mentem sapientiâ perfecti, sicut, quòd sciat uti quolibet statu.* Dicamus cum Propheta Job. 1. 21. in penuria & abundantia: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ità factum est, sit nomen Domini benedictum.* Habeamus nos, ùt primi Christiani, quibus hoc egregium dat elogium S. Paul. Hebr. 10. 24. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Gaudeamus si inopiâ premamur, si pro voto commodis nostris non serviatur. Per paupertatem incipimus Deum in hac vita possidere, & comparamus nobis pro futurâ infinitos thesauros.

Divitiarum possessio nociva.

Notandum, quòd, licèt bonis, quæ actualiter possidemus, corde minimè affixi nobis videamur, per possessionem tamen inordinatus in illa amor insensibiliter foveatur, superbia excitetur, & proprius amor roboretur; quæ omnia bonorum temporalium effectus sunt. Esto putemus omnem ad terrena affectum in nobis extinctum, nutritur tamen per eorum usum: non secus ac æger per cibos, licèt ad eos appetitum non habeat, si ergo perfecti in virtutibus esse cupimus, resecanda sunt superflua, & quantùm ratio statûs permittit, paucis oportet esse contentos.

SECTIO II.

De Patientiâ in jactura boni nominis, & honoris.

PAtientia in puncto honoris multò difficilior est, quàm in paupertate; est siquidem homo, ubi de honore agitur, tenerior & sensibilior. Hoc interim non obstante Patientia prævalere debet, & subortam ex naturali reluctantiâ tristitiam rationi subjicere: ità ut quis calumnias, detractiones, contumelias, contemptus, & omne id, quod honori quolibet modo præjudicare potest; imperturbato animo ferat. Oportet eò conniti, ut contra ejusmodi injurias ne verbulo nos defendamus: vel si ad veritatem & innocentiam patefaciendam loquendum sit, fieri id debet animo pacato & tranquillo, absque amarulentiâ, insulso clamore, & aculeatis sarcasmis.

Quando in illatis injuriis tacendum, quando loquendum sit.

Si quis ex inscitiâ, irâ, odio, vel indiscreto zelo agit quidpiam, quo tuum honorem lædi existimas, judicésque tuam excusationem nec ad Dei honorem, nec ad salutem proximi necessariam, nullúmque nisì te solum per falsa dicteria lædi, melius & perfectius erit tacere. Hoc modo non tantùm in virtutibus proficies, sed & innocentiam tuam clarè demonstrabis: Patientia enim & humilitas omnibus excusationibus potiores & evidentiores sunt. A naturâ ità comparati sumus, ut si per injurias tacti simus, omnem in probationibus conquirendis conatum adhibeamus; ut innocentiam nostram pro-

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECT. II.

probemus; Deum superósque testamur nos planè innocentes. Innocentiam hanc multò demonstraremus clariùs, si ad omnia taceremus. Virtus honorem nostrum meliùs tueri potest, quàm omnes testes, omnes probationes, omnes excusationes. *In silentio & spe erit fortitudo vestra.* ait Deus per Prophetam Isaiam c. 30. 15. Idem consilium suggerit Propheta David ps. 36. 5. *Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet; & educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem.*

Si verò nullâ passione præoccupatus sanè judices, quòd silentium tuum Dei gloriæ & Proximi saluti obsit; dum fortè excessus tibi falsò imputatus, spiritualis ruinæ causa infirmis esse potest, loqui ad defensionem tuî modestè potes & debes; cum & Sanctos idem fecisse legamus. Quia verò hac in re suo stare judicio, ob latentem amorem proprium, res dubia & difficilis est; optimum erit, ut viri prudentis & probi, quem res non tangit, judicio stemus, & juxta illud vel taceamus, vel nos defendamus. Tutius ordinariè, & exemplo Christi conformius est, si res privativè nos concernat, ad opprobria & injurias silere. Quis numerabit calumnias, blasphemias, maledicta, &c. mitissimo Agno coram Caipha, Pilato & Herode illata, quæ tamen stupendâ patientiâ sustinuit. *Sicut ovis ad occisionem ducetur*, ait de ipso Isaias cap. 57. 7. *& sicut agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Ad hujus igitur Redemptoris nostri exemplum contemptus, illusiones, & omnis generis injurias

Ad exemplum Christi in injuriis tacendum.

jurias

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECT. II.

jurias non solùm patienter, sed& libenter cum gaudio excipere oportet. Erat Salvator noster quà Deus, infinita Majestas; quà Homo Rex regum, cui summus debebatur honor, summa gloria; dehonoratus tamen est infra infimæ plebis mediastinum, sustinens omnia ex amore nostrî fortiter & alacriter. Si nos vituperemur, confundamur, in honore lædamur; cogitandum, abjectos nos esse terræ vermiculos, sordida omnis immunditiei receptacula, vilem terræ massam; quòdque illud, quod nobis irrogatur, quantumcunque grave & enorme videatur, in comparationem à longè venire non possit cum eo, quod pro nobis pati dignatus est æterni Patris Filius, supremæ Majestatis Dominus. Qui nos infamant & injuriant, sunt nobis naturâ similes, & interdum multò nobis sanctiores; cur ergo iis tantopere indignamur,& levem pro Christi gloriâ injuriolam delicatuli ferre recusamus?

Omnis injuria levis nobis videbitur, si bene perpenderimus, nos unicam tot injuriarum Christo illatarum causam esse, nósq; tot & tam gravia peccata commisisse, quorum minimum majorem mereatur contemptum & injuriam, quàm ulli in terris homini inferri possit. Gratias ad hæc jure optimo agere Deo possumus, quòd per exiguam humiliationem à peccatis conscientias nostras emundet,& à majori opprobrio in altera vitâ certo certiùs subeundo, nos misericorditer per exiguam injuriolam liberet. Conviciatum ab impio Semei Davidem 1. Reg. 16. justo zelo accensus Abisai defendere voluit, petens

Quanta ex illatis injuriis in animam

bona deriventur.

petens à Davide licentiam, ferro calumniantem perfodiendi; sed David renuit, mandans, ut cursum relinqueret convitianti linguæ Semei, conscius commissi adulterii & homicidii; sperabátque se per hanc patienter toleratam injuriam, Deo se nonnihil satisfacturum. *Contumeliosa verba*, inquit S. Greg. moral. c. 9. Lib. 30. *non tam convitia, quàm adjutoria credidit, quibus se purgari, sibíq; misereri posse, judicavit: leve quippe videbitur, quòd injuriâ percutimur, dum in actione nostrâ conspicimus, quia pejus est quod meremur; sicque fit, ut contumeliis gratia magis, quàm ira debeatur, quarum interventu Deo judice pœna gravior declinari posse confiditur.* Nec est, quod objiciamus, falsum esse, quod de nobis spargitur, adeóque acerbiùs pungere. Sit tandem falsum quod dicitur, verum saltem erit, nos alias sœpius varios commisisse defectus, contemptu, & opprobriis dignissimos, quos nunc Deus falsis calumniis castigat. Acquiescendum igitur est justæ Dei Providentiæ, ùt acquieverunt Josephi in Ægypto venditi fratres; hi proditionis, ob quam in carcerem mittebantur, conscii sibi non erant; libenter tamen Dei judicio acquieverunt, scientes se aliunde maximè reos. *Meritò*, dicebant, *hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Gen. 24. 2.

Dei & sanctorum testimoniũ in injuriis pluris æstimandum

Si honor tuus læditur, si injustè accusaris, calumniis & contumeliis oneraris, & patienter sileas, injuriam concoquens; certus es, quòd in cœlis à Deo & Sanctis, eò pluris æstimeris, lauderis, prædiceris. Attende quæso differentiam, te in cœlo laudantium, &

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. II. *quàm hominum.*

& in terra calumniantium. Qui calumniantur, sunt fortè duo, tres vel quatuor; sint centum, sit integra Civitas, imò potior pars Orbis: quot hi sunt respectu Cœli incolarum? pusillus grex, & vix manipulus. Honor nihil aliud est, quàm bona in animo alterius de te existimatio, quæ est quid extrinsecum, te non tangens, manénsque solùm in eo, qui de te bonam existimationem concepit; ex quo sequitur eò majorem in te honorem redundaturum, quò majoris & excellentioris ingenii est, qui de te laudabiliter sentit; jam verò cœlestes cives maximæ sunt authoritatis, præstantissimi ingenii, omnes Reges, omnes Principes; in quorum comparatione omnes homines simul sumpti balbutientes sunt pueri, exiguæ discretionis & infirmi judicii, quod inordinatis sœpe passionibus plùs nititur, quàm solidis rationibus. Cui ergo non sufficiet honor, quo coram Deo & universâ triumphantium Cælicolarum multitudine extollitur? Quis adhuc futiles hominum laudes & inanes ventos captabit. Solius tui Angeli custodis, vel alterius minimi Sancti, bona de te concepta existimatio, honori tuo magìs proficua erit, quàm omnium hominum fatua in tui laudem encomia, majorémque conciliabit authoritatem & gloriam, quàm si in tui confusionem & vilipendium omnis mundus per calumnias & detractiones conjuraret. Quãti ergo æstimanda erit bona existimatio, quam de nobis habent omnes sancti Martyres, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli; quanti æstimanda, quam de nobis habet Beatissi-

ma Virgo, & ipsa Sanctissima Trinitas? cujus unicus gratiosus nobis impensus nutus, ad majores honores evehit, quàm omnes homines deprimere possunt. Ex hac solâ Majestate provenit omnis honor, omnis dignitas, omnis excellentia. Et quia solus Deus prima Veritas, prima Justitia, & Æquitas est, hinc quilibet tantus est, & nihilo major, quantus est in oculis Dei.

Hæc bene expendenti difficile non erit, calumnias, detractiones, injurias, &c. patienter tolerare. Si in mundo innocenter contemneris, in cœlo laudaris; si hîc honor tuus injustè læditur, ibi extollitur. Detractiones plagis & vulneribus neminem afficiunt, sunt bruta fulmina, verba per aerem volantia. Rectè & sanctè vivas, & sinas furere impotentes ausus. Sœpe Deo odibiles sunt, qui in ore hominum magni; econtra qui hîc sunt omnium peripsemata, illic fulgent, ùt rutilantia sidera.

SECTIO III.

De Patientia in morbis & corporis indispositione.

EA quæ affligere corpus solent, sunt calor, frigus, fames, sitis, defatigatio, præcipuè morbi; de his, quomodo ferendi sint, jam dicetur.

Quàm utiles adversitates, & morbi.

Ut in cerâ nitidè figura vel sigillum exprimatur, necesse est, ut cera, mediante igne, vel calore manuum mollefiat: sic & anima per tribulationes in- & exteriores, præviè disponenda est, ut eò elegantiùs imago Dei, cum omni-

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECT. III.

omnibus gratiarum & virtutum lineamentis imprimatur. Hæ tribulationes & adversitates in primitivâ Ecclesiâ erant persecutiones Tyrannorum; his modò cessantibus, successerunt morbi, & multæ aliæ corporis & animæ afflictiones, quibus loco persecutionum Deus jam utitur, ut divinam imaginis suæ pulchritudinem animæ imprimat.

Si ergo morbus te invadit, pro certo habe, tempus illud esse maximè salutare & pretiosum; tempus Dei gloriam & tuam salutem promovendi perquã opportunum: ità quidem ut spatio unius diei, tempore morbi benè impensi, in virtutibus plùs proficere, justitiæ divinæ plùs satisfacere, plùs gratiæ acquirere, plures thesauros tibi comparare possis, quàm tempore integræ sanitatis spatio hebdomadæ vel mensis. Deplorandum sanè hos dies, qui verè dies salutis sunt, à plerisque ità negligi, ut vix quidquam spiritualis lucri colligant; vel quia mortali peccato obnoxii, vel quia impatientes sunt. Cùm econtra alii, qui in gratia Dei resignato, patientíque animo dolores ferunt, pretiosissimas pro felici æternitate sibi fabricent coronas, & inæstimabiles acquirant thesauros. Virtutes tempore morbi exercendæ, potissimum sunt hæ:

Tempore infirmitatis eliciendi sæpe sunt actus Fidei.

Prima, Fides; qua firmiter credatur morbum tali tempore, tali modo, & talibus circumstantiis immitti à solo Deo paternè castigante, eum præcipuè in finem, ut per hunc nomen suum sanctificetur, & ad ejus gloriam tuum corpus & anima in suave eidem sacrificium offeratur; tum etiam ut tu sub glorioso

tioso titulo æterna cœli gaudia consequaris. Credendum insuper, quòd morbo hoc mediante, tuam Deus salutem tecum operaturus sit, quòd ultra vires te non gravaturus, quòd ope necessariâ adfuturus, ut morbum æquo animo feras, quòd paternam tuî sit habiturus curam, providendo de medico, medicinis, aliísque commoditatibus. Si quid ex his desit, credendum, non casu, sed ex certa scientia, & Sapientiæ divinæ providentiâ factum; quia ad implenda tecum sua sancta consilia, ad quæ te conformare intendit, itâ fieri omnino necesse est.

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECT. III.

Spei.

Secunda, Spes; cujus actus frequenter eliciendi, & cum firmissimâ in Deum fiduciâ, pacatóque animo cum Davide dicendum ps. 22. 1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Non unam habemus causam adeò fiducialiter cum Domino loquendi: si enim cœco modo nos ejus Providentiæ committamus, obicem eidem per præposterum nostrum studium non ponentes, mira exhibebit nobis sui in nos amoris argumenta, majoríque animum perfundet solatio tempore morbi, quàm sanitatis.

Caritatis.

Tertia, sit Caritas. Amare Deum Opt. Max. debemus morbi doloribus afflicti, ei per patientiam gustum creando, eum honorificando, petendo, ut eo modo in morbi molestiis gloriam ejus promoveamus, quo ille à patientiâ, promptitudine, & nostra in suam sanctam voluntatem resignatione exspectat; gaudendo, nobis carò stare ejus sanctissimæ voluntatis impletionem, nobísque occasionem obvenisse, quo nostrum in illum

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. III.

amorem palàm testari liceat. In quem finem hilari corde cum Jobo dicendum: Dominus sanitatem dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ità factum est, sit nomen Domini benedictum. Vel cum tribus Pueris Dan. 3. Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum, & laudabilis & gloriosus & superexaltatus in sæcula. Benedicant te Domine frigus & calor, quæ me invadunt, febrile frigus, quod corpus concutit, calor, qui inflammat. Sint tibi infinitæ gratiæ, quòd dignatus fueris, me ùt filium tuum tractare, & certo Electorum tuorum indicio honorare. Ciconiæ dicuntur nunquam suaviorem spirare halitum, quàm tempore infirmitatis; nec Cygni suaviùs cantare, quàm imminente morte; sic & veri Dei amatores nunquam sanctiora, secundùm omnem perfectionem, verba & discursus formant, quàm tempore infirmitatis.

Humilitatis.

Quarta, Humilitas; qua candidè fateamur, nos corporis infirmitatem ob multa peccata nostra promeritos esse; dicendúmque cum Davide: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Dignum planè est, ut qui sanitate abusus sum, eâ jamj per ingruentem ægritudinem priver, & per dolores exsolvam, quod per voluptates deliqui: subjicio ergo me totum corripienti Domino, resolvens me cum Michæa cap. 7. 9. *Iram Domini portabo, quia peccavi ei.* Sœpius præterea tempore infirmitatis, ad Deum, Beatissimam Virginem, & Angelum custodem per jaculatorias preces, quibus actus Patientiæ, Magnanimitatis, & Resignationis in Dei voluntatem

tatem exercentur, recurrendum est: cum Davide dicendo: *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* ps. 70. 9. *Remitte mihi ut refrigerer priusquam abeo.* ps. 38. 14. Vera morbi mei causa, peccata sunt, hæc remitte mihi, & morbus, ùt effectus, cessabit.

Imperfectiones infirmorum.

Cavendum præterea, ne in solitas infirmorum miserias incidamus, quæ sunt: impatientia, ira, tristitia, tædia, perpetuæ querimoniæ de doloribus, de inscitiâ vel negligentiâ medici, de amaritie medicinarum, de nauseâ ciborum, de cohabitantium tumultibus; nimia de morbi gravitate apprehensio, inordinatus ad solatia affectus, excessivum pristinæ sanitatis desiderium, nimia in medicum & medicinas fiducia, cum dispendio spei, quam in Deo figere oportet; quod sacra scriptura exprobrat Asæ. 2. Paral. 16. 12. *Ægrotavit Asa dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate suâ quæsivit Dominum, sed magis in Medicorum arte confisus est, dormivitque cum Patribus suis.*

Attendendum studiosè tempore revalescentia, ne anima noceatur.

Circa tempus reconvalescentiæ notandum, illud esse animæ admodum periculosum, nisì quis sibi studiosè invigilet. Debemus nolentes volentes illo tempore infirmitati in multis condescendere, & cutem nostram nonnihil molliùs tractare; ex quo fit, quòd sæpe in refocillationibus & solatiolis nimii simus, appetitui nimiùm indulgeamus, & sub prætextu necessitatis voluptati cedamus; sub pallio infirmitatis, & ex timore, ne quid nimiùm agendo corpus gravemus, irrepit otium, negligentia in orando, languor in spiritu, inutiles discursus, pueriles joci sub

titulo honestæ & necessariæ recreationis; quasi verò spes sanitatis & recuperatio viriũ dispensaret in quibuslibet rebus audiendis, videndis, faciendis, quæ appetitui grata sunt. Et quia interea animus feriatur, vanis cogitationibus, vel ex corruptæ naturæ impulsu, vel dæmonis impugnatione oppletur, quibuscum totis sæpe diebus occupatus est. Oportet ergo talem habere corporis curam, quæ animum non opprimat & spiritum suffocet. *Multi sanantur sibi*, ait S. Aug. in ps. 5. *non ei.* (Deo) *Ecce quàm multi sanantur, & non illi sanantur; quomodo ab illo sanantur, & non illi sanantur? acceptâ sanitate lasciviunt. Quis est, qui sanatur ei? qui intus sanatur.*

SECTIO IV.

De Patientia in adversitatibus animi.

Enumerantur adversitates animæ.

SI usquam & unquam Patientia necessaria sit, certè necessaria est in afflictionibus animi, ut eas eo modo toleremus, quo Deus à nobis tolerari vult. Sunt hæ afflictiones omnium gravissimæ, quia tangunt animam, nobilissimã hominis partem. Per has spiritûs afflictiones intelliguntur obscuratio & ignorantia intellectûs, timor, angustia, ariditas, tędia; verbo, omnia illa, quæ contraria sunt internæ illuminationi, solatio, quieti, & dulcedini, quæ ex præsentiâ & S. Spiritûs unctione, ùt fonte emanant; quæ non possunt non facere delectabiliter operari; reddunt enim hominem ad omnia, quæ Dei sunt, velocissimum, & ad quælibet exercitia spiritualia

lia cum gaudio obeunda promptissimum. His econtra sancti Spiritûs solatiis cessantibus, longè alia est in anima facies: omnia videntur difficilia, molesta, felle & absynthio respersa, ne pes ad Dei obsequium sinè difficultate movetur; animus per exteriora est distractus, intellectus obscuratus, lumênque Fidei in meram ei noctem & densas tenebras versum est; voluntas est dura, rebellis, insensibilis; ex quo sequitur, quòd huic miseriæ immersus, ùt habet S. Bern. serm. 57. in Cant. *Ad opus manuum sit piger, ad vigilias somnolentus, ad iram praeceps, ad odium pertinax, lingua & gula indulgentior.* Afflictiones hæ terribiles sunt; non quidem apud omnes æquales; sed quantumcunque leves sint, intolerabiles tamen videntur iis maximè, qui Deum in veritate quærunt, & syncerè amare cupiunt.

Earum nocivi effectus.

Tres harum afflictionum causas assignat Cassian. collat. 4. c. 3. *Prima*, sunt nostra peccata & imperfectiones. *Secunda*, malitia Diaboli. *Tertia*, Dei voluntas. Regulariter loquendo potissima causa, sunt nostra peccata & vitia, si nimirum cor & animus non custodiantur, si sensibus & loquacitati nimiùm indulgeatur, si inordinatè huic vel illi rei creatæ adhæreatur, si oratio tepidè sinè præparatione instituatur, Sacramentum Eucharistiæ sinè internâ recollectione obiter & perfunctoriè sumatur, gratiæ post sumptionem negligantur, statímque animus, moræ cum Christo familiariùs agendi pertæsus, ad exteriora se effundat. Hæc & similia cœlestium carismatum influxum impediunt, quibus subtractis anima enervatur, & vix non suffo-

Et causæ.

catur: non secus ac exteriores sensus, si spirituum vitalium influxus, à quo membra calefieri & animari debent, impediatur, patiuntur deliquium, & insensibiles redduntur. *Secunda causa*, Diabolus est, qui omnem movet lapidem, ut devotionem nostram interturbet, fervorem extinguat, & sub hujus vel illius necessitatis prætextu, inutilibus negotiis nos occupet: ex quibus sequitur tepida ad sacram synaxin præparatio, cordis animíque evagatio, inordinati impatientiæ & viæ motus &c. Et hæ sunt, de quibus loquitur David, Immissiones per Angelos malos. *Tertia*, Deus ipse est. De quo S. Greg. sic loquitur: *Omnipotens Deus eos, quos in æternum diligit, aliquando ad tempus relinquit; unde scriptum est: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te: in momento indignationis abscondi faciem meam párumper à te, & in misericordiâ sempiternâ misertus sum tui. Hinc Psalmista deprecatur: Non me derelinquas usquequaq;. Derelinqui igitur se, sed ad modicum, posse utiliter noverat, qui, ne usquequaque derelinqueretur, petebat.* His animi afflictionibus electos suos Deus castigat, & iis ad tempus se subducit has ob causas.

Quanta bona emanent ex ariditatibus.

Primò, ut superbia, quæ fortè in animo latet, tollatur, & in suo esse conservetur gratissima Deo virtus, Humilitas. Hoc enim modò apertissimè quis videre & cognoscere potest, se miserum & miserabilem. *Superbia inventa est in me*, fatetur de se S. Bern. serm. 54. in Cant. *Dominus declinavit in irâ à servo suo; hinc ista sterilitas animæ meæ & devotionis inopia, quam patior: non compungi ad lacrymas queo,*

non

non sapit psalmus, non legere placet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio. Ubi est ista inebriatio spiritûs? ubi mentis serenitas, & gaudium, & pax in Spiritu sancto? Ecce quàm severè castigatur superbia. Eandem causam dat S. Laurent. Justinian. Lib. de monast. discipl. cap. 18. *Ad reprimendam hominis audaciam sapientissimè interdum se subtrahit Sapientia; non odiendo, non contemnendo, sed amando. Quis enim, nisì quandoque relictus sibi, propriam agnosceret fragilitatem? continuus successus occasionem parat elationis.* Parens qui filium amat, noxiam cibi potúsque superfluitatem salubriter filio subtrahit: vinum ei dat, sed aquâ dilutum, ne noceat sanitati: sic & Deus caris suis, miscet amaris dulcia; fierent cœteroquin inter mera solatia dissoluti. Si ergo videaris tibi à Deo relictus, optimo res tuæ sunt loco; hoc ipso enim amat te ardentiùs, & cœlestibus donis replet copiosiùs.

Secundò. Ariditatis & internarum afflictionum causa originem trahit ex zelotypiâ, quæ est inter duos se intensè amantes: si unus ex his erga tertium, suum ostendat affectum, alter timet (amor enim zelotypus est) ne amor in amato intepescat: sic & Spiritus sanctus, videns animam ab hac vel illâ creaturâ, sua mendicari solatia, eíque indiscretè addictam, se illi subtrahit, palàm faciens, se ob divisum amorem, quem totum ille solus ambit, ad indignationem provocatum, ut anima paternè hoc modo castigata, errorem agnoscat, se emendet, sciátque se solum, omnibus aliis abjectis, ab eâ diligi velle.

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECT. IV.

Tertiò. Ut hoc modo anima à levioribus culpis purgetur: sic solet parens austero vultu terrere filium, si debitæ reverentiæ casu oblitus sit, vel quid indecens ex puerili levitate commiserit.

Quartò. Deus hominem ad tempus deserit, ut hoc in misero statu per patientiam, humilitatem, resignationem, perseverantiam, aliásque virtutes merita adaugeat, ut magis à nævis emundetur, perficiatur, & eximiis gratiis ditetur.

Quintò. Interiùs affligit, ut hominem probet, an Deum verè quærat, an serviat ex puro amore, ùt filius, vel ob mercedem, ùt servus; an in virtutibus profecerit, an eò ascenderit, ut sinè periculo solatiis internis carere possit. Multi dantur, qui internis spiritualibus deliciis toti inhiant; solidas virtutes vix quidquam curantes; ut ergo discant veris solidísque studere virtutibus, solatia subtrahit. Non consistit vitæ sanctitas in consolationibus; nec sanctissimus est, qui maximè his abundat. Vera sanctitas consistit in vera humilitate, patientiâ, obedientiâ, abstractione à creaturis, resignatione in Dei voluntatem; ità ut quis planè contentus sit, ut omne ei spirituale solatium subtrahatur, & Deo in spiritûs paupertate deserviat; cœleste interim hoc manna, si detur, assumat, non ùt finem, sed ùt medium ad perfectionem, ad Dei gloriam, & suam salutem promovendam. Ad rem propositam aptum est, quod scribit S. Bernard. in schola Claustralium: *Ne timeas ô Sponsa, ne desperes, ne existimes te contemni, si paulisper tibi subtrahit Sponsus faciem*

faciem suam; omnia ista cooperantur tibi in bonum; & de accessu & recessu lucrum acquiris: tibi venit & tibi recedit; venit ad consolationem, recedit ad cautelam, ne magnitudo revelationum extollat te; ne, si semper apud te sit Sponsus, incipias contemnere alias sodales, & hanc continuam visitationem, non tam gratiæ attribuere, sed naturæ. Vulgare proverbium est, quòd nimia familiaritas parit contemptum; recedit ergo, ne fortè nimis assiduus contemnatur, & absens magìs desideratur, desideratus avidiùs quæratur, diu quæsitus tandem gratiùs inveniatur: ne ergo exiliũ deputemus pro patriâ, arrhã pro pretii summâ, venit Sponsus & recedit vicissim, nunc consolationẽ afferens, nunc universum stratum nostrum in infirmitate commutans; & ità quasi alis expansis supra nos volitans provocat nos ad volandum, quasi dicat: Ecce parum gustatis, quàm suavis sum & dulcis, sed si vultis plenè saturari hac dulcedine, currite post me in odorem unguentorum meorum, habentes sursum corda, ubi ego sum in dexterâ Dei Patris. Ibi videbitis me, non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem, & plenè gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

SECTIO V.

De mediis tempore ariditatis usurpandis.

Pro diversitate ariditatum diversa

SI culpâ nostrâ, ùt ordinariè fit, accidat, quòd animus per spiritualis solatii subtractionem patiatur; recurrendum est ad Deum per ferventes & constantes preces. Oportet in

adhibenda remedia, quæ recensentur.

in hoc casu facere, ùt suadet Richard. à S. Victo. in Cant. cap. 16. quod fecit Elias 3. Reg. 18. qui post trium annorum siccitatem, salubrem quidem obtinuit pluviam, sed non, nisì post septies factas instantias; sic si rore gratiarum irrigari desuper cupimus, orandum, & per crebras instantias oratio prosequenda.

Si ariditas, aliæque internæ afflictiones oriantur ex nequitia Diaboli, fortiter huic nequam resistendum per orationes & pia opera, sedulóq; cavendum, ne illius astutiâ perversis cogitationibus cor occupetur; omnis in Dei bonitate, fiducia ponenda, credendúmque indubitatè est, quòd ille nos sit defensurus, & sub divinæ protectionis suæ alis illæsos conservaturus.

Si oriatur ariditas ex Dei voluntate, dum nos castigare, probare, purgare, in virtutibus confirmare, ad majora merita occasionem subministrare intendit; continuò acquiescendum erit huic sanctissimæ voluntati, eáque approbanda ùt optima, sanctissima, & sapientissima. Multò perfectiora opera in animi afflictionibus agere possumus, quàm tempore consolationis & devotionis. Opera à Christo Domino tempore passionis peracta, multò majore eidem labore steterunt, quàm ulli unquam hominum gravissimæ afflictiones. Unde & cœlestis Patris gloria & humani generis salus per ea maximè promota sunt, fuerúntq; ad ipsiusmet Christi exaltationem & sanctissimi nominis ejus splendorem maximè proficua. Ex quo patet meritum operis non dependere, nec desumi ex

Gustus in bonis ope-

eo,

eo, quòd cum delectabilitate operemur; sed ut cum rectâ intentione, cum promptâ voluntate, cæterísque ad bonitatem moralem requisitis circumstantiis agamus; nec multùm curandum, an operemur cum solatio, an cum aridâ desolatione. Imitari oportet indefessos viatores, qui à præstituto itinere nec pluviâ, nec grandine, nec vento, nec frigore, nec calore deterrentur: si ad quamlibet sepem, ad quamlibet lutosam semitam hærerent, modicum itineris conficerent. Attendendum præcipuè ad devotionem substantialem, quæ in eo consistit, ut Deum super omnia amemus; ut non obstante omni contradictione & interiori luctâ velimus, quod vult Deus; ut iis, quæ Dei cultum spectant, constanter insistamus. Hoc propriè est, Deo suis sumptibus servire. Si quis ex amore tuî viginti leucarum iter per lutosas vias & decumanam pluviam in multis incommodis conficeret, amoris in te sui argumentum daret manifestius, & se tibi magìs obligaret, quàm, qui sereno cœlo rhedâ vectus idem pro te iter absolveret: sic & anima, quæ per ariditates, tædiâ, animíque molestias ad Deum tendit gravi ariditatum & desolationum pondere pressa, majora synceri in Deum amoris dat indicia, quàm quæ suavibus animi deliciis, velut commodissimo vehiculo, ad Deum venit. Quare & primi Deo sunt acceptiores, suaviùs excipiuntur, lautiùs tractantur, & copiosiùs remunerabuntur.

ribus non quærendus.

Humiliter perseve-

Tempore desolationis humilitate & perseverantiâ in piis exercitiis præcipuè est opus.

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECT. V. randum in piis exercitiis tempore desolationis.

pus. De humilitate sic loquitur S. Bern. serm. 54. in Cant. *In veritate didici, nihil aquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore inveniaris non altùm sapere, sed timere: Beatus homo qui semper est pavidus. Time ergo, cùm arriserit gratia, time cùm abierit, time cùm denuo revertitur; hoc est, semper pavidum esse. Succedunt vicissim tres isti timores, secundùm quod gratia vel adesse dignatur, vel offensa recedere, vel iterum placata redire sentitur. Cùm adest, time ne non dignè operetis ex eâ. Videte, inquit Apost. ne in vacuum gratiam Dei recipiatis 1. Cor. 6. 1. Quid si recesserit? num multò magis tunc timendum? planè multò magis: quia ubi deficit tibi gratia, deficis tu. Tunc ergo subtractam gratiam tanquam mox casurus time & contremisce, Deo tibi, ùt sentis, irato; time quia reliquit te custodia tua; nec dubites causam esse superbiam, etiamsi non appareat: quod enim tu nescis, scit Deus, & qui te judicat ipse est. Nunquid qui humilibus dat gratiam, humili aufert datam? ergo argumentum superbiæ, privatio est gratiæ. Jam si gratia repropitiata redierit, multò magis tunc timendum, ne fortè contingat recidivam pati, juxta illud in Evangelio Joannis 5. 14. Ecce sanus factus es, vade & jam ampliùs noli peccare, ne aliquid tibi deteriùs contingat, audis recidere quàm incidere deteriùs: proinde invalescente periculo, invalescat metus; beatus es, si cor tuum triplici isto timore repleveris, ut timeas quidem pro acceptâ gratiâ, ampliùs pro amissâ, longè plùs pro recuperatâ.*

Quod perseverantiam in consuetis pietatis exercitiis concernit, docet S. Lauren. Justin. de discipl. monast. c. 12. optimum con-

contra desolationes animi remedium esse, solitis spiritualibus exercitiis, in nullo diminutis, constanter incumbere. Sic & Christus ingruente illo maximo animi mœrore in horto prolixiùs oravit Luc. 22. 45. fortiter igitur & constanter bonis operibus insistendum, difficultatibus contranitendum, infractâ fide, & inviolabili constantiâ in bono perseverandum, eâ spe, fore ut benigno te vulu Deus denuo respiciat. *Vado*, ait Salvator noster Joan. 14. 28. *& venio ad vos.* Et alio in loco: *Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.* Unde exspecta Dominum, viriliter age & confortetur cor tuum, quia veniens veniet & non tardabit.

Modò nonnihil agemus de mortificatione, quæ proximè Patientiæ agnata est, paulò post de motivis ad patientiam & mortificationem tractaturi.

SECTIO VI.

Quid sit mortificatio vel abnegatio sui ipsius; & de diversis ejusdem speciebus.

Pars Superior & inferior in homine quid sit.

PRo majori dicendorum claritate sciendum est, duas esse in homine partes, superiorem unam, in qua regit & præsidet Ratio; inferiorem alteram, in qua prævalent & dominantur Passiones. In statu innocentiæ erat inter has duas partes maxima harmonia, pax & unitas; partíque superiori per omnia obediebat inferior; Deus siquidem fecit hominem rectum, ut ait Salom. Eccles. 7. 3. sed peccato commisso pax hæc turbata

est,

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. VI.

Harum partium concordiam peccatum turbavit.

est, & in confusionem & discordiam versa sunt omnia, rebellat homo inferior contra superiorem, passiones insurgunt contra rationem, & caro concupiscit adversus spiritum. Hanc in se rebellionem deplorat S. Paul. Rom. 7. 23. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Paulò post quærit Vir sanctus à se ipso, quis eum hac miseriâ liberaturus sit, & sibi ipsi respondet: *Gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Ità omnino est; gratia Dei est, quæ contra omnes nostras infirmitates præsentissimum remedium est. Post hanc efficacius non est, quàm mortificatio, quæ ad medendum inordinatis naturæ depravatæ motibus specialiter à Deo instituta est. Mortificatio est, quæ in eo statu, in quo ante peccatum fuimus, suo modo nos collocat, quæque pacem inter carnem & spiritum firmat, tumultus sedans, & quietem, à peccato sublatam, animæ reddens.

Quibus mediis restauranda.

Hæc mortificatio etiam dicitur Abnegatio & Crux. *Si quis vult post me venire*, inquit Salvator noster Matt. 16. 24. *abneget semetipsum, & tollat crucem suam.* Mortificatio crux est, cui omnia corporis membra, omnes animæ potentiæ, ità affiguntur, ut alio se modo movere nequeant, quàm quò vult spiritus crucifixi Salvatoris. Mortificatio exuit veterem hominem, moresque induit novi, qui secundùm Deum creatus est.

Mortificatio duplex est.

Mortificationis species sunt duæ, sicut duæ sunt hominis partes; ùt modò dictum

est.

eſt. Una mortificationis ſpecies occupatur circa animum ejúſq; paſſiones ; unde interna & ſpiritualis dicitur : alia circa corpus , unde dicitur externa & corporalis. Utriuſque ſtudium eſt, totum hominem tam quoad corpus, quàm quoad animam reformare, ſecundùm rationem dirigere, motus in- & externos ità ordinare, ne extra viam ſalutis aberrent, & in eam redigantur quietem, in qua ante peccatum fuerunt. Et quia in anima diverſæ potentiæ, & in corpore diverſi dantur ſenſus infecti, & depravati ; hinc mortificatio in tot dividitur ſpecies, quot ſunt in homine potentiæ & ſenſus, quarum quælibet circa unam potentiam vel ſenſum verſari & occupari debet. De omnibus & ſingulis jam agendum, incipiendo à minoribus.

SECTIO VII.
De mortificatione Corporis & exteriorum ſenſuum.

CErtum quidem eſt, quod ait S. Paul. ad Epheſ. 5. 29. *Nemo unquam carnem ſuam odio habuit.* Unus interim magìs, quàm alius corpus & cutem ſuam molliter habet, & delicioſiùs tractat. Sunt, ùt notat Plato in Phædone, qui in corpus ſuum feruntur amore planè inſano, nec deſerere poſſunt, niſì cum grandi dolore : qui certè errant quàm longiſſimè; oportet namque rebelle hoc jumentum longè ſeveriùs tractare, quàm natura doceat, ſanctóque in illud odio acriter ſæviendum. *Qui Chriſti ſunt*, inquit S. Paul.

Corpus mortificandum non fovendum.

ad

ad Gal. 5. 24. *carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis.* Et alibi 2. Cor. 4. 10. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.* Idem Sanctus Vir Romanos cap. 12. 1. alloquitur: *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem,* q. d. gladio mortificationis corpus vestrum Deo in holocaustum mactate. Iterum monet Colossenses 3. 5. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* Si secus fecerimus corpori nostro nimiùm indulgentes, pessimè eidem consulimus, & blandiendo, quasi ferro transfodimus. *Ista caritas,* ait S. Bern. in Apol. ad Guilielmum Abbat. *destruit caritatem, talis misericordia crudelitate plena est: quia videlicet ità servitur corpori, ut anima juguletur; quæ enim caritas est, carnem diligere & spiritum negligere? qualis misericordia ancillam reficere? nemo per hujusmodi misericordiam, speret se consequi misericordiam.*

Coercendum est hoc nostrum corpus, ùt rebellis servus & nequam transfuga; calcaribus fortiter subigendum, ùt indomitus equus; cæteroquin certò certiùs sessorem excutiet. Periculosiorem propriâ carne nostrâ hostem non habemus, qui continuò per dolosa stratagemata insidias struit, quibus nos in manus hostium nostrorum tradere nocte & die laborat. Animæ nostræ, ùt Platonici censent, originem trahunt è cœlo; quæ post creationem mox mittantur in terras, ut, sicut Angeli in cœlis, ità & animæ Deo famulentur in terris; ubi studiosissimè attendendum, ne à famosâ illâ meretriculâ, carne nostrâ,

nostrâ, in cujus diversorio animæ hospitari debent, intoxicentur: meretricula hæc lenociniis & philtris suis sœpe efficit, ut anima originis suæ oblita, in vitia quæque se abjiciat, conditionis suæ minimè conformia. Cavendum igitur viro sapienti, ne propudiosæ huic lenæ nimiùm indulgeat. *Sapiens affectatorque sapientiæ*, ait Seneca epist. 65. *adhæret quidem in corpore suo; sed optimâ suî parte abest, & cogitationes suas ad sublimia intendit. Major sum & ad majora genitus, quàm ut mancipium sim mei corporis, quod equidem non aliter aspicio, quàm vinculum libertati meæ circumdatum: nunquam me caro ista compellet ad metum, nunquam ad indignam bono simulationem, nunquam in honorem hujus corpusculi mentiar. Contemptus corporis sui certa libertas est.*

Corpus delicatè nutritum perfectioni obest.

Corpus, ait S. Gregor. Nazianz. est animæ Remora: sicut hic pisciculus naves in medio cursu sufflaminat, ità & corpus animam in via ad perfectionem: nihil adeò familiaritati cum Deo, internæque devotioni contrarium est, quàm caro delicatè nutrita. *Sapientia non invenitur in terrâ suaviter viventium.* Job. c. 28. 13. Unde oritur, quod tam pauci inveniantur gratiâ devotionis præditi? quia pauci sunt, qui se verè & seriò mortificant: corpori nimiùm blandimur, effœminatè eidem compatimur, & ægre offendimus. Nunquam verâ libertate potiemur, nisì ex carnalium oblectationum carcere egrediamur; éstque impossibile, ut Deo, utpote puro Spiritui, perfectè serviamus, quamdiu carni, & iis, quæ carnis sunt, consentimus & indulgemus.

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. VII.

Semper & ab omnibus mortificationi studendum.

Et quare.

Concernit doctrina hæc non Novitios tantùm, sed & proficientes; non juvenes tantùm, sed & senes; nec solùm utilis est tempore tentationis, sed & pacis & internæ tranquillitatis. Omnibus omni tempore mortificationi studendum. Qui aliter judicat & facit, certus esse potest, quòd se decipiat, quódque regatur non à spiritu Dei, sed à corruptæ naturæ illecebris, animæ inimicis. In promptu ratio est; in hoc enim depravato à peccato corpore nostro omni momento exsurgunt sexcenta desideria & illiciti motus, nec aliud quærit quàm his suis desideriis satisfacere, nequaquam attendens síntne secundùm Deum, vel conscientiam; síntne rationi con-vel difformia, &c. Hæc illicita desideria, si mortificatione interveniente non succidantur, actum de hominis salute est. Accedit, quòd, quò plùs corpori indulgetur, eò evadat insolentius, & plura appetat; non enim alium suorum desideriorum terminum vel mensuram habet, quàm passiones & appetitum, quæ continuò clamant: Ampliùs, ampliùs. Nihil igitur corpori plùs indulgendum, quàm quod rationabiliter negare non possumus.

Licèt quis per annos viginti, quadraginta, & ultrà per continuas mortificationes carnem suam jam satis maceràsse & subegisse putaret, non tamen à mortificatione cessandum; debet enim res per eadem media conservari, per quæ facta est; certúsque esse potest, carnem in spiritum & rationem denuo insurrecturam, si eidem nonnihil respirare concedatur. *Quis hac fragili carne cir-*

cumdatus, ait S. Leo serm. de jejun. Pente. *& in isto mortis corpore constitutus, etiam qui multùm validéque profecerit, ità jam de suâ salute securus sit, ut ab omni se illecebrarum periculo credat alienum? donet licèt Sanctis suis quotidianam divina gratia victoriam, non aufert tamen dimicandi materiam.* Debemus nos ad juge mortificationis exercitium animare, ùt se olim S. Bern. serm. 6. de adventu: *Noli ò corpus, noli præripere tempora, omnia tēpus habent; patere ut nunc anima pro se laboret; magìs autem etiam collabora ei, quoniam si compateris & conregnabis.* Et alio in loco respondet objectionibus, quas mundani movent contra eos, qui se mortificant, his verbis: *Quomodo dicunt nobis carnales homines, crudelis est vita vestra, non parcitis carni vestræ: esto non parcimus semini, in quo eò magìs parcere poteramus? an non est meliùs illi renovari, & multiplicari in agro, quàm in horreo putrefieri? Heu computruerunt jumenta in stercore suo, sic vos parcitis carni vestræ: simus nos crudeles interim non parcendo, at vos planè parcendo, crudeliores; siquidem etiam nunc caro nostra requiescit in spe. Videritis vos ipsi, quid ignominia vestra sustineat, quæ miseria eam manet in futurum.*

Mortificationis opera potissimùm ad duas classes referuntur. Primæ classis sunt jejunia, vigiliæ, humicubationes, disciplinæ, cilicia, hæc interim & similia periculosa sunt, nisì discretio adsit: ad secundam classem spectat accurata sensuum custodia; hæc mortificationis species periculi minùs habet, éstque nobilior, & priore illâ multò præstantior; de qua proinde jam agemus, sit ergo

SECTIO VIII.

Quomodo exteriores sensus custodire, regere, iisque uti debeamus.

Animæ fenestræ sunt sensus corporis.

QUinque corporis sensus sunt veluti quinque fenestræ domûs, & quinque portæ civitatis, per quas anima ad externa egreditur, & hæc in animam subintrant. S. Gregorius Lib. 21. moral. cap. 2. aptè in hanc rem sic scribit: *Visus, Auditus, Gustus, Odoratus, & Tactus, quasi quadam via mentis sunt, quibus foras veniat, & ea, quæ extra ejus sunt, substantiã concupiscat: per hos etenim corporis sensus, quasi per fenestras quasdã exteriora quæq; anima respicit, respiciens concupiscit. Hinc etenim Jeremias ait: Ascendit mors per fenestras nostras; ingressa est domos nostras: mors quippe per fenestras ascẽdit, & domũ ingreditur, cùm per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculũ intrat mentis.* Attendere igitur quilibet ad has fenestras debet, qui multis se periculis & malis liberare cupit.

Oculi mortificandi.

Attendendum primò quàm studiosissimè est ad oculos; oculis enim cæspitare, periculosius est, quàm pedibus. Oculi primi sunt in amore duces; prima in iis oritur lascivi amoris scintilla. *Visio*, ait S. Bern. serm. 23. de modo bene vivendi, *est prima occasio fornicationis: mens enim per oculos capitur, per oculos intrat ad mentem sagitta amoris. Igitur reprime oculos tuos.* Dinam, Jacobi filiam Genes. 34. Davidem 2. Reg. 1. Samsonem Jud. 16. decepit curiosior aspectus: primam privavit virginitate; secundo viam stravit ad adulterium & homicidium; tertium, Samsonem tra-

tradidit in manus inimicorum, à quibus illusus & oculis spoliatus est. *Moneo igitur*, pergit S. Bern. l. c. *ut facias pactum cum oculis tuis, ne incautè videas, quod videre non debes.* Pacisci cum oculis debemus primò, ne quid aspiciant, quod venerem provocare ullo modo possit; ùt sunt lascivæ imagines, denudationes, liberiores actiones sexûs alterius personarum, maximè juvencularum, ità in exterioribus compositarum, ut in animo ignem facilè excitare queant. *Urítque videndo, Fœmina.* Canit Poœta Georg. Lib. 1. Inter pericula, quibus homo circumdatus est, aspectus fœminarum non est minimum, ùt docet Clemens Alexand. Lib. 1. Pæd. c. 11. unicus enim aspectus abunde sufficit, ut vel fortissimus sternatur. Videant oculi tantùm id, quod vel necessarium vel utile est, nec huc vel illuc in omnes angulos circumferantur, ne innumeræ animum distractiones occupent, & ad illicita abripiant. *Pulchras formas & varias*, ait S. Aug. Lib. 10. confess. c. 34. *nitidos & amœnos colores amant oculi: non teneant hæc animam meam; teneat eam Deus, qui hæc fecit: resisto seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam, & erigo ad te invisibiles oculos.* Sequi debemus consilium, quod nobis suggerit Propheta Ezechiel c. 21. 7. *Unusquisq; offensiones oculorum suorum abjiciat.* q. d. Tolle quod oculos scandalizare potest; oportet nos esse in multis cæcos, si multas vanas & inutiles cogitationes & imaginationes impedire cupimus: impossibile siquidem est non perveniri ad oculum rei species quam aspicimus, ex oculis

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. VIII.

penetrant ſpecies ad phantaſiam, à phantaſia in animum, ex hoc in voluntatem, in qua jam hos, jam illos affectus non ſinè periculo excitant.

Item aures.

Cuſtodiendus præter viſum *Auditus* eſt, per quem multa malorum ilias in animam non rarò penetrat. *Sepi aures tuas ſpinis*, monet Eccleſ. c. 28. 18. Spinæ hæ ſunt timor Dei, amor puritatis conſcientiæ, animíque tranquillitatis: his ſpinis ſepiendæ aures, & abigendi laſcivi diſcurſus, detractiones, murmurationes, calumniæ, vanæ laudes, nugæ: nec ad ea attendendum; per hæc enim & ſimilia pietas diminuitur, devotio tollitur, nocivæ laxitati via ſternitur; ex quibus oriuntur diſtractiones, tepor ad divina, mentis ariditas &c.

Nares.

Odoratus licèt omnium ſenſuum innocentiſſimus ſit, eſt tamen & hic intrà terminos conſtringendus, nec odoriferis ſe oblectare debet; abjiciendum, quod vanam ſpirat ſuavitatem: his enim uti & nimiùm indulgere, effœminati animi eſt.

Lingua ſeu guſtus.

Guſtus, ſenſus eſt longè periculoſior, & quia multorum malorum ſœpe cauſa eſt, meritò magnâ ſollicitudine & curâ cuſtodiendus: Appetitui frœnum injiciendum, nec concedendum, niſì quod neceſſarium eſt. *Facilè eſt*, ait Sene. Ep. 17. *paſcere ventres bene inſtitutos, & nihil aliud deſiderantes quàm impleri.* Fames optimus coquus eſt; paucíſque natura contenta eſt. Refrœnanda gula eſt, ùt eam refrœnavit vel Ethnicus Epictetus, qui inter dapes ſe ipſum alloquens ajebat: *Ede ùt homo, bibe ùt homo.* Soli appetitui, ùt ſolet

beſtia,

bestia, indulgendum non est. Altiora & Religioso viro digna cogita tempore refectionis: cogita de Deo, largo adeò benefactore te ingratum pascente; ora ùt cibis benedicat; laborem in edendo vel bibendo eidem offer; protestare te nolle comedere vel bibere voluptatis causâ, sed ob gloriam nominis ejus, & ut impleas voluntatem ejus, qua necessitati cibi & potûs te subjecit; quódq; velis corpus reficere eum in finem, ut Deo alacriùs servias. De potu vini breviter dico; quòd major castitatis hostis non sit, quàm vinum: fomes est carnalium concupiscentiarum, &, ùt Antiqui nominârunt, *Lac Veneris.* Unde optimè dixit, qui dixit: *Fuge vinum quasi venenum.* Acclamat nobis Spiritus S. Prov. 31. 4. *Noli Regibus ò Lamuel, noli Regibus dare vinum:* q. d. Noli nobilibus & regiis animabus, cupientibus dominari suis passionibus, dare vinum; vel, si detur, exiguum & dilutum sit. *Quàm sufficiens est,* ait alio in loco Eccles. 31. 22. *homini erudito vinum.* Salomon volens studere Sapientiæ, & stultitiam devitare, abstinentiam, ùt optimum remedium, sibi præscripsit: Eccles. 2. 3. *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino animam meam, ut animum meum transferrem ad Sapientiam, devitarémque stultitiam.*

Manus sive tactus.

Tactus, à S. Basilio Lib. de curâ virg. pessimus omnium sensuum vocatur. Cujus oblectationes quia vehementes, rationem dementant & obscurant, cœterósque sensus in suum cogunt obsequium: compescendus hic hostis est, omníque studio vitandum, ne quid in nobis vel aliis tangamus, quo eum pro-

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECT. IX.

proritemus: & quia manus præcipua tactûs ſunt arma, quibus ad expugnandum animum utitur; geſticulationes; levéſque earum agitationes per rationem in vincula ſunt conjiciendæ, ne ad illicita extendantur.

SECTIO IX.

De mortificatione linguæ.

QUi novit moderari linguam vir perfectus eſt, ſicut econtra, qui eam refrœnare neſcit, perfectionem nunquam aſſequetur. Parvi hujus, at periculoſi membri rectitudo & perfectio conſiſtit in duobus: in loquendo, & tacendo, ſuo tempore.

Encomia & utilitates ſilentii.

De ſilentio ait Proph. Iſai. c. 32. 17. *Erit cultus juſtitiæ, ſilentium.* q. d. qui perfectam conſequi cupit juſtitiam, diſcat tacere; per ſilentium enim minuitur numerus peccatorum, quæ ex diſcurſibus protractis augentur: pax & tranquillitas mentis, & concordia cum aliis fovetur, os aperit orationi, aptat animum contemplationi, ſuavitatem nutrit devotionis, fervorem conſervat caritatis, ſpiritum levat ad ſuperna, animúmque recollectum & attentum ad Divina promptum & alacrem reddit. Sicut verbum Patris deſcendit in uterum virginis, cùm quietum ſilentium tenerent omnia; Sap. 13. 14. ſic & deſcendit Deus in animam non niſi in ſilentio quietam, & à tumultibus abſtractam. Richard. à S. Victore ſuper illa verba pſalm. 133. 12. *Vir linguoſus non dirigetur in terrâ,* ſic ſcribit: *Magiſter humilium Chriſtus, non modò eâ ratione Verbum Patris dicitur, quòd ſit omnipotens Spiritus; ſed etiam dicitur Verbum, quia*

semper requirit auditum; qui audit auscultat, qui auscultat silet. Semper igitur Pater Deus requirit ab creatura rationali silentium, cui semper loquitur tale Verbum, ut ad æternū ejuscolloquium, continuā det creatura silentium. In Monasteriis, ùt dat experientia, ex quibus exulat silentium, disciplinæ monasticæ vix species est, omnia in iis confusa, omnia inordinata, nulla devotio. Patulo vase vini virtus evanescit; sic & per os ad loquendum semper apertum vigor & succus devotionis in auras abit.

Prudens novit tacere.

Silentium viri sensati & prudentis indicium est. *Vir prudens*, vel, ùt textus hebraicus habet: *Vir prudentiarum* tacebit. Prov. 11. 12. Et alio in loco: *Qui moderatur sermones suos doctus & prudens est.* Alii legunt: *Frigidus spiritu Vir sapiens, & stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur.* Est quodammodo impossibile non proferri à loquaculo multa absona, absurda, & inutilia; cùm enim tantùm intendat multiloquio, tempus & mora deficiunt, ut rem ponderet, de qua loquitur, adeoque fit, ut quidquid in buccam venerit, rectum seu curvum, proloquatur: Non ità Vir sensatus, Vir religiosus Deum verè quærens; silet hic, nisì occasio & circumstantiæ aliter exigant; &, si loquendum, ità linguam moderatur, ne verbulo excedat, imitans Davidem, qui ps. 38. 2. de se ait: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ, posui ori meo custodiam.* Hierony. vertit: *Custodiam os meum silentio.*

Si loquendum sit, cautè loquendum.

Cùm tamen semper taceri non possit, & interdum loquendum sit; studiosissimè cavendum, ne quid nimis. Propheta David agnos-

agnoscens, quàm difficile sit debitum modum & mensuram in loquendo servare, Deū invocat Ps. 140. 3. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Vel, ùt alii legunt apud Locin. *Pone excubias super januam labiorum meorum.* *Sapiens*, ait S. Ambros. Lib. 2. de offic. cap. 10. *ut loquatur multa, priùs considerat, quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore.* *Disponet sermones suos in judicio*, ait de Sapiente David Ps. 111. 5. *quia in æternum non commovebitur.* S. Hieron. vertit: *Dispensabit verba in judicio* q.d. Sapiens non profert verbum, nisì priùs examinatum in statera, ùt pharmacopola examinat medicinas, quas dispensat. *Verbis tuis facito stateram*, ait Sirach Eccles. 28. 29. & alio in loco. *Verba Prudentium staterâ ponderabuntur, in ore fatuorum cor illorum, & in corde Sapientum os illorum.* Cap. 21. 28. Fatui effutiunt per os, quod in corde cogitant; non sic sapiens; hic, quod per os elocuturus est, in corde præviè ponderat, discutit & examinat. Bis ad limam veniant verba, quàm semel ad linguā, suadet S. Bern. in octo punc. perfect.

Sint igitur sermones, discursus & colloquia nostra de rebus utilibus vel necessariis, nec aliud in iis quærendum, quàm honor Dei, nostra, vel Proximi salus. *Loquamur*, ùt monet S. Ambr. in ps. 39. *Dominum Jesum; nam & hoc scriptum est: Aperi os tuum Verbo, ipsum semper loquamur. Cùm de sapientiâ loquimur ipse est; cùm de virtute, ipse est; cùm de justitiâ loquimur, ipse est; cùm de pace loquimur, ipse est; cùm de veritate & vitâ & redemptione loquimur, ipse est. Aperi os tuum Dei verbo.*

SEC-

SECTIO X.

De Mortificatione Passionum.

Passio quid? & qui ejus effectus.

PAssio à Damasceno, & passim à Doctis describitur, quòd sit motus appetitûs sensitivi causatus ab apprehensione boni, vel mali. Vocatur Passio, quia excitat in corpore, præcipuè in corde, ubi appetitus sensitivus residet, sensibilem mutationem; dum vi illius spiritus vitales, sanguis, aliíque humores excitantur. Pro cujus clariore notitiâ sciendum, quòd objecta per sensus externos v. g. oculos, aures, &c. penetrent ad phantasiam, phantasia hæc objecta ùt bona vel mala, utilia vel damnosa, jucunda vel molesta sibi proponens, ea suis vestita circumstantiis exhibet appetitui sensitivo; qui objecta proposita juxta conditiones objectum comitantes, vel fugit vel prosequitur; per quod spiritus vitales, unà cum sanguine tam cordis, quàm jecoris suscitati, incipiunt se per totum corpus diffundere, ex quo fit hominem exteriùs in facie, secundùm diversitatem Passionis diversimodè moveri & mutari. Si excitetur desiderium & gaudium, cor dilatatur: si tristitia, constringitur: si ira, accenditur: si timor, frigescit: si amor, amantis facies nil nisì Carites spirat, sermo illi suavis & merum mel: Irati econtra facies, nil nisì tonitru & fulgura vibrat: Audax sinè timore generosè; Timidus, cum formidine, trepidè sua profert. Verbo, quælibet Passio alterat corpus, suámque exteriùs prodit proprietatem.

Pas-

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. X.

Passiones secundùm se non malæ.

Passiones hæ, secundùm se, malæ non sunt; sunt enim tantùm motus naturales appetitûs sensitivi; quæ à Deo homini, ùt & aliis animalibus inditæ sunt, eum in finem, ut his velut instrumentis instructus prosequi possit id, quod ad suam facit conservationem; vel ab eo se, quod nocere posset, defendere: in quo, ùt patet, nulla est malitia. Homo igitur ob passiones secundùm se, nec laudabilis nec vituperabilis est; sed à bono vel malo earum usu, bonus vel malus dici debet. Ex his deducitur, mortificationem Passionum non esse in eo sitam, ut planè tollantur; sed ut ad debitam temperiem redigantur, & rationi subjiciantur. Sinè ventis navigari per maria non potest; oportet tamen eos esse non nimiùm violentos; cœteroquin navem per varias jactatam procellas tandem allident ad petram. Multa officia homini præstant equi, sed domiti; si effrenes sint, non sinè præsenti vitæ periculo iis quis insidebit. Omnium animalium felicissimum, ùt ait Aristotel. est homo, qui ducitur & regitur ratione, nullum econtra infelicius, si suis obtemperet passionibus: Passio siquidem obtenebrat animum, confundit sensus & cogitationes, judicium pervertit; vel una prædominans, crudelissimus homini est tyrannus; conjicit in vincula & compedes animam, tenebroso eam carceri mancipans, in quo sinè luce in meris palpitat tenebris. Anima verò tyrannico Passionum dominio libera, lynceo pollet visu, & de qualibet re ex æquo, sinè errore prudens novit ferre judicium. Ratio sola, debet nobis agen-

Passiones domitæ utiles sunt, indomitæ nocivæ.

agendorum & omittendorum regula esse ; hac suppressâ, hácque luce per Passiones extinctâ¡sinè ullâ deliberatione, quibuslibet voluptatibus seu licitis seu illicitis se homo immerget, eóque seducetur, ut posthabitis Deo & homine animam suam præsentissimo damnationis periculo exponat. Passio est, quæ voluntatem efficit in sensualia & carnalia proclivem, eam enervat, & lictoris instar crudelissimè torquet. *Unicuique*, ait S. Aug. serm. 15. de verb. Dom. *sua cupiditas tempestas est*; quæ animæ malatiam turbat. *Jussisti Domine*, ait idem lib. 1. confess. c. 12. *& sic est, ut animus omnis inordinatus, sua sibi pœna sit.* Indulgendum ergo nihil passionibus est, nisì quod recta ratio indulgendum suadet. *Post tuas concupiscentias non eas*, monet Eccles. c. 18. 30. Non sequere eas, sed præcede ; non illæ te, sed tu ducito illas. Expressis idipsum verbis à nobis exigit Christus : Qui vult venire post me, abneget semetipsum : hoc est, sit suarum Dominus Passionum. Per hoc homo distinguitur à bestiâ, quòd huic agendorum regula sint Passiones, illi Ratio; ex quo sequitur, eum, qui minùs sequitur Passiones, & validiùs domat, digniorem se reddere, ut homo vocetur ; servaréque se in possessione, qua supra bestias eminet. Inter Passiones in appetitu irascibili residentes pręcipua, est Ira ; quæ hominem miserandum in modum alterat & exagitat. De qua proinde sit

SEC-

SECTIO XI.

De Mortificatione Iræ.

Cùm olim Novatus unus ex Senecæ familiaribus, à Senecâ peteret, ut iram describeret; ità eam explicat Lib. 1. de Irâ cap. 1. *Non immeritò mihi videris hunc præcipuè affectum pertimuisse; maximè ex omnibus tetrum ac rabidum. Iram quidam ex Sapientibus viris dixerunt, brevem insaniam; aquè enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinis immemor, rationi consiliísque præclusa, ad dispectum æqui veríque inhabilis.* Hæc Passio si ferveat & accendatur, ad multa, quæ cogitatione, verbo, & opere committuntur, peccata seducit: suboritur enim odium in eos, qui nos offenderunt, meditamur vindictam, mala imprecamur, de adversis eorum gaudemus, prosperis tristamur, in verba prosilimus amarulenta, calumniosa, detractoria, mendacia, &c. post hæc ad ipsa devenitur verbera; totíque intenti sumus, quo demum modo illatas injurias vindicare possimus.

Ira quid?

Duo contra Iram remedia ex sancto Gregorio.

S. Greg. Lib. 5. moral. cap. 3. duo suggerit remedia; quæ si adhibeamus, ab Iræ motibus non facilè infestabimur. Primum, *Ut mens solicita, antequam agere quodlibet incipiat, omnes sibi, quas pati potest contumelias, proponat: quatenus ad adversa se præparet, quæ nimirum venientia tantò fortiùs excipit, quantò se cautiùs ex præscientiâ armavit.* Si hoc vel illud negotium tibi cum alio tractandum, imaginare tibi præviè, non fore te illi acceptum, auditurum te multos sarcasmos, plures in te aculeos

leos exserendos, repulsam petitorum te laturum, tibi in omnibus contradicendum, multa eventura, quæ in tui cedent confusionem & injuriam, &c. Hæc & similia, si priùs animo proponantur; contra ea fortiter obarmandus; firmitérque statuendum, sinè animi impatientis indicio ea tolerare. *Secundum* à S. Gregorio insinuatum remedium est: *Ut cum alienos excessus aspicimus, nostra quibus alios excessimus, delicta cogitemus.* Seneca ad quæstionem, quomodo quis ab omni iræ motu immunis esse possit, hoc dat responsum: *Si sibi tacitus ad singula, quibus offenditur, dixerit: Hæc & ipse commisi.* Sed dato, quòd ea non commiseris, quæ committi à Proximo vides, putésque non reperiri in te defectus (quod tamen nemo prudens dicet) quibus alios offendas; nolim tamen aliorum defectibus succenseas; sed compatere ex animo, & cogita, te nihilo aliis meliorem, & graviùs excessurum, nisì te miserentis Dei benignitas præservaret. *Tertium* contra inordinatos viæ motus remedium est, ut animo recolamus, quàm futilis sœpe res sit, quæ ad iracundiam nos provocat, cujus maximè nos puderet, si animo essemus pacato & passionibus non excœcato. *Crede mihi*, ait Sene. Lib. 3. de Ira cap. 34. *levia sunt, propter quæ non leviter excandescimus.* Heterocliti certè capitis & genii esset herus ille, qui famulum verberibns exciperet, qui ante dies octo vel quatuordecim appositum jusculum nimio sale condiîsset, quòd vitrum fregisset, &c. Nunquid honesto indignum animo, ità ab ira abripi? & tamen ordinariè adeò futi-

Remedium tertium.

lia

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. XI.

Quid faciendum, dum actu quis irascitur.

lia sunt, quæ nos faciunt excandescere. Hæc de remediis, ne irascamur. Quòd si verò (quia homines sumus) contingat, nos iræ succumbere, hæc adhibenda remedia. *Primò.* Statim in ipso fervoris æstu, è loco in quo irascimur, secedendum; valet enim & hîc illud: Procul ex oculis, procul à sensu. Si aliò nos divertimus, aliis rebus sensus & animus occupantur, & ita suborti motus se ipsis subsidunt: si commodè fieri nequeat, ut discedamus, contra iram strenuè luctandum, nec pati debemus, eò nos abduci, ut vel unicum ex iræ instinctu verbum proferamus, nec irruentibus phantasmatibus locus dandus: omnia quæ iracundiæ tempore cogitatio nobis suggerit, suspecta habenda sunt; esto nobis videantur verissima, & rationi plenissimè conformia; judicium, ejúsque executio differenda, donec ira deferbuerit; Deíque gratia uno alteróque suspirio imploranda, ne his in tenebris animus deviet. *Secundò.* Tempore, quo commoto es animo, cogitandum, te à Deo videri. Si præsentia Viri principis, ex reverentiâ in illum, iræ motus supprimimus; quidni id faceremus in conspectu Dei videntis & viventis, cui omnẽ possibilem reverentiam innumeris titulis debemus? Timor potissimum frœnum est, quo Ira constringitur, nec facilè quis in eum exardescet, quem novit, sibi posse nocere. Generosi animi proprium est, non ulcisci, nec ad indigna per injurias moveri. *Infelicis animi, & imbecillitatis sibi conscii est*, ait Sen. lib. 1. de Ira cap. 9. *sæpe indolescere; ut exulcerata & ægra corpora ad ictus levissimos gemunt.* Et

iterum

iterum Lib. 3. de Irâ cap. 10. *Ut ulcera ad levem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactûs condolescunt; ità etiam animus affectus minimis offenditur; adeò ut quosdam salutatio, epistola, oratio, & interrogatio in litem evocent: nunquam sinè quarelâ ægra tanguntur.*

SECTIO XII.

De Mansuetudine.

TAntæ pulchritudinis hæc virtus est, ut non possit non in sui amorem rapere eum, qui vel à longè in ejus devenit agnitionem. Undique est raræ elegantiæ & magnæ utilitatis, sivè consideretur in ordinè ad Deum, sive in ordine ad nos ipsos, sive ad Proximum. Facit hominem vivam naturæ divinæ infinitè mansuetæ imaginem, quæ etsi continuò operetur, immota tamen manet, nec ab ullâ re, quæcunque tandem illa sit, alterari se patitur. Quoties iræ locum damus, toties expressam in nobis Dei imaginem turbamus & confundimus. Occupare hominis animum rerum divinarum contemplatio non potest, quem turbat iræ passio. Vix cœlestia capimus, dum animo sumus quieto; quomodo capiemus si commoto? Cùm Propheta Elias, ùt lib. 4. Reg. c. 13. legimus, nonnihil irasceretur contrà Regem Israelitarum, deberétque à Deo quærere, quid agendum; deprehendebat se sub ipso iracundiæ æstu (licèt justus esset) recipiendi luminis & prophetici spiritûs incapacem; advocat ergo musices peritum, qui suavi harmoniâ & concentu turbidum animum

Homo ad iram pronus, spiritualium rerum incapax, mansuetus capax est.

ſerenaret, & priſtinæ redderet quieti, quod eo ſucceſſu factum, ut ſub ipſo concentu ſpiritus Domini ſuper eum veniret. Manſueti ſunt, qui ſuperna clariùs vident, & ea, quæ ſpiritûs ſunt, ſubtiliùs penetrant & rimantur. *Qui enim*, ut docet S.Bern.ſerm. de Don. Spir. Sanct. *mentem ſerenan & pacificam habent, de ſupernis dulciùs ſapiunt, & ſubtiliùs vident.* Sicut certum eſt, naturales ſcientias ad rerum cœleſtium cognitionem plurimùm juvare; ſic & certum ejuſmodi manſuetas traquilláſque mentes, nullis licèt ſcientiis imbutas, multis deſuper viſitari illuſtrationibus, per quas in talium rerum deveniunt agnitionem, ex quibus plurima hauriuntur ſolatia & ſpirituales deliciæ. Eſt, manebitque verum, quod Prophetæ Eliæ cœlitus dictum 3. Reg. 19. 12. *Non in commotione Dominus, ſed in ſibilo auræ tenuis.* Et illud Pſalmi 75. 5. *Factus eſt in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion, ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium & bellum.*

Si Manſuetudinem conſideremus in ordine ad nos ipſos, deprehendemus nos per eam ſapientiâ & ſcientiâ repleri. Sicut proprium ſtultorum vitium, ira eſt; *Ira* enim *in ſinu ſtulti requieſcit.* Eccleſ. 7. 10. Sic Sapientum virtus, Manſuetudo eſt. *Summus Sapientiæ finis eſt*, ait S. Ambroſ. in Pſalm. 118. *ut ſimus mente tranquillâ.* Per manſuetudinem proſcribuntur tumultuoſæ animi paſſiones, ſuccedítque alta pax & quies. *Manſueti*, ait David Pſ. 36. 11. *hæreditabunt terram, delectabuntur in multitudine pacis.* Vel ipſa virtutis hujus utilitas meritò quemque in ſuî allicit

amorem & ſequelam; per illam enim conſtituimur & efficimur noſtri ipſorum domini; per quod poſſidemus omnia. *Si te habes, totum habes,* inquit Petr. Chryſ.

Encomia Manſuetudinis.

Denique reſpectu Proximi, magnæ efficaciæ hæc virtus eſt. Si iratum vis placare, objice ei manſuetudinem. Furioſus elephas ſedatur objecto agnello; ſic & iracundus objecto homine manſueto. Manſuetudo hominem capacem & aptum reddit ad converſandum fructuosè cum Proximo. Nihil enim in humana converſatione gratius & ſuavius, quàm animus lenis & tranquillus. Res tædii pleniſſima eſt, converſari cum hominibus in iram pronis; jucundum econtra cum manſuetis. Unde S. Chryſoſt. hom. 33. in 1. Cor. dicere non dubitavit, hominem mortuos etiam ſuſcitantem, non fore apud alios in tanto amore & admiratione, in quanto eſt homo pacificus, mitis & manſuetus. Hac manſuetudinis virtute, in gradu adeò ſublimi, præditus erat David, ut, ſi quam ſingularem à Deo gratiam petiturus eſſet, manſuetudinem, ùt præcipuum motivum, ob quod exaudiretur, allegaret. *Memento Domine David & omnis manſuetudinis ejus.* Pſalm. 131. 1. De Moyſe teſtantur ſacræ paginæ Num. 12. 3. quod omnium hominum mitiſſimus fuerit; propter quod mirè eum extollit S. Ambroſ. Lib. 1. de off. c. 7. *Sic ſibi totius plebis mentes devinxerat, ut plus eum pro manſuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur.* Ipſi Ethnici, qui ſupra commune vulgus, authoritate eminebant, huic virtuti ſtudebant. *Pars ſuperior mundi,* ſcribit Sen. Lib. 3. de Irâ c. 6.

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. XIII.

c. 6. & ordinatior, & propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem, omni tumultu caret, inferiora fulminant. Eodem modo sublimis animus, quietus semper, & in statione tranquilla collocatus, intrà se premens, quibus ira contrahitur, modestus & venerabilis est, & compositus.

SECTIO XIII.
De mortificatione Voluntatis.

VOluntatem perfectè quis mortificabit, si hæc tria præstet. *Primò* eam à proprii amoris inquinamento expurget. *Secundò*, proprio judicio exspoliet. *Tertiò*, vanos, inutiles, eósque noxios affectus amputet.

Quanta mala ex amore proprio nascantur.

Primum quod concernit, sciendum est, reperiri in homine & amorem bonum, quo se piè & sanctè amat; & amorem malum, à peccato originali causatum, quo insano amore contra rectam rationē se amat. Ordinariè hæc pestilens passio vocatur, *Amor proprius.* Ex hoc amore, ùt radice omnia nostra peccata propullulant; ex omni enim peccato capimus quandam delectationem, quam in peccato ex impulsu amoris proprii quærimus. Duæ, ex mente S. Aug. Lib. 14. de civit. cap. 28. sunt civitates admodum celebres, quas incolunt homines; Cœlestis & Terrestris. *Cœlestem*, ait S. Doctor l. c. *ædificat amor Dei usque ad contemptum suî; Terrestrem, cui diabolus dominatur, ædificat amor suî usque ad contemptum Dei.* In primâ dominatur Deus cum virtutibus, in secunda Diabolus cum peccatis, ad quæ amor proprius impellit

pellit. Unde ait S. Paul. 2. Tim. 2. *Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi. &c.* Rem verbo: Amor proprius nihil aliud agit, quàm ut propriæ sensualitati inhiet, se ipsum æstimet, se ipsum, in ipsis adeò operibus bonis, quærat, omnia ad exteriorem solùm apparentiam factitet, defectus excuset, &c. Amor hic honores & dignitates ambit, confusiones metuit, cavet studiosissimè vel minima, ex quibus aliquale sequi posset honoris sui dispendium, opera exteriora, quæ ab aliis scit videri, magnâ exactitudine obit, quæ in occulto inter ipsum & Deum aguntur, levi expedit brachio, perinde habens, seu bene seu malè fiant.

Hæc ergo pestifera omnium malorum radix, quantùm humanitus fieri potest (ex fundamento enim in hoc statu viæ, in quo natura corrupta prævalet, exscindi non potest) amputanda est, & ejus loco salutare nostrî odium substituendum; vi cujus nobiscum agamus, ùt discretus medicus cum infirmo, cui dulcia, quia nociva, denegat; & amara, quia salutaria, præscribit. In hoc odio sanctus in nos ipsos amor fundatus est. *Nescio,* ait S. Aug. Lib. 12. in Joan. *quo inexplicabili modo quisquis se ipsum non Deum amat, non se amat; & quisquis Deum, non se ipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se: cùm verò ille diligitur, de quo vivitur, non se diligendo magìs diligit, qui propterea se non diligit, ut eum diligat, de quo vivitur.* Amore ergo in Deum, ùt validissimo cuneo amor proprius expellendus. Motiva ad hunc salutarem amorem videri possunt suprà Lib. 1.

 Ad

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. XIII.

Ad Dei honorem omni nostro incommodo seposito cuncta referenda; quo modo amor proprius paulatim deficiet, amore divino incrementum indies sumente.

Magnum malum est, judicium proprium.

Secundum, quod per mortificationem in voluntate nostrâ emendandum, est *Judicium proprium. Quæ voluntas*, ùt inquit S. Bern. serm. 3. de Resurr. *non est communis, sed nostra tantùm: hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leæna sævissima; hæc est immundissima lepra animi, propter quam in Jordane mergi oporteat, & imitari eum, qui non venit facere voluntatem suam: unde & in passione, non mea, inquit, voluntas, sed tua fiat.* Rejecit Deus Judæorum jejunia, quia propriâ erant voluntate inquinata: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra.* Isai. cap. 58. 3. In quæ verba S. Bernardus Serm. 7. in Cant. scribit: *Grande malum propria voluntas, qua fit, ut bona tua, tibi bona non sint.* Unde monet nos meritò Eccles. c. 18. 30. *A voluntate tua avertere.* Felicissimus sanè est, qui hanc à se sarcinam excussit. *Gravissimum à se onus rejicit, qui suam repulit voluntatem*, ait S. Lauren. Justin. cap. 7. de discipl. monast.

Abdicandum ergo proprium Judicium est, tam in - quàm exteriùs, in corporalibus & spiritualibus; quibus se amor proprius solet immiscere; ità quidem, ut nunquam aliquid aggrediamur, agamus, vel omittamus, ut propria voluntas impleatur, ejúsque appetitui fiat satìs. Altiùs in rebus agendis vel omittendis animus attollendus, aliúsque in iis finis statuendus est, quod ut sinè tædio fiat, nulli rei animus inordinatè affigendus est,

est, quod tertium est, de quo in præsenti agendum; sit ergo

SECTIO XIV.

Plurimæ noxiæ cupiditates & affectus, per mortificationem ex Voluntate sunt ejiciendi.

Duæ malæ in voluntate affectiones.

DUæ potissimum considerandæ sunt perversæ in voluntate affectiones, circa quas mortificatio versari debet. *Prima*, quòd instar casei vermibus scatentis, plurimis cupiditatibus & affectionibus pro ratione rei & temporis infecta, jam hoc, jam illud appetat. Malum hoc ex eo nascitur, vel quia pro naturali suâ libertate mutare se potest; vel quia per peccatum magnæ inconstantiæ subjecta est, quæ inconstantia non sinit re unâ voluntatem diu occupari; sed instar inquietæ aviculæ ex uno in alium arboris ramum facit transilire; vel denique tertiò, quia in creaturis quærit solatium; quod cùm in re inventâ stabiliter non inveniat, transfert leviter affectum in aliam. Secunda voluntatis nociva affectio est, quòd creaturis libenter adhæreat; ex quo fit, quòd instar hederæ iis, quæ contingit, se affigat, & quidem si fieri potest, rebus magnis & sublimibus; si id negetur, rebus exilibus & quisquilliis: ùt videre interdum manifestè est in Religiosis, qui postquam grandia reliquerunt in sæculo, cor animúmque affigunt puerorum crepundiis in Ordine: Funes crassos & catenas, quibus firmiter illigati erant, fortiter rupe-

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. XIV.

runt; modò subtilibus filis patiuntur se irretiri. De quibus optimè loquitur Cassian. collat. 4. c. 22. *Vitium cupiditatis, quod erga species pretiosas exercere non possunt, circa viliores materias retinentes, non abscidisse, sed commutâsse se probant pristinam passionem.* Custodiunt & defendunt pauperem suam suppellectilem, rosariolum, libellum, imagunculam, cellulam &c. tam anxiâ curâ & solicitudine, quantâ curâssent in sæculo res maximi momenti. O miserabilis cœcitas! quasi verò iniquum tantùm esset, magnis se occupare; licitum econtra totum animum rebus ludicris & crepundiis subjicere; quasi magna illa, quibus libere & licitè uti in sæculo potuissemus, ideo reliquissemus, ut in statu religioso eò commodiùs nullius momenti reculis nos oblectaremus. Ex his liquet, quàm inconstans, & quàm inordinatè appetens nostra voluntas sit.

Desideria nostra moderanda sunt.

Duobus his malis, ut fructuosè obviemus, eò connitendum est, ut simus (quod raræ virtutis & artis est) sinè ullis desideriis; vel si quid desideremus, discretissimâ idipsum fiat moderatione. Petit hoc ipsum à Deo Sapiens Ecclesi. 23. 5. *Domine Pater & Deus vitæ meæ omne desiderium averte à me.* Optima sanè & justissima petitio: sublatis enim inutilibus rerum caducarum desideriis, præcluditur aditus sexcentis animi inquietudinibus; repletur econtra anima altissimâ pace & quiete. Ex desideriis oritur dolor & labor; si multa sint, multus, si exigua exiguus, si nulla nullus. Sunt ergo nostra desideria, nostri lictores. Thesaurus incomparabilis

est

est carentia inutilium cupiditatum & desideriorum, quibus cæteroquin si nimiùm indulgeatur, animus noctu diúque crudeliter dilaniatur. Hæc carentia, vera illa paupertas spiritûs est, quæ inter octo Beatitudines prima est, & cui, etiam in hac vitâ regnum promittitur cœlorum. *Magna est securitas cordis*, ait S. Gregor. lib. 22. mor. c. 10. *nihil concupiscentiæ habere sæcularis; nam si ad terrena adipiscenda cor inhiat, securum tranquillúmve esse nullatenus potest.* Si bono aliquo careat, cupiditate adigitur, ut illud comparet; si eo fruatur, timore coangustatur, ne amittat; si morbis affligatur, spe recuperandæ sanitatis inordinatè delectatur; si in prosperitate sit, fortunæ metuit variationem: continuis itaque & adversis inter se motibus huc illúcque propellitur. *Quid in hac vitâ laboriosius, quàm terrenis desideriis æstuare? aut quid hic quietius, quàm hujus sæculi nihil appetere?* Idem Lib. 18. mor. c. 25. *Animus ipse sibi sarcina est*, ait S. Hilar. Ep. 1. in Append. Biblioth. SS. PP. *donec & sperare desinat & timere; nondum enim beatus vivit, quem vel voti torquet dilatio, vel à voto decidendi metus excruciat. Perfectum exprimes Philosophum, si nec speres aliquid, nec extimescas; hoc & verum animi robur, & integrum mundi contemptum denuntiat.*

Qui terrenis inhiat, nunquam quietus est.

Secundò. Sedulò laborandum, ut omni creaturarum amore liberum cor possideamus, nulli affectum creaturæ affigendo. Libertate caremus, quamdiu alii per affectum adhæremus; nec cor quiete frui potest hac spinâ sauciatum. Perfectus nunquam esse poterit, nec valebit se Deo debitè conjunge-

 re,

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. XIV.

re, qui creaturis cor affixit. Vel minimus in creaturam affectus unionem cum Deo impedit. Frustra nautæ vela explicant, & ad sudorem usque remigant, si ad portum navis per funem alligata sit; sic & frustra laboratur in uniendo cum Deo animam, si hæc per funem affectuum creaturis annexa sit. Avi non prosunt alæ, si ligata sit; multa etiam pietatis exercitia non multùm proderunt, nisì liberrimus homo sit ab affectu ad creaturas. *Amor rerum terrenarum*, ait S. Aug. serm. 33. de verb. Domi. *viscus est spiritualium pennarum. Ecce concupisti, hæsisti.* Affectus erga creaturas, propriè loquendō, ùnicum impedimentum est, quo minùs anima se Deo conjungat; hæc enim conjunctio fieri non potest, quamdiu inter Deum & animam; inter illius & nostram voluntatem aliquid mediat; quod medium maximè nocivum, est affectus ad creaturas: Deus Ens est, super omnia creata infinitè elevatum, ergo & homo super omnia creata elevare se debet, si ad infinitè elevatum pertingere desideret. Quia homo creaturæ, cui affixus est, se vel similem, vel minorem facit, hinc ad unionem cum Deo ineptum se reddit. Oportet igitur ut anima rebus illis abjectis & vilibus se expediat, in altum supra creaturas se elibret, si Deo se conjungere appetat.

Peccata venialia inveterata periculosiora, quàm alia.

Quodcunque inveteratum & in habitum versum peccatum veniale, quæcunque imperfectio, quam ex consuetudine committimus; qualis est v. g. fabulis novísque rumoribus delectari, ergo hanc vel illam personam, hanc vel illam regulam v. g. librum, cubi-

cubiculum, amictum, delicatiorem cibum & potum, recreationem, &c. affectum esse: hæ inquam, similésque imperfectiones plurimùm obstant unioni cum Deo, multóque plùs inferunt damni animæ, quàm multa alia peccata venialia, quæ non ex consuetudine, sed fragilitate, subreptione, & subito animi motu committimus; in his enim non reperitur inordinatus affectus, neque cor iis ita affigitur, quemadmodum fit in defectibus & venialibus peccatis ex consuetudine committi solitis. Peccata ex inconsideratione commissa statim displicent, vellemus jam facta non fuisse; atque ità animam captivam non tenent, fœdántque tantùm obiter in transitu; secus fit in imperfectionibus iis, quibus nos per consuetudinem & longum usum implicavimus.

Expressit hanc veritatem ipsa æterna Veritas Christus Dominus, dum ait Apostolis: *Expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Apostoli, laudabili quidem, sed carnali adhuc amore permixto Christum amabant, qui amor, ùt minùs purus impedimento erat adventui Spiritûs sancti. S. Bernardus hoc considerans serm. 3. de ascens. Dom. ait; *Si Apostoli adhuc carni dominicæ inhærentes, quæ sola sancta, quia Sancti Sanctorum erat, Spiritu sancto repleri nequierunt, donec tolleretur ab eis. Tu carni tuæ, quæ sordidissima est, & diversarum spurcitiarum phantasiis repleta, astrictus & conglutinatus, illum meracissimum spiritum te posse putas suscipere, nisì carneis istis consolationibus funditus renuntiare tentaveris.*

An

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. XV.

Affectus ad creaturas, ex quo colligatur.

An creaturæ alicui nimiùm adhæreas, ex his colliges. Si de eâ sæpe, & quasi ex naturâ, cogites, & quidem horâ & tempore incompetentibus: si phantasiæ & imaginationi crebrò obverſetur; phantaſia enim & cogitationes ibi ſunt, ubi amor & cor ſunt: Si cum voluptate & mentis teneritudine de eâ loquaris vel loqui audias; quod ſauciati & amantis cordis indicium eſt: denique ſi dolori & afflictioni tibi ſit ab eâ ſeparari; quò major hic dolor, eò fortiùs alligatus fuiſti. Dens, ſi extrahitur cum magno dolore, ſignū eſt fortiter eundem fuiſſe gingivæ infixum; dens econtra ex omni parte ſolutus & præviè in omnem partem mobilis, dolorem non affert, ſi extrahatur. Si quidpiam tibi denegetur, quod petis; ſi officio priveris; ad aliud domicilium mittaris; ſi converſatio cum hac vel illâ perſonâ prohibeatur; & ægro animo hæc feras, murmures, contradicas, & inquieteris; manifeſtum eſt, te nimiùm erga ſimilia affectum, eíſque concatenatum eſſe: ſi in ſimilia ſancto & ordinato amore ferreris, perinde haberes, quidquid tandem per Superiores Deus tibi mandaret.

SECTIO XV.
De Mortificatione Intellectûs.

NObiliſſima hæc animæ noſtræ potentia plurimùm vulnerata eſt per peccatum originale; unde ſummopere neceſſarium, ut quis per mortificationis ſtudium, Dei juvante gratiâ, vulneribus his mederi allaboret.

ret. Vulnera hæc præcipuè ſunt quinque : *Ignorantia, inordinatus ſciendi appetitus, cogitationum vanarum ſuperfluitas, præceps judicium, & nata ex eo in agendis inconſideratio, denique judicium proprium.*

Vulnera intellectus, quæ. Primum, ignorantia.

Non agitur hîc de ignorantiâ illâ univerſali, qua omnes, etiam Doctiſſimi laborant, quáque non liberabimur, niſì æterno illo gloriæ perennis lumine illuſtremur; ſed de ſpeciali; in qua plerique hærent, ex illo potiſſimum capite, quòd neglectis iis, quæ vi officii, ſtatûs, & conditionis ſcire deberent, tantùm intendant rebus curioſis, novis, & inutilibus. Hæc ignorantia ex intellectu depellenda eſt, debétque unuſquiſque curare, ut ſciat, quæ ſcire ex officio debet. Sacerdos, Concionator, Confeſſarius, Catechiſta ſcire debent, quæ officii ab iis ratio exigit. Si idipſum negligant, à Deo pariter negligentur & ignorabuntur. *Profectò hi, qui ea, quæ ſunt Domini, neſciunt, à Domino neſciuntur; Paulo atteſtante, qui ait* (1.Cor.14. 18.) *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* S.Greg. Part. 1. Paſtoral. c. 1.

Secundum, ſciendi cupiditas.

Vulnus ſecundum, eſt *inexplebilis ſciendi cupiditas*, quæ apud multos adeò exceſſiva eſt, ut eâ videantur planè dementati. Semper volunt diſcere aliquid novi, omnes volunt libros devorare, omnes volunt ſcientias penetrare: ſed plerumque cribro hauriunt aquam; volunt omnia ſcire, ſed in fine ſciunt nihil: cùm enim memoria limitatæ capacitatis ſit, tot diverſarum rerum ſpecies non capit, &, dum una ſcientia intrat, alia expellitur. Hic diſcendi ardor ex unâ parte egre-

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECT. XV.

giæ mentis indicium quidem est ; periculosus tamen ex alterâ parte morbus & fœtens vulnus, quod multùm claudit puris : quale pus est, vel totalis neglectus, vel saltem perfunctorium bonorum operum studium, caput millenis conceptibus & cogitationibus scatens, mentis ariditas, cordis durities, quæ omnia impediunt, ne quis ad superiora mentem sustollat. Rara avis in terris est, vir libris profanis totaliter immersus, & simul spiritualibus exercitiis addictus : dum enim intellectum variarum rerum scientiâ excolere laborat, vix quidquam remanet pro voluntate virtutibus exornandâ.

Appetitum hunc avidi isti librorum Helluones temperare & mortificare debent. *Habent in epulis suis & animi quandam luxuriam*, ait S. Aug. Lib. de beat. vit. *si ultra modum in eas & voraciter irruant : ità enim malè quodammodo digerunt ; unde valetudini mentium non minùs, quàm ab ipsa fame metuendum est. Dico per gratiam*, ait S. Paul. Rom. 12. 3. *quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plùs sapere quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem. Non prohibet Apostolus*, ùt advertit S. Bern. serm. 36. in Cant. *sapere sed plùs sapere quàm oportet. Quid est autem sapere ad sobrietatem ? vigilantissimè observare, quid scire magìs, priùsve oporteat. Qui se putat aliquid scire, nondum scit, quomodo oporteat scire*, ait Apost. 1. Cor 8. 2. *Vides*, pergit S. Bernard. *quomodo non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit ; vides, inquam, quomodo fructum & utilitatem sciendi in modo sciendi constituit. Quisnam verò optimus est modus ? ut sciat quo ordine, quo studio, quo finè quaque nosse*

Remedium ex S. Bernardo contra hoc vulnus.

opor-

oporteat. Quo ordine? ut id priùs, quod maturiùs ad salutem. Quo studio? ut id ardentiùs, quod vehementiùs ad amorem. Quo fine? ut non ad inanem gloriam aut curiositatem, aut aliquid simile; sed tantùm ad salutem tuam, vel Proximi.

Tertium, Copia inutilium cogitationũ.

Tertium Intellectûs nostri vulnus est, innumerabilis copia malarum, otiosarum, inutilium & vanarum cogitationum; quas ubertim, nisi præcaveatur, progenerat: huc spectant distractiones & evagationes Potentiæ imaginativæ. Quamvis hæc Potentia non sit spiritualis sed animalis; magnam tamen habet cum Intellectu conjunctionem; sítque ex eo vulnus Intellectûs multò periculosius; cùm enim Intellectus per se peccato vulneratus sit, nec continere se possit, quin semper, quamdiu vigilamus, aliquid cogitet, sic nihil illi connaturalius, quàm pravis cogitationibus occupari; ad quas præterea ab exterioribus sensibus vehementissimè impellitur, à quibus proditoriè seducitur, dum earum rerum species illi proponunt, ex quibus suam percipiunt delectationem. Et quia Intellectus Voluntati facem præfert, viámque monstrat, quâ sit eundum, & omnium affectuum nostrorum causa sint cogitationes nostræ, hinc evidentissimè deducitur, quòd plurima post se pericula trahant confusæ depravati intellectûs nostri species. Quare studiosissimè attendendum, ut intrà limites debitúmq; ordinem cogitationes nostræ constringantur. Quoties reipsa experimur, potentiam imaginativam se nobis furtivè, instar mancipii è domo, subducere, & per nemora, pascua, maria, montes, valles, totúm-

que

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. XVI.

que mundum vagari? si compescere velimus fugientem hanc feram & rebelle mancipium, confugiendum ad Dei gratiam. *Qui* ùt ait Job. c. 27. 25. *fecit ventis pondus*. Faciet & ipse cogitationibus nostris pondus, quo alligatæ intrà terminos se continebunt nobis in nullo obfuturæ. Deinde summopere attendendum sensibus exterioribus; per hos enim objecta proponuntur Potentiæ imaginativæ, per hanc intellectui; atque ità utraque Potentiâ in jugi inquietudine foventur. Ultimum remedium Amor in Redemptorem nostrum. Amor ut primum Mobile reliquas animæ Potentias violenter ad se trahit, nec permittit, ut Phantasiâ re aliâ occupetur, vel Intellectus de alio cogitet, quàm de Dilecto; in cujus memoriâ die ac nocte animus quiescit, & cujus præsentiâ ità capitur, ut ab eo difficillimè abstrahatur. Certè indignum est, mentem nostram Dei & æternorum capacem futilibus rebus occupari, & hoc vivum Dei templum fœdis imaginum monstris impleri & deturpari. Excelsus animus, quæ excelsa sunt, cogitat & tractat; non abjiciamus ergo nobilissimas animas nostras ad res vilissimas; sed eò connitamur, ut semper de Deo, Bono infinito cogitent, eóque occupentur.

Quomodo hoc vulnus curandum

SECTIO XVI.

De præcipiti in agendis impetu, sive de Inconsideratione.

Quartum vulnus In-

QUartum intellectûs nostri vulnus, est, inconsiderata animi præcipitantia, seu præ-

consideratio.

præceps in agendis inconsideratio; ex cujus impulsu ob rationem minimam & sæpe tantùm apparentem, de hac vel illâ re judicium ferimus sinè ulla desuper habita seria deliberatione. Ex hoc defectu & vulnere mala quàmplurima oriri possunt; cui proinde mederi oportet per virtutem Considerationis. Hac Consideratione, si homo, utpote Microcosmus, orbatus sit, in eandem conjicietur confusionem & chaos, in quod mundus conjiceretur Sole destitutus, ùt ait S. Thom. lib. 3. de princ. instit. c. 4. *Desolatione desolata est omnis terra*, lamentatur Jerem. c. 12. 11. *quia nullus est, qui recogitet corde.* Quis peccator adeò obstinatus & in malum proclivis, qui peccaret, si seriò perpenderet, quæ & quàm horrenda sibi mala peccando cudat? Quis se virtuti non totum daret, non obstantibus quibuscunque difficultatibus, si seriò recogitaret, quàm immensa sibi bona ex virtute nascantur. Solius igitur defectus considerationis est, quòd scelera committantur, quòd virtutum exercitium omittatur. Unde optimè S. Aug. *Intellectus cogitabundus est principium omnis boni.* Consideratio siquidem est mater agnitionis, agnitio affectûs, affectus operis. De virtute hac egregiè disserit S. Bern. lib. 1. de Consid. *Primum quidem ipsum fontem, id est, mentem, de qua oritur, purificat Consideratio; deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat: postremò divinarum & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est, quæ confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat,*

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. XVI.

nat, ficta & fucata explodit. Hæc est, quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente residat aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est, quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit.

Remedia contra illud.

Consideratio, ùt docet S. Thom. 2. 2. q. 53. art. 4. *importat actum intellectûs, seu veritatem rei intuentis.* Duo in hoc actu vitanda sunt extrema, *Primò*, Excessus, qui committitur, si nimium rei cuidam perpendendæ & considerandæ tempus demus, & omnes quodammodo animi corporísque vires ei affigamus; qui excessus vocatur à Cajetano *Inquieta attentio*, 2. 2. q. 67. ar. 9. Estque, ùt notat Gerson Tract. de script. term. de quatuor Virtut. card. vitium *cum anxietate nimiâ & quadam rationis suffocatione* rei alicui intendere. *Secundò*, peccatur per defectum, sivè per nimiam præcipitantiam: hæc præcipitantia eandem parit confusionem, quam præcipitantia corporis. Scalas ascensurus, ordinatè ascendat necesse est, si à lapsu abesse velit; cui se manifestè exponit, si modò hunc, modò illum gradum transiliendo vel as- vel descendere velit. Locus in nobis superior est Ratio; inferior est Actio; gradus inter hæc duo, sunt memoria præteritorum, cognitio præsentium, providentia futurorum: hæc combinari debent, & per ea Intellectui lumen accendendum: si quis sibi non sufficit, aliorum utendum est consilio, illúdque sequendum: hi sunt gradus, quos prævié, antequam operemur, scandere oportet, si eos vel ex negligentia vel præcipitantia transiliamus, certò offendemus,

mus, sequetúrque opus planè mutilum & mancum. *Fili sinè consilio nihil facias*, suadet Eccles. cap. 32. 29. *& post factum non pœnitebis. Qui agunt omnia cum consilio*, ex mente Salom. Prov. 13. 10. *reguntur sapientiâ.* Iterum Eccles. suadet c. 27. *In medio cogitationum assiduus esto. Priusquam aliquid facias*, ait Salustius, *consulito, ubi consulueris maturè, facto opus est.*

SECTIO XVII.

De proprio Judicio.

Quintum Vulnus, judicium proprium.

QUintum & quidem periculosissimum per peccatum Adæ inflictum animæ vulnus, est pertinacia judicii, sivè proprium judicium; quando eorum, quibuscum conversamur, judiciũ spernentes, soli nostro credimus; eóq; pertinaciter stamus nullius nos judicio submittere volentes, quod tamen æquũ omnino foret & rationi consonũ, vel quia alii sunt Superiores, vel quia nobis doctiores, vel quia numero plures. Malum hoc plurimùm nocet. *Primò*, ipsam suammet vitiat radicem, scilicet judicium sanum; facítque ineptum ad ferendum æquum de re judicium, quia jam aliâ persuasione præoccupatum, imbutum, & irretitum est. Qui hoc vitio laborant, suum plenis buccis judicium aliorum præferunt, putantes quemlibet illis assensurum, & divinam crediturum revelationem, quod ipsi sibi stolidè effinxerunt. *Secundò*, nocet caritati in Proximum: dum enim aliorum judicium spernimus, sarcasticè illud irridendo, vel acri disputatione & insulsis clamoribus ei nos opponendo, ut nostrum judicium sustineamus; pascuntur u-

Mala ex judicio proprio oriri solita.

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. XVII.

Judicium proprium pestis obedientiæ religiosæ.

trimque in disceptantium animis aversio, ira, rancor, invidia; nec æquis eos oculis dignamur, qui nostro se judicio opposuerunt. Vitium hoc in Religiosis fatale est; Obedientiæ enim medullam exedit, & ùt tinea corrodit, facítque ut nunquam ad perfectionem veniat hæc nobilissima virtus. Licèt enim Religiosus, sui tenax judicii, Superioribus obediat, fit hoc ipsum ordinariè apparenter tantùm, vel ad summum, Obedientia consistet, si non in coacta, saltem in tepidâ voluntate: manet enim in suo tenax judicio potuisse hoc vel illud, alio & alio modo incipi & disponi: & si Superiorum judicium approbet, fundat idipsum magís in proprio quam in judicio eorum; sequitúrque in rei mandatæ executione plùs suum, quàm judicium Superiorum. Ex quo apud pertinaces hos socios oritur in agendis & omittendis nausea, tædium, negligentia, confusio, murmurationes, contradictiones &c. habéntque continuum cum similibus negotium Superiores, nec alio possunt remedio illi malo mederi, quàm ut suo eos relinquant judicio. Tales comparari optimè possunt cuidam in Indiis animali, cui nomen Pacos, quo incolæ uti solent pro ferendis sarcinis, ùt nos equis & mulis. Quod animal hoc vitio laborat, quòd interdum cum imposito onere procumbat, nec ulla possit fustigatione ad surgendum & progrediendum adigi, durátque interdum ad duas vel tres horas, hæc, ut itá dicam, obstinatio; nec aliud, ad illud in pedes erigendum, remedium adhiberi potest, quàm ut ductor per popysmos, amplexus, os-

oscula, pertinacem hunc humorem mollefaciat & bestiæ blandiatur, quo fit, ut ad procedendum cum impositâ sarcinâ animetur. Sic & Religiosus sui tenax judicii, cum nauseâ officiis demandatis fungitur, & si Superior desideret, ut alacriter onus ferat, opus est, ut per omnis generis rationes, imò preces, verbáque suavissima ad id inducat. *Tertiò*, Judicium proprium causa est infirmæ & variabilis Fidei, qui enim in suo judicio pertinax est, vix credit id, quod capere non potest; articulos Fidei ad examen & censuram vocat, & juxta suum judicium abstrusissima mysteria vult metiri: ceremonias Ecclesiæ taxat; quod infaustum omnium hæresum est initium. Ecce quanta ex proprio judicio mala. Unde optimè quidam dixit, hominem proprii judicii non egere diabolo, qui tentet; illum sibi ipsi diabolum tentantem esse.

SECTIO XVIII.

Ex quo oriatur pertinacia judicii, quæ contra illam remedia, & unde dignoscatur.

Superbi & stupidi sunt ordinariè judicii proprii amantes.

PAter & mater, avus & avia pertinacis judicii, est superbia; quæ dum oculos mentis, propriæ excellentiæ fumo obscurat, & vix non excœcat, fit, ut quis grandia de se præsumat, suúmque omnium aliorum judicio anteponat, fatuè sibi persuadens alios esse cœcos, se solùm videntem. Habet etiam pertinax judicium in iis locum, qui ingenii

 sunt

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. XVIII.

ſunt obtuſioris; qui enim ſolidè ſapiunt, cogitant & ſe homines eſſe, erroribus obnoxios, nec poſſe ſe omnia ſcire, adeóque rationi vel maximè conforme, ut aliorum judicio hîc & nunc ſuum ſubjiciant. Unde Plato docet (*Macrob. in ſomn. Scip.*) docibilitatem, ſeu, ab aliis libenter inſtrui, veræ ſapientiæ eſſe partem. Sicut econtra judicii pertinacia ſtultitiæ non exiguum eſt argumentum. *Qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit.* S. Bern. Ep. 87. ad Ogerium.

Sequamur hac in re æternæ Sapientiæ, Chriſti Domini exemplum, qui in templo diſputans cum Doctoribus, & advertens velle Parentes ſuos, ut abruptâ diſputatione, unà cum eiſdem domum remearet, obedivit ſtatim ſuúmque judicium illorum ſubjecit. *Mutavit conſilium*, ait S. Bern. ſerm. 3. in die Paſchæ, *ut nos mundaret ab eâ leprâ, quæ proprii conſilii eſt. Exemplum enim dedit nobis, ut nos ità faciamus. Quis jam non erubeſcat obſtinatus eſſe in ſuo conſilio, quando ſuum Sapientia ipſa deſeruit.*

Cauſæ, ob quas proprium judicium non ſequendum.

Sicut ne minima in aurifodinis invenitur auri particula, cui non multæ adhæreant ſordes; ſic & non facilè vel una reperietur veritas, quæ non multis ſit involuta obſcuritatibus, quas non niſì plures diſcutere, removere, & dijudicare poſſunt. Imò nec ipſæ, quas fundamentales dicimus, veritates, omni caligine liberæ ſunt, egéntque explicatione plurium; cùm quatuor, ùt dici ſolet, oculi acutiùs videant, quàm duo. Præcipuè in iis, quæ nos ipſos concernunt, aliorum oportet judicium ſequi; amor enim proprius facilè decipit, & in ſuî partem & commodum, ju-

judicium trahit. Unde S. Ambros. Epist. 40. ad Sabin. *Filii etiam deformes delectant.* Sic & amor proprius album sæpe persuadet esse nigrum, nigrum album. Jure cautum est, tam canonico, quàm civili, ne cognati in testes adhibeantur, ne ex amore in carnem & sanguinem veritati fucum faciant, & judicem cum præjudicio tertii decipiant: quantò magìs amor proprius, qui vehementior est amore illo, quo cognatus cognatum diligit, conabitur intellectui tenebras offundere, & judicium, quod in te ipsum ferre debes, pervertere. Si impingere ergo non volumus, alios statuamus, quàm nos ipsos, rerum nostrarum judices. *Ne innitaris prudentiæ tuæ,* monet Salom. Prov. 3. 5. vel, ùt Hebr. vertit. *Ne prudentiæ tuæ baculo innitaris.* Idem suadet S. Paul. Rom. 3. 16. *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* Esto ob canos & vacillantes ex senio pedes, baculo prudentiæ tuæ te uti posse tibi persuadeas, ne innitaris illi soli, nec crede, te aliorum auxilio vel consilio non egere. *Væ,* exclamat Propheta Isaias c. 21. *qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.*

Cavendum ulteriùs, ne de hujus vel illius rei veritate obstinatè contendatur. Si tuum de re quapiam controversâ judicium tuleris, & alios huic tuæ sententiæ contrariari adverteris, cede; nec multâ contentione & clamore disputandum, cùm sæpissimè de lanâ caprinâ sit, de quo ad usque ferè verbera pueriliter litigatur. *Servum Dei non oportet litigare,* ait S. Paul. 2. Tim. 2. 24. *sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem. Puerilis* ani-

animositatis est, litigare. S. Aug. ep. 17.

Sui Judicii pertinax ex quo dignoscendus.

Pertinacem sui judicii ex hoc cognosces; si propositis solidis argumentis non acquiescens, libentissimè se aliis cessurum dicat, si evidentibus argumentis convictus, suum judicium cognoscat esse erroneum. Petit se ex fundamento de veritate erudiri; quamdiu hoc non fiat, levitatem dicit, suum relinquere judicium, & alterius subjicere. Optimè in similes quadrat illud Salom. Prov. 8. 2. *Non recipit stultus verba sapientiæ, nisi dixeris, quæ versantur in corde ejus.* Nulli ergo rei (exceptis rebus Fidei, quibus nimis firmiter adhærere non possumus) pertinaciter nimiùm inhærendum. Et si quis judicium suum difficulter abneget in iis, in quibus non errat, signum est sui judicii esse nimiùm amantem.

Cum discretione cedendum, cum discretione contradicendum.

Hæc interim eò dicta non sunt, ut quis in omni re alteri cedat; sed medium tenendum est. Sicut dantur per excessum in suo sensu pertinaces, sic & dantur per defectum nimis languidi & effœminati Itarii, qui omnia subsignant per *Ità*; omnia probant per verbum, *Placet*, cujuscunque se judicio submittentes, nulli contradicentes, omnia laudantes, curva sint vel recta, aspera vel plana, æqua vel iniqua. *Omnia probare & nihil probare iniquum est,* ait Aristoteles. Cum discretione cedendum, & cum discretione contradicendum. Ubi notandum, quòd, si cui rei contradicendum sit, idipsum fieri debeat ex amore veritatis; nequaquam autem, ut per hoc pertinaci judicio satisfiat.

SECT.

SECTIO XIX.
De Obedientia.

HÆc sectio propriè spectat ad Religiosos, qui ad Obedientiam Superioribus exhibendam vi Voti tenentur. Hoc Obedientiæ Votum, quia tangit tenerrimam hominis partem & quasi oculi pupillam, voluntatem scilicet, & liberum hominis arbitrium, hinc arduum est, & perquam difficile, quódque indè sequitur, valde rara virtus, perfecta obedientia. Tres ordinariè assignantur obedientiæ gradus. Primus consistit in executione rei mandatæ, si faciamus, quod Superior jubet. Secundus consistit in Voluntate; si non nudè tantùm ponatur opus, sed etiam fiat promptè & alacriter. Tertius in Judicio; qui gradus supremus est; consistítq; in eo, ut judicium meum Superioris judicio ad amussim conformans, judicem, optimè mandatum esse, quod Superior à me fieri vult.

Tres sunt obedientiæ gradus.

Ad consequendam hanc egregiam virtutem, maximè opus est mortificatione & humilitate, sinè quibus Obedientia stare nequit. Utraque in illa includitur; quæ enim major mortificatio & humilitas esse potest; quàm suum judicium relinquere, alterius sequi? opus præterea est conformitate voluntatis nostræ cum Divinâ, quæ conformitas, cùm mentem nostram in Deum rapiat, sinè differentia volumus, quod vult ille; consequenter etiam id, quod vult Superior, qui vices Dei in terris agit, & in cujus fronte Deus

Quanam ad perfectam obedientiam requirantur.

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. XIX. *Quid obedientiam facilem reddat.*

posuit signaculum authoritatis suæ, per cujus os loquitur, mandat, prohibet, monet, punit. Obedientiam Superioribus exhibitã, ùt sibi præstitam Deus assumit. *Qui vos audit*, ait Luc. 10. 16. *me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Qui hæc seriò ad mentẽ revocat, nullam in obedientia difficultatem experietur: promptissimè obediet, non quia Superior Vir egregius est, insignibus talentis dotatus (quod prô dolor! motivum tantùm plurimos ad obediendum allicit) sed quia Deus in Mandante est, qui à me, quod Superior intimat, fieri desiderat. Hæc obedientia sola divina est, magníque meriti. Si hominem respiciam ejúsque qualitates, & ob has obediam, humana tantùm obedientia est, multis defectibus scatens, qui plurimùm & meritum & pretium minuunt. Qui in Superiore Deum non respicit, hunc nec homo nec Angelus reget; si talis Superiori debeat obedire, mandari non debent, nisi quæ ad illius sunt orexin, quæque genio & judicio illius conformia sunt; si secus fiat, nihil ab eo exspectari poterit. Certè tales quàm longissimè absunt ab illa obedientia, ad quam paratus fuit S. Francis. Saraph. qui aliquando auditus fuit dicere; paratissimum se fore ad præstandum exactissimam obedientiam juniori Fratri, si is ei, ùt Superior, præficeretur. Gentiles idololatræ fidem adhibent Dæmoni, ad eos per idola loquenti, sivè loquatur per simulacrum hominis, sive catti, sive canis, sive leonis: ità & subditum, Deo per Superiorem mandanti vel prohibenti obedire decet; nec respiciendæ in Superiore

qua-

qualitates, & statûs conditio; sed solùm ideò eidem obediendum, quia Deus in eo est, & per os ejus loquitur.

Superiorum onus Obedientia subditorum alleviat.

Onus Superioribus impositum admodum grave est; unde convenit omnino & rationi conforme est, ut idipsum à Subditis allevietur; quod meliùs fieri non potest, quàm promptè obediendo. Quod omni Religioso acri ad obediendum stimulo esse debet. Hujus stimuli & motivi mentionem facit S. Paul. qui postquam Hebræos c. 13. 17. his verbis allocutus fuisset: *Obedite Præpositis vestris & subjacete illis, ipsi enim pervigilant pro vobis, rationem pro animabus vestris reddituri:* subdit: *ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: Hoc enim non expedit vobis.* Vult hîc S. Paulus monere Subditos, ut labores, tædia, & officii difficultates Superioribus per promptam Obedientiam dulcia & levia reddant; hoc enim solo medio alleviari eorum onus potest; quod per Subditorum inobedientiam supra modum aggravatur. Certè Superior gemit, si inter subditos numeret unum aliquem pertinacem, refractarium & inobedientem; qui sibi prudens, suíque tenax est judicii; qui sexcentis excusationibus, explicationibus, contradictionibus contra Superiorum jussa se armat, hoc unicum quærens, ut se ab obedientia eximat. Et si Superior de suorum salute sollicitus multùm laboraverit, & sudaverit; obganniens hujusmodi refractarius, gratiarum loco murmurat, obloquitur, & per sannas posticas Superiori illudit. Secundò Superior gemit, si Subditi ex unâ parte in virtute non profi-

Inobedientia aggravat.

ciant, regulas audacter transgrediantur, exercitia ſpiritualia negligant; ex altera parte adeò delicati & ſenſibiles, ut ſi Superior ob defectus in illorum & Communitatis bonum eos monere debeat, excogitare vix poſſit modum corrigendi his teneris convenientem, debeátque continuò timere, ne duriuſculè hæc infirma membra attrectet. Sed caveant, caveant hi tales & ſaluti ſuæ maturè proſpiciant: non enim fruſtra S Paulus verbis ante citatis ſubjunxit: *Hoc enim non expedit vobis.* Certè in momento nubes penetrat vel unicus Superioris afflicti gemitus, ſiſtítque ſe coram divinæ Majeſtatis tribunali. S. Chryſ. hom. 34. in Epiſt. ad Hebr. judicat, Subditum poſſe magìs timere vel unicum ejuſmodi ſuſpirium & gemitum, quàm omnes pœnitentias, quas ob exceſſus diſcolo tali ſubdito Superior injungere poſſet. Nec opus eſt, ut multis verbis Superior coram Deo utatur: ſi triſti ſilentio afflictum cor ſuum coram Deo effundat, jam omni Oratore diſertiùs querelam contra immorigerum ſuum ſubditum depoſuit, qua incitatus Deus condignâ pœnâ duram cervicem excipiet: ùt ſolet excipere iratus pater degenerem filium, quem ludimagiſter patri offert, exponens omnem in filio inſtruendo operam irritam eſſe.

Inobediens meritò tibi Dei vindictam.

Mirabile eſt, quod legimus de S. Gennadio Patriarchâ Conſtantinopolitano, qui, cùm quendam Eccleſiæ S. Eleutherii Clericum ſcandoloſè viventem, ſœpius monuiſſet, nec tamen emendatio ſequeretur: ſcripſit epiſtolam ad S. Eleutherium, eámque juſſit al-

tari S. Eleutherii imponi: tenor epistolæ erat: *Clericum* N. N. *vel tolle vel emenda.* Tenor brevis sed efficax; postero enim die subitaneâ morte clericus extinctus fuit.

Cavete ergo viri Religiosi, ne Superiorum gemitus, quos per inobedientiam & irregularem vivendi modum provocatis, ultor Deus in vobis vindicet. Obedite Præpositis vestris exemplo tot Sanctorum in virtute obedientiæ tempore vitæ admirabilium. Obedite exemplo Beatissimæ virginis, quæ, licèt Josepho esset sanctior, eidem tamen perfectissimâ obedientiâ se subjecit. Obedite exemplo Unigeniti Filii Dei Salvatoris nostri, qui Patri suo per omnia in durissimis etiam obediens factus, ut hominem per obedientiam ad se revocaret, qui per inobedientiam ab eo recesserat; nec solùm obediens fuit Patri suo cœlesti, sed etiam Parentibus, teste ante Lucâ cap. 2. *Erat subditus illis.* Ex hoc perfectissimo obedientiæ Magistro exemplum sumite, & obedite, si non, ùt ipse Inferioribus & Æqualibus, saltem vestris Superioribus.

SECTIO XX.

Primum ad patientiæ & mortificationis studium motivum est, patiendi & nos mortificandi necessitas.

POstquam de Patientiâ, & suî ipsius abnegatione, seu mortificatione actum est, restat motiva adducere, quæ harum virtutum exercitium suave nobis & facile reddere

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. XX.

dere valeant. Nihil in mundo communiùs, quàm adversitatibus premi, & nihil rariùs, quàm scire eas ità ferre, ut decet, & ùt Deus à nobis eas ferri vult. Cùm igitur adversa evadere non valeamus, maximæ erit prudentiæ, ex necessitate nôsse facere virtutem, & ex malo, elicere bonũ. Quod fiet si perpenderimus inevitabilem tum patiendi, tum nos mortificandi necessitatem.

Homo esse non potest sinè adversitatibus.

Necessitatem patiendi quod attinet, certissimum est, quòd adversitates & tribulationes hæreditas nostra sint, ex inobedientiâ primorum Parentum nobis relicta; ità ut nullus vivat super terram homo, Rex sit aut Rusticus, quem non ad mortem usque insequatur numerosa omnis generis miseriarum caterva. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Job. c. 14. Quæ verba explicans S. Gregor. ait: *Ecce sancti Viri vocibus pœna hominis breviter est expressa, quia angustatur ad vitam, & dilatatur ad miseriam: si enim subtiliter consideretur omne, quod hic agitur, pœna & miseria est: ipsi enim corruptioni carnis servire ad necessaria & concessa, miseria est: ut contra frigus vestimenta, contra famem alimenta, contra æstum frigora requirantur. Tota Christiani hominis vita crux*, ait S. August. serm. 23. de Sanctis. Idem serm. 8. de Divers. *In cruce per totam vitam debet pendere Christianus; non enim est in vitâ tempus evellendi clavos.* Vix in humano corpore, pars, membrum, vel junctura reperienda, quæ non variorum dolorum sit capax, paucissima econtra membra voluptatis; quàm acutis doloribus vexantur dentes, caput, stomachus, cæteráque

inteſtina ; & cujus voluptatis hæc capacia ſunt ? Cùm ergo adeò profundè naturæ noſtræ infirmitati inhæreant, & quodammodo naturales ſint afflictiones ; ridendus certè foret, qui crederet ſe remedium inventurum, quo eas penitus à ſe arceret. Laudandus econtra, qui generosâ reſolutione ea excipit, novítque occurrentia mala in æternæ gloriæ ſemen convertere.

Sinè mortificatione bona vita duci non poteſt.

Ut inevitabilis patiendi, ſic & nos mortificandi neceſſitas eſt, ſinè mortificatione enim vitam Chriſtiano dignam nunquam ducemus : cùm enim Lex Chriſtiana omnium Legum perfectiſſima, ſanctiſſima, & ſupra omnem corruptæ naturæ ſenſum & propenſionem elevata ſit ; deinde nullum peccatum ſit, quod non prohibeat, nulla virtus, quam vel non præcipiat, vel ſuadeat ; ſic manifeſtè ſequitur, hanc arduam Legem ab homine ſervari non poſſe, niſi ſe abneget, appetitum, ſenſum, & paſſiones domando & mortificando. *Chriſtianiſmus*, ait S. Cypri. epiſt. ad Don. *eſt mors criminum & vita virtutum.* Eſt, ſecundùm Gregor. Nyſſen. Libell. ad Harmonn. de profeſſ. Chriſtian. reſtitutio hominis in eum ſtatum, ex quo per peccatum lapſus eſt ; eſt imitatio Jeſu Chriſti, ſecundùm quam verba, cogitationes & opera dirigenda ſunt.

A Religioſis præcipuè aſſumenda.

Mortificatio hæc præcipuè adhibenda eſt à Religioſis ; quia ſinè hac vitam non agent ſacro Ordini & Regulis conformem. Ad ſublimiora obligatus eſt Religioſus, quàm ſæcularis ; non ità hic tenetur ad conſilia Evangelica quàm ille ; & unde & nomen à *religando* Religioſus habet : per vota enim arctiùs

ſe

LIB. III.
PARS II.
CAP. X.
SEC. XX.

ſe Deo conſtringit, quàm laicus. Multa ſunt quæ Sæcularibus licent, Religioſis non ità; debent hi vitam ducere nequaquam per ſæcularia negotia diſtractam, ſed modeſtam & ſolitariam: illorum divitiæ conſiſtunt in paupertate; honor in ignominia, potentia, in infirmitate, fœcunditas in caſtitate; quorum deliciæ cum mundanis nihil habent commune; qui ſe humiliant in terris, ut poſt vitam exaltentur in cœlis; qui in carne vivunt, ùt puri Spiritus; quibus ſolus Deus eſt omnia in omnibus. S. Bernard. ſerm ad Fratres in erem. vocat Religioſos homines cœleſtes & terreſtes Angelos, quorum corpora in terris, corda in cœlis fixa ſunt. Ante S. Bernardum Climacus de Relig. grad. 1. ſcribit, quod Religioſi ſint quidem, ùt cæteri homines, mortales; eò tamen colliment, ut æternis illis Spiritibus ſimiles fiant in exercitiis. Sunt ſemper Deo intenti, eíque immerſi; ejus ſe ſervitio totos devovent; nec ullus locus, vel tempus eſt, quo in Dei famulatu non occupentur. Ad hanc perfectionem quis aſcendet, niſi cum paſſionibus continuò confligat, & naturæ corruptæ propenſiones expugnare ſtudeat? Unde Clim. gr. 1. docens, in quo eſſentia hominis Religioſi conſiſtat, ait: Homo eſt, qui naturæ ſuæ continuam infert violentiam, & ſuis omni momento cupiditatibus invigilat.

Cùm ergo ſinè mortificatione duci non poſſit vita, vel Chriſtiano vel Religioſo digna; patienter acquieſcendum, patienter ferendum, quod vitari non poteſt. *In hac vita*, ait S. Proſper, *quamvis ſtrenuè dimicemus, &* ad-

adjuvante Domino, catervas hostium, quibus circumfundimur, prosternamus; tamen, si ab eis nolumus vinci, nunquam pugnare desinamus, nec vincentes securos faciant viriliter depugnata jam prælia; sed magis solicitent adversariorum redivira certamina; ac si, quia secundùm sacræ scripturæ sermonem tota humana vita tentatio est super terram; tunc est tentatio finienda, quando finitur & pugna, & tunc est finienda pugna, quando post hanc vitam succedit pugnæ secura victoria.

SECTIO XXI.

Secundum motivum ad patientiæ & mortificationis suî ipsius exercitium, est orta ex eo utilitas.

Quanta ex adversitatibus utilitas.

OCulis cernimus, quàm multùm laboris & molestiæ sæpe quis devoret spe lucri, licèt exigui, & adhuc incerti. Spes mercedis æternæ magnæ nimis, quæ afflictos & adversitatibus probatos manet, certissima est: & hæc non moveret ad excipiendas alacri animo adversitates & quascunque tribulationes? Certum est, quòd Deus, quia ipsa Bonitas est, afflictionibus nostris, præcisè & nudè loquendo, non delectetur; quod ipsum satis ostendit, dum hominem primum in Paradiso condidit in- & externis deliciis affluentem, nullius rei indigum; eundémque ex hoc felici statu sinè ullius adversitatis prægustu ad æterna in cœlis gaudia evocâsset: si verò deplorandum hunc naturæ corruptæ statum, in quem ob peccatum lapsi sumus; si peccata, quæ committimus; si virtutum, cui occasionem dant adversitates, exercitium

consideremus; magnum sanè lucrum, magna ex tribulationibus obvenit nobis utilitas. Adversitates peccati scoriam tollunt, affectum ad peccata imminuunt, contracta debita diluunt, per exiguos dolores, horrendos illos in altera vita ignes extinguunt, conservant in humilitate, docent nos nostrî cognitionem, affectum à creaturis abstrahunt, ad virtutum exercitium impellunt, gratiarum nobis ubertatem in hac, & copiosissimam in altera vita nobis comparant mercedem. Unde optimè S. Leo serm. 16. de Pass. *Inter præsentis vitæ pericula, non tam optandum est nobis, declinando ipsa effugere, quàm tolerando superare.* Rogatus quidã ex antiquis Patribus à Tyrone, ut sibi, Tyroni, per preces & bona opera sanitatem à Deo impetraret; respondit Senex: *Rem tibi necessariam cupis auferri: si enim aurum es, per ignem probaris; si ferrum es, rubiginem amittis. Virga hæc est Patris,* ait Abail. ep. 5. *non gladius persecutoris; percutit Pater ut corrigat, ne feriat hostis ut occidat; vulnere mortem prævenit, non ingerit: immittit ferrum ut amputet morbum, corpus vulnerat & animam sanat: occidere debuerat & vivificat; punit semel, ne puniat semper.*

Adversitates non pati signum est offensi Dei.

Sancti illuminato Fidei oculo afflictiones & adversa intuentes, magna ea reputârunt miserentis Dei beneficia; sicut econtra nullis affligi malis, ùt certum divinæ indignationis indicium habuerunt. Unde S. Bernard. serm. 42. in Cant. adducens varia sacræ Scripturæ loca, in quibus Deus loquitur de iis, quos à facie suâ projecerat: ùt Ezech. 16. 42. Apocal. 3. 16. Isai. 16. 10. sic scribit: *Recessit zelus*

lus meus à te, ultra non irascar tibi; solo auditu contremisco; dicit iterum: Ego quos amo arguo & castigo; si ergo te zelus deseruit & amor; nec eris amore dignus, quia indignus castigatione teneris. Vides quia tunc magìs irascitur Deus, cùm non irascitur? Misereamur impio, & non discet facere justitiam: misericordiam hanc ego nolo; super omnem iram miseratio ista, sepiens mihi vias justitiæ: volo irascaris mihi Pater misericordiarum, sed illâ irâ, qua corrigis devium; non quâ extrudis de viâ. In eundem ferme modum hac de re loquitur S. Gregor. Lib. 26. mor. c. 17. *Electorum est hìc conteri, ut ad præmia debeant æternæ hæreditatis erudiri; nostrum est hìc flagella percipere, quibus servatur de æternitate gaudere; hinc enim scriptum est: Flagellat omnem filium quem recipit.* Eant *ergo Reprobi, ut voluntatum suarum desideria inultâ iniquitate consumment; atq; eo temporalia non sentiant, quò æterna eos supplicia exspectant.* Idem illud Jobi cap. 16. *Quis det, ut veniat petitio mea, & quod exspecto, tribuas mihi Deus? & qui cœpit, ipse me conterat, solvat manum suam, & succidat me? & hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.* Explicat & elucidat his verbis: *Sancti Viri, cùm de occultâ erga se dispositione suspecti sunt, plùs prospera ipsa pertimescunt; tentari appetunt, flagellari concupiscunt; quatenus incautam mentem, metus & dolor erudiat; ne in hac peregrinationis viâ, hoste ex insidiis erumpente, sua eum deteriùs securitas sternat. Hinc Psalmista ait: Proba me Domine & tenta me. Hinc iterum dicit: Ego ad flagella paratus sum.*

SECTIO XXII.

Tertium ad Patientiæ & mortificationis exercitium, motivum est, nascens ex eo voluptas & jucunditas.

Virtus amara reddit dulcia.

EA inest rectæ rationi & Virtuti energia & suavitas; ut vel ipsis doloribus, & ipsi afflictionum felli suam nôrit aspergere dulcedinem, illúdque in maximum convertere gaudium, quod maximè affligit. Ità gaudentes ibant Apostoli à conspectu Concilii, quia digni habebantur pro nomine Jesu aliquid pati. Act. 1. 41. *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis*; monet S. Jacob. Ep. c. 12. Parem suggerit doctrinam Princeps Apostolorum Petrus 1. Ep. 4. 13. *Communicantes Christi passionibus gaudete.* Loquitur in hac materia de se ipso S. Paul. 2. Cor. 12. 10. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Et iterum 2. Cor. 7. 4. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostrâ.* In tribulationibus & pressuris erat S. Paulus, ùt de eo scribit S. Chrysost. hom. 1. in 1. ad Cor. adeò lætus, quasi immenso voluptatum mari immersus esset; unde verissimum manet illud S. Bern. serm. de S. Andreâ. *Crux habet exultationem; ità est Fratres mei, semper lignum crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat charismatum.* Labore & sudore quidem opus est, ut crux feratur, & mortificatio exerceatur; sed novitDeus amaritudinem crucis suavitate solatii dulcorare, onús-

onúsq; difficultatū per gratiæ subministratio-nem alleviare. Multò est difficilius, majori-que animus tristitiâ afficitur, si cupiditatibus sinè frœno indulgeat, quàm si eas mortifi-cando & domando oppugnet.

Undo oriatur difficultas in ferendis adversitatibus.

Et quomodo vincenda.

Una ex difficultatibus, quâcum homo mortificationi passionum volens studere, confligere debet, est, ut resolvat actu rem aggredi, & arma ad hostem feriendum expedire. Difficultas hæc provenit ab amore proprio & naturali horrore, quo quis refugit sibi ipsi molestias creare; ex quo fit, quòd facile animum despondeat: appetitus econtra inordinatus præsto est, exhibétque ad vivum, latentem in re, quam prosequitur, voluptatem: hic lapis ille grandis est, quæ viam virtutibus reddit asperam, planam econtra & suavem vitiis. At hæc omnia fucus sunt, & vana phantasmata; cùm interim ex naturâ rei connexionem habeant cum corpore, & stant pertinaciter pro commoditatibus, & gratis corpori blandimentis; animum econtra vanis & fallacibus imaginationibus dementant, persuadéntque rem esse difficillimam, tormentum tormentorum, se mortificare & arduis virtutibus studere: rem suavissimam vitiis & effrœnatis indulgere passionibus. Sed toto cœlo erratur. Nemo enim est, qui si consideret, quæ & quanta bona sint, quæ amittit; quæ & quanta mala sint, quæ in caput suum accersit, passionibus indulgendo: similiter quæ & quanta bona per generosam cum passionibus pugnam, & partam de iis victoriam sibi in æternitate comparet; nemo, inquam, est, qui hæc bene per-

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. XXII.

pendens, toto se studio mortificationi non dabit. Ex quo patet meram esse illusionem, credere magnam latere in mortificationibus difficultatem; dulce econtra esse, omnem Passionibus libertatem indulgere. Verissimum est, quod scribit Seneca Ep. 13. ad Lucilium. *Plura sunt, quæ nos terrent, quàm quæ nos premunt; & sæpius opinione, quàm re laboramus: quædam nos magis torquent, quàm debeant; quædam antè torquent, quàm debeant; quædam torquent, cùm omnino non debeant. Aut augemus dolorem, aut fingimus, aut præcipimus.* Generosâ igitur resolutione in virtutum exercitio est opus, nec umbris terreri oportet. Si difficultatem sentimus, infirmitati succurrendum, animúsque erigendus spe infinitæ mercedis: statim ex animo vanæ rem nimiùm aggravantes phantasiæ excludendæ; cogitationes aliò vertendæ, nec cum fallaci hoc hoste diu disputandum; sinè morâ, & cœco quodam impetu ad rem procedendum: si diu lucteris, phantasia pertinaciùs instabit, & per exhibitionem fallacium voluptatum corruptæ naturæ vires debilitabit, & tandem triumphabit.

Exigua est in expletione passionum voluptas.

Deinde ad facilitandum mortificationis exercitium, certò credendum, voluptatem quam in expletione passionum obventuram, nobis fingimus, ordinariè adeò intensam non esse, ut nobis sub initium persuadebamus. Et nunquid illa est aperta fraus, voluptates hujusmodi in spe, quàm in re, esse majores? sed esto sint in re & spe pares; manet tamen indubitatum, voluptates has abjectas, viles & bestiales esse; & humanæ dignitati;

naturæ & rationi, cui de jure in passiones debetur dominium, contrariari; Dominóque famulum toties dominari, quoties passionibus obeditur. Virtutis econtra exercitium, tantam, ùt nobis imaginamur, difficultatem non habet; & licèt nonnihil intercurrat; minuitur tamen illa & auxilio divinæ gratiæ, & impertitâ desuper interioris solatii dulcedine; minuitur testimonio & quiete bonæ conscientiæ, ipsáque operis bonitate, quod naturæ humanæ & rationi conforme, Deo acceptum est. Opus non est id multis probare; videmus indies Viros Religiosos perfectionis amantes, lætiores in paupertate, quàm sæculares in opulentia; abundantiùs contentos humili vitæ suæ conditione, quàm potentes Sæculi, pompis & fastu; qui sinè comparatione majores in observantiâ castitatis experiuntur delicias, quàm alii sordibus his ad aures usque immersi.

In exercitio virtutum, opinione minor est difficultas.

Et quamvis nec antè, nec sub actuali mortificationis exercitio, ea occurrant, quæ ad illud amplectendum, nos movere possunt; saltem ea, quæ subsequuntur, bona; uti & illa, quæ post expletam passionem sequuntur, mala, hominem sensatum ad mortificationis exercitium facilè inducere poterunt. Si passioni cesseris, adest inquietudo mentis, conscientiæ remorsus, tristitia, tædium, intellectûs obtenebratio, voluntatis durities, crudelior Passionum & Appetitûs tyrannis; quæ post expletam voluptatem identidē clamant: Ampliùs, ampliùs: mala consuetudo profundiùs radicatur, vitio crescũt vires, animæq; potentiæ debilitantur: accedit, quòd com-

Effectus expleta passionis.

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. XXII.

Effectus exercitæ mortificationis.

commissum peccatum in Confessione aperiendum, pœnitentiáque de eo agenda. Manet ità verum illud antiquum: *Ubi uber, ibi tuber.* Longè alii sequuntur mortificationem fructus: Gaudium & robur mentis, habitus boni altiùs radicati, augmentum divinæ gratiæ, spes æternæ retributionis, quies animæ, quæ consistit in bono ordine; bonus autem ordo in homine hic est; ut Deus, velut supremus rerum omnium Dominus imperet, hunc sequatur Ratio, & demum Rationem Passio: hic ordo, si non servetur, susque deque vertuntur omnia; nullus ordo, sed sempiternus horror & merum chaos. *Pax vera non potest esse nisi in bonis & Bonorum.* docet S. Thom. 2. 2. q. 29. art. 2.

Ex hac pace & animæ quiete scaturiunt continuæ cœlestes deliciæ, & purissima gaudia. Et qua ratione non gauderet anima talis quæ eliminavit omne id, quod tristitiæ & mœroris solet esse causa? *Voluptatem vicisse, maxima voluptas est*, ait Cyprian. de bono pudicit. Certè homo mortificatus plùs in animo experitur gaudii spatio unius diei, quàm alius concupiscentiis carnalibus irretitus, integri anni: hominis siquidem vita, si, ùt res est, loquamur, rationalis est; unde & actiones ipsi propriæ, voluptates, recreationes, &c. rationabiles, & non carnales esse debent. Et tamen heu dolor! pleraque pars hominum vitam ejusmodi carnalem & sensualem ducit. Percurre omnium status & conditiones; attende quàm avidè à summo ad infimum quærantur, quæ sensibus, gustui, auditui, visui, &c. placent; attende

quàm

quàm pauci solidis illis vitæ spiritualis gaudiis, ex mortificatione oriri solitis, intendant. Homines invenies carni adeò immersos, ut credant, voluptates extra carnem non dari: per quòd manifestè produnt extremam suam inscitiam & deplorandam cœcitatem: scire namque deberent, quòd, quò vivens est perfectius, eò etiam perfectiores sint illius operationes; quodque voluptates eò sint excellentiores, quò plùs Deo appropinquant. Unde si eo fine quis se mortificet, ut Deo se magìs uniat, voluptas non amittitur, sed mutatur in meliùs. *Non perdit*, ait S. Aug. *sed mutat à carne ad spiritum, à sensibus ad conscientiam; & citò sentit, dulciores esse fructus justitiæ, quàm iniquitatis: & veriùs atque jucundiùs gaudere hominem de bonâ conscientiâ inter molestias, quàm de malâ inter delicias.*

Initium mortificationis tantùm difficilè, quod facilè superatur.

His incitari debemus ad virtutem magno animo aggrediendum; certi, quòd, si mortificationis studium, exiguâ difficultate victi omittamus, multò plures molestias & difficultates in nos provocemus; & cùm laborem renuimus exiguum, & sœpe tantùm apparentem & apprehensum, verum gravissimúmque subire debeamus. Solum initium difficultatis non nihil habet: si incepisti, jam vicisti. Exiguam illam difficultatem excipiet magna quies & suavitas. S. Augustinus, postquam ad longum deduxisset difficultatem, quam expertus fuerat in exstirpatione inordinatorum affectuum ad creaturas, hæc habet: *Retinebant me nugæ nugarum, & vanitas vanitatum, antiquæ amicæ meæ, & succutiebant vestem meam carneam & submurmurabant:* Di-

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECTIO XXIII.

mittisne nos? & à momento isto non erimus tecum ultrà in æternum? & à momento isto non tibi licebit hoc & illud ultrà in æternum? Hæc vincula postquam vir sanctus rupisset, subjungit, quanto fuerit perfusus gaudio. *Quàm suave mihi factum est, carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat: ejiciebas enim eas à me, vera tu & summa Suavitas; ejiciebas & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore sublimior; jam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi & acquirendi, & volutandi, atque scalpendi scabiem libidinum.*

SECTIO XXIII.

Quartum ad patientiam in adversis exercendam motivum est, nata ex iis nobis gloria, & Deo honor.

Pro Deo pati honorificum.

REm prorsus honorificam esse pro Deo pati, & ex ejus se amore mortificare, docet verbis expressis S. Pet. 1.Pet.4.14. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniã quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus spiritus super nos requiescit.* Major dignitas est, ex mente S. Chrysostomi hom. 8. in epist. ad Ephes. pro Deo pati, quàm regiâ indui purpurâ, & in sæcularium dignitatum apice consistere; imò major, quàm in medio Apostolorum sedere super thronos duodecim. Unde S. Paulus volens indicare Philippensibus c. 1. 19. ad quantam dignitatem essent evecti, ità iis scribit: *Vobis donatum est pro Christo, non solùm, ut in eum credatis, sed ut*

etiam pro illo patiamini. Christus ipse mentionem de suâ Passione faciens, vocat eam, *gloriam & claritatem*: paulò enim, antequam ingrederetur hortum, cruentum mortis præludium exorsurus, ad cœlestem Patrem suspirans ait: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum.* Quænam illa est hora? *Horam Passionis ostendit*, ait S. Hilar. lib. 3. de Trini. *namque natus ex Virgine, à cunis atque infantiâ, usque ad consummatum venerat virum, per famem, sitim, lassitudinem, lacrymas hominem egerat; etiam conspuendus, flagellandus, crucifigendus, clarificat Pater Filium: Quomodo tandem? suffigitur Cruci.* Ergone sputa, flagella, crux, sunt tua gloria Salvator amantissime? Ità est; hæc sunt mea gloria; quia hæc ex amore in hominem tolero, gloriæ & honori mihi duco, tam indigna pro eo pati. Videamus nunc, cur honorificum sit pro Deo pati.

Primò honorificum est, quia homo in adversis patiens, Deum glorificat. Pro quo notandum, quod memorat Theophrastes, Deum scilicet mundum hunc condidisse velut theatrum, in quo exhibet suam Sapientiam, omnipotentiam, justitiam reliquáque sua Attributa; hominem verò in medio hujus theatri positum, ut cum doloribus, morbis, paupertate, contumeliis, cæterísque, tam corporis quàm animæ, afflictionibus luctetur; Deum verò desuper in inferiores has partes prospicientem mirè delectari, si videat hominem constanter cum adversis congredientem, victorémque per patientiam evadere. *Voluptatem capiunt Dii*, ait Sene. Lib. de Provid. *dum spectant magnos viros collucta*n-

Deum oblectat homo in adversis patiens.

tes cum antiquâ calamitate: ecce spectaculum dignum ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignum, Vir fortis cum malâ fortuna compositus. Quàm pulchrum spectaculum, ait Minutius Felix *cùm Christianus cum dolore congreditur! cùm adversùs minas & supplicia & tormenta componitur.* Et quidni hoc spectaculum Deum oblectaret, si videat tales se habere famulos, qui sepositâ omni commoditate propriâ in adversis patientes, ejus Providentiam laudant, prompto resignatóq; animo amara omnia, seu corpus seu animam concernant, excipientes? de nullâ re magìs soliciti, quàm ut per dura, & per aspera, Dei gloriam promoveant. Ex his concluditur, Deum aptiùs ad gloriam suam dilatandam instrumentum non habere, quàm hominem in adversis patientem. Unde si Deus immittat cruces, in- sive externas afflictiones, pro certo habere possumus, has à Deo eum in finem nobis immissas, ut per patientiam, & promptam patiendi voluntatem, eum glorificemus. Congrediamur ergo fortiter cum adversis in hoc mundi theatro positi à Deo pugiles: de cœlo nos, ùt olim Stephanum respicit, suâ nos gratiâ roborans & adjuvans. S. Polycarpus rogo imponendus hanc cœlitus vocem audiît: *Fortis esto Polycarpe, & excelso animo rem gere.* Sur. 26. Jan. in vita. q. d. gloriam meam, de qua nunc agitur, in manus tuas consigno, hanc tibi defendendam committo: quod & generosè præstitit, inter ignes glorioso martyrio consummatus. Quod olim Polycarpo, hoc & tibi in adversitatibus tuis dici existima: fortis esto, nec ma-

malis ullis cedens, contrà audentior ito.

Secundò pati honorificum est; quia per tolerantiā attingimus creationis nostræ finem, qui alius non est, quàm ut omnia nostra Dei gloriæ & famulatui sacrificemus; quod proinde faciendum est, quocunque tandem labore constet. Si de honore Dei agatur, animæ corporísque afflictiones, imò ipsius vitæ jactura pro nihilo ducenda. Cum animalibus & bestiis terræ agimus, quodcunque libet; captivamus, mutilamus, mactamus pro lubitu: nec justè de hoc conqueri possunt, adhoc enim creata sunt, nobísque eorum Deus dedit dominium: cur parem non dabimus in nos facultatem, & dominium supremo nostro & legitimo Domino? cur nos totos ei non consecramus, & prompto patientíque animo excipimus, quæcunque tandem immittat?

Per tolerantiam adversitatum attingimus finem creationis nostræ.

SECTIO XXIV.

Quintum ad tolerantiam adversitatum motivum, sunt bona æterna beatitudinis, quæ nos manent.

AD declarandam hujus motivi materiam, pro ingressu suggerit nobis S. Paulus ea, quæ olim Romanis suis scripsit. c. 8. 18. *Existimo, quòd non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Hæc gloria tanta est, ut omnes mundi divitiæ, omnium Regum & regnorum gloria, thesauri, triumphi; & quidquid demum vel in voluptatibus suave, vel in hono-

Mundi bona cum cœlestibus in compa-

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECTIO XXIV.

rationem venire non possunt.

noribus sublime habere mundus potest, in comparatione bonorum æternorum vix fumus & umbra dicenda sint; illa enim quæ in mundo vel splendida, vel rara, vel deliciosa sunt, plures viderunt, vel audiverunt, vel saltem cogitatione assecuti sunt; sed ea, quæ nos manent in cœlis gaudia, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Teste Isai. cap. 64. *Extendat anima cupiditatem suam*, ait S. Aug. Tract. 24. in Joan. *& sinu capaciore quærat comprehendere, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Desiderari potest, concupisci potest, suspirari potest, verbis explicari non potest.*

Hæc cœlestis Patriæ gloria tanta est, ut jam memoratus Augusti. de ea in Psal. 36. 11. scribere non dubitârit. *Tanta est jucunditas lucis æternæ, ut etiamsi non liceret ampliùs in ea manere, quàm unius diei mora, propter hoc solùm innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis, & circumfluentia temporalium bonorum, rectè meritóque contemnerentur; non enim falso ac pravo affectu dictum est: Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Alius quidam Vir sanctus cœlestia illa bona considerans, dicebat; mirari se, quòd omnes lapides, arbores, ligna, gramina, &c. non converterent se in spinas & tribulos, iisque velut stimulis homines ad æternæ illa gaudia consequenda urgerent & adigerent. Modicum quid ex speciali Dei gratiâ in vitâ suâ prægustavit & vidit S. Theresia; ex quo velut in alium hominem mutata, omnia mundi speciosa & delectabilia ridebat, iisque ex animo compatiebatur, qui perituris his bonis animum affi-

affigerent. Talia, ajebat, vidi, ut eorum mi-
nimum, omnium hujus mundi bonorum
contemptum, cuilibet sensato facilè persua-
deret: Cùm Christus ea bona Sponsæ suæ
ostenderet: Ecce qualia bona sunt, quibus
se privant ii, qui me offendunt; tu interim
non omittes hæc illis intimare. De his tan-
tis bonis, licèt ineffabilia sint, pro modulo
pauca dicentur, ut horum spe, eò magis ad
exercendam in adversis patientiā animemur.

Boetius Lib. 3. de Consol. pros. 2. Beati-
tudinem æternam sic definit: *Est status om-
nium bonorum aggregatione perfectus.* Ex qui-
bus verbis clarè sequitur, beatitudinem æter-
nam comprehendere omnem felicitatem,
omnia bona, omnia gaudia, omnes volupta-
tes, quorum natura humana vel in corpore
vel in animâ capax esse potest.

In visione Dei beatitudo nostra.

Felicitas animæ nostræ propriè consistit
in clarâ Dei visione. Cùm enim beatitudo
nostra in eo consistat juxta Aristotelem, ut
præcipua & perfectissima animæ nostræ Po-
tentia, ad objectum perfectissimum tendat,
& circa illud actualiter occupetur & verse-
tur; idipsum verò solùm eveniat tunc, quan-
do internus Intellectûs nostri oculus clarè
Deum videt; hinc sequitur quod nos visio
Dei propriè beatos efficiat; ex unâ enim par-
te intellectus perfectissima nostra Potentia
est, per quam rationales sumus, & à qua tan-
quam à radice ipsa etiam voluntas nostra li-
bertatem habet; ex alterâ parte, omnium ob-
jectorum, quæ Intellectus concipere potest,
perfectissimum, Deus est. Unde optimè di-
cit Augustin. in ps. 35. conc. 2. *Quæ est futu-*

LIB. III, PARS II, CAP. X. SECTIO XXIV. *Quid in Deo visuri simus.*

ra gloria nostra, nisi videre Deum? Quid verò est visio Dei? quidnam videbimus, si eum videamus? quomodo hæc visio fiet?

Videbimus eum sicuti est, ait S. Joan. 1. Ep. 3. 2. Si videamus hominem, nil nisi exteriorem videmus cutem; quod ab intrà est, non conspicimus: animam, intellectum, memoriam, virtutes, quæ potissimum ornamentum sunt, non videmus: Deum econtra si videamus; videbimus, sicuti est, ab intrà, & ab extrà. Videbimus divinam illius essentiam, cum omnibus attributis; immensitatem, immutabilitatem, judiciorum abyssum, suavitatem Bonitatis, justitiæ rigorem: videbimus quomodo in potentiâ brachii sui creaverit & ex nihilo produxerit tot creaturas, eásque conservet: videbimus sanctissimam Trinitatem, æternitatem Naturæ, communicationem Idiomatum; quomodo Pater à se habeat Essentiam; quomodo Filius à fœcundissimo Patris intellectu, ùt verbum æternum gignatur; quomodo Spiritus sanctus ab utroque per amorem spiretur. Videbimus mysteria Fidei, quæ jam adeò obscura nobis videntur; videbimus mysterium Incarnationis, & omnia ea, quæ Christo acciderunt, dum inter homines, ùt Homo mortalis vixit. Videbimus mysterium sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ; abstrusum Sacræ Scripturæ sensum; in quo debitè explicando tot Viri docti sudârunt, & quorum multi in ejus explicatione turpiter hallucinati sunt: videbimus structuram, proportionem, pulchritudinem & gloriam cœlestis Hierusalem: numerum, ordinem, merita, perfectionem, Angelorum

gelorum & hominum ; numerum Damnatorum, diversitatem & pœnas peccatorum; per quorum aspectumBeatorum deliciæ non minuentur, sed augebuntur ; dum recogitant,quàm terribiles pœnas evaserint,in quas &illi cecidissent, nisi miserentis Dei benignitas à lapsu præservasset ; unde infinitas Deo Opt. Max. gratias agent. Videbimus Divinæ Providentiæ seriem; quomodo Regna & Provinciæ cœperint, creverint, defecerint ; quomodo unoquoque homine in particulari; & nobiscum ipsis egerit in puncto electionis nostræ. Perfectissimam Beatus habebit cognitionem omnium historiarum, verborum, cogitationum & operum omnium hominum ; cùm enim Beatus in æternum laudare debeat, & laudaturus sit Divinam Justitiam, hinc requiritur, ut clarè cognoscat, quomodo justissimè cum quocunque homine processerit ; quàm justè puniat, quàm justè remuneret : videbimus quæ & qualia consilia circa salutem & damnationem hominum Deus agitaverit; videbimus quid justi egerint, quo Cœlo potiti ; quid Damnati peccaverint, quo pœnas æternas meriti sunt : videbimus totum Universum, cujuscunque rei essentiam, proprietates, effectus, sympathiam & antiptahiam. Verbo, videbimus quidquid tandem in rebus creatis est ; hæcque omnia perspicacissimo oculo penetrabimus tàm in Deo, quàm extra illum in Creaturis ipsis.

Quis jam explicabit immensa illa gaudia, quæ ex visione Dei hauriet Intellectus noster. Paucis verbis rei hujus mentionem fa-

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. XXIV.

cit Psalmista David ps. 15. 11. dicens: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*: vel, ùt textus hebræ. habet: *Satietas lætitiarum cum faciebus tuis*. Quæ verba Genebrardus ità explicat: *Cùm aspectu faciei tuæ est satietas perfecta, & plena jucunditas*. Vatablus ità: *Cumulatissima abundantia omnium, quæ animum lætitiâ perfundere solent, & omne jucunditatis genus*. *Cum faciebus*, ait textus hebræus: ad denotandum, quòd sua sit facies Bonitati, sua facies Sapientiæ, sua facies Justitiæ, sua facies Misericordiæ, &c. & quia quodlibet Attributum Divinum infinitas à se emittit delicias, Intellectus noster per eorum aspectum summis voluptatibus perfundetur, immenso deliciarum mari immersus.

Similes Deo in cœlis erimus.

Nec tantùm Dei visio gaudio Intellectum replebit; sed insuper Beati animam Deo quodammodo similem efficiet. *Scimus*, ait S. Joan. 1. 3. *quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus*. Estque impossibile, ut Deo similis non fiat, qui eum videt; siquidem hæc visio, nuda visio non est, sed etiam actualis Dei possessio, &, quod necessariò ex hoc sequitur, perfectissima & intima cum Deo unio; sicut ergo res, quæ pulchritudini, sapientiæ, fortitudini, &c. unitur, necessariò debet fieri pulchra, sapiens, fortis, &c. ita etiam, imò multò magìs, si Divinitas immediatè se uniat animæ, per unionem hanc anima fit divina: ità remanet quidem homo, quoad essentiam, perfectione autem & participatione divinorum Attributorum quodammodo fit Deus. *Ego dixi, Dii estis*, ait David Psal. 81. 6. quod propriè in æterna beatitudine impletur. Sicut

cut ferrum candens naturam ferri non amittit; duas tamen ignis proprietates, calorem & splendorem ità assumit & imbibit, ut tangens & videns optimè dicere possit, ignem esse & non ferrum; sic & Beati, licet naturam retineant hominis, ità Perfectionibus divinis implebuntur, ut potiùs Dii quàm homines dici possint. *Bibent jugiter, & bibent, & absorbebunt; & erunt quasi non sint.* Abdias 16. Ineffabiles voluptates absorbebunt, & econtra à voluptatibus absorbebuntur.

Præter Intellectum & suâ perfundetur voluptate Voluntas, quæ voluptas consistet in amore Dei, ad quem per visionem infinitarum Dei perfectionum ità rapietur, ut impossibile eidem futurum sit, eum non amare ex totis viribus, atque ità cum Intellectu se Deo intimè uniet.

Nec solùm anima ejúsq; Potentiæ in cœlis gaudio perfundentur, sed & corpus omni excogitabili voluptate fruetur, & sua cuique sensui specialis delectatio erit: dignum enim omnino & justum est, ut, quod hîc animæ collaboravit in labore, & in cœlo cum ea coronetur in gloria. *Erit tunc Deus omnia in omnibus*, ait S. Aug. serm. 4. c. 4. de Verb. Dom. *nec erit ulla infelicitas, quæ nos exerceat, sed felicitas sola, quæ pascat: ipse autem Pastor noster, Deus noster; ipse potus noster, Deus noster; honor noster, Deus noster; divitiæ nostræ, Deus noster: quæcunq; hic varia quæris, ipse tibi Unus omnia erit.*

Pro cœlo strenuè laborandum.

Has ergo habentes promissiones, Carissimi, monet S. Paul. Corinthios 2. c. 7. *mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Toleremus,

patiamur, laboremus, ſudemus, erit merces operi noſtro; ſinè labore ad hanc non pervenitur: nec hoc mirandum; quàm enim non ſudant Mortales, ut peritura mundi bona, divitias, voluptates, honores aucupentur. Nunquid ſatiùs, ut laboremus pro bonis æternis? at, inquis, difficili labore ſtat merces illa; res admodum tædioſa eſt, naturæ impetus, appetitus, & paſſiones mortificare, creaturas & ſe ipſum relinquere, & hoc quidem ad mortem uſque; res dura eſt ſuum judicium aliorum ſubmittere, inimicis ignoſcere, &c. *Dices forſan*, ait S. Aug. ep. 143. ad Demetriad. *grandis labor; ſed reſpice, quod promiſſum eſt.* Labore quidem conſtat hæc gloria; ſed attendendum eſt, non tàm ad difficultatem laboris, quàm ad præmium labori promiſſum. Deus ipſe merces magna nimis eſt. *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æterum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. 17. *Latet gloria Fratres mei*, diſſerit S. Bern. ſerm. 17. in Pſal. Qui habitat: *abſcondita nobis in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc levi pondus ſublime & ſupra modum.* Optimè in hanc rem loquitur S. Auguſt. *Cùm attenderis, quid ſis accepturus, omnia tibi erunt vilia quæ pateris; nec digna æſtimabis, pro quibus illud accipias: nam utique pro æternâ requie labor æternus ſubeundus eſt; æternam felicitatem accepturus æternas paſſiones ſuſtinere deberes.* Ecce quàm bonus eſt Dominus; non dicit: Si vis me in æternum frui, patiendum tibi erit mille annis, vel per milliones annorum; ſed paucis admodum annis, fortè cras

vitæ & miseriarum finis erit; quæ tamen miseriæ multis consolationibus dulcorantur. *Ecce quantum pretium damus*, exclamat admirabundus August. in ps. 55. *quomodo unam siliquam, ad accipiendos thesauros infinitos: verè dixit David: Pro nihilo salvos facies illos.* Melliflué hîc discurrit S. Bern. serm. 1. de Divers. *Perge ergo murmurare & dicere: Longum est tempus, grave est, non poßum tam immania & tam diuturna portare: transit hora, transit & pœna; non sic gloria, non sic remuneratio, non sic merces ipsa laboris; nescit vicissitudinem, nescit finem, manet tota simul, & manet in æternum. Guttatim pœna bibitur, libando sumitur, per minutias transit: at in remuneratione torrens est voluptatis, & fluminis impetus; torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, flumen pacis: non nobis gloriosa vestis, non gloriosa domus, sed ipsa gloria promittitur: nam in veritate Justorum exspectatio, non aliquid lætum, sed ipsa lætitia est. Habentes ergo talem promissionem, non deficiamus aut fatigemur aliquando, nec grave causemur onus Christi.*

SECTIO XXV.

Sextum ad Patientiæ & mortificationis suî ipsius exercitium motivum, sunt mala & supplicia alterius vitæ.

SIcut æterna illa, quam Bonis Deus redditurus est, merces, omne superat gaudium, quod unquam vel vidimus, vel audivimus, vel cogitatione assequi potuimus: sic

& de pœnis, quibus Damnatos Divinæ Juſtitiæ rigor caſtigabit, ſentiendum eſt. Duo, ùt ità loquar, Deo ſunt brachia; unum Miſericordiæ, alterum Juſtitiæ; ſicut ex quantitate brachii unius, alterius colligere licet, quia ex natura æqualia ſunt: ſic ex maxima illa, quam juſtis exhibet Deus, Miſericordiâ, & infinito illo, quo Bonos remunerat, præmio, eruere poſſumus implacabilem Divinæ Juſtitiæ rigorem, & exquiſitiſſima, quibus in æternum Reprobi torquebuntur, ſupplicia & cruciatus.

Nullus eſt dolor, quo non affligentur Damnati.

Rem totam pauciſſimis verbis comprehendit Job cap. 20. 28. dicens: *Omnis dolor irruet ſuper eos.* Dicit: *Omnis*, quo inſinuare vult, nullum eſſe doloris genus, ſeu corporis ſeu animi, quo non cruciabuntur maledicti à Deo peccatores. Irruent in eos non ſenſim & lentè, ſed facto velut agmine, & pleno impetu omnia ſupplicia, omnia tormenta, omne malum. Quem acutiſſimi colicæ, calculi, vel podagræ dolores invadunt, inter lautiſſimas etiam dapes, inter prompta domeſticorum obſequia, inter omnium rerum delectabilium affluentiam, ſe miſerum reputat; nec quidquam eſt, ex quo ſolatium capere poſſit. Quid ergo animi erit Damnatis inter omnes tàm corporis quàm animæ dolores, anguſtias & afflictiones, quæ in omnẽ æternitatem horrendum in modum acutiſſimè intima animæ penetrabunt & lancinabunt? Ad Beatorum delicias augendas tota concurret natura, & quidquid natum & creatum eſt, ſtabit ad obſequium; ità & omnia creata in Damnatorum ſupplicia & crucia-

tus

tus intenta, adeo crudeliter, ut crudeliùs non possint, in damnatos Reproborum manes desævient, & in eorum carnificinam conspirabunt. Nec mirum hoc videre debet; est enim illud tempus, locus & status, ubi plenum rigorosissimæ suæ Justitiæ cursum relinquit offensum Numen, toti naturæ palam faciens, quantùm oderit peccata, & quanto post læsam patientiam furore hostes suos prosequatur.

Dolores inferni, maximi, quia æterni.

Quod dolores, & hunc districtum justissimi Judicis rigorem auget, est, quòd nulla ex tormentis redemptio, nullum, ne minimum quidem solatiolum in omnem æternitatem inter crudelissimas lanienas exspectandum sit. Ex quantitate temporis doloris intensio potissimùm desumitur, quò longiùs vel breviùs dolores durant, eò graviores vel leviores æstimandi sunt. Punctura aciculæ, levis dolor est; sed si in æternum protraheretur, intolerabilis & horrendus nimis fieret cruciatus. Quantùm ergo torquebunt tormenta, quæ ex natura sua non tantùm exquisitissima sunt; sed ad hæc in omnem retro æternitatem, quamdiu Deus erit Deus, durabunt. O æternitas, æternitas, quàm rarò de te cogitatur ô longa æternitas! *Sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui in rotâ*, ait Psalmista David Ps. 76. 19. Vult dicere S. Propheta: omnes, quas, ô Deus meus, tempore vitæ nostræ in nos evibras calamitatum sagittas, seu morbi sint, seu paupertas, seu calumniæ, seu contumeliæ, subitò transvolant; sed quam detonabis in Reprobos damnationis sententiam, irrevocabilis est, & æternum du-

LIB. III. PARS II. CAP. X. SEC. XXV.

duratura; similis incitato rotæ cursui, qui incipit ubi desinit, & desinit ubi incipit. *Sicut oves*, ait David Ps. 48. 15. *in æterno positi sunt, mors depascet eos.* Sicut oves in pascuis exteriora graminis foliola, & exstantes è terrâ herbulas depascuntur intactâ radice, novum suo tempore pabulum germinaturâ; ità & ignis infernalis Damnatorum substantiam aduret, sed nunquam comburet; pœnarum infernalium radix, quæ peccatum est, nunquam consumetur: tormenta erunt infinita, ùt infinitum erit peccatum. O quàm incomprehensibilis hæc infelicitas!

Si quis per integrum annum immotus in molli lecto & culcitrâ jacere cogeretur, gravi idipsum jacenti tormento foret; & hanc sub initium suavem lecti mollitiem, longa temporis mora verteret in equuleum. Si has similesque delicias amaricet temporis diuturnitas, quantùm intendentur per longam æternitatem pœnæ ex se ipsis intolerabiles, & tales quidem, quas ipsiusmet Dei infinita Justitia excogitavit, & huic loco reservavit, justissimæ suæ vindictæ satisfactura?

Hæc, quam modò descripsimus, illa miseria est, ad quam quis certò deventurus est, quicunque ex adultis non salvabitur. O quàm parum hæc pensamus; cùm tamen omni momento ad ostium æternitatis stemus; nullum enim momentum adeò breve est, quo mori non possimus. Timemus ubi non est timor, & ridemus ubi est timor. Pueri trepidant ad larvatas vel denigratas facies, fictos faunos, & inania hujusmodi terriculamenta, à quibus nihil mali metuendum; quæ

Quæ non sunt timenda, timemus; &

econ-

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECTIO XXV. *qua timenda, non agnoscimus.*

econtra nocere possunt, ùt est ignis, aqua, acuti cultri, non timent, quia pueri sunt, usu rationis carentes: ità & nos in adultiori etiam ætate his pueris similes, divitiarum, parentum, amicorum, honorum, & hujusmodi vanitatum & insaniarum falsarum jacturam pertimescimus, ad bonorum æternorum dispendium ne reflectentes quidem. Certè sinè usu rationis pueri sumus, qui citiùs æternum damnamur, quàm de damnatione cogitemus: ùt contigit diviti Epuloni; primæ enim vices, quibus de damnatione cogitabat, erant, cùm jam inferni flammis sepultus arderet, nec medium suppeteret iis se liberandi.

Imitemur ergo in tempore Prophetam Davidem ità de se Ps. 76. 5. loquentem: *Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum & non sum locutus: cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Hæc cum Davide profundè ruminans, etiam cum Davide pœnitente ad melioris vitæ proposita facilè movebitur, & eam, quæ in virtutum exercitio vel fugâ peccatorum difficultas suborietur, generosè oppugnabit, & superare studebit. Edic enim amabo, nunquid melius est, hoc temporis & vitæ nostræ pusillo pati modicam, exiguam vincere difficultatem, exiguam subire mortificationem, exiguâ se privare voluptatulâ, quàm in æternum sinè fine ardere Divinæ Justitiæ victimam? Nemo adeò bonorum & pecuniarum cupidus est, qui ob lucrum omnium hujus mundi bonorum & honorum vellet in succensam mitti fornacem, & per unum diem in eadem ardere. Et si quis fatuo similium bonorum splendore

excœcatus, eligeret hoc in igne tormentum per diem ſubire, judicans brevem eſſe unius diei moram; certè ne per quadrantem in igneo hoc hoſpitio perduraret, omnis promiſſorum bonorum memoria evaneſceret, & pro citiſſimâ è flammis liberatione plenis faucibus clamans & ejulans ſupplicaret; pretio adeò grandi bona hæc futilia nunquam comparaturus.

Quid agimus cœci mortales! ſuſcitavit æternum ignem; juſta Dei vindicta, in quem inſufflavit ſpiritus furoris Domini; & in hoc igne terribili in æternum torqueri & aſſari toties eligimus, quoties Dei mandatis, honoris punctulum, & voluptatis guttulam anteponimus. Aperiamus tandem oculos in tempore, ne fatuam & extremam hanc cœcitatem ſerò nimis deploremus in infelici æternitate. Virtutibus, nullâ habitâ difficultatum ratione, ſeriò ſtudeamus, cupiditates noxias frœnemus, ne ad devia nos deducant; contra carnis illecebras, & alia quæcunque vitiorum blandimenta ſtrenuè pugnemus; ne in hos ardores ſempiternos & ignem devorantem præcipitemur ſinè fine cruciandi.

SECTIO XXVI.

Septimum ad Patientiam & ſuî mortificationem, motivum eſt, quia eſt ſignum æternæ Prædeſtinationis.

NEmo unquam Cœlo potitus eſt, nemo unquam illo potietur, niſì per paſſionem;

nem; hæc via, hæc scala, hæc ostium ad æterna gaudia est. Hanc viam trivit, hanc scalam ascendit, per hoc ostium ingressus est in gloriam suam unigenitus Dei Filius: qui cum Exemplar sit nostræ prædestinationis, oportet & nos ambulare, sicut ille ambulavit. *Nullum est illustrius*, inquit S. Aug. de bon. persev. cap. ult. *prædestinationis exemplum, quàm ipse Jesus: quisquis Fidelis vult prædestinationem bene intelligere, attendat ipsum, atque in illo inveniet & seipsum. Quos præscivit*, inquit Apost. Paul. Rom. 8. 25. *& prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Non ergo aliâ viâ itur ad cœlum, quàm per adversitates. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Act. 14. 21. Potuisset Deus aliter seriem Prædestinationis texere, nos sinè tribulatione salvos facere, & per meras delicias ad cœli gaudia deducere; at noluit; judicans ad majorem esse nominis sui laudem & gloriam; ad nostram majorem utilitatem pati & affligi. Et licèt neutrum horum esset; Dominus est, quod libet, facere licet. Ad hæc rationi valde conforme est, & æquum putavit æternus Pater, ut nos, qui peccatores sumus, eandem ad cœlum viam teneamus, quam tenuit innocentissimus ejus Filius, & priùs ipsi compatiamur, antequam fiamus cohæredes. *Satiabor*, canit David ps. 16 v. ult. *cùm apparuerit gloria tua.* Vel, ùt alii legunt: *Satiabor cùm afflictus fuero ad similitudinem tuam*

Deus non salvat nisì per adversitates.

Quia igitur Deus hunc ordinem constituit, decrevítque nec ad unguem ab eo recedere; hinc Electos suos per immissas omnis generis afflictiones, ùt aurum in fornace

pro-

probat; permittit, ut bonis fortunæ ſpolientur; ignominiâ & ludibriis afficiantur, morbis infeſtentur, internis animi preſſuris coanguſtentur, variiſque aliis modis affligantur. Et ſi electæ hæ animæ à Deo per tribulationes non exerceantur, ſibi ipſis flagella parant per opera pœnalia, optimè ſcientes, ſinè afflictionibus ad Deum perveniri non poſſe. *Si exceptus es à paſſione flagellorum, exceptus es à numero filiorum*, ait S. Aug. Lib. de paſtorib. c. 5. *Quem diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Ad Heb. 12. 6. Dicit: *Omnem*: nec ſuum quidem excipiens dilectiſſimum Filium, qui, ùt ait S. Anſelm. in præcitata Apoſtoli verba, *licèt ſinè peccato, non tamen ſinè flagello.* Et S. Aug. in eundem locum: *Flagellat omnem filium quem recipit, nec unico pepercit, in quo delictum non invenit.*

Quidquid ergo evenerit nobis duri & aſperi, promptè excipiendum, nec animo cadendum. Adverſitates paterni in nos amoris ſunt ſignum, ſunt prædeſtinationis indicium, & æternæ gloriæ pignus. *In diſciplinâ perſeverate*, hortatur S. Paul. Heb. cap. 12. 7. *tanquam filius vobis offert Deus; quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes; ergo adulteri & non filii eſtis.*

SECTIO XXVII.

Octavum ad Patientiam motivum est, quia Deus, qui Bonitas ipsa est, adversitates immittit, nobis patientibus adest, nec ultra vires nostras nos gravat.

DUlcis nobis erit omnis adversitas, si seriò perpenderimus, eam nobis immitti ab illo, qui omnia in toto Universo prudentissimè gubernat. Qui cùm singulis creaturis certum præfixerit finem, etiam ad eum finem per talia media ducit, quæ fini accommodatissima sunt. Unde credendum firmissimè est, *Primò*, quòd non eveniat nobis casu, quod quocunque tandem modo nos affligit; sed omnis calamitas in numero, pondere, & mensura à Deo præordinata sit. *Secundò*, quòd Deus, quia infinitè sapiens est, naturam, durationem, & effectus nostrarum adversitatum, utì & virium potentiam clarissimè perspiciat. *Tertiò*, quòd, quia omnipotens est, millenis nos possit modis, à miseriis, si ità ipsi placeret, nos liberare; nec ultra modum, quem ille statuit, ab ullâ creaturâ, posse nos affligi. *Quartò*, quod, quia benignissimus est, non castiget ex odio, sed ex tenerrimo amore; non ut malum inferat, sed ut ex malo bonum in nostrî commodum proliciat. *Quintò*, quòd, quamvis adversà immediatè vel à Diabolo, perversis hominibus, vel aliis creaturis inferantur, radicaliter procedant à Deo, nec ad alium, quam ad illum solum referenda sint. Non est potestas,

Ad quæ in adversitatibus potissimum reflectendum sit.

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECTIO XXVII.

ùt ait S. Paulus, nisì à Deo; qui ergo dominatum in nos vult exercere, eundem necesse est, ut à Deo accipiat. Voluntas & desiderium Diaboli, nobis nocendi semper mala sunt; sed potestas, quam in nos exercet, nunquam est injusta: voluntatem nocendi habet à se ipso, quia malus est; potestatem autem à Deo, qui bonus est, quíque permittit ut malus id exequatur, quod ipsius Bonitas disposuit; sed non eo modo, quo vult Spiritus malignus, sed prout vult benignus Deus. Si quid ergo pateris, non imputa Diabolo, non imputa inimico; *Prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum*, suadet S. Aug. in Psal. 13. Nec dicas Dominus dedit, Diabolus abstulit; sed: Dominus dedit, Dominus abstulit. Hæ jam memoratæ veritates sedulò ruminandæ, & altissimè cordi imprimendæ, cœteroquin in aspera adversitatum semitâ facilè cæspitabimus.

Deus in iis rebus, quæ affligunt, verè præsens est, & quid per immissas cruces intendat.

Præterea in omni tribulatione animus quietari potest; si consideremus, Deum non solùm veurm adversitatum nostrarum esse Authorem; sed in iis, ùt in aliis creatis præsentem esse per suam essentiam; præsentiam & omnipotentiam. Sic per essentiam est in febribus, calculo, podagrâ, colicâ &c. ille est, qui ùt causa prima, causis secundis dolorem nobis inferentibus cooperatur: si enim in morbis & doloribus Deus verè præsens non esset, non possent affligere; sed in nihilum reciderent. Per hanc suam cum doloribus cooperationem excellentissimos sibi fines præfigit, v.g. ut per patientiam nostram, & conformitatem voluntatis nostræ cum Divinâ,

se

seipsum glorificet; ut justitiæ suæ, si peccatores simus, satisfaciat; ut, si innocentes, supremum suum in res omnes exerceat Dominium; ut odium in peccata manifestet; ut nos certos reddat, post mortalem hanc vitam sequi aliam, cùm justi & viri sancti ità in tempore castigentur; ut toti mundo manifestet, quanta in famulis suis sit Fides, quàm immobilis spes, quàm immutabilis amor; ut nos à peccatis purget, & per exiguum pretium grande illorum debitum exsolvat; ut nos sanctificet, nobísque suæ electionis signaculum imprimat; ut nos Filio suo conformes efficiat, &c.

Non plus Deus imponit, quàm ferre possimus.

Denique forti in adversitatibus animo esse possumus, quia certi sumus Deum nobis graviora non imponere, quàm ferre possimus. *Fidelis Deus*, ait S. Paul. ad Cor. 1.c.10. 13. *qui non patitur vos tentari supra id, quod potestis. Cibabis non pane lacrymarum & potum dabis nobis in lacrymis in mensurâ, canit* David. Ps. 79.6. Hoc est, ùt explicat S. Aug. *Pro viribus tuis ut erudiaris, non ut opprimaris. Nulla ergo est tentatio nisì acceperit mensuram à Domino: sint ergo tentationes, sint tribulationes; consummaris eis, non consumeris.* Si detrectas crucem ferre, tibi ipsi obes, & manifestè prodis nolle te in egregiam figuram efformari; es sub manu Dei, quod marmor sub manu statuarii; quod in statuam formare non potest, nisì secando, & superflua per acuta instrumenta tollendo, polliat. Vult te Deus sibi placitam statuam formare, cave ne obsistas murmurando, ipsiúsque manum effugiendo; certus esto, nec unum superaddet ictum superfluum

pro-

procedétque ad amussim juxta artem & necessitatem.

Clarissimum hujus rei exemplum habemus in Jobo Job. 1. 11. Nam *Primò* eidem diabolus nocere non poterat, nisi post obtentam à Deo licentiam. *Secundo.* Diabolus non dicit : da mihi potestatem eum percutiendi; sed: Extende tu manum; q. d. quamvis potestatem eum percutiendi mihi daturus sis; non tamen ex hac potestate ego, sed Tu percuties, & me tanquam instrumento utéris: non secus, ac si quis percutiatur gladio, gladius quidem vulneret carnem dissecando; imputatur tamen vulnus magis manui, quàm gladio. *Tertiò*, dat Deus Diabolo limitatam potentiam Jobum in una re tantùm exercendi; reliqua Deus vult, ut intacta relinquat. *Quartò*, dat facultatem tollendi bona, sed corpori vult ut parcatur; postea dat potestatem in corpus, non tamen ut occidat. *Considerandа*, ùt notat S. Greg. Lib. 2. mor. c. 7. *est in verbis Domini dispensatio sancta pietatis; quomodo hostem nostrum permittit & retinet, relaxat & refrœnat; alia ad tentandum dat, sed ab aliis religat.* Stolidus & stupidus agaso, ait S. Ephrem. serm. 1. de Patien. novit, quantùm ferre possit jumentum suum, nec majus imponit onus quàm ferre possit. Novit figulus quàm diu vasa in igne coquenda, ut usui apta reddantur: & Deum, qui ipsa Sapientia est, putabit aliquis plura nobis imponere, quàm ferre possimus; eúmque permitttere nos diutiùs igne tribulationum excoqui, quàm requirat massa nostra?

SEC-

SECTIO XXVIII.

Nonum ad Patientiæ exercitium motivum, est Exemplum Christi.

DEdit nobis Salvator noster omnium quidem virtutum præclarissima exempla; præcipuè autem Patientiæ. Tota ipsius vita crux fuit & passio, quæ incepit à primo conceptionis suæ momento, duravítque ad ultimum halitum vitæ, quam in infami ligno inter acerbissima tormenta ex amore nostri finivit. *Omnes actus Christi*, ait S. Cyprian. lib. de bono Patientiæ, *ab ipso statim adventu patientia comite signantur.*

Justissimum est, ut cum patiente Christo patiamur.

Hoc Christi Domini exemplum, tantáque hujus Personæ dignitas, ad patientiam in adversis plurimùm nos animare debet. Res foret indigna nimis, Christum Redemptorem nostrum, cui de jure debentur omnes deliciæ, & omnimoda ab omni malo ob sanctitatem & innocentiam exemptio, tot adversis exerceri; nos verò homines peccatores omni malo liberos in bonis ducere dies vitæ nostræ. Ordo esset præposterus & pessimè mutatus, si nos, ùt delicatuli, sequi vellemus Christum, cujus nos Discipulos profitemur, in meris voluptatibus, sinè ulla cruce, & minimo doloris sensu; cùm tamen sciamus Ducem hunc & caput nostrum Cœlos ascendisse, non in curribus & equis, sed manibus & pedibus perforatis; coronatum fuisse non rosis sed spinis; indutum non regali purpurâ, sed centone & vili lacernulâ, flagellísque toto corpore concisum. Pro nobis pati

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECTIO XXVIII.

dignatus est, ut nos à peccatis emundet, debitum exsolvat, Divinæ Justitiæ satisfaciat, æternæque gloriæ capaces nos efficiat. Nunquid ergo rationi omnino conforme est, ut & nos collaboremus, & de nostro conferamus, quo animam purgemus? Cur solus patietur Deus, qui pœnam non meruit? cur innocens plectetur, & nocens sinè pœna dimittetur? Nunquid omnino æquum est, ut & nos nonnihil patiamur, pro assequendis iis bonis, quæ tam caro pretio, litro sanguinis sui nobis Salvator noster comparavit? *Adimpleamus*, ùt monet S. Paul. Coloss. 1. 24. *ea quæ desunt, passionum Christi in carne nostrâ.*

Quomodo Christus patiens imitandus.

Hæc adimpletio consistit in duobus, quæ potissimum in passione Christi reperiuntur. *Primò*, reperiuntur exteriores illæ adversitates nudè sumptæ, quales sunt v. g. contemptus, ignominia, sitis, fames, nuditas, morbi, persecutiones, dolores, mors, &c. *Secundò*, virtutes à Christo exercitæ, quæ sunt quædam tribulationum anima; quales fuere Patientia, Obedientia, Resignatio, Humilitas, Mansuetudo, Amor etiam erga illos, qui ipsum crucifigebant, &c. Deinde omnes toleravit cruciatus ex altissima intentione: ut Patrem cœlestem glorificet, hominem redimat, amoris sui probam illi exhibeat. In his oportet Christum imitari: non debemus superficietenus pati, sed penetrare debemus ad ipsam crucis medullam, eásque in adversitatibus exercere virtutes, quas Christus: hoc si non fiat, inter nostras & irrationabilium animalium afflictiones, nulla erit differentia. Nulla econtra erit tribulatio, quàm non mitigabimus,

gabimus, si patientem pro nobis Christum intueamur, ejúsque exercitas in Passione virtutes pro modulo nostro imitemur. Vult Christus, generosissimus ille Heros, ut milites sui respiciant ad vulnera, quæ pro eorum salute suscepit, ut eorum aspectu se roborent, ad quævis dura excipienda parati. Quòd tot Martyrum millia tormentis non cesserint, causa fuit, quod respexerint ad Christi vulnera, & in iis tanquam foraminibus petræ se absconderint. *Stat Martyr triumphans & tripudians*, ait S. Bern. serm. 61. in Cant. *toto licèt lacero corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter, sed & alacriter sacrum è carne suâ circumspexit ebullire cruorem. Ubi tunc anima Martyris? nempe in tuto, nempe in petrâ, nempe in visceribus Jesu: si enim in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum profectò sentiret, dolorem non ferret, succumberet & negaret: nunc autem in petrâ habitans, quid mirum, si in modum petræ induruerit?*

SECTIO XXIX.

Conclusio omnium motivorum, & totius Capitis.

EFficacia valde sunt adducta hucusque motiva, ad leniendum, imò tollendum omnem in afflictionibus dolorem. Pro quo tamen ulteriùs notandum, quod quidem adversitates & occurrentia nobis incommoda, à peccatis expurgent, eorum debitum solvant, quod gratiis repleant, signúmque sint æternæ ad gloriam prædestinationis; hoc interim ità intelligendum est, si perferantur eo, quo debet & decet

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECTIO XXIX.

Patiuntur adversitates tàm Boni, quàm mali.

modo. Adversitates secundùm se sumptæ non sunt signum prædestinationis; non enim Electi tantùm, sed & Reprobi afflictionibus subjecti sunt: imò impiis, tàm in hac quàm in altera vita, quasi hæreditas sunt, pœna & dolor; sed præcipuè cardo vertitur in modo, quo cruces & molestiæ feruntur: unde aliis in commodum, aliis cedunt in detrimentum: apud quosdam sunt signum prædestinationis, apud alios reprobationis. Manifestè hoc ipsum Christus ostendit in duobus, quos in crucifixione socios habuit, latronibus; ex quibus ille, qui pependit à dextris, passione suâ usus est ad salutem, qui à sinistris, ad damnationem. Non ergò satìs est, ad promerendam gloriam, pati; cum illud & Bonis & Malis commune sit; sed requiritur, ut patiamur cum bono Latrone promptè & patienter; non querulosè cum Reprobo; qui eosdem quidem, quos Latro bonus, sustinuit dolores, sed non eodem animo; toleravit enim impatiens & blasphemans; ex quo tamen dolores in nullo mitigati, sed intolerabiliores facti, ex temporali in æternum supplicium conversi sunt; fecitque sibi ipsi ex patibulo scalam, quo ad inferos descendit.

Ut bene patiamur, patiendum promptè.

Cruces igitur undecunque, & à quocunque proveniant; sive causam sciamus, sive nesciamus, libenti animo excipiendæ. Nihil injustum immittet nobis, qui bonitas infinita est; à quo ut primo Authore omnia proveniunt; qui vel ità voluit, vel ità permisit *Magna satisfactio percussionis est*, ait S. Greg. Lib. 32. mor. c. 5. *Voluntas justa Conditoris; quia cum injustum nihil facere solet, justa agnoscitur, etiamsi latet.*

De-

LIB. III. PARS II. CAP. X. SECTIO XXIX.

Afflictionibus ad emendationem uti debemus.

Debemus præterea afflictiones ità ferre, ut per eas melioremur, cæteroquin signa sunt, non Prædestinationis sed reprobationis. Duobus solet modis Deus homines punire in hoc sæculo, ùt notat S. Greg. Lib. 9. moral. c. 24. Vel per præsentes afflictiones initium facit futurarum; vel per præsentes mitigat futuras. Apud Electos adversitates sunt, ùt ignis purgans aurum, apud Reprobos, ùt consumens fœnum & stipulas. *Malis ità sunt*, ait S. Aug. in Ps.103. *tanquam ignis fœno*; *Bonis ità sunt, tanquam ignis auro.* Et alio in loco con. 3. in Ps. 61. *In fornace ardet palea, & purgatur aurum; illa in cineres vertitur, à fordibus istud exuritur.*

Denique in afflictionibus oportet nos totos Dei voluntati committere, & in illius manus nos cum corpore & anima totos consignare, contenti; quidquid tandem nobiscum acturus sit; debemus ut particulam de sanctâ Cruce adversitates suscipere, oculôque irretorto semper Deum respicere. Generosè & fortiter ferendum, quod Deus imponit. Robur corporis ex eò dignoscitur, si pondus grave portare valeat; sic robur mentis perspici ex eo potest, si graves possit ferre tribulationes. Certè generosus & magnanimus non est, qui cuicunque succumbit cruculæ, vel eam murmurans portat. Qui eò rem deduxit, ut norit non tantùm adversos casus patienter ferre, sed etiam contemnere; hic non vadit, sed volat ad perfectionem: præcipuum enim in via virtutis obstaculum, est vanus afflictionum timor; dum naturæ corruptæ nimiùm blandimur, & effœminatè compatimur.

CAPUT XI.

Amor Christi excitat in nobis gratitudinem.

EGimus hucusque de præcipuis Virtutibus & motivis, quæ ad earum exercitium animare & excitare nos possunt: dicendum modò nonnihil de Gratitudine, quæ & amorem in cordibus nostris conservat, & magìs magísque accendit. Nihil est, quod Dei liberalitatem ità impediat, quàm Ingratitudo; quæ vocatur à S. Bern. serm. 51. in Cant. *Ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Idem S. Doctor in libro cui titulus: *Contra pessimum vitium Ingratitudinis*, quærit, quænam sit causa, quòd Deus non rogatus ex ultronea liberalitate sœpissime magna conferat beneficia; rogatus verò instantissimè beneficium petitum deneget. Ergóne abbreviata est manus Domini? nequaquam. Rationem subdit S Bernard. *Heu heu! non invenitur, qui agat gratias Deo: paucos admodum novimus, qui dignas super acceptis beneficiis gratias agere videantur.* Et hinc oritur, quòd nulla Deo nobis benefaciendi sit voluptas.

Ingratitudo impedit Dei liberalitatem.

Gratitudinis tres sunt gradus. Primus Cordis, secundus Oris, tertius Operis. Gradum primum ascendimus, si de beneficio accepto sœpe cogitemus, placeátque nobis prompta Benefactoris voluntas: gradus hic infimus est; quis enim adeò bardus, qui non interdum recogitet beneficia, quæ accepit? Secundum scandimus, si non cordi solùm inclusa beneficia contineamus;

Tres gratitudinis gradus.

mus; ſed & ore confiteamur, & coram aliis prædicemus. Tertium, ſi non ore & corde ſolùm grati ſimus; ſed & opere ipſo gratitudinem teſtemur, & beneficium beneficio recompen- emus.

Dei liberalitas ad gratiarum actionem nos cogit.

Cauſæ, cur Deo gratias agere debeamus, ſunt quodammodo infinitæ; ſi conſideremus excellentiam Benefactoris, amorem promptámque nobis benefaciendi voluntatem, extremam noſtram ingratitudinem, & vilitatem accipientis, inveniemus certè nihil adeò nobis incumbere, quàm perpetuam gratiarum actionem. Si naturam & eſſentiam hominis rectè conſideremus, nihil aliud eſt, quàm quoddam coagulatum ex meris, liberaliſſimè à Deo collatis, beneficiis plaſma: ut meritò Propheta David Deũ nominet, *Miſericordiam ſuam. Deus meus*, ait Pſ. 88. 18. *Miſericordia mea. Non invenit*, ait S. Aug. in hunc locum, *impletus bonis Dei, quid appellaret Deum ſuum, niſì miſericordiam ſuam. Miſericordia mea quid eſt? totum quidquid ſum, de Miſericordiâ tuâ eſt. Benedic*, ait idem David Pſ. 102. *anima mea Domino, & noli oblivîſci omnes retributiones ejus.* Quem locum doctè & ſubtiliter idem S. Aug. interpretatur; non dicit David *tributiones*, ſed *retributiones*: *Aliud enim debebatur, & redditum eſt, quod non debebatur; unde & ille: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi* Pſ. 115. non ait: *Quæ tribuit*, ſed: *Quæ retribuit mihi. Retribuiſti tu mala pro bonis, & retribuit ipſe bona pro malis.* Nomine horum bonorum intelligenda ſunt tam privata, quàm communia, tam nota quàm ignota tibi à Deo collata beneficia. Servat benigniſſimus

Deus in ſuorum diſtributione bonorum ex mente S. Chryſoſt. Lib. 1. de Provid. hunc ordinem; ut aliqua eorum nobis nota ſint, ut moveamur ad gratias Deo referendas: ne verò putemus beneficia nobis ideo præcisè collata, ut gratias (quibus certè Deus non indiget) agamus, ſed ſciamus, quòd omnia ex puriſſimoq; in nos amore procedant, occulto modo benefacere omni die, omni horâ, omni momento non ceſſat: ne tamen pro occultis ingrati ſimus, memores eorum nos eſſe decet in communi pro beneficiis acceptis gratiarum actione.

Deo gratiæ agendæ etiam pro immiſſis malis.

Debemus præterea Deo gratias agere pro afflictionibus, & occurrentibus malis, excepto peccato: ſiquidem tam afflictiones, quàm exhibita beneficia, ex una fluunt radice caritatis. *Gaudes?* ait S. Aug. in Pſ. 33. *agnoſce Patrem blandientem: tribularis? agnoſce Patrem emendantem; ſive blandiatur ſive emendet; erudit, cui parat hæreditatem.* Pari affectu benedicendus & quòd Adamum creaverit, & quòd eundem ex Paradiſo exturbaverit: & quòd creaverit cœlum,& quòd accenderit infernum; non quidem eo fine, ut nos in eum præcipitaret; ſed ut ſalutarem timorem,& peccatorum ingerat horrorem. Medicum non ſolùm tunc amamus, quando permittit nos ex cibis ſumere, quibus libenter veſcimur; ſed etiam tunc, quando amaras in bonum & utilitatem noſtram præſcribit potiones: ſiquidem hæc omnia ad ſanitatem noſtram ordinata ſunt, & ſinè quibus hanc non obtinebimus. Quidquid immittat tandem Deus, ait S. Dorotheus doct. 5. grato accipiendum animo, & recogitandum, ea omnia ſeu amara, ſeu dul-

dulcia infinito Dei in nos amore, & benevolâ nos salvandi voluntate esse dulcorata. Et quomodo credemus mala nobis immissa ex sinistra Dei intentione accidere? Ergo qui mortem pro nobis subiît, immitteret quidquam, quod nocere posset? Agendæ igitur Deo gratiæ, tam in paupertate quàm divitiis; tam in contemptu quàm in honore. *Christianorum propria virtus est*, ait S. Hierony. in cap. 5. ad Ephes. *etiam in iis, quæ adversa putant, referre gratias Creatori.* De Tobia seniore habet sacer textus Tob. 2. 13. *Non est contristatus contra Deum, quòd plaga cœcitatis evenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo, omnibus diebus vitæ suæ.* Nihil ex mente S. Chrysost. hom. 8. in Epist. ad Colosl. sanctius est Linguâ, quæ in adversitatibus agit Deo gratias: eas agere in prosperitate, vulgaris virtutis est; quilibet id poterit: at adversitates, ùt beneficia accipere, pro iis gratias agere, res insolita, res quodammodo miraculosa est, & non nisi viri in virtutibus solidis admodum fundati. Valet, judicio Avilæ magistri in spiritualibus expertissimi, pluris in adversis unum *Deo gratias*, quàm mille in prosperis.

Pro quibus beneficiis potissimum Deo agendæ sunt.

Gratiæ agendæ Deo sunt pro omnibus beneficiis naturalibus, pro creatione, conservatione, sustentatione, vestimentis, pro Sole, Lunâ, stellis, influxu siderum in hæc sublunaria, pro quatuor Elementis humano generi subservientibus. Agendæ gratiæ pro donis supernaturalibus, pro incarnatione unigeniti Filii Dei, pro ipsius passione, vitâ, morte, pro Baptismo, aliisque Sacramentis, maximè Sacramento Pœnitentiæ & Eu-

LIB. III. PARS II. CAP. XI.

chariſtiæ, pro vocatione ad veram Fidem, pro illuſtrationibus, inſpirationibus, gratiis actualibus, illis etiam, quas daturus nobis fuiſſet, niſi ipſi obſtitiſſemus, & Dei benefacientis manu quodammodo ligâſſemus, canalem gratiarum culpâ noſtrâ obſtruendo: cùm enim ex parte ſua libentiſſimè habuiſſet, ut iisdem actualiter uſi fuiſſemus, quilibet tenetur pro iis gratias agere, non minùs ac pro Solis illuminatione; eſto illius beneficio uti detrectet, claudátque feneſtras, ne per radios penetret. Agendæ gratiæ non ſolùm pro remiſſione peccatorum; ſed etiam pro gratiâ, qua præventi & adjuti ea peccata non commiſimus, quæ ſinè illâ certò certiùs commiſiſſemus; non enim eſt ſcelus adeò enorme, quod quis non patraret, ſi Dei gratiâ deſtitueretur; unde omni horâ tot accipimus gratias, quot in Orbe toto committuntur peccata: quòd enim ea, ſaltem voluntate, non committamus, eóq; non deveniamus, quòd Deum eſſe non credamus, quod malitiæ abyſſus eſt, ſoli adſcribendum eſt gratiæ, quæ nos conſervavit, & in hanc abyſſum nos labi non permiſit. Agendæ gratiæ pro omnibus minutis, quæ poſt peccatum mortale commiſſum in inferno exegiſſemus, ſi permiſiſſet (quod juſtiſſimè potuiſſet) poſt peccatum mortale nos ſtatim mori. Omnes ergo illi dies, horæ & momenta, quæ poſt peccatum admiſſum effluxerunt, mera ſunt Dei beneficia, eóque majora, quo terribilius malum eſt, quo per Dei gratiam liberati ſumus. Agendæ gratiæ pro bonis Gloriæ; quorum licèt participes non eſſemus futuri, obligati tamen ſumus ad agendum pro iis

gra-

gratias; quia nobis ea per passionem & mortem suam comparavit, & ex parte sua fecit, quod faciendum fuit; potéstque quilibet, si modò velit, his æternis bonis potiri.

Ad hæc gratiarum actio extendenda est ad beneficia, quæ quocunque modo præstantur, præstita sunt, & præstabuntur omnibus & singulis creaturis; præsertim pro beneficiis iis, quæ collata sunt Christi humanitati, Beatissimæ virgini, Angelo Custodi, Patronis, omnibus cœli Incolis. Et ne quid maneat sinè gratiarum actione pro iis etiam beneficiis gratiæ agendæ, quæ parentibus, cognatis, Christianitati, omnibus creaturis præsertim iis collata sunt, quæ vel gratias agere non possunt, ùt sunt Cœli, Sol, Luna &c. vel qui gratiarum actionis vivunt immemores, ùt hebetes, stupidi, & negligentes Christiani; vel qui ex malitia nolunt, ùt sunt peccatores in animi perversitate obdurati, utì & damnati, tam homines quàm Angeli: quorum omnium vices nos supplere convenit, & eorum loco, pro beneficiis illis collatis gratias agere.

SECTIO UNICA.

Praxis gratiarum actionis.

VIdimus in præcedenti sectione, in quibus & quare Deo gratias referre nos oporteat: nunc ad praxin veniendum est; pro qua notandum, *Primò*, Quòd beneficia attenta mente recolenda, memoriæ imprimenda, & maximi æstimanda sint. Considerandа præterea est dignitas Dantis, & vilitas accipientis.

Secundò. In gratiarum actione verbis utendum

LIB. III. PARS II. CAP. XI. SECTIO UNICA.

Advocandi sancti, ut juvent nos gratias agere.

dum est affectuosissimis, & talibus qualia vel excogitare potest animus gratissimus, & beneficia propalanda; quia verò coram hominibus id facere valde periculosum est, conveniet ea Deo, Beatissimæ virgini, Angelo custodi, totique cœlestium exercitui pleno ore exponere, dicendo cum Davide: Ps. 65. 16 *Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* Deus meus quis es tu, & quis ego, quod mei memor in tui erga me amoris argumentum tam pretiosa mihi conferas dona: credo planè inter manifesta tuæ Bonitatis indicia, illud maximum esse, quòd mei vilissimi peccatoris memor, tot me beneficiis cumulare volueris: credo etiam vel ex hac tua liberalitate omnes Cœlites causam sumere tuam Bonitatem admirandi, & Te prædicandi.

Gratiæ agendæ pro re minimâ

Tertiò. Agendæ modo præfato gratiæ, non tantùm pro beneficiis extraordinariis, quæ magnitudine ipsa sua gratias merentur, sed etiam pro parvis & quotidianis v. g. bolo panis, haustulo frigidæ, radiis solis, &c. ut hoc modo manifestemus res illas nos accipere & recognoscere, ut gratum à Deo nobis præstitum beneficium. S. Gerdrudis Lib. 2. c. 5. dicere solebat: Domine Deus, si vel filum dedisses mihi, ut per illud Tuî meminissem, deberem omnino pro filo gratias agere majores, quàm eæ fuerunt, quas egi pro beneficiis maximis.

Quartò. Si Deo pro beneficiis gratiæ referuntur, vocanda sunt beneficia *illius.* v. g. dicendo: Gratias Tibi ago Domine pro Tuo Sole, Tuâ Lunâ, Tuo igne, Tua aqua, Tua veste, Tuo potu, Tuo cibo &c. Debemus assuescere

in

in omnibus iis, quæ ex natura quasi, nobis benefaciunt, ut sunt parentes, cognati, amici; & in iis quæ in usum & utilitatem nostram creata sunt, Deum aspicere, ùt primum omnium beneficiorum fontem, qui creaturis suis, ùt instrumentis ad nobis benefaciendum utitur. Ad hoc rarissimè attenditur; quisque toto corde adhæret creaturæ illi, per quam beneficium accepit, huic soli refert gratias, vix de Deo cogitans; cùm tamen benefactor primarius Deus sit, & per hanc vel illam creaturam, ùt canalem propensissimæ suæ voluntatis gratias & beneficia in nos derivet. Inurbanus certè foret is, qui soli famulo, per quem Imperator rarum mittit honorarium, omnem honorem & gratiarum actionem impenderet; de Imperatore verò ne cogitaret quidem, nec minimas eidem gratias ageret.

Nunquam homines nobis benefaciunt, propriè loquendo, sed solus Deus.

Quintò. Cavere debemus ne in offensam Dei, beneficiis ab illo in nos collatis abutamur. S. Polycarpus ab impio Præside tentatus, ut Christum abnegaret, eúmque blasphemaret; generosus Christi Pugil animo imperterrito respondit: Jam sex & octoginta anni sunt, quibus Christo meo servio; toto hoc tempore nunquam ille quidquam molestiæ mihi intulit; sed innumeris cumulavit beneficiis; cur eum blasphemarem, qui suo sanguine & morte me ab æternis suppliciis, & ab æterna morte liberavit? Hoc est verè gratias agere; si quis generosè resolvat mori potiùs, quàm Benefactorem offendere. Crescens vel decrescens Luna, nunquam Soli obvertit cornua; sed partem à Sole illuminatam, quasi radios acceptos Soli restitutura.

Quænam optima gratiarum actio.

Ma-

LIB. III. PARS II. CAP. XI. SECTIO UNICA.

Maxima sanè insania, imò furor est, Dominum Deum, illis ipsis bonis, quibus ab illo ditamur, ad iracundiam provocare, & amoris argumenta vertere in instrumenta odii: & tamen, vah pudor! fit hoc ipsum quotidie, & omni ferme hora: imò non raró offenditur Deus ab his gravissimè, quibus benefecit copiosè; sumúntque ejusmodi ingrati socii ex illis ipsis beneficiis malitiosè occasionem, longiùs à Dei familiaritate & amicitia recedendi, quibus putaverat Deus ejusmodi rebelles & refractarios fortiùs ad se attracturum; atq; ità illi fiunt ingratissimi, qui ex innumeris titulis deberent esse gratissimi.

Sextò. Præcipuum & optimum, quod pro beneficiis reddere possumus, sunt actus Virtutum & bona opera (huc spectat Votorum renovatio, si Religiosus es, nihil enim gratius istis Deo offerri poterit) præcipuè reciprocus in Deum amor. S. Paulinus ad amorem Dei & gratiarum actionem his verbis hortatur Severum Sulpitium Ep. 4. *Illum amemus, quem amare debitum est; illũ osculemur, quem osculari castitas est; illi copulemur, cui nupsisse virginitas est; illi subjiciamur, sub quo jacere, supra mundum stare est; propter illum dejiciamur, cui cadere resurrectio est; illi commoriamur, in quo vita est.... Et quam dignè huic Domino vicem referre poterimus, in quo mortui vivimus? reddamus amorem pro debito; ipse gratias qui nobis fœnoris remittit usuras, & obligationis immensæ compendium præstat, solam à nobis dilectionem sui repetens: nemo se igitur excuset difficultate solvendi, in nobis est unde solvamus; res enim potestatis nostræ est, noster affectus; hunc Domino impendamus & solvimus.*

Beneficiis reddendus amor.

CA-

CAPUT XII.

Amor Christi facit nos in bono constantes & perseverantes.

NOn incepisse, sed consummasse virtutis est: satis non est, in virtutum studio, de quibus hucusque actum, se exercere; nec amori in Deum per hoc satisfactum est, quod bene quis cœperit, sed debet id, quod bene cœpit, ad finem constanter deducere. Manet verissimum illud Antiquum: *Amicitia, quæ desinere potuit, nunquam fuit.* Constantia est Amoris sigillum, & Perseverantia virtutum forma. Pro quo

Quænam inter constantiam & perseverantiam differentia.

Nota, quòd Constantia & Perseverantia sint quidem duæ distinctæ virtutes; ità tamen conveniant, ut vix distingui possint; tendunt siqui dem ad unum finem, habéntque eosdem effectus; qui sunt, animæ tribuere robur, ut in virtutum exercitio & bene cœptis ad finem usque perduret. S. Thomas 2.2. q. 137. art. 3. hanc inter Perseverantiam & Constantiam notat differentiam, quòd virtus Perseverantiæ propriè faciat firmiter persistere hominem in bono contra difficultatem, quæ provenit ex ipsa diuturnitate actûs: Constantia autem faciat firmiter persistere in bono contra difficultatem, quæ provenit ex quibuscunque aliis impedimentis. Sed hæc differentia adeò subtilis est, ut quidam Doctores dicant Perseverantiam & Constantiam, unam eandémque esse virtutem. Hoc sit ut sit, tanti virtus Perseverantiæ momenti est, ut ea sola cœlum aperiat, & coronam gloriæ capiti

LIB. III. PARS II. CAP. XII.

Sola perseverantia coronat.

piti imponat. Dicitur quidem in adagio: *Dimidium facti qui bene cœpit habet*: certum tamen est, nec initium, nec medium prodesse sinè fine. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Matt. 10. 22. Ante finem similes sumus in stadio currenti, qui quidem currit, sed bravium nondum habet. Conductus operarius, ùt in hanc rem loquitur S. Vincent. Ferrerius, ut sarcinam portet ad certum terminum, nihil accipit mercedis, nisi onus deportet ad terminum; imò, si quid ex sarcina, sua culpa deperditum vel destructum, tenetur ad restitutionem. *Virtus boni operis perseverantia est*, docet S. Bern. de Pass. Dom. c. 14. *huic soli redditur corona justitiæ; quid enim prodest esse bonum, esse sapientem, esse potentem, si non perseveraverit usque in finem?* S. August. Lib. de cogit. veræ vitæ in eandem sententiam appositè ità disserit: *Ad summum Justi quadam catenâ trahuntur, quæ de Virtutibus hoc modo connectitur: In primis Fides animam quasi quidam circulus complectitur: Fides Spe nutritur; Spes Dilectione tenetur; Dilectio operatione expletur; operatio ad summum Bonum intentione trahitur; intentio boni perseverantiâ clauditur: Perseverantiæ Deus fons omnium bonorum dabitur.*

Patriarcha Jacob Gen. 28. vidit Dominum Deum supremitati, seu ultimo scalæ gradui incumbentem: per hunc ultimum gradum designari optimè potest Perseverantia; per reliquos verò gradus virtutes aliæ. Sic & David Lib. 1. Reg. cap. 7. & cap. 25. non lapidem, quo Goliathum stravit, victoriæque initium fecit, Deo in Templo consecravit & anathema suspendit;

esd

sed gladium, quo caput resecuit & victoriam complevit.

In piis exercitiis constantia sit.

Summo igitur studio allaborandum, ut constantes in virtutum exercitio jugiter inveniamur: non debemus quacunque obviâ difficultate à bonis propositis & bene cœptis deterreri. Sunt nonnulli, qui, cùm Deus per subtractionem consolationum nonnihil recedit, desides fiunt & pusillanimes; similes simiis, quæ lunâ decrescente melancholicæ & tetricæ; crescente, joviales sunt & totæ dissolutæ. Caput statuæ Nabuchodonosoris erat ex auro, pectus ex argento, pedes ex luto; erátque ità pretium continuò decrescens; sic & se res habet cum similibus inconstantibus; in principio fervent, paulò post tepent, in fine algent, malè finientes quod bene cœperant. Non ità Sponsa in Cant. c. 5. cujus non solùm caput, sed & manus & pedes erant ex auro, quo denotatur, cujusque boni operis & initium, & medium, & finem paris oportere esse pretii.

Quid ad constantiam juvet.

Plurimùm juvabit ad stabiliendum nos in operibus virtutum, si ea exequamur, non ob consolationes & dulcedines spiritûs, quas sentimus, sed impellere nos debent motiva excellentiora & sublimiora: si solis innitamur consolationibus, iis evanescentibus evanescet simul fervor. In æternis Fidei veritatibus spiritualis noster profectus fundari debet, quæ cum immutabiles sint & perpetuæ, movebunt nos cras, sicut hodie; anno sequenti, sicut præsenti, ut constantes in virtutibus perseveremus. Si Deum amem ob suas perfectiones, & amorem quo me amat;

LIB. III. PARS II. CAP. XII.

ſi timeam ob incomprehenſibilia judicia ejus; ſi eum honorem, ejuſque Providentiæ me committam, quia omnia mea ab illo dependent, ſolidus in virtutibus conſiſtam: hæc enim & ſimilia motiva æquè vera ſunt poſt menſes, & annos, quam hodie; movebúntque me, quantùm in illis eſt, ad virtutes amplectendas æquè poſt annum, ac hodie. Verum quidem eſt, rationes & motiva etiam efficaciſſima & excellentiſſima uno tempore efficaciùs nos movere, quam alio; non enim ſumus ſemper æquè diſpoſiti; quia tamen illorum vis & veritas immutabilis eſt, poſſunt, quantùm in iis eſt, pares ſemper effectus producere. Longè aliter ſe res habet cum conſolationibus; lux ſunt, ſed quæ patitur tenebras; ignis ſunt, ſed qui facilè extinguitur; fons, qui ſiccatur; motus qui remittit. Si conſolationibus nitamur, iis ceſſantibus facilè labemur; deeſt enim, cui inniti poſſimus.

Finalis gratia purum Dei donum.

Finalem in morte perſeverantiam quod attinet, eſt illa, connexa ex multis Dei gratiis catena, quarum ultimam excipit æterna felicitas & ſtatus Beatorum, in quo poſiti, ampliùs peccare non poſſumus. Hanc finalem perſeverantiam mereri de condigno per omnia etiam bona opera, nemo poteſt, ùt definivit Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 13. ſoliúſque Divinæ gratiæ eſt, eandem ex purâ miſericordiâ largiri. Media interim multa ad manum nobis ſunt, quibus & eam impetrare, & Deum aliquo modo eò movere poſſumus, ut non adeò facilè hoc excellentiſſimum perſeverantiæ donum denegare poſſit. Ejuſmodi

Ad eam impetrandam media.

media

media sunt profunda humilitas, singularis timor & horror peccati; qui nascitur ex consideratione lapsûs tot millionum Angelorum, & hominum, qui bene quidem cœperant, sed malè finiêrunt: deinde amor in Proximum, patientia in adversis, continuæ pro hac gratiâ impetrandâ preces, singularis in Deiparam, præcipuè in Christum amor, qui dabit nobis gratiam bene moriendi; in quo consistit gratia finalis & perseverantia. Agetur itaque in sequenti capitulo de morte & de condignâ ad eam præparatione.

CAPUT XIII.

Amor Christi adfert felicem mortem.

SI omnes Angelicæ Potestates explicare nobis conarentur, quanti momenti res sit, bene vel malè mori; nunquam tamen rei hujus gravitatem ullo eloquio condignè assequentur: nullus enim intellectus, quantumcunque acutus & perspicax, vel illa bona quæ ex felici, vel illa mala, quæ ex infelici morte enascuntur, capere sufficit. Mors est negotiorum nostrorum consummatio; peregrinationis nostræ terminus, in quo navicula nostra vel feliciter ad portum appellit, vel miserando naufragio æternùm interit.

Semel tantùm mori concceditur.

Si mori bis liceret, non foret opus tantâ de hoc momento curâ: resarciri posset in secundo, quod vel neglectum vel omissum in primo: jam verò *semel* tantùm, tantùm, *semel* mori permittitur, & ab illo, *semel* tota pendet vel felix vel infelix æternitas; semel malè

mori, est semper malè mortuum esse. Quidquid ergo potes ô Homo mortalis, eò omnia conferas, omnia dirigas, ut semel bene moriaris; morieris bene, si debitam morti præmiseris præparationem; quæ præparatio duplex est, Remota, & Proxima.

Qualis vita, finis ità.

Præparatio remota fit dupliciter. *Primò*, per probam & dignam Christiano vitam; qualis enim est vita, talis etiã solet esse mors. Impossibile est; modo ordinario loquendo, ut, qui malè vixit, bene moriatur; & econtra malè moriatur, qui bene vixit. *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Eccles. 1. 13. Econtra *mors peccatorum pessima* Ps. 33. Et iterum Ps. 136. *Virum injustum mala capient in interitu. In malitiâ suâ expelletur impius.* Prov. 14. Quomodo poterit homo per omnem vitam suam in vitia proclivis, & pravis habitibus imbutus, elicere tempore mortis actum veræ contritionis, Dei amoris, Resignationis &c. cùm imbutus sit habitibus omnino contrariis? Præterea vi morbi ità debilitatus decumbat, ut de nullo nisi de miserando tam corporis, quàm animæ statu & angustiis ad ipsam mortem eum cruciantibus, cogitare possit. Unicum misello huic bene moriendi remedium superesset, gratia Dei tam efficax, quæ radicatis pravis habitibus & morbi doloribus vehementior esset; sed quomodo Deus hanc gratiam, quæ ipsis etiam justis raro obvenit, daret homini, qui sibi ipsi per grandem peccatorum molem, obstaculum posuit? Nunquid justissimè Deus in stercore peccatorum eum computrescere permittet, quem toties

&

& tam amicè per multos etiam annos ad se invitavit, & venire noluit? Verum quidem est nonnullos pessimæ vitæ, resipuisse in morte, & feliciter obiisse; sed numerus horum exiguus est; &, si uni vel alteri hæc sors obtigerit, milleni econtra sunt, qui eâ privati miserè perierunt. Ex quo patet ex bonâ vitâ, tanquam ex radice, bonam excrescere mortem; quódque ille necessariò præmittere debeat bonam præparationem, & vitam instituere bonâ morte dignam, qui in gratiâ Dei mori cupit. Est res tam inaudita quàm insolita, hominem justum in illo mortis articulo & periculoso certamine à Deo derelictum fuisse. Qui contrà objiceret, constare ex historiis quosdam malè obiisse, qui bene vixerant; huic respondetur; quòd, posito historias illas esse veras, pro certo tamen tenendum sit, homines tales, qui probatæ vitæ fuisse crediti sunt, coram oculis Dei vitam probatam non duxisse; sed sub externâ virtutum imagine, qua apud homines sanctitatis nomen adepti sunt, occulta in corde vitia nutrivisse: qualia esse potuerunt, occulta superbia, invidia, ambitio, odium, &c. quæ vitia, velut tineæ omnem virtutum & piorum operum substantiam medullitus exederunt, hominémque Deo odibilem, & indignum, cui in extremo mortis articulo gratia efficax concederetur, reddiderunt.

Amor in Deum optima ad mortem præparatio.

Secundò. Ad bonam mortem in vita nos parare oportet per Dei amorem, qui optima & præcipua felicis mortis causa est. Ratio in promptu est; tum quia caritas Deo nos fortiùs conjungit, & majus ad æternam gloriam jus

LIB. III. PARS II. CAP. XIII.

jus tribuit, quàm ulla aliarum virtutum; tum etiam, quia longè à Deo est, utpote infinitè misericorde & bono, quòd hominem in morte desereret, qui eum in vita syncero corde dilexit. Certè, qui contrarium de Deo sentiret, injuriam non levem inferret ejusdem Bonitati: cùm & homo amicum suum tempore necessitatis non deserat: quomodo ergo deserere posset Deus, omnium verorum amicorum perfectissimum exemplar?

Mors bene viventibus suavis, male viventibus terribilis.

Res hæc clarissimè patet, ex solatio & illo animi gaudio, quo plurimi, qui Deo fideliter in vita serviverant, perfusi, horam mortis sanctâ quadam impatientiâ exspectârunt, & maximo jubilo exceperunt. Illorum mors voluptatibus abundavit copiosiùs, quàm tota eorum vita, qui mundi amant oblectamenta. Homo mundo immersus mortem apprehendit, ùt omnium terribilium terribilissimum: non ità fidelis Dei famulus; qui eam excipit lætanter, ùt desideratum laborum finem, liberationem à peccatis, perpetuam in Dei gratia stabilitatem, & felicissimum veræ vitæ initium. Sic exspectavit & apprehendit mortem S. Theresia, quæ quoties audiret insonare horam, læta dicebat: *Eja agite caræ Sorores, denuo horâ propiores morti sumus.* Catharina Genuensis suavissimis solebat mortem verbis invitare, nunquam lætior, quàm si funus videre, vel exequiis interesse posset. Maria Ogniacensis signa mortis advertens lætum Alleluja intonabat. Aloysius Gonzaga S. I. Hymnum: *Te Deum laudamus*, læto vultu & animo decantavit. Laurentius Justinianus cùm videret

cog-

cognatos lectũ suum mortualẽ lacrymantes stipare; Discedite, ajebat, gementes & flentes; tempus modò nõ est plorandi, sed gaudendi.

Per quos virtutum actus præparatio proxima ad mortem fiat.

Præparatio proxima ad mortem fit per actus præcipuarum virtutum Fidei, Spei, Caritatis, Resignationis, gratiarum actionis, Contritionis, orationis &c. de quibus virtutibus earúmque actibus, suis locis dictum est. Quia verò tempore infirmitatis indispositio corporis vix patitur, iis, sinè specialissimâ Dei gratiâ, quæ paucis conceditur, se multùm occupare; hinc optimum remedium, quo difficultas illa maxima ex parte tolletur, erit; singulis mensibus aliquot seligere dies, in quibus matura fiat de morte deliberatio, & seria per spiritualia exercitia ad eam præparatio. De hac præparatione menstruâ antequam dicamus, præmittentur duæ sectiones, in quarum prima dicetur. Mortem esse tam corpori quàm animæ perutilem. In secunda tam Peccatoribus quàm Justis mortem esse desiderabilem. Sit ergo

SECTIO I.

Sinè causa mors timetur; cùm corpori & animæ plurimam adferat utilitatem.

NAturaliter desideramus vitam omni modo conservare; esto constaret ex miseriis duplò majoribus. Horremus non tantùm vitâ privari, sed & de ipsius privatione cogitare. Quis omnes adinventiones, artes & sumptus exprimet, quos vitæ protrahendæ impendimus? quis dolores recensebit, quos toleramus, amaras potiones, quas ex-

exhaurimus; labores, quos ſubimus, ut mortem fugiamus, vitam protrahamus? Quæ ſanè magna cœcitas eſt, quam facilè curabit attenta malorum conſideratio, quibus ſcatet à primo uſque ad ultimum momentum tota vitæ noſtræ ſeries. *Tota vita iſta*, ait S. Auguſt. ſerm. 42. de verbis Dom. *intelligentibus tribulatio eſt; ſunt enim duo tortores animæ, non quidem ſimul torquentes, ſed cruciatum alternantes: horum duorum tortorum nomina ſunt, Timor, & dolor. Cùm tibi bene eſt, times; cùm malè eſt, doles.* Idem S. Doctor vitæ hujus miſerias deſcribit in ſuis Meditationibus c. 21. *Nunquid hoc, quod vivimus in hoc mundo, dicere poſſumus vitam? quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exſiccant, aer morbidat, eſcæ inflant, jejunia macerant, joci diſſolvunt, triſtitiæ conſumunt, ſolicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, divitiæ inflant & jactant, paupertas dejicit, tædia enecant.... Et cùm ità per ſe ſit falſa & amara, ut etiam ſuos cœcos amatores latere non valeat, tamen infinitam ſtultorum multitudinem, aureo calice, quem in manu habet, potat & prorſus inebriat: felices illi & ipſi rari, qui familiaritatem ejus recuſant, perfunctoria gaudia ſpernunt, ſocietatem abjiciunt, ne cum pereunte deceptrice, & ipſi perire cogantur.*

Miſeriæ enumerantur præſentis vitæ.

Et ſi quis ſuſtinere præſumeret, vitam hanc noſtram adeò acerbam non eſſe, ut non interdum dulce quid propinet, audiat ſibi reſpondentem eundem Auguſtinum in illud Pſalmi 83. *Totâ die tribulatus ſum. Nullus*, ait, *Chriſtianus dicat, eſſe diem, in qua non ſit tribulatus: totâ die tribulatur; & quando bene eſt, utiq; tribulatio: unde tribulatio? quia quamdiu in corpore*

pore sumus peregrinamur à Domino. Quodlibet hic abundet; nondum sumus in Patriâ, quò redire festinamus. Patriâ extorris miserum se semper æstimat, esto alienis in oris deliciis abundet. Sic *sancto viro*, ait S. Greg. Moral. Libr. 20. c. 28, *adhuc in hac peregrinatione posito, omne, quòd sinè visione Dei abundat, inopia est.*

Bona, quæ ex morte corpori obveniunt.

Videri quidem primâ fronte posset, per mortem maximum corpori inferri damnum, dum suî dimidium, animam scilicet amittit; quæ per intimam unionem, puchritudinem, vires & reliqua bona liberaliter corpori communicaverat: hoc interim non obstante, certum manet, majus evenire ex morte corpori bonum quàm malum; & lucrum ex morte acquisitum sinè comparatione majus esse, quàm illatum damnum. Tempore vitæ affligebatur corpus frigore, calore, fame, siti, fatigatione, doloribus, morbis, aliísque sexcentis malis; contra quæ omnia sola mors remedium est. Quæ post mortem corpori, si anima in gratia decesserit, evenient, explicat S. Paul. 1. Cor. 15. 41. *Seminatur corpus in corruptione, resurget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.*

Si corpus carcerem dixero, certè non erravero. Hoc titulo corpus ornat David Ps. 141. *Educ de custodiâ animam meam ad confitendum nomini tuo.* In statu innocentiæ habitabat anima in corpore, ùt palatio; sed post peccatum factum est fœtida custodia, fœtidus carcer. Sicut carcer, habitatio est plena tristitiæ, tædii & multarum incommodita-

tum; sic & corpus animæ habitatio est plurimis scatens sordibus: in occlusum carcerem solis radii non penetrant, nisi fortè per rimulam modicum quid luminis subintret; putrido aere & fœtore, loco lucis infectus est; ubi diu noctúque in compedibus reclusus gemit, debétque ad videndum & loquendum uti angustis cancellis: sic & anima, quamdiu habitat & clausa est in corpore, exiguum habet veræ cognitionis lumen, & quod habet, per strictos habet sensuum exteriorum cancellos, multo fœtori immersa. Quis ergo mirabitur S. Paulum in hæc lamenta erupisse: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. 7. 14.

Si carcer aptari debeat in splendidum, regiúmque palatium, debet priùs carcer destrui; sic & destrui per mortem priùs debet animæ nostræ ergastulum, & supremo illi Architecto locus ampliandus, in quo in extremo resurrectionis die ex eadem materiâ, ex iisdem ossibus regium ædificet palatium, parétque animæ jucundissimam in corpore glorioso habitationem, nunquam ruinæ ulli succubituram.

Mors etiam animæ proficua.

Nec minùs proficua, utilísque mors est animæ. S.Bernardus loquens de statu animæ, in quo est tempore vitæ, serm. 5. in Dedicat. Eccles. *Quid necesse est*, inquit, *singulas ejus miserias numerare? quàm sit onerata peccatis, offusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremo omnis confusionis & ignorantiæ impleta.* Omnibus his malis animam liberat Mors.

Quam-

Quamdiu vivimus infensissimi hostis nostri insultibus expositi sumus, qui cùm implacabili in nos sit odio; nunquam à suis machinationibus quiescit: vivimus in continuo Deum offendendi, gratiam ejus amittendi, æternámque damnationem in nos provocandi periculo. His omnibus finem facit Mors. Hæc aperit nobis cœli januas, ducit ad conspectum Altissimi; ex miseriarum valle extrahit, & dat immensorum bonorum hæreditatem. Ascendamus quæso, animo ad illam Civium supernorum habitationem, consideremus illorum gloriam, felicitatem, securitatem; conferamus cum iis mundi miserias, quibus ad aures usq; miseri mortales immersi sumus; prô, quantam inveniemus in vivendi modo disparitatem! vel inviti videbimus & agnoscemus, carneâ mole & massâ animam circumdatam, in sordibus fœtere, & squallore volutari, per immensum spatium à Dei visione, ad quam tamen creata est, separatam; intellectum tenebris adeò oppletum, ut minimæ etiam corporalis substantiæ essentiam vel proprietates debitè penetrare, vel explicare non valeat; tot periculis undique septam, ut vix per transversi digiti spatium ab æterno interitu distet.

Si ergo tanta sit, ùt indies experimur, inter cœlum & mundum differentia, dum in mundo afflictiones, in cœlo abundent deliciæ: quis mortem non optabit, quis non desiderabit, ut citò veniat, & exulem ex miseriarum valle transferat in æterna tabernacula?

SEC-

SECTIO II.

Mors tam Peccatoribus, quàm Justis desiderabilis & utilis est.

CОntra positam sectione præcedenti, assertionem opponent se fortè tam Peccatores quàm Justi, objiciéntque

Objectio peccatorum contra mortem præmaturam solvitur;

Primò peccatores: Transeat mortem optabilem jucundámque esse iis, qui in gratia Dei decedunt; sed Peccatoribus, quibus viam ad infernum aperit, optabilis esse non potest. Respondetur, ea quæ hucusque dicta sunt, potissimum quidem, ut sœpius insinuatum est, spectare ad Justos; habet tamen & suum Peccator ex morte commodum, & privatam utilitatem. *Gravius* enim *est*, ut ait S. Amb. Lib. de bon. mort. c. 7. *ad peccatum redire quàm in peccato mori; quia impius, quamdiu vivit, peccatum auget; moriatur, peccare desinet.* Ità quidem est, dicet in malo obstinatus peccator, privabor interim voluptatibus, quibus dilatâ morte frui potuissem. Ad quod reponitur, tormenta illa, quæ voluptatibus illicitis, estò per sæcula durarent, in inferno correspondebunt, majora esse, quàm ut in comparationem cum deliciis totius etiam mundi venire possint.

Item solvitur objectio Justorum.

Objiciunt secundò Justi: Si vita hominis in gratiâ Dei constituti protrahatur, per multas actiones meritorias Divinæ Justitiæ pro peccatis satisfieri magnâ ex parte poterit, major per longiorem vitam gratia, & consequenter major in cœlis gloria comparari potest; atque ità justus aptum se redde-

re

re potest, ad magìs laudandum & amandum Deum per totam æternitatem ; quæ omnia impediuntur per vitam præmaturè finitam. Respondetur, verum quidem esse, quòd Justus mediantibus bonis operibus pœnam peccatis debitam plurimùm imminuere possit ; sed an interim non peccabit ? Vix conditionis humanæ fragilitas aliter patitur, quàm ut indies novis se peccatis obstringat. Quod adducitur de gratiâ in terris, & gloriâ in cœlis augendâ ; quódque quis sibi persuadeat per longam vitam aptiorem sed reddi ad Deum per æternitatem intensiùs amandum & laudandum ; ex fundamento solvitur ; quòd nullus, quantumcunque in terris Justus, sciat an si longius vivendi concedatur tempus, in gratiâ perseveraturus sit. Hanc terribilem incertitudinem considerans M. Avila, putat consultissimum esse, ut quis, de beatitudine suâ mediocriter certus, potiùs mortem, quàm vitam eligat longiorem.

Sed esto tandem, quòd Justus ad finem usque perseveraret, & quarumcunque virtutum actus modo adeò excellenti eliceret, ut quilibet actus foret gratum Deo obsequium; certissimum tamen est, honorem illum Deo per excellentia illa opera exhibitum, incomparabiliter minorem esse honore illo, qui eidem vel ab uno Sanctorum per unius quadrantis spatium exhibetur ; inter opera enim ad Dei gloriam vergentia hujus & alterius vitæ vix ulla proportio. Quod Deo in operibus nostris placet, eúmque glorificat, non est, quod fiant in statu viæ, & sint meritoria; sed quod ex suamet ipsâ naturâ excellentia

sint,

ſint, magníque pretii, quam dignitatem & prærogativam habent actus in cœlo, præ actibus virtutum in terris ſinè comparatione majorem. Si quis replicet, quòd Juſtus per diuturnius virtutum exercitium, medium & occaſionem habere poſſit, honorem illum, quem Deo exhibuiſſet in cœlis, ſi abbreviatâ vitâ ad Superos transîſſet, multo fœnore reſarciendi: huic reſpondetur. *Primò*, poſſe quidem hoc modo, quod neglectum eſt, reſarciri; cogitandum interim, quàm incerta & dubia res ſit, an Juſtus, caſu quo vita protraheretur, in bono perſeveraturus ſit. *Secundò* reflectendum ad illam Doctorum ſententiam, qui aſſerunt, Deo per omnia noſtra in terris bona opera, non tantùm exhiberi honoris, quantùm ipſi injuriæ inferimus per peccata. Manet itaque fixum ratúmque mortem vitæ præferendam; quam ſententiam ſuo etiam oraculo confirmat Sapientiſſimus Rex Salomon Eccleſ. 4. 1. *Laudavi magìs mortuos quàm vivos.* Et alibi c. 7. 2. *Melior eſt dies mortis, die nativitatis.*

Præmatura mors Dei beneficiũ eſt.

Ex his deducitur præmaturam mortem numerandam eſſe inter maxima Dei beneficia, magnáque illam aviditate exſpectandam. Sic expectavit eam S. Hugo Epiſcopus Lincolnienſis, qui diem mortis vocavit diem gratiæ & miſericordiæ. Apud Sur. 17. Sept. Hoc ſuavi encomio & ſuam mortem decoravit Propheta Job, (quamvis tempore Jobi mors necdum adeò optabilis ob clauſas adhuc cœli januas, quàm in novo teſtamento) dicens cap. 10. 18. *Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi*: quæ verba S. Ambroſ. ità

in-

interpretatur: *Vitam & mortem tribuisti mihi.*

Sequitur jam praxis, qua quis menstruè cum maximo fructu ad mortem, corpori & animæ, Peccatoribus & Justis, proficuam, parare se possit.

SECTIO III.

Praxis se maturè & fructuosè præparandi ad felicem mortem.

EX singulis totius anni mensibus seligi possunt dies tres, quorum ultimus sit dies vel Dominicus vel festus, vel talis, quoad sacram mensam accedere quis solet. Congruit ut sint dies Veneris, Sabbathi, & Dominicus. Duo enim primi Veneris & Sabbathi memoriæ Passionis & Mortis Domini nostri consecrati sunt: Dominicus verò talis est, quo nova vita nostra per Dominicam resurrectionem incepit; hocque præsens exercitium in eum finem instituitur, ut in novam vitam regeneremur.

Per hos igitur tres dies omnia nostra opera, verba, cogitationes eum in finem Sanctissimæ Trinitati offerenda sunt, ut per merita Salvatoris nostri & Beatissimæ Virginis det nobis gratiam bene moriendi. Potestque sanctissimum Altaris Sacramentum, quater de die, bis ante, & bis post prandium devotè visitari; cujus visitationis finis est, ut animus per considerationem veræ & realis præsentiæ Redemptoris nostri recollectus, vehementiùs accendatur ad reliqua exercitia magno fervore obeunda.

Meditationes pro his diebus desumi possunt ex libris asceticis, quæ esse debent de Morte,

LIB. III. PARS II. CAPUT XIII. SEC. III.

de miseranda hominis incuria & negligentia in præparatione ad mortem; de Judicio, Inferno, Cœlo, Purgatorio, &c. His prænotatis veniendum ad exercitia, quibus tres illi dies insumi debent.

Primo die

Pro felici hujus triduani exercitii successu imploranda sanctissima Trinitas, & ab ea ferventissimis precibus flagitandum, ut terribili illâ mortis horâ nos sapientiâ suâ illuminet, dispellatque tenebras, quibus intellectus noster obfuscari posset; ne à principe tenebrarum seductus deviet à viâ, quæ ducit ad vitam: ulterius sanctissima Trinitas quodammodo adjuranda, ut voluntatem nostram sui amoris igne ità succendat, ut bono constanter adhæreat; se à Deo non separet, sed eidem ad ultimum usque halitum conjuncta permaneat.

Præterea opera nostra ordinaria cum tantâ perfectione obeunda, quantâ quis obiret, si sciret se eodem die hinc ad æternitatem decessurum. Denique hoc primo die exerceri debent actus Fidei, & Spei. V. G.

Fidei, credendo omnia & singula, quæ sancta Mater Ecclesia credenda proponit, & cum S. Theresia protestando, velle se vivere & mori filium Romanæ Ecclesiæ, rejiciendæ omnes cogitationes', quæ huic Fidei contrarias inimicus in hora mortis suggerere posset; quem in finem recitari potest attentâ mente, Formula Professionis Fidei.

Secundò eliciendi actus Spei. Sperando Dominum Deum gratiam bene moriendi misericorditer daturum per merita unigeniti Filii sui. Quem

Quem in finem recitari possunt vel ex Psalmis, vel aliis S. Scripturæ locis ad hanc rem facientia v. g. *In te Domine speravi, non confundar in æternum. Adjutor & susceptor meus es Tu, & in Verbum tuum supersperavi. Suscipe me secundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab exspectatione meâ.* Scis Domine, quia in Te posui omnem spem meam, & omnia mea cum firmâ fiduciâ Tibi consignem. Scis quia spero, quòd nunquam permissurus sis, ut confundar ab hac exspectatione meâ. Tu es cynosura & refugium meum; immotus sto in verbo tuo, quod caro factum est. Unigenitus Filius tuus est etiam Dominus & Salvator meus. Nec minùs firmiter confido in promissionibus tuis. Hæc sunt, quæ sperare me faciunt, & intuitu horum oro supplex, ne deseras me, sed post felicem mortem me sumas ad Te.

Secundo die.

Res hæc conferenda est cum Salvatore nostro, & ab eo instantissimè petendum, ut gratiam conferre dignetur; quatenus mors nostra perfectissimæ imagini mortis suæ conformetur. Sicut impossibile est, quòd quis bene vivat, nisi spiritum Christi ad se attrahat, vivátque sicut & ipse vixit; sic & mori nemo bene poterit, nisi eo animo & præparatione, qua mortuus est Christus.

Transigitur hic dies in præparatione ad confessionem sacramentalem; quæ ità instituenda, ac si revera ultima vitæ esset; præcipuum, cui hoc die incumbere oportet, est perfectus animi dolor, & contritio de omnibus & singulis peccatis per universam vitam commissis,

quorum remiſſio cum profundiſſimâ humilitate petenda, firmiſſimumque, de non peccando in poſterum, propoſitum concipiendum. Diſcutiendi præterea ſunt omnes cordis noſtri ſinus, an non quid lateat, quod quietem animi mortis tempore turbare poſſet, v.g. prava conſuetudo, averſio animi ab hoc vel illo, affectus inordinatus erga hanc vel illam creaturam: ſi quid ſimile deprehendatur, ſubitò excutiendum eſt, ne periculoſo illo tempore confuſionis occaſio vel cauſa ſit. Seligendi, & ſœpius repetendi magnâ animi teneritudine ex ſacris Literis verſiculi, quibus contritio cordis exprimitur, v.g. *Miſerere mei Deus, miſerere mei, &c. Cor contritum & humiliatum non deſpicias. Averte faciem tuam à peccatis meis. Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris. Non intres in judicium cum ſervo tuo. &c.*

Dum recordamur extremæ unctionis, eliciendus dolor de peccatis per quinque ſenſus commiſſis: in recompenſationem horum defectuum æterno Patri offerenda eſt illa gloria, quam eidem comparavit unigenitus Filius per ſenſus & membra ſanctiſſimi corporis ſui; pariterque ab illo ferventiſſimè petendum, ut intuitu & per merita membrorum illorum copioſam ſuper membra & ſenſus noſtros benedictionem effundat, ut à peccati morte liberi ad illius gloriam immaculati permaneant.

Tertio die.

Confugiendum ad miſericordiæ Matrem, & ab eâ petendum, ut ultimæ noſtræ luctæ adeſſe dignetur, ùt adfuit morienti in ligno crucis dilectiſſimo Filio; geratque ſalutis noſtræ maternam curam. In hunc finem ſalutari ſæpius

po-

potest illis Ecclesiæ versiculis: *Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.* Potest etiã Oratio converti ad alios cœlites, quos Patronos pro vitâ & morte elegimus, ut patrocinio suo adsint, quatenus vitâ bene fungamur, & post eam illis in gloria sociemur. Cùm primùm à somno excitaris, imaginare adesse diem illum supremum, quo venturus est Dominus judicare vivos & mortuos. Imaginare tibi adstare Angelum tuum custodem inclamantem: *Ecce Sponsus venit, exite obviam ei.* Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum cum maximâ devotione hodie sumendum, quod ad illud longum in æternitatem iter viaticum est omnino necessarium. Orandus præterea Deus, ut animam à vitiorum sordibus emundet; virtutumque ac gratiarum splendore illustret. Peracta gratiarum actione post sacram communionem (quæ gratiarum actio fieri debet per actus Fidei, adorationis, humiliationis) eliciendi sunt virtutum actus sequentes:

Primò. Actus resignationis in divinum beneplacitum, quoad temporalem animæ à corpore solutionem, generosè iteratò repetendo: *Non mea voluntas fiat, sed tua. Ità Pater, quoniam sic fuit placitum ante Te.* Vis Domine, ut moriar? volo & ego: sententiæ, quam tulisti in vitam meam & ejus finem, libens subscribo; eámque lubens & lætus amplector: volo Domine mori, tempore, loco, modo, quibus tu vis, in imo vel sublimi, domi vel ruri, in lecto, vel dura humo, sub tecto vel dio, &c. paratus sum ad omnia.

Secundò. Actus submissionis: Subjicio me Domine judiciis tuis; æquissima illa sunt, &

dignissima, ut ea honorem & adorem, quod tanta, quanta possum reverentia facio, iterum iterúmque cum Unigenito tuo ingeminans: *Ità Pater, quoniam sic fuit placitum ante Te.*

Tertiò. Obedientiæ: Obedio exemplo tuo Salvator amantissime, cœlesti Patri; unicè exoptans, ut ultimus meæ voluntatis usus, sit perfectissimæ obedientiæ actus, per quem honorem & imiter supremum illum obedientiæ actum, quem in maxima perfectione Salv. tor meus exercuit, cùm in ligno Crucis pro salute humani generis mori dignatus est; quem actum exteriori etiam capitis inclinatione coram cœlo & terra testari voluit.

Quartò. Actus filialis observantiæ; Amplector Domine mortem ex amore in Te; cujus amoris maximum argumentum est; pro te mori. Protestor igitur, me vitam tibi meam dare & daturum animo promptissimo, ut per oblationem vitæ, ùt doni præstantissimi, testari reipsa possim, quantùm amem Te Deum meum; quantùm desiderem Tibi unire me; hocq; modo Te in æternum amare, in æternum laudare.

Quintò. Actus zeli gloriæ Dei: Mortem amplector Deus meus maximo zelo, quo honorem tuum promovere cupio, eam amplector, ùt pœnam millies promeritam, quam coram oculis Divinæ tuæ Majestatis omnium Angelorum & hominum subire cupio; ut per eam satisfaciam Tibi Deo meo à me toties, & tam indignè injuriato, ut per mortem meam, quantùm mihi possibile est, restituam tibi honorem, quem tibi, toties peccando, sceleste surfuratus sum; Da ergo gratiam, ut ità moriar, ùt Tu à me requiris, & ùt Tibi placet. Adjuva me, ut

quos

LIB. III. PARS II. CAPUT XIII. SEC. III.

quos modò sanus elicui actus, eosdem infirmus in hora mortis pro tui nominis gloria & mea salute, ùt dignum est, elicere possim.

Post hos similésque actus, eliciendi sunt actus gratiarum actionis pro omnibus beneficiis, tam in genere, quàm in specie collatis. De hac gratiarum actione dictum est hoc libro cap. undecimo. Denique inflammandus est animus serventibus desideriis Deum videndi. Hæc desideria in præsenti exercitio maximè necessaria sunt : quo enim ardentius est in rem aliquam desiderium, eò studiosiùs ad eam pertingendi adhibeo remedia; quò ergo intensiùs quis desiderat Deum videre, eò impensiùs virtutibus studet, vitia fugit, & omne illud sollicitè prosequitur, quod ad consecutionem boni amati facere potest. Hunc in finem uti quis poterit verbis S. Augustini, Medit. 37. *Dulcissime, amantissime, benignissime, carissime, pretiosissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime, quando videbo Te? quando apparebo ante faciem tuam? quando satiabor de pulchritudine tuâ? quando educes me de carcere tenebroso, ut confitear nomini tuo?*

His omnibus actibus finitis, promptissimè spiritus in manus Domini commendandus ; quemadmodū & ipse Salvator noster in manus Patris sui promptissimè eum consignavit ; proinde cum illo dicendum: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Gratia præterea efficax petenda, ut ab hoc temporis puncto creaturis moriamur, nemini nisì ipsi vivamus, eumque ex toto corde amemus.

Et sicut solet funus, antequam terræ mandetur, lavari; sic & Christus & B. Virgo oran-

di sunt; ut ille lavet nos pretioso suo sanguine, ista, virgineo lacte. Loco sindonis cui semel involvemur, erit divina Providentia, cui nos totos committere debemus, generosè nos resolventes, ad excipiendum sinè ullâ contradictione omne illud; quidquid tandem, excepto peccato, nobis accidere potest.

Tumba sepulchralis erit apertum Christi latus; & vulneratum ejus cor. Post hæc omnia non alium te putabis, non alium imaginaberis quàm mundo mortuum cadaver: quod à nullo mundi vel fastu, vel splendore, vel divitiis, vel voluptatibus moveri potest. Per decursum reliqui diei affectibus elicitis inhærendum, & presè immorandum; atq; ità interna animi cum Deo unio, ad quā perveniet post mortem anima, vitiis libera, & virtutibus ornata, prægustanda est.

Hoc salubri trium dierum exercitio, singulis mensibus præscripto modo vitæ tuæ tempore, diligenter utere. Vis morbi in extremis ità vires decumbentis solet prosternere, ut animæ, quæ in operationibus suis ab externis sensibus dependet, vix possibile sit ejusmodi actibus eliciendis intendere; quod & in Viris probatissimæ vitæ docuit experientia. Offerendi igitur sunt prætacti virtutum actus Domino Deo loco illorum, quos in extremo morbo, vel difficulter, vel ne quidem elicere poteris: illo enim tempore, sinè specialissimâ Dei gratiâ, quæ paucissimis conceditur, ejusmodi actus elicere non valebis; quia laboriosum nimis, & molestum accidet homini cum multis doloribus conflictanti, istis se occupare. Si quis tempore integræ sanitatis iis assuefiat, cum minori difficultate elicientur tempore infirmitatis.

SECTIO IV. ET ULTIMA.

Exercitium præcedenti sectione explicatum, efficit nos mortis memores, efficit humiles, & periturorum contemptores.

INter omnia, quæ Christus Dominus dedit nobis documenta, nullum tantâ nobis solicitudine commendavit, quàm perpetuam ad subeundam mortem vigilantiam. Dies mortis nostræ veniet sicut fur in nocte. *Videte, vigilate* ait Marci 13. 13. *& orate, nescitis enim quando tempus sit.... Vigilate, nescitis enim, quando Dominus domûs veniat, serò an mediâ nocte, an galli cantu, an manè; ne cùm venerit repente, inveniat vos dormientes; quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.* Apud S. Matthæum cap. 25. post adductam de Virginibus prudentibus & fatuis parabolam subjungit: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Certè in parabola hac, per mediæ noctis horam, adventûs sui incertitudinem clarè innuit; mediâ enim nocte quilibet suo clausus cubili altùm dormit, plateæ vacant, tumultus non auditur, silentium tenent omnia. & sub tenebris quasi sepulta jacent & silent universa: Pater non cogitat de filio, nec filius de patre; domesticorum, amicorum, cognatorum, negotiorum nulla recordatio, quia somno sepulti stertimus. Pro certo ergo habe, Filium hominis venturum horâ omnino improvisâ, cùm minimè de ea cogitas: vigila ergo, ne spirituali somno oppressus inveniaris.

Vigilantiam & præparationem ad mortem, sæpissimè Christus suasit.

Longum nimis esset adducere omnia sacræ

Scripturæ loca, in quibus vigilantiam nobis suadet, solicitus de salute nostra Redemptor. Mirabile certè est, quòd in ultimo Apocalypseos capite, omnino quater improvisi adventûs sui nos admoneat, quasi per repetitam toties admonitionem totum sacræ Scripturæ corpus conclusurus. Primò ait Apoc. 21. 7. *Ecce venio velociter.* Secundò. *Tempus prope est.* Tertiò. *Ecce venio citò & merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera ejus.* Finem denique facit his verbis: *Dicit, qui testimonium perhibet istorum. Etiam venio citò.*

Stupenda profectò res, quòd cùm Filius Dei grandis hujus negotii tam syncerè, seriò & paternè nos admoneat; nos interea in incuria, & somnolentia torpeamus. Putabimúsque ergo voluisse nobiscum æternam Sapientiam nugari, & per inanes strepitus puerili nos timore percellere? Si medicus, qui purus & fallibilis homo est, periculosum asserat, ex quo decumbimus, morbum; nostra disponimus, & paramus nos ad decessum. Cur ergo non parabimus nos ad toties repetitas admonitiones Dei infinitè veracis, asserentis venturum se hora, qua non putamus? Modus parandi se, optimus est, quem sectione præcedenti explicavimus; ex quo exercitio, & hæc nascitur utilitas, quòd, dum per repetitam ad mortem præparationem in mentem revocamus, horam illam tandem affore, qua hinc migrandum erit, sublimes illos de nostri existimatione conceptus ponamus, fœténsque arrogantiæ nostræ apostema rumpatur. Ut enim Adam de S. Victore Vir Religiosus in suo meminit epitaphio:

Unde superbit homo? cujus conceptio culpa;
Nasci pœna, labor vita, necesse mori.

Rex hodie est, ait Sap. Eccleſ. 10. 13. *& cras morietur, cùm enim morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes. Quid superbit terra & cinis?* Eccleſ. 10. 9. Quò recidit Magnus Alexander tumidum illud vanitatibus & grandibus machinationibus caput? Quò manus illæ victorioſæ? in pauxillum pulveris, quem volâ claudere poſſum. Quo reciderunt innumerabiles alii coram mundo potentes, pulchritudinis, fortitudinis, ſapientiæ, &c. prodigia? quò abiêrunt? in cineres, in pulverem, in nihilum.

Attenta horum conſideratio hominem ſenſatum movere facilè poteſt, ad ſupprimendum omnem arrogantis animi tumorem: movere facile poteſt, ut ſibi vileſcat, nec ſe ſupra alios ob perfectiones & talenta faſtuosè efferat. Putat Propheta David arrogantiam & ſuperbiam noſtram oriri ex oblivione mortis. *Non est respectus morti eorum*, canit Pſ. 72. 4. vel, ùt Hierony. vertit: *Non cogitaverunt de morte.* Et quid ſequitur ex hac oblivione? *Ideo tenuit eos superbia.*

Denique & hanc ſecum fert menſtruum de morte exercitium utilitatem, ut animum perituris non affigamus; revocat enim in memoriam temporalium bonorum citò adeſſe finem, nec frui aliquem iis poſſe, niſi tempore admodum modico. *Facilè contemnit omnia*, ait S. Hierony. Ep. 103. ad Paul. *qui se semper cogitat esse moriturum. En morior*, ait Eſau Gen. 25. 32. *quid mihi proderunt primogenita?* Dicamus idem: Quid proderunt mihi

 di-

divitiæ, honores, voluptates? aderit mors, quæ omnia extorquebit è manibus meis, destinabítque me in terram longinquam; ubi perpetuò mansurus sum, ubi horum omnium nullus respectus, ubi velut stercora æstimantur divitiæ, principatus, regna, honores, dignitates, & omnia illa quæ mundus amat & efflictim ambit, ubi sola virtus in pretio.

In Libro quarto addūcit Author varios ex utroque sexu, qui dum viverent, in amore Christi mirabiliter æstuârunt; quos brevitatis causâ omitto. Nos interim eos pro viribus imitemur, eúmque syncero corde amemus, per quem, in quo, & ex quo omnia: amemus eum, ut co nsequamur, quæ amantibus promissa sunt, præmia; quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt: amemus ne feriamur anathemate, quo non amantes percellit S. Paulus 1. Cor. 16. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.*



IN-

INDEX
RERUM ET VERBORUM.
A

Ærer-

auferre

quod

nibus

Exa-

&

H.

I.

In-

Me-

tem-

tur.

Q.

V.

FINIS.

Errores Typographici.

Prius numerus paginam, alter lineam denotat.

PAg. 10. Lin. 17. *Deum* lege *in Deum*.
11. l. 19. *intentiorem* leg. *intensiorem*.
ead. l. 33. *intentione* leg. *intensione*.
19. l. ult. *eligi* leg. *elige*.
23. l. 3. *ipsa* leg. *ipse*.
24. l. 7. *eorúmque* leg. *earúmque*.
25. l. 6. *vera* leg. *viva*.
55. l. 2. *&* leg. *ut*.
60. l. 2. *declaravit* leg. *delectavit*.
62. l. 32. *firmus* leg. *firmius*.
75. l. 1. *pura quàm* leg. *quàm pura*.
80. l. 3. *offeramus* leg. *afferamus*.
90. l. 11. *pro* leg. *quo*.
96. l. 30. *stillat* leg. *stillant*.
118. l. 2. *ex* leg. *ea*.
ead. l. 8. *phineis* lege *phinees*.
134. l. 34. *optimâ* leg. *optimo*.
ead. & l. ead. *quod* lege *quot*.
153. l. 36. *maledicta* lege *maledictæ*.
164. l. 22. *præsense* leg. *præsentiæ*.
178. l. 2. *eliceat* leg. *eliciat*.
ead. l. 6. *responde* leg. *respondere*.
196. l. 1. *tracta* leg. *tractas*.
ead. l. 31. *fortè* l. *sorte*.
207. l. 29. *reflectione* lege *reflexione*.
210. l. 33. *voluntati* lege *voluntate*.
Pag. 225. Lin. 5. *viritamenta* leg. *irritamenta*.
ead. & l. ead. *convirium* leg. *convivium*.
227. l. 9. *leonem* leg. *leonum*.
229. l. 4. *&* leg. *ut*.
264. l. 26. *pereunti* leg. *pereunte*.
255. l. 17 omittenda hæc verba: *cum corpore*.
263. l. 18. *quia* leg. *quæ*.
301. l. 27. *do* leg. *de*.
311. l. 19. *deeamus* leg. *debeamus*.
312. l. 10. *incolumitatem* adde *conferat*.
313. l. 18. *Tordanus* leg. *Jordanus*.
815. l. 31. *dotantur* leg. *dolantur*.
330. l. antepen. *veneramus* leg. *veneramur*.
336. l. 14. *instrumento* leg. *instrumentum*.
341. l. 10. *cui* leg. *quem*.
360. l. 15. *Subditorum* leg. *Superiorum*.
371. l. 14. *meritricula* leg. *meretricula*.
390. l. 8. *ardearis* leg. *videaris*.
396. l. 14. *haberis* leg. *habeberis*.
ead. l. 16. *incipientium* leg. *insipientium*.
409. l. 11. *elucidabimur* leg. *elucidabimus*.
418. l. 5. *recuperent* leg. *reciperent*.
420. l. 23. *proferatur* leg. *præferatur*.


Errores Typographici.

Pag. 421. Lin. 3. *nos* leg. *non*.
ead. l. 5. *non* leg. nos.
432. l. 23. deleatur *intentionem*.
437. l. 6. *senescamus* lege *segnescamus*.
461. l. 3. *præstantius* adde *Ens*.
ead. l. 6. deleatur *&*.
465. l. 19. *numeri* lege *nummi*.
ead. l. 24. *esse* leg. *esses*.
467. l. 24. *dilaturus* leg. *ditaturus*.
485. l. 23. *selectiones* leg. *selectiores*.
496. l. 18. *pooesi* leg. *poesi*.
498. l. 8. *te* lege *se*.
509. l. 9. *indignati* leg. *indignanti*.
525. l. 19. *aasolutis* leg. *abso- solutis*.
532. l. 4. *eos* l. *nos*.
535. l. 14. *malitiosè* l. *non malitiosè*.


Pag. 537. l. 20. *censam* leg. *causam*
542. l. 24. *nomine* leg. *nomina*.
549. l. 31. *&* omittatur.
552. l. 28. *arcem* leg. *aream*.
566. lin. 11. *viæ* l. *ira*.
586. l. 5. *Locin.* leg. *Lorin*.
591. l. 23. *via* leg. *ira*.
594. l. 11. *traquillásque* leg. *tranquillásque*.
602. l. penult. *ergo* leg. *erga*
ead. l. ult. *regulam* leg. *reculam*.
608. l. 1. *foventur* leg. *fovetur*.
623 l. penult. primum & deleatur.
639. l. 5. *Ecce* leg. *dicebat: Ecce*.
679. l. 2. *discedi* leg. *discedite*.
685. l. 12. *sed* leg. *se*.
696. lin. 16. *putabimúsque* leg. *putabimúsne*.

Reliquos errores contra Orthographiam, maximè Accentus, qui frequenter positi sunt, ubi omittendi, & omissi, ubi ponendi, benevolus Lector excusabit, ob distantiam à Typographiâ non licuit hos aliósque errores studiosè curare.


Eremitarii Camaldulensium
Insulae Vigrensis.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0029637







S. Agnes

S. Rochus

